3 1761 07976099 7

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/compendiumtheolo02alsi

COMPENDIUM

# THEOLOGIÆ MORALIS,

EX EGREGIIS AUCTORIBUS

A RAYMUNDO ALSINA, PBRO.,

THEOLOGIÆ MORALIS IN SEMINARIO CŒLSONENSI PROFESSORE,

DEPROMPTUM,

AB AUCTORITATE ECCLESIASTICA

RECOGNITUM ET APPROBATUM.

---

EDITIO SECUNDA AB EODEM AUCTORE CORRECTA ET LOCUPLETATA.

---

**TOMUS SECUNDUS.**

BARCHINONE.

EX TYPIS DAMIANI VILARNAU,
IN VIA DICTA SOBRADIEL, NUM. 10.

MDCCCLXXIX.

BX
1758
A6
1879
t. 2

LIBRARY
AUG 20 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

# TRACTATUS OCTAVUS.

## DE JUSTITIA, ET JURE,

SEU

## DE SEPTIMO, ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

NON FURTUM FACIES. (*Exod.* XX; *Luc.* XVIII).

# CAPUT I.

### De justitiæ natura, et jure.

1. Justitia sumitur 1.° pro gratia sanctificante, quam qui habet, dicitur *justus*; — 2.° pro actu recto, vel pro habitu bono, seu pro complexu omnium virtutum; hoc sensu habet Christus: *Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam:* (Matth., V): — 3.° pro speciali virtute cardinali, et morali, de qua hic agemus, et sic definitur: *Virtus moralis constanter inclinans hominis voluntatem ad reddendum alteri jus suum.* Unde injustitia erit *læsio juris* objectivi *alterius,* seu debiti rigurosi, non simplicis honestatis; et tam justitia, quam injustitia in alterum semper tendit.

Divisio. Quadrupliciter dividitur justitia: est nempe, *legalis, distributiva, vindicativa,* et *commutativa.*—1.ª *Legalis* est ea, *quæ ordinat partes ad totum*, seu *quæ vi legum privatum inclinat ad reddendum communitati, quod ipsi debetur ob bonum commune,* uti lex tributorum, electio ministrorum. Hæc obligat privatos ad leges patrias; et simul legislatorem ad bonum commune per leges curandum. Per *analogiam*, vel *secundum quid* justitia appellatur.

2.ª *Distributiva* illa est, *quæ inclinat totum ad partes;* vel *superioris voluntatem ad bona, et onera communitatis juxta merita, et vires subditorum distribuenda in commune bonum,* v. g., dignitates, pensiones, tributa.

3.ª *Vindicativa* est illa, *quæ superiorem inclinat ad sontes pœnis congruis pro societatis bono plectendos.* Etsi hæc ad *legalem* partim reduci possit; cum superior non sit arbiter, sed Dei agens in bonum reipublicæ; et partim ad *commutativam,* quatenus ex officio judex delicta punire tenetur, non secus ac custos furem arcere debet.

4.ª *Commutativa* vero illa est, *quæ ordinat partem ad partem;* nempe *privatum ad reddendum alteri privato quod sibi stricte debetur ad æqualitatem,* tum ratione contractus, tum ratione alterius peculiaris tituli.

# CAPUT II.

## De dominio in genere, ejusdemque origine.

4. Dominium in genere est *jus gubernandi subditos, vel disponendi de re aliqua.* Unde duplex est dominii species: nempe, *jurisdictionis, et proprietatis.* 1.ª est *legitima potestas liberos, vel subditos gubernandi in ipsorum commodum, præcipiendo, prohibendo, et judicando.* 2.ª vero est *potestas in rem, vel in re.*

Duplex item est dominium, scilicet, *publicum*, seu *eminens,* vel *altum;* et *privatum*, seu *humile*, et *vulgare.* 1.º Dominium publicum est *facultas, quæ reipublicæ convenit disponendi de bonis subditorum ob bonum publicum;* et non est jus proprietatis, sed administrationis, ac vindicis in bonum commune, nempe quoad tributa, onera, pœnas, etc. Hinc *ad reges potestas omnium pertinet*, ait Seneca, *ad singulos proprietas.*—2.º Dominium vero privatum est *jus disponendi pro arbitrio de re tanquam propria, nisi lex, testamentum, vel pactum obstet.*—Dicitur *de re tanquam propria,* ut distinguatur a nuda possessione, commissione, et a dominio *alto;* additur *nisi lex,* etc.; aliud est enim jus disponendi, aliud actus. Sic Tutor habet jus disponendi de re pupilli juxta legem, et pupillus habet jus rei, sed non actum disponendi, et alienandi ipsam rem; obstat quippe lex. Jus proprietatis est *jus sacrum,* ait Gousset, n. 64, quod nemo cogi potest cedere, nisi ob publicam utilitatem, *justa compensatione mediante.*

—Dominium *privatum* dividitur in *plenum, et non plenum.* 1.ᵐ *est jus disponendi de re, ac de ejusdem usu;* 2.ᵐ est jus *disponendi vel de re, vel de ejusdem usu tantum.* Hoc subdividitur in *directum, et utile.* 1.ᵐ *directe afficit proprietatem;*—2.ᵐ vero *emolumentum, et usum.*

Contra jus proprietatis exorti sunt funestissimi aliqui errores, inter quos venit: 1.º *Communismus* ortus anno 1516, ad systema reductus á quodam Thoma Moro Lovanii, et an. fere 1841 in Helvetia revixit error hic, qui *omnia bona esse communia* proclamat, et jus *proprietatis in civili societate nihil esse aliud, quam furtum* dicit. Ita *Proudhon*, cujus opera omnia, quocumque idiomate, prohibuit *S. C. Indicis* 22 jan. 1852; et cujus systema Pius IX, in sua prima Encyclica *Qui pluribus,* Orbis catholici Patriarchis, Primatibus... data, *infandum, ac vel ipsi naturali juri maxime adversum*, declárat.—2.º Venit *Socialismus,* seu *Radicalismus,* qui totam civilem societatem radicibus eruit ab imis; æqualitatem namque omnium civium in auctoritate, et jurisdictione proclamans, inficiansque ita jus imperii. Proinde Communista interitum opulentibus minatur; Radicalista vero, seu Socialista regibus; illique omnes societatem reformare peroptant ad instar monasterii monialium, cujus, dempta castitate, religione ac sanctitate, ipsi omnes præpositi constitui gliscunt; velut ad instar apum alvei, prout fert hominis appetitus, omnes vivere valeant, unusquisque sibi referens fructus propriæ industriæ, exceptis præsidentibus, qui jure de omnibus accipere poterunt. Hoc systema *Fourierismus* vocatur a *Fourier,* inventoris nomine. Quam absurdum sit, nemo est qui non videat.

5. Dominii origo, ac necessitas. I. Certum omnino est in mundi

exordio res omnes fuisse hominibus communes. *Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.* (Ps. CXIII).

II. Item solum Deum esse vere, et absolute omnium Dominum, cum ab ipso solo res omnes suum esse, agere, perfici, ac conservari habeant. *Domini est terra, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* (Ps. XXIII).

III. Nullum ens creatum esse posse vere proprietarium respectu Dei; etenim nullum est independens a Deo, aut aliquid habet nisi a Deo. Nullum ergo ens creatum aliqua re uti potest tanquam absolute sua.—Nullum ergo jus proprietatis enti creato inesse potest, nisi a solo Deo.

IV. Quod homo esse potest proprietarius respectu aliorum hominum; cum *ex se* nihil obstet *neque ex parte hominis, neque ex parti rei, neque ex parte Dei.* 1.° Non ex *parte hominis;* nam persona quævis a solo Deo esse suum primario recipit, et recipere potest; ergo a nullo alio impediri potest, ut proprietarius fiat.—2.° Neque *ex parte rei;* quælibet enim res libera a jure alieno (ut bona nondum possessa) de se apta ad necessitatibus, ac oblectamentis vitæ providendum (uti bona fortunæ, honoris, etc.), apta item est ad proprietatem.—3.° Neque *ex parte Dei;* nam ipse Deus ad hoc dominium nos vocat dicens: *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram.* (Gen., I).—Hinc a mundi exordio homines bona sibi applicare pro sua libertate potuerunt. Unde prima bonorum divisio non est facta neque a Deo, neque a jure gentium, neque conventione aliqua humana; siquidem ante leges, et humanas conventiones invenimus bonorum divisionem. Leges semper hoc jus inceptum, ac statutum supponunt, illudque regulare tantum intendunt.

—Sic Abel factus est pastor ovium, Cain autem agricola: uterque fructus e proprio labore provenientes suos faciebat. (Gen., IV). Hoc primum est quod de societate humana, ac proprietate constat. Illi jam implere intendebant illud Domini præceptum: *Honora Dominum de tua substantia.* (Prov., III). —Deinde invenimus Lot, et Abraham habitantes in tabernaculis propriis: *Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa.* (Gen., XIII). Hinc dominii origo est repetenda ab ipsa humana conditione.

6. Q. *Quomodo fieri potuit hæc divisio, seu proprietas?*

R. Triplici capite, *labore* nempe, *cessione,* et *inventione.* I. *Labore.* Ex connaturali illa facultate, quam habet homo sibi vindicandi ea, quæ nullius sunt juris, præsertim per suæ imaginis in iis impressionem ratione sui laboris, ut explicat *Balmes* in sua *Elementali;* v. gr., si quis arborem nullius cædat, et ex ipsa navim construat; en *jus in re*, ac primum acquirendi dominii modum: itaque *Abel* proprias habuit oves, *Cain* autem proprios agros, *Henoc* propriam domum, ac civitatem, *Abraham* factus est dives in possessione auri, et argenti; et sic de cæteris.

II. *Cessione.* Ex humana libertate, quam quisque ex se habet alteri cedendi quod suum est, quocumque titulo habuerit, et quovis titulo fiat, sive venditionis, sive donationis, sive commutationis.

III. *Inventione* rei nullius. En tres modos jus acquirendi, et omni juri conformes; nam quilibet artifex liber est, cui vult suum laborem cedendi. Ita primæva illa ætate congruum erat fieri bonorum divisionem, ipso naturali lumine compellente ad lites impediendas, et extinguendas. « Nihil

natura alicui in particulari applicuit, sed introduxit homines in mundum, quasi in domum opibus refertam, ut singuli acciperent, et accipiendo facerent sua ea, quæ antea erant communia omnium; sicut ligna cædua, communia antequam cædantur, sunt in dominio communitatis, per cæsionem vero sunt propria cædentis,» ait *De Lugo, disert.* 6, *n.* 1.

7. **Dominii inviolabilitas** probatur ex omni jure. 1.° *Ex jure naturali;* si est de naturæ necessitate rerum divisio, est item ejusdem jus inviolabile; quod enim a natura est, semper inest. Insuper adest naturale præceptum a Deo sancitum, et humanæ rationi promulgatum, vetans ne alterius jus lædatur, ac præcipiens, ut si aliquando fuerit læsum, in integrum restituatur. Hoc jure sublato; *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,* subverteretur ipsa humana societas. Quis laboraret? Quis scientias coleret? Merito ait Pius IX in sua Encyclica: quod semel admissa doctrina communistarum, *omnia jura, ac vel ipsa humana societas funditus everteretur.*—2.° *Ex jure divino positivo*, ut patet ex septimo Decalogi præcepto: *Non furtum facies... Non concupisces domum proximi tui.* (Exod. xx). —3.° Ex *jure ecclesiastico, et civili,* quæ in eo tota præcipue sunt, ut jus proprietatis cuique tueantur. Inde liquet quid sit dicendum de communistis, ac *Emilii* auctore, qui ait: *terra pro omnibus fructus suos producit.* (Sic Rousseau).

Requiritur tamen aliquis justus titulus *a proprio labore, emptione, traditione, permutatione,* aut *inventione,* vel *occupatione* oriens ad acquisitionem, ne, violando proximi jus, violetur illud Domini præceptum: *Non furtum facies.* Quoad titulum v. n. 102.

Dominium considerari potest ractioni *objecti, subjecti,* et *modi.*

---

# CAPUT III.

## De dominii objecto, et subjecto.

8. **Objectum dominii** sunt *omnes res externæ ac inferiores, quæ hominis usui subduntur*, juxta illud: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas...* (Ps. viii). *Terram autem dedit filiis hominum.* (Ps. cxiii).

Excipiuntur jure hispano, 1.° los templos, cementerios, y lo demás destinado al culto divino. *(Ley 13 y 14, de part.)*—2.° Las cosas destinadas por la naturaleza ó por el hombre al uso comun de todos los vivientes en general, ó de los de una region cualquiera; tales son el agua corriente, el mar y sus playas, los rios y sus riberas; las puertas, carreteras y puentes públicos. (*Leyes 2, 3 y 6, tit. 28, part. 3.ª y Real órden de 24 de mayo de 1853, y ley de aguas de 3 de agosto de* 1866).—3.° Las cosas construidas para la comun defensa, como las puertas de las ciudades, los muros y otras fortificaciones. (*Ley 15, tit. 28, part. 3.ª*). En los rios y demás cosas del dominio público, nadie puede hacer obra alguna sin autorizacion del gobierno; como no sea en la propiedad fuera del terreno que bañan las aguas en sus crecidas ordinarias (*Ley 8, tit. 28, Part. 3.ª*), ó tambien diques ó malecones para defender sus campos de los ataques de la corriente. *(Art. 22 de la Real órden de 25 de abril de 1860).*

Tambien son del Estado las aguas y arroyos que corren por cauces públicos y naturales. Empero si vienen naturalmente á atravesar un predio de propiedad privada

el dueño de este las hace suyas para su aprovechamiento. *Art.* 36. Lo mismo pueden los dueños de los predios inferiormente situados, siempre que no empleen otro atajadizo mas que de tierra y piedra suelta, y que la cantidad de agua por cada uno de ellos consumida no exceda de 10 litros por segundo de tiempo. El predio atravesado por la corriente tiene preferencia sobre los colindantes al cauce; estos entran á disfrutar por el órden de su colocacion las ventajas del cauce. Entre estos el que se anticipara por un año y un dia en el aprovechamiento ya no puede ser privado de él por otro, aun cuando este estuviese situado mas arriba. *Art.* 41.—El derecho de aprovechar indefinidamente las aguas de manantiales y arroyos se adquiere por los dueños de terrenos inferiores, y en su caso de los colindantes, cuando las hubiesen aplicado sin interrupcion por tiempo de 20 años. *Art.* 39. *S. del T. S. de J. de 4 junio de* 1872.—Pertenecen á los pueblos las aguas sobrantes de sus fuentes, cloacas y establecimientos públicos. *Art.* 38.

**Vita hominis** esse nequit objectum illius dominii directi; nam soli Deo competit. *Tu es enim Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* (Sap. XVI). Secus quoad dominium utile, seu ejus opera; quivis sane suorum operum dominus est, ac in alterius utilitatem proinde illa alienare valet.—Imo neque respublica plenum dominium vitæ subditorum habet; sed tantum indirectum ratione boni communis. Hinc princeps ut curator boni communis in hac necessitate exponere, ac sacrificare valet subditorum vitam in bello justo, scelestos homines interficere, eo modo quo homo putridum ejus membrum sibi resecare potest juxta illud: *Si autem malum feceris, time: non enim sine causa* (princeps) *gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* Rom. XIII. *Scavini, n.* 293, *cum communi.*

**Propriæ famæ dominium** habet homo, utpote fructus propriæ industriæ; et justa de causa se infamare licet; v. gr. ad petendum consilium, ad superbiam coërcendam, humilitatem curandam, Dei misericordiam commendandam, alterius famam restituendam, etc. Sine justa causa, quamvis non esset contra justitiam, cum agitur de re propria, neque contra charitatem, quia hæc non obligat ad externa bona conservanda, nisi quatenus id exigat salus propria, vel aliena, esset tamen contra rectam rationem; et per accidens sub gravi eam tutare obstringimur: 1.° si infamia in status dedecus redundat, uti clericatus, religionis, familiæ;—2.° si executioni proprii muneris officit, ut magistri, parochi, Episcopi, superioris ad inferiores dirigendos, corrigendos, etc.;—3.° si affert aliis scandalum, vel damnum vitæ, famæ, honoris, etc. Unde ajebat S. August.: *Nobis est necessaria vita nostra, aliis fama nostra.* De bono vid. c. 22. In iis casibus *curam habe de bono nomine.* (Eccli. XLI). *S. Lig., n.* 983, *Scavini, n.* 294. Si calumnia vero ab aliqua persona auctoritate prædita in prælatum, parochum, principem, vel magistratum oriretur, dignitas infamantis ab onere non excusaret scandalum inde exurgens cessare facere; nam quilibet restituere tenetur cum damno suæ famæ saltem æquali, vel quum agitur de publico damno avertendo. *Gousset, n.* 1080, *S. Lig., n.* 1001.

9. **Divisio rerum**, quæ in hominum dominium cadere possunt. 1.° *Corporeæ,* et *incorporeæ,* prout sensibus subjiciuntur, ut fundus, domus, vestis, etc., vel intellectu tantummodo percipiuntur, uti ea, quæ in juribus consistunt; v. gr. ususfructus, servitutes.—2.° Corporeæ sunt *immobiles,* aut *mobiles.* 1.æ illæ dicuntur, *quæ neque per se, neque per homines transferri queunt absque earum naturæ inordinatione;* vel rei immobili ita sunt adjunctæ, ut partem ejusdem constituant sive a natura, sive

hominum destinatione. Tales sunt 1.º *ex natura sua* fontes, cursus aquarum ad aliquod ædificium destinatus, balnearia, arbores cum fructibus pendentibus, et ramis disceccatis, stercora, et similia ad terrarum culturam destinata.—2.º *Ex earum destinatione* sunt, quæ a proprietario alicujus rei immobilis data fuere ad ejusdem perpetuum usum, v. g. animalia, canales, claves portarum, etc.—3.º *Ex earum objecto*, ut jura in fundos, sive in ususfructus, habitationem, servitutes, sive actiones ad vindicandam rem immobilem in judicio, et similia. *Scavini, n.* 291. *Leges* 28, 29, *tit.* 5, *part.* 5.ª, *etc.*

2.ª *Mobiles* vero eæ sunt, *quæ soli partem non faciunt, et sive per se, sive per homines moveri possunt sine earum inordinatione.* Tales sunt 1.º *natura sua;* uti animalia;—2.º *legis dispositione;* v. gr. omnes pensiones vitalitiæ, obligationes, et actiones etiam hypothecariæ circa pecunias, aut res mobiles; quæstus sociorum in commercio et industria, perdurante societate, etsi ad illam bona immobilia pertineant;—3.º *ratione facilis motus*, velut auri massa, libri, materia diruti ædificii, vel ad ædificandum congesta. Excipe res mobiles immobili adjunctas, etsi momentanee separatas, animo eas iterum jungendi rei immobili; v. gr. tegulas quoad tectum. *Leges* 4, 28, 29, *etc.* Res mobiles inanimatæ aliæ dicuntur *fungibiles*, quæ usu consumuntur, et aliarum rerum vice fungi queunt, uti vinum; aliæ *non fungibiles*, quæ usu natura sua non consumuntur, et in natura, seu identice tradi debent; quia non de facili ab aliis repræsentantur, uti scrinium, pictura.

10. **Subjectum dominii.** Deus absolutum dominium in res omnes habet, ut mox diximus. Sola creatura rationalis est dominii relativi capax; dominium enim est facultas disponendi pro arbitrio de re tanquam propria; sola creatura rationalis hac gaudet facultate; ergo... Solis hominibus dixit Deus: *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli.* (Gen., I). De solo homine ait Psaltes: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* (Ps. VIII). Angeli, et dæmones suarum actionum dominium habent, non vero rerum corporalium. *Terram autem dedit* (Deus) *filiis hominum.* (Ps. CXIII).

Q. *An infideles, hæretici, peccatores dominii sint capaces?*

R. Affirma contra Joannem Hus, et Wiclephum damnatos in *Constantiensi* Concilio.—Constat 1.º ex S. Scriptura, quæ uti veros dominos agnoscit tum principes infideles, uti Pharaonem, Cyrum... tum peccatores, ut Salomonem;—2.º ex ratione; nam infidelitas, vel quodlibet peccatum liberum arbitrium non tollit; ergo neque facultatem disponendi de re sua, quæ facultas in ratione, et non in bono, vel malo statu conscientiæ consistit. Item parvuli, et amentes dominii capaces sunt; nam actualis rationis usus necessarius quidem est ad dispónendum in actu, at non ad possessionem, et habituale dominium habendum; ad hoc quidem sufficit jus naturæ, ac ipsius ordo, seu ratio habitualis, vel potentia: quinimo ex naturæ ordine etiam sine voluntate acquirentis transferri in alium dominium potest; imo etiam in eo, qui nondum vivit; adeo ut leges humanæ, quæ de his decernunt, reipsa jus naturæ explicant, ac tuentur. (*Lugo, disput.* 5, *n.* 1-6, *Ballerini, n.* 542). Hinc Apostolus: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.* (Gal., IV). Talis est praxis omnium populorum. Secus bona eorum essent nullius, vel status; quod repugnat, et aliter lex decernit.

11. **Ecclesia est capax dominii circa temporalia**, contra Arnal-

dum de Brixia, Waldenses, Wiclephistas, Marsilium Paduanum, Lutherum ac plurimos novatores; et *est de fide*, ut ait *Vareeno, p.* 469, *cum Scavini, n.* 299. Constat ex *doctrina Ecclesiæ*, ex *praxi universali*, et ex *ratione*. 1.° Ex *Ecclesiæ definitione;* nam Con. Gen. *Constantiense* has damnavit Wiclephi prop. (sub n. 10): *Contra Sacram Scripturam est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones:* (n. 32): *Ditare clerum est contra regulam Christi:* (n. 33): *Silvester Papa, et Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam ditando.* Ita constat ex Alloc. *Quibus luculentissimis* Pii IX, 5 sept. 1851, et ex *Syllabo*.—2.° Ex *consensu omnium populorum* suas ecclesias independenter a principe ditantium.—Item constat ex praxi, ac præscriptione ipsius Ecclesiæ; siquidem refert historia Ecclesiam bona mobilia, et immobilia vel ante Constantinum libere possedisse.—3.° Ex *ratione;* nam Ecclesia suam a Deo habet existentiam ab statu, et principibus omnino independentem; est ergo societas perfecta et sui juris, quæ cum ab hominibus, et inter homines sit conservanda, proprietatibus indiget ad suos ministros alendos, sacras ædes ædificandas ac reparandas, clericos educandos, cultus solemnitates, sacrificia, missiones contra infideles, pauperes, infirmos, aliaque plura sustentanda, juxta illud Chrysostomi: *Cum facultatum Ecclesiæ magnitudinem perspicis, cogita etiam inscriptorum pauperum turbam, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum necessitates.* (Hom. 21 in I Cor.)

## Poder temporal del Papa.

12. 1.° *No repugna al derecho humano.* Por cierto que ningun derecho podrá alegarse que prohiba el poder temporal al Papa; hombre es como los demás reyes y emperadores, capaz de dominacion y de poder como ellos por el derecho humano.

2.° *No repugna al derecho divino.* Ninguna ley positiva podrá citarse contra el poder temporal del Papa; antes bien nos ofrece el derecho divino varios ejemplos de este poder: así Moisés era á la vez príncipe temporal y sumo pontífice por divina ordenacion. *(Exod.* XVIII). Helí era pontífice y juez político. (*I Reg.*, I *et* IV). Otro tanto puede decirse de los Macabeos.

3.° *No repugna al derecho natural*, por cuanto la potestad ecclesiástica y la civil, en vez de ser rivales entre sí, la una sirve y da la mano á la otra para el mútuo consorcio, para la unidad, paz y buen órden, siendo perniciosa toda separacion, toda rebelion, todo choque de poderes. Además, siendo ambos poderes todos buenos, todos de Dios, todos laudables, todos para el bien social, en manera alguna repugna su mútuo consorcio en la persona del Papa. Así Melquisedech en la ley natural fué ya rey y pontífice. *(Gen.*, XIV). Noé, Abrahan, Isaac y Jacob, presidieron á los suyos tanto en religion como en política. Más: antiguamente el primogénito real era siempre rey y pontífice.

4.° *No repugna al derecho de adquisicion*, pues que el poder temporal no fué formado por plebiscitos revolucionarios, ni por usurpacion, sino que fué libre y espontáneamente cedido por Pipino, Carlomagno y por el pueblo; y así como cuando una nacion cede parte de su territorio, ó emancipa sus colonias, la posesion y la propiedad de estos lugares pasa á aquel á quien han sido cedidos, y la independencia á los emancipados por el derecho irrevocable de la ley natural, así pasó la propiedad temporal á los dominios del Papa.

Añádase á esto la formal y espontánea trasmision de los pueblos, confirmada por el consentimiento de más de once siglos de legítima prescripcion.

5.° *Conviene que sea así para la libre ejecucion de la potestad espiritual, y para la confianza y seguridad de los pueblos.* ¿Qué podria suceder? ¿Qué sucederia con un Papa súbdito de otro gobierno? Lo que tantas veces ha sucedido, y actualmente sucede al Papa y á los demás prelados con sus circulares y disposiciones respecto de los gobiernos civiles.

# CAPUT IV.

## De dominio clericorum.

13. **Bona clericorum** triplicis generis sunt, nempe, *patrimonialia*, *quasi-patrimonialia*, et *ecclesiastica*. I. *Patrimonialia* sunt ea, *quæ ex paterna hæreditate, aut alio profano titulo proveniunt*, uti ex successione, donatione, officio profana docendi, vel exercendi. De his pro nutu disponere potest clericus; est veri dominii capax, et lege nulla id prohibetur. Sic discipuli Christi tum mobilia, tum immobilia possidebant, ac de iis pro arbitrio disponebant. *Nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam*. (Luc., IX). *Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent*, legitur in Joan., IV. *Relictis omnibus... secutus est eum* (Christum). *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua*, dicitur de S. Matthæo. *(Luc.*, V). Joannes in domo sua Virginem post Christi mortem excepit Cæsareæ. Et sic jus istud sexcentis locis juris canonici, et civilis supponitur. *(Scavini*, *n*. 300, *Gury*, *n*, 559).

II. *Quasi-patrimonialia* ea sunt, *quæ occasione, et intuitu sacrarum functionum per modum stipendii acquiruntur sine beneficio*, uti 1.° stipendia ac proventus ex cantu, funeribus, Missæ celebratione, sacramentorum administratione, ex stola, vulgo *incerti;* item distributiones quotidianæ, quæ dantur Canonicis; quia non immediate ob beneficium dantur, sed ob servitium, tanquam merum laboris personæ stipendium, et ad clericorum sustentationem: dicuntur etiam *industrialia*, *quasi-ecclesiastica*, *casualia;*—2.° fructus piorum legatorum, et capellaniæ laicalis, eadem ratione;—3.° idem dicendum de iis, quæ pro docendo S. Scripturam, vel theologiam acquiruntur. *(Lugo, Salm., Scavini, Gury, n*. 558). De iis omnibus clericus pro nutu etiam disponere valet: nam bona hæc non sunt beneficii fructus, nec pretium muneris sacri, sed quoddam honorarium extrinseci laboris, ad quem non tenetur clericus; vel etiam quædam largitio a fidelibus sponte oblata ad clericorum sustentationem. Ita *communius*, ac *probabilius Lugo, Benedict. XIV, S Ligor., n*. 491, contra *paucos*.

III. *Ecclesiastica* illa dicuntur, *quæ percipiuntur ex Ecclesiæ beneficiis*, uti talibus. Item primitiæ, et decimæ de jure debitæ, quæ habentur ut præbendæ partes. *(Scavini*, *n*. 300).

Q. *An pensio, quæ in Gallia*, *Hispania, et Belgio a Gubernio solvitur sacerdotibus, bonorum ecclesiasticorum rationem habeat?*

R. Affirma, uti constat ex *Concordato* 1801 quoad Galliam, et ex S. Pœnitentiaria, 15 jan. 1815, et 1821 quoad Galliam, et Belgium; ex *Concordato* 1851 quoad Hispaniam; sed non ita est dicendum de fidelium oblationibus, ut constat ex eadem *S. Pœnitentiaria*, nisi a municipiis erogentur canonicis, aut parochis in supplementum pensionis annuæ; nam tunc ex administratione generali Gubernii provenientia censeri debent, ut communiter docent *Gury*, *n*. 564, *Carriere*, *n*. 193.

Secus dic de Italia, ibi enim non conferuntur clericis bona a Gubernio, vi *Concordati* inter Papam et Gubernium; et *S. Pœnitentiaria* 10 decemb. 1866 prohibuit illa subsidia a Gubernio petere, etsi non accipere,

facta prius protestatione sive ab Ordinario loci in communi, sive a quolibet ex dictis parochis, seu ecclesiasticis, per hujusmodi perceptionem nullo modo recognosci, aut approbari decimarum abolitionem a Gubernio factam, et caute monitis earumdem decimarum debitoribus, eos non esse vi legis a Gubernio latæ ab onere easdem solvendi liberos.—Pensiones, quæ a Guberniis tribuuntur religiosis e monasterio ejectis, non sunt computandæ inter bona ecclesiastica; nam sunt auxilia, vel compensatio quædam bonis patrimonialibus omnino æquiparanda, ait *Varceno, p.* 472.

14. **Bona proprie dicta ecclesiastica triplicis generis sunt;** nempe, *necessaria*, *parsimonialia*, et *superflua*, prout honestæ clericorum sustentationi necessaria sint; vel studiosa quadam frugalitate a necessaria vitæ sustentatione subtracta; vel quæ necessariæ, et honestæ sustentationi supersunt. Hinc:

I. Pro nutu disponere potest clericus de bonis *necessariis*, *et parsimonialibus*, etiamsi dives sit; respectu enim horum se habet velut operarius, qui, etsi dives, sibi dominium stipendii sui acquirit. *Quis militat suis stipendiis unquam?—Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* (I Cor., IX).—Aliunde absurdum plane foret quod ad eorum acquirendum dominium essent consumenda, vel beneficiario tantum pauperi esse debita. Imo si de parsimonialibus sermo sit, sunt detracta de iis, quæ jam propria sunt; ergo pro arbitrio de ipsis disponere valet. *(Ita communiter S. Ligor., n.* 491).

II. Si agitur de bonis ecclesiasticis *superfluis*, certum est teneri beneficiarium sub gravi, saltem ex virtute religionis, ex præcepto Ecclesiæ, et charitatis, in pios usus ea erogare; sunt quidem bona a pietate fidelium oblata, et Deo dicata. *(Scavini, cum communi).*—Hinc graviter peccaret qui dicta bona superflua in usus profanos, v. g., in venationes, canes, equos, parasitos, ludiones, luxum, amicos, familiares, cognatosque ditandos expenderet. Ita Trident., sess. 25, c. 1 de R. *Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant...; sed si pauperes sint, iis, aut pauperibus distribuant.* —Unde dicitur cum communi: 1.° Quod beneficiarius potest, ac tenetur parentes pauperes ex iis alere; item alere potest suos consanguineos in studiis, si aliunde non habent, eo quod parentes nolint, vel non possint. *Bon., n.* 14; item sorores dotare, modo ipse alia non habeat bona ad hoc, et alii pauperes in gravi necessitate non sint; sic enim opus misericordiæ adimplet. *S. Ligor.*—2.° Moderatam hospitalitatem exercere valet; honestas habere recreationes, moderatas donationes, aliasque hujusmodi expensas judicio prudentum agere; nam id est actus virtutis. *(Lugo, S. Lig. n.* 182, *Gury, n.* 561).—3.° Item ex iis bonis solvere licite potest debita post obtentum beneficium contracta; imo etiam antea contracta, si aliunde non habeat, ut e propriis solvat, et pauper sit. *(Lugo, n.* 67, *S. Lig. n.* 182).—4.° Item vivere potest juxta suum statum, ac nobilitatem ex bonis beneficii; nam unusquisque jus habet bona invertendi in suum finem; ideo plura dantur Episcopo, quam Decano, Decano quam Canonico, et huic quam simplici parocho oppidi. *(Lugo, S. Ligor., l.* 4, *n.* 182).

Hinc si quis assumptus fuerit ad splendidum beneficium, v. gr., ad Episcopatum, vel similem statum, subvenire potest consanguineis, saltem proximioribus, ut ipsi decenter vivant, juxta ejus dignitatem; cum de

ipsa aliquo modo participare videantur: non vero si ad parochiam, et similia beneficia, ut docent *Roncag.*, *Scavini.*, *aliique;* nam quoad ista non videtur tanta immutatio, cum veluti ordinaria habeantur. Summopere cavere oportet, ne bona consanguineis data ad subveniendum eorum necessitati, potius vitia foveant, et eos deteriores efficiant. *(Scavini, n.* 108).

**Excessus gravis judicatur.** Aliqui cum *Coninch.*, *Pal.*, 4.$^{am}$ *vel* 5.$^{am}$ partem superfluorum requirunt. Juxta communiorem sententiam vigesima circiter pars superfluorum grave constituit peccatum; uti si 5 pro 100 ex superfluis in profanos usus expenderetur; vel pars quæ multum excedat præ communi gravitate absoluta in furto. (Ita *S. Lig. n.* 491, *Croix*, *Lugo*, *Scavini*, *n.* 300, *Gury n.* 560).

15. Q. *An Beneficiatus teneatur ex justitia superflua pauperibus erogare?*

R. Nega satis probabiliter, ait *S. Lig. n.* 492; quia etsi de præcepto Ecclesiae constat, non tamen de justitiæ obligatione; nam dominus fructuum est; etenim *Trident.* solum de non residentibus ait: *Non faciunt fructus suos.* Aliunde si ex justitia devinciretur, esset vel ratione contractus, vel finis dantium; et tunc pauperes apud judicem beneficiarios dare renuentes convenire possent, quod nemo probare valet. Ita sentiunt *Bill.*, *Salm.*, *Silv.*, *Schmalzg.*, *Lugo*, *n.* 2, *S. Antonin.*, *S. Thomas*, qui de iis ait: *Non committunt peccatum nisi per abusum, sicut de bonis patrimonialibus dictum est. Unde, non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad pænitentiam agendam.* Quodl., 6, q. 7. a. 12, contra *alios*. Et certo non videtur *D. Thomam* contraire Scripturas, decreta summorum Pontificum SS. Canones, Concilia particularia, nec SS Patres. Idem insinuat Benedict. XIV, *de Synod.*, l. 7, c. 2, n. 12. Suadeatur ergo, sed non obligetur ad restitutionem. Cæterum, parum refert utrum *prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an vero quia peccavit contra charitatem, non bene distribuendo facultates suas ecclesiasticas*, ait *Bellarminus.*

Q. *An omnia superflua sint pauperibus eroganda?*

R. Seclusa gravi necessitate, etiam in alios usus pios inverti possunt, ut constat ex *Trident.*, *sess.* 25, *c.* 1, *de R.*—Imo in usus pios futuros reservari queunt, ut docet Angelicus: *Si quis necessitate non imminente providendi pauperibus, de his quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiæ, possesiones emat vel in thesauro reponat, ut in futurum utilitati Ecclesiæ, et necessitatibus pauperum inserviant, laudabiliter facit.* Ita pones *Scavini, n.* 301 Magna tamen cautela est adhibenda, ut superflua a propriis secernantur, ne mors ingruat, et a consanguineis diripiantur. *(Scavini).* Quot spiritualibus, et maximis necessitatibus subveniretur, missionarios ad populum vocando! Sed perpauci hunc modum eis subveniendi, excogitant, tametsi negligentes fuerint in verbum Dei prædicando, in catechismum docendo, etc.

16. Q. *Peccatne qui a beneficiato bona superflua recipit, et an restituere teneatur?*

R. Vel ea recipit bona fide, vel mala, aut beneficiarius ob talem donationem non redditur impotens ad satisfaciendum præfatæ suæ obligationi. Si 1.$^{m}$, non peccare, et ad nihil teneri videtur; tum quia forsan beneficiatus aliter onus suum adimplet, et nemo praesumendus est malus nisi probetur; tum quia non constat de restitutionis obligatione; et in du-

biis melior est conditio bona fide possidentis.—Si 2.m, et certum est quod beneficiatus redditur impotens ad satisfaciendum, probabilius juxta *D. Lig. n.* 492, *q.* VIII, ex justitia pauperibus distribuere illud quod recepit teneri videtur; vel saltem ex charitate, sicuti tenebatur ipse beneficiarius; nam possidet pauperum bona, et in eorum damnum influit. Attamen admissa sententia, quod beneficiarius ex justitia superflua pauperibus erogare non teneatur, probabilius ait *S. Lig. cum Lugo, n.* 49, *Bus., Salm., n.* 149, accipientem non peccare, nisi petat, vel inducat ad donandum; quia charitas hominem non obligat, ut cum suo æquali incommodo alienum damnum vitet, modo bona fide acceptet.

Q. *Quid si a clerico superflua ad usus profanos in morte relinquantur?*

R. Hodie ordinarie quidquid relinquit beneficiarius, hæredibus cedit, vel ab ipso vocatis; in quo juri canonico fuit derogatum, quod statuebat proventus ecclesiasticos ad Ecclesiam pertinere. *(Decret. Gregor., l.* 3, *tit.* 26, *c. Relatum).*—Ex universali consuetudine beneficiati habentur ut usufructuarii, qui ideo fructus transferre valent ad hæredes, etiam ab intestato. Insuper difficile probare esset, an sint bona *parsimonialia*, vel *quasipatrimonialia*, aut *superflua.* Excipe mobilia (vulgo voluminosa) uti, scamna, tabulæ, vasa vinaria, et similia, quæ si in domo Ecclesiæ, tempore mortis, reperiuntur, successoribus in beneficio cedunt, iis in locis ubi recepta est Bulla S. Pii V, *Romani Pontificis.* (Scavini).

17. Q. *An qui pensionem percipit de beneficii redditibus, superflua pauperibus erogare teneatur?*

R. Nega probabilius, tam si agatur de munere, vel donatione temporali, uti officio cantoris, advocati, etc., quam de aliquo ecclesiastico munere obeundo, v. gr. parochi coadjutore; quia in primo casu stipendium laboris est, in secundo est applicatio a Pontifice facta de superfluis beneficii ad spiritualem necessitatem fidelium sublevandam; ergo aliam applicationem non habere debent illi fructus. *Azorius* refert ita decisum a Rota Romana. (Ita *Lugo, S. Ligor,* 491, *Gury, n.* 562, *cum communi).*

---

# CAPUT V.

## Leyes de amortizacion y desamortizacion.

18. I. Estas tienden 1.° á negar absolutamente á la Iglesia la facultad de adquirir; 2.° á no permitirlo sino hasta cierto punto; 3.° á exigir la licencia del Príncipe para cada adquisicion particular; y 4.° á imponer en beneficio del Estado el gravámen de un tanto por ciento en el valor de la cosa adquirida.

Es falso lo que algunos dicen, que la primera disposicion se diera en el Concilio 3.° de Toledo; el primer vestigio se halla en el fuero otorgado á aquella ciudad por Alfonso VI, prohibiendo que ninguno de Toledo diera ó vendiera bienes inmuebles á la Iglesia, á no ser á la matriz (32). Alfonso VIII hizo una cosa semejante respecto de Cuenca, prohibiendo lo mismo respecto á los monasterios, y poco á poco el fuero de Toledo llegó á ser la legislacion comun en los reinos de Castilla y de Leon bajo el cetro de Fernando el Santo. Sin embargo, esto sufrió algunas derogaciones en los reinados de Fernando IV, y Alfonso XI. Alfonso el Sábio consignó en sus Partidas, *(Ley* 55, *tit.* 6.°, *part.* 1.ª), que cada uno podia dar de lo suyo á la Iglesia

cuanto quisiera. (*Pág*. 33 *y* 34). Vino despues la Recopilacion, en que vuelve á restringirse, pues D. Juan II impone para la corona la quinta parte de los bienes que se dén á la Iglesia. (13 abril 1452.—*Ley* 12, *tit*. 5, *libr*. 1 ª *Novis*.) (37). En la Ley 17 por Cárlos III se lee ordenado: «No se admitan instancias de manos muertas para la adquisicion de bienes.» La ley 21 viene á ser como el fuero otorgado á Toledo. En 1796 y en tiempo de Godoy, Cárlos IV prohibió fundar capellanías sin real licencia; destruyó muchos beneficios eclesiásticos y bienes de beneficencia, convirtiéndolos en papel intrasferible de la deuda del Estado.

11. En 27 de setiembre de 1820 dieron las Córtes un decreto, que fué publicado como ley en 11 de octubre del propio año, y restablecido en todo su vigor en 30 de agosto de 1836, en que se negó rotundamente á la Iglesia el derecho de adquirir, prohibiéndole las adquisiciones sucesivas (art. 15 y 16), si bien cayendo en contradiccion, reconocíase la propiedad adquirida. En 1820 y 1823 se empezó el despojo de la Iglesia sin autorizacion civil.—En 1835, el gobierno confiscó todos los bienes de los conventos de varones.—En 1836 se decretó la enajenacion de los bienes de conventos de ambos sexos.—Segun la ley de 29 de julio de 1837, los religiosos exclaustrados son equiparados á los eclesiásticos seculares para la adquisicion de bienes y testamentos, y sus bienes *ab intestato* pasan á sus mas cercanos parientes.

En 16 de julio de 1840 decia la ley civil: «Las memorias, obras pías, aniversarios y misas que debian cumplirse por las comunidades religiosas suprimidas, y están impuestas sobre fincas, que aquellos poseian, se cumplirán en las parroquiales en que se hallan las fincas y bienes afectos á las mismas,... y sus poseedores actuales satisfarán á dichas Iglesias lo que debieran satisfacer á las comunidades á quienes incumbia cumplirlas. Mucho se podria salvar por esta ley, por cuanto el producto líquido de no pocas fincas, mayormente en Cataluña, estaba destinado á obras pías y aniversarios, celebraciones. etc.

En 19 de agosto de 1841 se publicó una ley declarando adjudicables los bienes de capellanías colativas de sangre á los parientes más próximos del fundador, sin diferencia de sexo, edad, condicion ó estado, procurando salvar lo dispuesto en las fundaciones, con obligacion de cumplir, pero sin mancomunidad, las cargas civiles y eclesiásticas á que estaban afectos los bienes. Esta disposicion queda en su vigor hasta el 17 octubre 1851.

En 2 de setiembre de 1841 los bienes eclesiásticos fueron declarados nacionales en estado de pública venta sin intervencion de la Santa Sede. Por no dar un paso demasiado largo, quedaron exceptuados de la venta: 1.º los bienes pertenecientes á prebendas, capellanías, beneficios y demás fundaciones de patronato de sangre activo y pasivo.—2.º los bienes de cofradías y obras pías procedentes de adquisiciones particulares para cementerios y otros usos privativos á sus individuos.—3.º los bienes, rentas, derechos y acciones que se hallan especialmente dedicados á objetos de hospitalidad, beneficencia ó instruccion pública.—4.º los edificios de las iglesias catedrales, parroquiales, anejos ó ayudas de parroquia.—5.º el palacio morada de cada Prelado, y la casa en que habitan los párrocos o sus tenientes, con sus huertos ó jardines adyacentes. Conviene examinar qué bienes pueden salvarse del naufragio general por medio de esa ley, y no perder tiempo oportuno. En 26 de julio de 1844 se dictó un decreto mandando suspender las ventas, y en 3 de abril de 1845 se publicó una ley disponiendo devolver á la Iglesia los bienes existentes, y se renovó lo prometido en 16 de julio de 1840, segun queda insinuado. Los que compraron desde 25 julio de 1844 hasta el Concordato, no compraron al tenor de la ley vigente, y no pueden quedar tranquilos segun vamos á referir.

12. Concordato. En 16 de marzo de 1851 celebróse el Concordato con la Santa Sede, que se publicó como ley en 17 de octubre del mismo año. En él se estipuló una indemnizacion en renta, y en el art. 39 se decretó que el gobierno cuidaria de dar las disposiciones necesarias para que aquellos á quienes se hayan distribuido los bienes de capellanías y fundaciones piadosas, aseguren los medios de cumplir sus cargas anejas á dichos bienes, y que el gobierno responderá siempre de los que se

hubieren vendido por el Estado sin esta obligacion. Aquí hallan los SS. Ordinarios, párrocos, beneficiados, comunidades y administradores eclesiásticos una ley vigente para recuperar por medio de los tribunales, en caso necesario, no pocos bienes vendidos y hurtados, cuyo recurso debiera aprovecharse.

En el artículo 41 se declara el derecho de adquirir que tiene la Iglesia, y el deber de respetar sus propiedades.—En el artículo 42 dice que los que durante las pasadas circunstancias hubiesen comprado en los dominios de España bienes eclesiásticos al tenor de las disposiciones civiles á la sazon vigentes, como igualmente sus legítimos sucesores, disfruten pacíficamente la propiedad de dichos bienes y sus emolumentos. Aquí vienen comprendidos solo los compradores y legítimos sucesores segun ley civil entonces vigente; pero no los bienes ocultados, dejados ó comprados en épocas sin ley ó en suspension de la misma, como lo aclara lo que sigue: En los artículos 35 y 38 se previene la pronta devolucion á la Iglesia de los bienes no vendidos y no comprendidos en la ley de 3 abril de 1845, pero que su capital se convertirá en inscripciones intrasferibles de la deuda del Estado del 3 por 100, debiéndose aplicar los productos á los gastos y necesidades de las religiosas y del culto.—Los artículos 39, 41 y 45 del Concordato del 51 dieron lugar á dudas, considerando algunos derogada la ley de 19 de agosto del 41, y otros no; para aclararlo se publicó un Real Decreto en 30 de abril de 1852, disponiendo que desde el dia 17 de octubre del 51, en que se publicó el Concordato como ley de Estado, se considera derogada la ley de 19 de agosto de 1841 relativa á capellanías colativas de patronato activo ó pasivo de sangre, lo propio que las disposiciones relativas á las fundaciones piadosas y familiares. Quedó pues suspendida la adjudicacion de capellanías colativas de sangre hasta la época siguiente.

20. **Leyes posteriores al Concordato.** En 6 de febrero de 1855, por otro Real Decreto se declaró en toda su fuerza y vigor la ley de 19 de agosto de 1841 sobre capellanías de sangre y demás fundaciones piadosas, que habia sido derogada por Real Decreto, de 30 de abril de 1852.—En 15 de junio de 1856 se publicó una ley aclaratoria de la de 19 agosto de 1841, manifestando quiénes tenian derecho á pedir la adjudicacion de los bienes de capellanías colativas, y qué capellanías venian comprendidas bajo este nombre. En 28 de noviembre de 1856 por un Real Decreto se suspendieron los efectos del de 6 de febrero de 1855, por el que se restableció la ley de 19 de agosto de 1841. —En 1.° de mayo de 1855 el Sr. Madoz, ministro de Hacienda, proclamó la ley de desamortizacion de todos los bienes eclesiásticos. Empero las cargas de misas, aniversarios y otros sufragios, que pesan sobre heredades de particulares, no van comprendidas en esta ley.—Por Real Decreto de 23 de setiembre de 1856 suspendióse dicha ley. Recuérdase lo que llevamos dicho respecto al tiempo de la ley y de la suspension de la misma.

En 25 de agosto de 1859 celebróse el convenio adicional al Concordato, y publicóse en 4 de abril de 1860. En este convenio quedaron libres de venta ó permuta los huertos, campos anejos, denominados iglesiarios, mansos y otros, con las casas parroquiales.—Los bienes pertenecientes á capellanías colativas y otras semejantes fundaciones piadosas familiares.— El gobierno se obliga de nuevo á satisfacer á la Iglesia por las cargas impuestas, ya sobre los bienes vendidos y libres por el Estado, ya por los que ahora se le ceden. Vean los señores párrocos y beneficiados con qué ley pueden y deben defender sus bienes beneficiarios. Por Real Decreto de 4 de enero de 1867 se declara, que se fijará (caso de dudas sobre la extension de la finca que haya de dejarse libre al párroco) con imparcial criterio, procurando que no exceda de una y media á dos hectáreas, teniendo en cuenta las condiciones del terreno y circunstancias especiales de la localidad. La hectárea tiene 10000 metros.

Se extiende el benigno saneamiento del artículo 42 del Concordato á los bienes eclesiásticos enajenados por la ley de 1.° de mayo de 1855.—El Nuncio declaró que podian ultimarse los contratos empezados segun la ley civil antes del convenio adicional.—En 1865 dispone el gobierno que de los censos, que permanezcan en poder de los patronos y mayordomos, que ellos han administrado en igual forma que sus

predecesores, deben continuar en percibir las rentas vencidas, hasta que el Prelado ceda los indicados censos al gobierno, recibiendo inscripciones intrasferibles del 3 por 100.—En 2 de agosto de 1868 dice la *Gaceta*, que los bienes de las capellanias colativas están extinguidos en el registro de la propiedad.

Ahora bien: con tener presente las épocas en que la ley civil autorizó el despojo de bienes eclesiásticos, los exceptuados, el Concordato, Convenio adicional y época de la cesion de dichos bienes al gobierno, y á los particulares por los Prelados, se podrá colegir quiénes han de restituir y quiénes no, quiénes pueden ser absueltos y quiénes no.

21. PROYECTO DE ARREGLO DEFINITIVO *sobre capellanías colativas de sangre y otras fundaciones piadosas de la propia índole, sometido á la aprobacion Pontificia y aprobado por el correspondiente cambio de notas, explicadas por el muy reverendo Nuncio de Su Santidad en Madrid D. Lorenzo Barili, Arzobispo de Tiana.*—En 7 de junio de 1867 se autoriza al gobierno para formalizar con intervencion de la Santa Sede el arreglo definitivo de las capellanias colativas de sangre y otras fundaciones piadosas de la propia índole.—Dia 3 de agosto de 1867 la *Gaceta* oficial ordena á los jueces de primera instancia remitan de oficio á los Prelados diocesanos la órden de ese arreglo de bienes de capellanias y beneficios de toda clase de patronato familiar, activo, pasivo, de sangre, cuyos bienes hayan sido adjudicados á los parientes en virtud de la ley de 19 de agosto de 1841.—Esta ley de adjudicacion de 1867 aprovecha: 1.° á los que desde 19 de agosto de 1841 al 17 de octubre de 1851 pidieron y obtuvieron la adjudicacion de los bienes de que se trata; — 2.° á los que habiéndola solicitado entonces, la obtuvieren hoy con sujecion á los artículos del Convenio y la Intruccion de 25 de junio de 1867.—3.° si la adjudicacion se pidió por los individuos de las familias *ciertas* llamadas al disfrute de los bienes de que se trata, y en quienes concurrian las circunstancias de preferente parentesco segun los llamamientos hechos por el fundador; — 4.° si las capellanías estaban vacantes al hacer la peticion, ó sus poseedores prefirieron hacer uso de las facultades que les concedia el artículo 7.° de la ley de 19 de agosto de 1841; — 5.° si no existia duda alguna respecto la competencia del tribunal que hiciera la adjudicacion; — 6.° si se llenaron, en fin, y concurrieron los requisitos todos designados en la expresada ley. — En estos casos la adjudicacion es válida.

Cuando los tales bienes no hubiesen sido reclamados por pariente alguno á la fecha de la publicacion de la ley de 15 de junio de 1856, aclaratoria de la del 1841, la adjudicacion de los mismos ó sea este derecho, dentro de 20 años contados desde la publicacion de la ley de 19 de agosto de 1841, se trasmitió á los siguientes en grado, los cuales á su vez debieran ejercitar su accion dentro del término de los 4 años siguientes, despues de cuya fecha, esto es, desde 19 de agosto de 1865 están comprendidos dichos bienes en la ley general de desamortizacion de 1.° mayo de 1855.

Segun el art. 1.° del citado Convenio-Ley de 24 de junio de 1867, los adjudicatarios de bienes de capellanias colativas de patronato familiar activo ó pasivo, que reclamaron la adjudicacion desde el 19 agosto de 1841 hasta la publicacion del Concordato como Ley del Estado, 17 de octubre de 1851, deben redimir las cargas de carácter puramente eclesiástico impuestas en la fundacion. Los que han reclamado la adjudicacion posteriormente al Real Decreto de 30 de abril de 1852, además de las cargas dichas, deben redimir la congrua de ordenacion establecida por las sinodales de cada diócesis al tiempo de la fundacion.

Segun el art. 7.° del Concordato, los poseedores de bienes de dominio particular exclusivo gravados con cargas eclesiásticas, podrán tambien redimirlas; y por cargas de carácter puramente eclesiástico, segun el art. 5.° de la Instruccion del 25 de junio de 1877, se entiende todo gravámen impuesto sobre bienes de cualquier clase que sean, para la celebracion de misas, aniversarios, festividades, y en general, para actos religiosos ó de devocion en iglesia, santuario, capilla, oratorio ó en cualquier otro lugar público; pero los que rediman estas cargas deben satisfacer las obli-

gaciones vencidas y no cumplidas, siendo por culpa de los poseedores; mas respecto de estas cargas, los Diocesanos, despues de oir benignamente á los interesados, determinarán equitativa, alzada y prudencialmente la cantidad que deba entregarse, segun el art. 9.º del Convenio; pues para la ejecucion de este Convenio, donde no llegare el derecho propio de los Diocesanos, obrarán como delegados de la Santa Sede, á cuyo fin la misma les autoriza competentemente, segun el art. 21 del Convenio.

La redencion de cargas, la conmutacion de rentas, y el pago del importe de las obligaciones vencidas y no cumplidas, se han de verificar entregando al Diocesano títulos de la Deuda consolidada del 3 por 100 por todo su valor nominal, cuyos títulos se han de convertir en los de la Deuda intrasferible, segun el art. 8.º del Convenio.—Para calcular el capital nominal en los bienes de capellanías se puede ceder una cuarta parte, ó menor, pero que no exceda de la 4.ª parte, á favor del Patrono, y lo restante es el capital nominal. Si hecha esta deduccion la capellanía aun produce 2,000 reales anuales, queda cóngrua; si no, deberá unirse con otra, y el derecho de patronato será alternativo; todo esto segun el art. 12 del Convenio.— En la redencion de censales, censos, etc., se calcula el capital nominal, rebajando de las pensiones el tipo de contribucion, porque segun el Sistema Tributario de 23 de mayo de 1835 vigente, y la Real órden de 12 de setiembre de 1871, contribuyen con una cantidad igual que la de las fincas sobre que gravitan. Hecha esta deduccion, se calcula cuál será el capital que al 3 por 100 produzca con aquella renta, y este es el valor nominal; el cual puede entregarse en cuatro plazos: uno dos meses despues de hecha la liquidacion, y los otros uno cada cuatro meses, segun el art. 19 de la Instruccion; pero si quieren pagar al contado, con asentimiento del Diocesano se les abonará un 3 por 100, segun el mismo artículo.—Con los títulos de la Deuda procedentes de capellanías incóngruas y de la redencion de otras cargas, se han de formar capellanías cóngruas, para título de ordenacion, cuya cóngrua no baje de 2,000 rs.

Por Real órden de 18 de abril de 1868, contestando á las consultas elevadas al gobierno por el Ilmo. Obispo de Teruel y M. I. Sr. Gobernador eclesiástico de Solsona, se dispone: 1.º Que los bienes que constituyen la dotacion de los patronatos laicales ó reales de legos con destino á obras pias y á fundaciones piadosas familiares, no están sujetos á la conmutacion. 2.º Que los censos ó pensiones conocidamente afectos á cargas eclesiásticas, como celebracion de misas, aniversarios y otras funciones religiosas, están sujetos á la redencion. 3.º Que los que prestan censos á alguna capellania destinados á cargas eclesiásticas, pueden redimirlos.—En la órden de 30 de octubre de 1875, la Direccion General de los Registros y del Notariado, en el recurso interpuesto por el E. Arzobispo de Granada contra la negativa del registrador de la propiedad de dicha ciudad, que se negaba á inscribir una escritura de redencion de un censo impuesto sobre una casa para celebracion de misas, otorgada por el delegado de capellanías, declaró que debia inscribirse, porque dicho Arzobispo tenia competencia para conceder la redencion de aquel censo, con arreglo al Convenio-Ley de 1867, y que el delegado especial de dicha autoridad reunia la capacidad jurídica necesaria para otorgar dicha escritura. En abril de 1866 hizo el Vicario Capitular de Solsona cesion formal de los bienes del clero de esta diócesis al gobierno. La Excma. Audiencia del territorio consigna de una manera terminante en la sentencia dada en Oviedo en 23 de mayo de 1878 lo siguiente: 1.º que la única autoridad competente para administrar y nombrar administradores de los bienes de las capellanías es el Prelado diocesano, y no los llamados por la ley á adquirir dichos bienes, aunque lo hagan con aprobacion de los jueces ordinarios.—2.º que la excepcion hecha por la Direccion general de propiedades, en virtud de Real decreto de 12 de agosto de 1871, no dá derecho alguno á las personas á cuyo favor se hiciera para intervenir en la administracion de los referidos bienes, siendo tan solo una declaracion de que los expresados bienes no están comprendidos en las leyes desamortizadoras, ó que no pertenecen al Estado.—3.º que los bienes de las capellanías subsistentes, que son aquellos cuya adjudicacion civil no ha sido reclamada con anterioridad al Real decreto de

28 de noviembre de 1856. continúan espiritualizados, mientras no se haga la conmutacion prevenida en el Convenio-Ley de 24 de junio de 1867.

## Ecclesiæ doctrina circa hanc rem.

22. Hæc doctrina confirmari videtur responsis S. Pœnitentiariæ in rebus similibus pro variis locis.—Quæritur: 1.° Utrum possint tuta conscientia retineri bona ecclesiastica, quæ a Gubernio laico in Longobardia usurpata fuere, et alienata, ante primam Gallorum invasionem factam an. 1796.—2.° Bona ecclesiastica, quæ ante dictam invasionem occupata quidem, sed nondum alienata, in potestatem Gubernii gallici devenerant, ac deinde alienata ante vel post Concordatum italicum.—3.° Bona ecclesiastica, quæ a Gubernio gallico ante italicum Concordatum an. 1803 usurpata fuere, ac deinceps ante vel post ipsum Concordatum alienata.—4.° Bona ecclesiastica post ipsum italicum Concordatum de novo usurpata.

Sacra Pœnitentiaria... Oratori respondit: quod alienationes bonorum ecclesiasticorum in ditione vulgo *Regno italico* a gallico Gubernio:—*Si alienatio omnino consentanea legibus, quæ obtinebant, fuit, quo tempore ipsa perfecta est, tanquam propria et in suum dominium... habere, deque iis libere disponere posse... hortari recurrentes... ut pia onera, si quæ illis bonis inhærebant, adimplere non negligant. In reliquis autem recurrendum est in casibus particularibus.* Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 7 jul. 1845.—Idem respondit Episcopo Mantuæ S. Pœnit. 17 jul. 1847 quoad bona alienata in ditione vulgo *Regno italico* a gallico Gubernio facta ante Concordatum 16 septemb. 1803.—Idem Episcopo Bouvier 20 martii an. 1848 quoad bona ecclesiastica a Gubernio gallico occupata ante Conventionem initam anno 1801 inter Sedem et Gubernium gallicum.—Si autem bona ista ecclesiastica occupata fuerunt post prædictam Conventionem, declarat eadem *S. Pœnit.* acquisitores, si ad S. Sedem pro conscientiæ suæ remedio recurrant, eorumdem bonorum retinendorum facultatem non obtenturos, nisi conditionibus istis.

1.ª Ut ea retineant ad nutum Ecclesiæ.—2.ª Ut satisfaciant piis oneribus, quæ iisdem bonis fortasse infixa sint.—3.ª Tandem ut hæredes suos moneant de hisce ipsis obligationibus.—Idem respondit S. Pœnit. 2 jan. 1838 M. P. diœcesis Cameracensis quoad bona immobilia ad pauperes ante tempus perturbationis gallicanæ pertinentia, sed quæ a Gubernio gallico tempore præfatæ perturbationis occupata, et ab eodem Gubernio juxta leges alienata fuerunt, et quæ nunc via hæreditatis quivis acquisivit, et actu possidet.—Idem extendit Pius VII, nova Conventione inita 16 sept. 1803, ad bona usurpata, et privatis vendita post an. 1802 a gallicana Republica in Italia.—Idem accidit post perturbationes Napoleonis I in cæteris Italiæ provinciis an. 1803, 10 aug. in regno Pedemontano; 25 apr. in regno tunc Italiæ; et 7 maji in Statu romano 1810.

Verum, pace obtenta, legitimi principes in eo toti fuerunt, ut Conventiones inirent cum S. Sede, quibus omnium Ecclesiæ bonorum alienationes rite sanarentur.—Pro Belgio, ad quod extendebatur Concordatum an. 1801, habetur etiam Breve *Epistolam* Gregorii XVI, 16 sept. 1833, ubi primum illud Concordatum ampliatur *ad alia quælibet ex occupatis, ut supra, bonis, quæ sive post Conventionem illam alienata a Gubernio sint, sive adhuc apud Gubernium ipsum remaneant.*—Pro regno utriusque Sici-

liæ habetur Conventio *In supremo*, 7 martii 1819.—Quoad Sardiniæ ditionem habemus pro Nicensi Comitatu, et Ducatu Sabaudiæ, tunc Galliæ unitis, Concordatum 1801.—Pro Pedemontio, et Genuensi ducatu Breve *Datis* 20 dec. 1816.—Tandem pro toto Sardiniæ regno Bulla *Gravissimæ* Leonis XII, 14 maji 1828.

Ex his deducitur quod nunc illustrare potest.—1.° Supradictas sanationes non complecti bona, quæ non fuerunt a Gubernio tunc occupata, sed ejus manus effugerunt.—2.° Neque bona occupata a Gubernio post Concordata cum S. Sede.—3.° Nec quæ, initis Conventionibus, expresse Gubernium promisit tradere Ecclesiæ, si postea tradita non fuerint.—4.° Omnia bona tunc sacrilege occupata, et invalide alienata a Gubernio complecti, uti confraternitatum, monasteriorum, beneficiorum, legatorum, et similium.—5.° Quod Pontifex nec potuit, nec voluit spoliationem sancire, quæ tertiis competere poterat, et sic oretenus respondisse fertur Pium VII.—6.° Quod hæc convalidatio non liberat ab ecclesiastica censura incursa. Excipe pro regno Pedemontano; nam Leo XII, Bulla *Gravissimæ* omnes sive laicos, sive ecclesiasticos absolvit a quibuscumque censuris et pœnis, etiam ab irregularitate, forsan ab ecclesiasticis incursa. Insuper omnes omissiones Missarum, et aliorum piorum operum, quibus obnoxia erant ecclesiastica bona, sive ab œconomatu, sive a publico ærario administrata et retenta, sive ab alterutro, remittit.

—Disputatur an dictæ convalidationes comprehendant bona occupata a Gubernio ante Concordata, et postea alienata. Alii negant; quia in illis semper agitur de iis, qui ea bona jam acquisierant.—Alii affirmant ex verbis Pii VII, qui, hac de re interrogatus in suo Brevi 20 oct. 1821 ad Episc. Pictaviensem, respondit: *Declaratum enim fuit haud semel, ut ex iis bonis, quæ a Gubernio, quod tunc dominabatur, occupata fuerunt ante memoratam Conventionem, atque post eam sint vendita ad legum præscripta, quæ per id temporis obtinuerunt, possint emptores eadem tanquam propria, et in suum jus ac potestatem translata retinere, ac de iis libere disponere.* Ita *Logerot*, *Bouvier*, et *Lyonnet*.

**En aliæ recentiores S. Pœnitentiariæ responsiones:**

**Quoad patronos beneficiorum, si hæc vacantia sint:** Ex S. Pœnit., 23 jan. 1868, Episcopi habent facultatem: *Indulgendi patronis, ut persolvant Gubernio quod ab eis pro dictis beneficiis violenter exigitur, atque ut ad normam legis eadem bona, remoto scandalo, retinere seu assequi valeant sub hisce conditionibus:* 1.ª Retinendi ea bona ad nutum Ecclesiæ, et mandatis ejus subinde obtemperandi.—2.ª Ea bona conservandi, et in eis rem utilem gerendi.—3.ª Impendendi fructus in æquam satisfactionem summæ Gubernio a patronis solutæ, si repeti velint, et in redintegrationem eorumdem beneficiorum; quæ redintegratio ut facilius obtineatur S. Pœnitentiaria, auctoritate Apostolica, facultates tribuit opportunas, ut Ordinarius ad tempus suspendat nominationem, et provisionem dictorum beneficiorum vacantium, et pia onera adnexa in toto, vel in parte, prout ipsi visum fuerit. Ita tamen ut, si agatur de oneribus Missarum, patronis aliquis numerus imponatur quotannis celebrandarum, supplendo reliquum de thesauro Ecclesiæ. Deputatis interim ab eisdem Ordinariis bonorum beneficiorum administratoribus, inter patronos, si fieri possit

eligendis, qui fructus pro eadem redintegratione erogent, detracta parte pro onerum satisfactione, quorum adimplementum ab ipsis Ordinariis præscriptum fuerit. Facta autem redintegratione, beneficiorum patroni præsentent, cui universitas fructuum cum omnibus oneribus juxta fundationem cedat. —4.ª Certiorandi hæredes et successores de hujusmodi obligatione per syngrapham, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

Quoad patronos beneficiorum, quæ nondum vacant, S. Pœnitentiaria 13 jun. 1869 facultatem illis facit ea bona redimendi sub hisce conditionibus: 1.° ut bona beneficiorum etiam post dictam vindicationem a respectivis eorumdem beneficiorum rectoribus possideantur, debitis cautelis adhibitis, et emissa a patronis obligatione in scriptis pro se, suisque hæredibus, et successoribus valitura, ac penes Curiam episcopalem asservanda, se nunquam molestiam quoad hujusmodi canonicas possessiones dictis rectoribus, eorumque successoribus illaturos. — 2.° Ut fructus eorumdem beneficiorum a respectivis rectoribus etiam in futurum percipiantur; facta potestate Ordinario onera illis adnexa Apostolica auctoritate reducendi, vel etiam suspendendi ad effectum summam ipsis oneribus respondentem favore patronorum applicandi in redintegrationem summæ ab ipsis Gubernio solutæ, quatenus illam repetere velint; quoad Missarum celebrationem, reductionem, onerum suspensionem, ut supra. Quod si post vacationem beneficiorum patroni nondum e memorata summa redintegrati fuerint, S. Pœnitentiaria de speciali *Apost.* auctoritate prælaudatis Ordinariis facultatem concedit permittendi suspensionem nominationis et provisionis beneficiorum, de quibus agitur pro tempore ad dictam redintegrationem necessario, et cætera ut supra.

S. Pœnitentiaria 20 jul. 1855 declaravit posse beneficiatos, prævia protestatione, et in casu necessitatis, exhibere documenta ad èvitandum grave damnum; et solvere taxas, et tributa ex simplici, et communi edicto Gubernii.

Quoad vero *onera* implenda *bonis* adnexa, et *subveniendi ex fructibus*, etc., haberi potest ratio, et computari illud quod a Gubernio jam solvitur personis, locis, et ecclesiis spoliatis. *Ita S. Pœnitentiaria* 23 *martii* 1873. (V. Scavini, l. 4, n. 225).—Quæ conditiones præscribuntur pro iis, qui bona retinent, empta sine licentia, præscribi etiam solent pro extraneis, qui ejusmodi bona cum licentia emerint, quæ hodie non ita facile conceditur, nisi extraordinariæ adsint circumstantiæ, et sub Ordinarii commendatione, pro qua facultate obtinenda ad S. Pœnitentiariam, declinato nomine, et cognomine emptoris, fit recursus; quæ pro hac concessione mittit ad diœcesis Ordinarium, qui hanc facultatem elargitur sub prædictis conditionibus ab iisdem personis acceptandis, et subscribendis, atque in Cancellaria episcopali caute servandis.

## CAPUT VI.

### De bonorum ecclesiasticorum usurpatoribus.

23. Cum speciali facultate ad hosce absolvendos confesarii indigeant, hæc vel a S. Pœnitentiaria est quærenda, vel ab Ordinariis, quibus am-

plissima conceditur ipsam postulantibus, uti concessa fuit 11 apr. 1869, ratione jubilæi, et specialiter conceditur per annum duratura quibuscumque Ordinariis, qui ad ipsam S. Pœnitentiariam faciunt recursus, tum quoad modum componendi emptores mobilium Ecclesiæ, tum quoad immobilium locationem, ut infra mox dicetur. *Scavini, l. 4, n.* 452.

**Quoad censuratos, et eos, qui publica officia tenent.** — S. Pœnitentiaria 26 jul. 1867 de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, attentis expositis circumstantiis omnibus Ven. in Christo Patribus Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Locorum Ordinariis in Italia sedentibus ad annum duraturas concedit facultates, quibus sive per se, sive per idoneos ecclesiasticos ad hoc specialiter deputandos pro grege sibi commisso uti licite valeant. — Absolvendi Apostolica Auctoritate a censuris et pœnis ecclesiasticis omnes, et singulos pœnitentes, qui pro legibus super usurpatione bonorum, aliorumque jurium ad Ecclesiam, et ad loca pia spectantium, ac suppressione Ordinum regularium suffragia dederunt, vel eisdem legibus adhæserunt, aut earum promulgationi, sive executioni cooperati sunt; dummodo tamen prius veræ resipiscentiæ signa exhibuerint, ac illicitum juramentum... retractaverint: injuncta singulis, pro modo culparum, congrua pœnitentia..., cum reparatione illati scandali meliori modo quo poterunt, aliisque de jure injungendis. — Verum officiales publici, qui fuerunt de novo assumpti ad exequendas dictas leges, vel qui per exercitium officii, quod jam antea obtinebant, imputabiliter, juxta regulas a probatis Auctoribus traditas circa furtum, et rapinam, cooperantur præfatis legibus, seu usurpationibus, vel earum manutentioni, aut consummationi, non absolvantur, nisi imposita illis obligatione dimittendi officium. Reliqui vero officiales, quorum officium hujusmodi imputabilem cooperationem judicio prudentum importare non videatur, quatenus illud absque gravi sui, vel propriæ familiæ detrimento dimittere nequeant, tolerentur; sed sub conditione, ut a laudandis, probandis, consulendis, promovendis dictis usurpationibus omnino abstineant; quinimo pro viribus curent eas deferre, ac temperare favore Ecclesiæ, ac personarum ecclesiasticarum, se dirigendo consilio pii, ac docti confessarii.

S. Pœnitentiaria hasce normas adsignavit 1 jun. 1869, sequentia dubia resolvendo: I Vigore harum facultatum confessarii ab Ordinariis ad hoc approbati absolvere eos possunt, qui executioni mandarunt invasionem seu rebellionem ditionum S. Sedis, eorumque mandantes, adhærentes, et cooperatores, atque eos qui leges iniquas promoverunt, et auxilium dederunt, ac operam ad executionem ejusdem invasionis seu rebellionis, modo, 1.° veræ resipiscentiæ signa exhibeant; — 2.° scandalum reparaverint, aut saltem sint parati quam primum illud reparare, meliori modo, quo poterunt; — 3.° obedientiam S. Sedi, ejusdem mandatis desuper ferendis sincere promiserint. — Verum quoad publicos officiales, ut mox diximus, *et quatenus* (officium) *dimittere nequeant, ipsi Officiales consulant loci Ordinarium, qui decernat, et provideat juxta Litteras S. Pœnitentiariæ* 26 *jul.* 1867, *quibus quidem Litteris omnino standum est.* Excipiuntur illi qui manus injecerunt in Cardinales, Episcopos, aut alios ecclesiasticos in dignitate constitutos, pro quibus omnibus recurrendum erit in singulis casibus ad S. Pœnitentiariam.

II. Item a prælaudatis confessariis absolvi possunt illi ecclesiastici, qui postulata concinnarunt circa abdicationem temporalis S. Sedis ditio-

nis, aut iis subscripserunt: facta prius, ac sufficienter publicata retractatione juxta Litteras S. Pœnitentiariæ 28 maj. 1863.

III. Absolvi possunt violatores immunitatis ecclesiasticæ personalis, localis et clausuræ, satisfacta parte læsa, ac reparata, meliori modo quo potest, injuria Ecclesiæ facta.

IV. Non esse absolvendos pœnitentes, qui acquisierunt, aut possident bona ecclesiastica immobilia a fisco, seu Gubernio sine Apostolica licentia divendita, nisi prius loci Ordinario, aut aliis viris ecclesiasticis ab ipso Ordinario pro sua prudentia per diœcesim designandis, consignaverint syngrapham ab eis subscriptam, seu coram testibus subsignatam, eidem Ordinario quamprimum transmittendam, ac caute in Cancellaria diœcesana, aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se, suosque hæredes, et successores subjacere declarent. 1.° *Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiæ, ejusque mandatis subinde parendi;*—2.° *conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi;* -3.° *adimplendi pia opera iisdem bonis adnexa;*-4.° *subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu locis piis, ad quæ de jure pertinent.* In aliis rescriptis legitur: *Et erogandi redditus eorumdem bonorum, qui facta proportione excedant solutum pretium, vel in favorem personarum seu locorum piorum, ad quæ dicta bona de jure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptione soluti, quatenus emptor repetere velit, et de consensu Ordinarii.*—5.° *Monendi hæredes, et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.*

V. Absolvi possunt illi, qui bona ecclesiastica immobilia acquisierunt, et deinceps aliis vendiderunt, atque cooperati sunt ad contractus super iisdem bonis: 1.° *deposito lucro exinde injuste percepto in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi in favorem locorum piorum, quæ damna passa sunt;* -2.° *reparato scandalo;*- 3.° *monitis novis emptoribus, aliisque complicibus, ut propriæ consulant conscientiæ;*—4.° *imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis.*

VI. Absolvi possunt qui bona mobilia ecclesiastica acquisierunt: 1.° *imposita illis aliqua eleemosyna favore locorum piorum, ad quæ dicta bona pertinebant, quatenus emerint pretio, quod judicio Ordinarii seu confessarii fuerit minus justo.*—2.° *Si agatur de rebus, quæ non sint usu consumptibiles, seu quæ servari possint, aut de supellectilibus et vasis sacris, imponatur pœnitentibus obligatio quamprimum recurrendi ad loci Ordinarium, ad hoc ut supra iisdem rebus provideat juxta Indultum ipsi Ordinario jam a S. Pœnitentiaria concessum.* Excipitur autem casus, quo res emptæ valorem quingentorum scutorum excedant quoad eos, qui recurrunt ad S. Pœnitentiariam. (*Ballerini, n.* 1908).

VII. Absolvi possunt qui locaverunt, seu conduxerunt bona ecclesiastica detenta vel alienata a Gubernio, *imposita pœnitentibus obligatione quamprimum recurrendi ad loci Ordinarium ad hoc, ut supra bonis conductis provideat juxta Indultum ipsi Ordinario jam pariter a S. Pœnitentiaria concessum.* Sacra Pœnitentiaria facultatem Ordinariis locorum facere solet, indulgendi fidelibus, ut bona ecclesiastica a Gubernio occupata conducere, seu jam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna in favorem personarum seu Ecclesiarum, ad quas eadem bona de jure pertinent, quatenus conduxerint pretio, quod judicio Ordinarii seu confessarii minus justo fuerit, sub obligatione faciendi quantum

poterunt sub directione Ordinarii pro conservatione præsertim sacrarum ædium ac templorum, quæ iisdem bonis adnexa fuerint; ac prævia absolutione cum pœnitentia salutari, quatenus illicite conduxerint, nec non remoto ac reparato scandalo.—Hæc conductio, utpote ipso jure nulla, fieri ultra triennium potest, cum sit ad nutum S. Sedis omnino revocabilis, et indultum Apostolicum concedatur conductori tantum pro suæ conscientiæ tranquilitate. *(S. Pœnit.*, 1869).

VIII. Absolvendi non sunt qui bona ecclesiastica a Gubernio in emphyteusim acceperunt, nisi prius Ordinario loci, seu aliis viris ecclesiasticis, ut supra in n. IV, ab Ordinario designandis, syngrapham consignaverint, qua declarent, se suosque hæredes, et successores subjacere sequentibus obligationibus seu conditionibus: —1.ª *Conservandi eadem bona, et in eis rem utilem gerendi;* —2.ª *non utendi quocumque privilegio, et lege sive lata sive ferenda quoad canonis affrancationem;*—3.ª *retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiæ, ejusque mandatis subinde parendi quoad eorumdem bonorum restitutionem;*—4.ª *adimplendi pia onera, quæ iisdem bonis sint adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur;* —5.ª *solvendi interim annuum canonem, illumque augendi ad tramites justitiæ, et juxta æstimationem peritorum timoratæ conscientiæ, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit;*—6.ª *monendi hæredes et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur.*

IX. Qui non modo in emphyteusim a Gubernio acceperunt ecclesiastica bona, verum etiam redemerunt, absolvendi sunt, ut supra n. IV.

X. Absolvi possunt qui redemerunt census et jura ecclesiastica per se redimibilia, *modo prius in Ordinarii manibus erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint, ad effectum illud conservandi in favorem locorum piorum, ad quæ census seu jura redempta pertinebant.*

XI. Absolvi possunt qui redemerunt canones, libellos, præstationes, aut alia jura ecclesiastica per se non redimibilia, dummodo prius, prout in n. IV, syngrapham consignaverint, qua declarent, se suosque successores subjacere sequentibus obligationibus et conditionibus: 1.ª *Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiæ, ejusque mandatis subinde parendi;* —2.ª *conservandi eosdem fundos, et rem utilem in eis gerendi;*—3.ª *servandi indemnia quocumque tempore loca pia super integra perceptione canonis, libelli, ac præstationis, ac super quibusvis aliis juribus, quæ ad ipsa loca pia spectabant; nec non adimplendi prout de jure pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur;*—4.ª *monendi hæredes ac successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur.*

---

# CAPUT VII.

## De dominio filiorum.

24. **Filius familias** dicitur *ille, qui ex legitimo matrimonio ortus paternæ potestati adhuc subjacet. Bona filiorum familias* ex jure romano,

et hispano quadruplicis generis sunt nempe: *Castrensia*, *quasi-castrensia, adventitia, et profectitia.*

I *Castrensia* ea sunt, *quæ filio juste obveniunt causa, vel ocasione militiæ*, seu militari cursu: nam, ut ait *Tournely, castrensia* non sunt, quæ in bello injusto, vel privato, vel illius intuitu comparantur; injustitia enim principium dominii esse nequit.—Sed *castrensia* sunt: 1.º quæ ipsi obveniunt in castris justis ratione stipendii, vel prædæ de hostibus captæ;—2.º quæ ratione aulici servitii, atque a peculio castrensi producta sunt;—3.º quæ a ducibus, parentibus, vel uxoribus, aliisque militiæ intuitu sunt collata. *Lugo, n.* 15, *S. Lig. l.* 3, *n.* 488. De omnibus iis filiusfamilias usumfructum et proprietatem habet. *S. Lig. n.* 488. (*Ley* 6 *y* 7, *tit.* 17, *part.* 4.ª). Impuber tamen administratione caret.

II. *Quasicastrensia* dicuntur *quæ filius acquirit in officiis publicis*: uti 1.º advocati, medici, notarii, administratoris provinciæ, Senatoris, etc.;—2.º quæ clericus sibi acquirit in clericatu quocumque titulo. *Lugo, n.* 21, *cum communi.* Item quæ a principe dono traduntur.—Item quæ architectus principis vel communitatis sic acquirit. *Sanchez.* Secus dicunt de aliis artificibus. *S. Lig. n.* 488. Horum dominium et usumfructum ex jure romano, et hispano habent quoque filiifamilias. (*Gut., l.* 4, *p.* 616). *Art.* 66 *de la ley del matrimonio civil en España.*

III. *Adventitia* sunt, *quæ filiusfamilias sibi comparavit labore independenter a patre, vel intuitu patris:* uti 1.º bona, quæ filii ex matris successione sive testata, sive intestata recipiunt;—2.º quæ per successionem, et liberalitatem avi, vel aviæ, aut aliorum ascendentium per lineam maternam (*Cod.* 6-60);—3.º quæ unus sponsus alteri dat;—4.º omnia quæ filii ex quacumque arte, vel causa lucrantur citra patris occasionem, vel intuitum. Horum ex jure romano, et hispano pater, et hoc deficiente, mater ordinarie habet tantum usumfructum, et administrationem, etsi sint bona majoratus: *Lugo, n.* 30: et si consumptibilia sint, pater de ipsis disponere potest; sed integra cum aliis restituere filio debet, cum matrimonium hic contrahat, vel a patria potestate exeat. Si bona patris non sufficiant ad resarcienda filio damna hujus peculii, evictionem habet filius a possessoribus, nisi a patre hæredes fuerint vocati, renuente filio paternam hæreditatem accipere. *Ley* 24, *tit.* 13, *part.* 4.ª *S.* 16 *enero de* 1862. Tamen illa defendere tenetur pater in judicio, et extra. (*Ley* 5, *tit.* 17, *part.* 4.ª). Si filius non probaverit a se bona illa esse empta, vel industria sua acquisita, nulla admittitur reclamatio; habentur uti bona patris. (*S.* 14 *jan.* 1861. *Art.* 65).

Excipe sequentes casus in quibus filii familias sibi independenter a patre usumfructum comparant: 1.º si pater huic usufructui renuntiaverit;—2.º si filius sua bona sibi acquisierit proprio labore, ac industria, vel negotio separatim a patre; 3.º si filius una cum patre in sororis, vel fratris hæreditatem succedit. *Lugo, n.* 23. (*Novell.* 118, *cap.* 2);—4.º si bona filio sint data ea conditione, ne ususfructus patri cedatur; vel si ei conferantur, patre contradicente. (*Const.* 8, § 1, 3, c. VI, 61). Addit *Lugo, ibid.* si filius dotem accipit, patre non se obligante, *l,* 3. *n.* 3, *append., de just., n.* 448.—*Varceno, p.* 473, addit, si filio non sit relictus nisi ususfructus; quia super usumfructum statui non potest alius ususfructus.—Hic adde ex jure romano, et hispano: 1.º si filius hæreditatem adierit, patre nolente auctoritatem suam impertire ad illam acquirendam;—2.º si pater

in fideicommisso, quod rogatus erat filio restituere, fraudem admiserit; —3.° si filius, qui patrem habet furiosum, hæres ab extraneo instituatur. —Si el padre (ó madre) está obligado á dar caucion y cuentas, es cuestionable segun derecho español; absolutamente lo exime *Elías* con otros, mientras no contrajere segundas nupcias. Empero está obligado á tomar inventario con intervencion del ministerio fiscal, cuando solamente tiene la administracion del peculio de su hijo; ni puede enajenar las cosas que constituyen el peculio adventicio sin el consentimiento del mismo; y si lo hiciere, quedan hipotecadas á la responsabilidad de las suyas propias, excepto cuando son de tal naturaleza que no pueden conservarse para pagar alguna deuda ó legado. No corre la prescripcion mientras dura la patria potestad.—Los hijos tienen respecto de su peculio hipoteca legal en los bienes del padre administrador. *(L. 8, tit. 29, part. 3.ª)*.—La *l. 5 del Toro 4, tít.* 18, *lib. X, Nov. Rec.*, da facultad á los hijos que están bajo la patria potestad para testar; pueden hacerlo tambien de los bienes del peculio adventicio, salva la legítima.

IV. *Profectitia* sunt ea, quæ *filiofamilias obveniunt ex bonis patris*, uti laborando, vel negotiando cum patris pecunia, vel nomine, aut una cum ipso in ejus negotio. Ad patrem tunc pertinet tam dominium, quam ususfructus. *Art.* 65. — Etiam profectitia dicuntur illa, quæ filio donantur intuitu patris. Secus si intuitu ipsius filii, etsi occasione patris filius a donante cognitus sit *(Lugo, n.* 37); vel si filio, paterna potestate exempto, quidpiam patris intuitu donetur. *(Ballerini, n.* 544). In dubio an bona sint data intuitu filii, vel patris, filius ea retinere potest, si bona fide possidere incepit; alias pro rata dubii sunt dividenda. *S. Lig., n.* 488. Filius renuntiare usufructui non censetur, etsi, eo vidente, et tacente, pater eum percipiat; saltem generatim loquendo; præsumitur enim obstare metum reverentialem reclamationi. *(Gury, n.* 546, *cum communi)*. Las adquisiciones del hijo constituido bajo la patria potestad por cesion que le haya hecho su padre, corresponden al peculio profecticio, segun la *ley* 3.ª, *tít.* IV, *part.* 5.ª, pero el padre puede disponer; y si lo verifica enajenando bienes de dicha clase, no llega el hijo á adquirir dominio, ni puede trasmitirlo. (*S.* 19 *febrero de* 1861).

25. Q. *An filius dominium habeat eorum, quæ in domo paterna lucratur?*

R. I. Affirma: 1.° si emancipatus sit; vel ex aliis bonis quam paternis extra domum patris negotietur. *Lugo, n.* 40.—2.° si laborare non teneatur ex conditione sua; — 3.° si nomine, vel arte sibi propria laboret, uti pictura, musica, etc. *Nam pietatem liberi parentibus debent, non opera. (L. penult. ff. de obseq. par. præb.)*. Sed tunc pater eum alere non tenetur; — 4.° si in iis lucris laborem extraordinarium impendat; etenim filii non censentur deterioris conditionis, quam extranei, quibus in hoc casu stipendium illius excessus conceditur: aliunde nulla lege, gratuito titulo, illa extraordinaria patri adjudicantur, ut ait *Scavini;* nam si filius ad illa non tenetur, et pater illa exigere ante factum nequibat; cur sibi compensare non potest filius? *(Ita docent Less., Lugo, n.* 42, *Bouvier, Scavini, Gury, n.* 547, *S. Lig., n.* 488, *cum communi).*

Quantitas autem exigenda æstimari debet ex natura, et modo laboris, vel negotiationis. Si filius laborat ut socius in commercio, jus habet ad lucra juxta commercii illius regulas; si ut mercenarius, jus habet ad stipendium in tali conditione usitatum. Idem dic de filiafamilias, de nepote, de fratre, patre, matre. — Unde licite sibi illa lucra compensare poterunt, si ex rubore ea non petierint, neque remittantur, (uti rationabiliter remisisse censetur filius potens, qui non petit), vel remittere non debue-

rint ob patris necessitatem.—Sed tunc deducendæ sunt expensæ a patre factæ in alendo, vestiendo, educando filio; nam eas dare pater non tenebatur filio lucrari potenti. *(Scavini, S. Ligor., ibid.).* Caute autem hæc publice dicere oportet, ob abusus periculum, ait *Bouvier.*

II. Si vero filius lucretur præ fratribus, non tamen excessu extraordinario, alii sat probabiliter docent adhuc jus habere ad lucra notabilia; etiam in hoc casu non est pejoris conditionis, quam famulus. Etsi filius ante patris mortem lucrum illud repetere non debeat; nam difficile est filio judicare, utrum damnum passus sit, necne; posset enim pater in morte aliquo modo ei compensare. Ita *Pont., Less., Elb., Coll., Bouv., Carr., Vernier, Gury, n.* 547, cum *aliis* contra *alios* id negantes; etenim filius agere censetur ut familiæ membrum, et ei lucrum cedere; aliunde pax familiarum turbaretur, ac cupiditatibus januæ aperirentur. (*Ita probabilius Bill., Lay., Gousset, n.* 864, *Gury, S. Lig., n.* 488, *et* 544, *saltem in praxi).*— Si filius, v. g., cauponis, vel mercatoris bona patris administret, probabiliter exigere potest a patre salarium quantum dare deberet extraneo. (Ita *Laym., Dian., S. Lig., l.* 3, *n.* 544). Item si filius gratis serviat, ignorans se cum mercede servire posse, si præsumatur, quod si sciret, minime operam gratis impenderet *(Serra);* et in dubio pro filio standum est. *(Moya aliique.)* Sed probabilius filius clam sibi compensare non potest; quippe agitur de jure dubio, et compensatio non conceditur nisi ubi jus est certum. *(Croix, n.* 1054, *S. Lig., ibid.)*

III. Nega: 1.° si labor filii necessarius sit ad parentes sustentandos; —2.° si parum faciat lucri, ita ut vix expensas a parentibus pro eo factas adæquet; —3.° si ordinarium laborem impendat in negotio, vel nomine, vel ex bonis patris; tunc enim ex ejus bonis acquirit, velut fructus ex patris arbore. Ita probabilius *Scavini, n.* 304, *Gury, ibid.*

26. Q. *An filius dominium eorum, quæ ipsi a parentibus data sunt, habeat?*

R. Affirma, si absque ulla conditione primo usu consumptibilia ipsi sint data, uti pecunia; libera sane ei relicta sunt; proinde libere disponere potest.—Secus nega, tam si usu consumantur, quam non; cum dominium utile in iis tantum habeant filii, ut ex parentum improbationibus patet in ipsos pro arbitrio de illis bonis disponentes. *(Scavini, Gury, n.* 546).

El hijo no puede acusar á sus padres en causas criminales, ni dar en ellas su testimonio contra los mismos, ni entablar accion infamatoria; tampoco puede entablar acusacion alguna sin el beneplácito de su padre, excepto en los casos de adulterio. Si el padre no quiere ó no puede representar á su hijo en juicio, necesita este la licencia judicial, como la mujer casada. Empero el hijo de familia no necesita dicha habilitacion para litigar con sus padres, *art.* 1350, *S.* 11 *jun. de* 1871. Pero necesita de la vénia del juez para demandar á su padre y demás ascendientes, aunque sea por su peculio castrense ó cuasi. *Ley* 11, *tít.* 18, *part.* 4, etc.

---

# CAPUT VIII.

## De dominio uxorum.

27. Triplicis generis sunt bona uxorum; scilicet: *dotalia, extradotalia,* et *communia.*

I. **Dotalia,** seu dos propter nuptias definiri solet: *Donatio quælibet*

*ab uxore, vel ab alia persona ejus nomine, in maritum collata, ad sustentanda matrimonii onera, cum obligatione eam restituendi conjugali unione finita.* 1.° Pueden constituir la dote antes ó despues de celebrado el matrimonio, pero nunca se supone, hay que constituirla.—Si es constituida por el padre de la mujer de sus propios bienes, en virtud de su obligacion, y dada como á profecticia, ó por sus ascendientes paternos de sus propios bienes, es *profecticia;* si por la mujer, por su madre, y ascendientes maternos, la dote es *adventicia.* La madre no tiene obligacion de dotar á sus hijas, excepto el caso que lo hubiera prometido. *Leyes* 2, 8, 9 *y* 13, *tít.* 11, *part.* 4.ª—La mujer puede constituir en dote todos sus bienes presentes y futuros, ó sola una parte, como tambien el crédito que la mujer tuviese contra el marido.

2.° La dote prometida por marido y mujer juntos, se paga de los bienes que tuvieren ganados durante el matrimonio, y si no bastan, se suple de los bienes de ambos. Si el marido hace por sí solo la promesa, se paga de los gananciales, y si falta, con los propios del marido y no de la mujer. *L.* 4, *tít.* 3, *lib.* 10, *N. Recop.*—El marido no puede dotar a los hijos de los bienes de su consorte sin consentimiento de esta.—Los padres no pueden dotar á sus hijos en nada que exceda de su legítima, ni pueden dar por via de casamiento tercio ni quinto de sus bienes. Las dotes que exceden de la legítima se tienen por inoficiosas.—La cantidad que el padre está obligado á dar en dote, se regulará atendidos sus haberes, la calidad y riqueza del marido.—Si la dote constituida por una menor es excesiva, podrá esta pedir su reduccion, aunque para constituirla debe mediar la autorizacion del curador, quien hará las veces de padre y regulará segun acabamos de exponer. *Leyes* 6 *y* 7, *tít.* 3, *libr.* 1, *N. Rec.*, *y L.* 9, *tít.* 11, *part.* 4.

Puede hacer la mujer la constitucion dotal á favor del marido, de su padre, ó de cualquiera otra persona, con tal que lo consienta el primero y resulte hecha en su utilidad.

3.° La dote puede contituirse *estimada* ó *inestimadamente.* Se verifica lo primero cuando se constituye en dote, no la cosa, si no es dinero, sino la cantidad de dinero en que se valúa; y lo segundo cuando solo se constituye en dote la cosa sin atenderse á su valor. La estimacion podrá verificarse, á instancia del marido y de la mujer, siempre que en ella haya mediado lesion.

4.° La constitucion dotal hecha antes del matrimonio no tiene efecto si este no se verifica.—Los frutos de la dote percibidos antes de la celebracion del matrimonio, ceden en su aumento, á menos de haber mediado pacto contrario. *Leyes* 11, 18 *y* 28, *tít.* 11, *part.* 4.

5.° El marido tiene obligacion de alimentar, educar á sus hijos é hijas y dotar á estas, y de alimentar á su mujer. *L.* 1 *y* 3, *tít.* 19, *part.* 4, *S.* 16 *abril de* 1859. Como hoy dia la nieta ó biznieta no están bajo la patria potestad del abuelo ó bisabuelo paternos, la obligacion de estos no puede constar cierta. *Elías t.* 3, *p.* 337 juzga no estar obligados. (V. Gut., p. 468). Está obligado á dotar el que tuviere en su potestad ó guarda en union con todo lo suyo, (y solo de lo suyo), á una soltera que fuera ya de edad para casar, como tambien el que hubiese lícitamente constituido dote á aquella en cuyo favor la constituyó.

6.° Pueden ponerse en la constitucion dotal toda especie de pactos y condiciones no opuestos á las leyes, á la moral y á la naturaleza de la dote, como lo serian: 1.° el que no puede instarse la restitucion de las cosas donadas ó hurtadas por alguno de los cónyuges;—2.° que disuelto el matrimonio deba restituir el marido, junto con la dote, los frutos que durante el mismo hubiese percibido, ó que la restitucion de la dote se retarde mas de lo que corresponda segun su naturaleza y ley;—3.° que no se abonen al marido los gastos necesarios que hiciese para la conservacion de las cosas dotales;—4.° que el marido sea solamente responsable por los daños y perjuicios provenientes de su dolo, y que dé fiadores para asegurar la conservacion y restitucion de la dote. *L.* 4, 6 *y* 17, *D., pact. dot., tít.,* 4, *lib.* 23.

7.° El padre donante y sus herederos son responsables en caso de eviccion en

la cosa constituida en dote, y los bienes parafernales de la mujer, de la cosa que ella misma haya constituido en dote; tambien corren de cuenta de la mujer los aumentos de la cosa total, bien sea estimada, ya inestimada, que hubiese sufrido antes de celebrarse el matrimonio. *L.* 10, 16 *y* 44, *D., de jur. dot., tít.* 3, *lib.* 23.

8.° La mujer tiene hipoteca legal sobre los bienes del marido por sus créditos dotales, esponsalicios y demás bienes que se le entreguen por razon del matrimonio. La hipoteca especial que debe prestar el marido por los bienes muebles, semovientes, dinero ú otros no hipotecables entregados por dicha razon, se constituirá en la misma carta dotal ó en escritura pública separada, haciendo mencion de la hipoteca en toda esritura dotal. El marido á cuyo favor no estuviesen inscritos los bienes inmuebles pertenecientes á la dote estimada de su mujer, no podrá ejercer respecto de ellos ningun acto de administracion y dominio. *Ley hip., art.* 169, *y reglam., art.* 120, 121 *y* 122. El marido no está obligado á hipotecar bienes propios á la seguridad de la dote inestimada consistente en inmuebles, pero sí en cuanto á los muebles. *Real Orden de* 4 *mayo de* 1866.—La dote confesada por el marido, cuya entrega no constare, ó solo por documento privado, no surtirá mas efecto que el de las obligaciones personales. *Art.* 170. Podrá sí la mujer en este caso antes de la celebracion del matrimonio, ó dentro del primer año de él, exigir que el mismo marido se la asegure con hipoteca. *Art.* 171.—La hipoteca dotal por razon de arras y esponsalicio solo tendrá lugar cuando se ofrecen por el marido como aumento de dote; en otro caso solo producirán obligacion personal, quedando al arbitrio del marido asegurarlo ó no con hipoteca. *Art.* 178.—Si el marido ofreciera arras y donacion esponsalicia, solamente quedará obligado á constituir hipoteca por las unas ó por la otra, segun elija la mujer ó él mismo, si ella no optase dentro de 20 dias de hecha la promesa. *Art.* 179.—El marido no podrá ser obligado á constituir hipoteca por los bienes parafernales de su mujer sino cuando estos se le entreguen para su administracion por escritura pública, y antes de hipotecarlos se fijará su valor. *Art.* 180.—La cantidad entregada al marido por dote ó bienes parafernales con posterioridad á la celebracion del matrimonio, solo produce una hipoteca tácita sobre los bienes del marido para responder de ella al disolverse el matrimonio por la muerte, ó en concurso con otros acreedores de igual ó menos preferente derecho. *S. T. S.* 24 *enero de* 1870.

9.° Las escrituras dotales entre consortes que profesan el comercio, de que no se haya tomado razon en el registro general de comercio, serán ineficaces para obtener la prelacion del crédito dotal en concurrencia de otros acreedores de grado inferior. *Código de com., art.* 21. — El marido debe satisfacer la dote de su mujer con preferencia á cualquier otro acreedor anterior que no sea la Cámara del Rey. *L.* 33, *tít.* 13, *part.* 5, *S. T. S.* 11 *marzo de* 1874.

28. Celebrado el matrimonio: 1.° tiene derecho el marido para pedir la entrega de la dote, sin que puedan retardarla los que la han constituido con la oferta de pagar sus intereses. No basta para acreditar la entrega de la dote la escritura de confesion otorgada por el marido, refiriéndose á época anterior al matrimonio, sin otra prueba. *S. T. S.* 28 *marzo de* 1862. Constituye no obstante prueba contra del mismo. *S.* 12 *set. de* 1864.—Si dicha entrega no se hubiese hecho, deberán abonarse al marido los intereses legales de la dote. *L. ult.* § 2, *Cod. de jur. dot., tít.* 12, *lib.* 5. El padre donante y sus herederos son responsables en caso de eviccion de la cosa constituida en dote.

2.° El marido adquiere el dominio pleno de las cosas dotales estimadas, sin que queden dotales las cosas compradas con aquel dinero, si en esto consistia la dote, y si esta es estimada tiene el derecho de percibir los créditos, utilidades y frutos para sostener con ellos las cargas del matrimonio, entre las cuales no se consideran las deudas contraidas solamente por él. *S. T. S.* 27 *set. de* 1859.—Debe vindicar la dote de cualquiera que la detenga injustamente y defenderla en juicio. Si es vencido, no tiene responsabilidad, habiendo empleado todos los medios conducentes á hacer valer su derecho: pero no puede reclamar otra, si se constituyó de buena fé; al contrario si hubo dolo al constituirla; ó si se dió apreciada ó por promesa y obligacion de

verla, si el que la dió se obligó á la eviccion y saneamiento. *L.* 22, *tít.* 11, *part.* 4.ª Carga tambien con el deber de administrar y cuidar las cosas dotales con la diligencia que las propias, y es responsable de los deterioros por su culpa ocasionados, y de los perjuicios que se siguieren á su mujer por no haber exigido á su tiempo la entrega ó satisfaccion de la dote no hecha por la misma, por su padre ó por mera liberalidad de otra persona. *Leyes* 7 *y* 13, *tít.* 11 *y* 14, *part.* 3 *y* 4.

3.° Los productos extraordinarios de la cosa dotal inestimada, como los que resultaren de la venta de árboles abatidos por el viento, ó de materiales de un edificio arruinado son aumento líquido de la dote.—Todos los aumentos y disminuciones que durante el matrimonio tuvieran las cosas dotales inestimadas corren á cuenta de la mujer. *Leyes* 19, 21, 23, *tít.* 11, *part.* 4.

**Enajenacion.** 1.° Pueden enajenarse los bienes de la dote estimada ó inestimada mediando consentimiento expreso de ambos cónyuges, con obligacion del marido á restituirlos, quedando la mujer con el derecho de exigir que aquel le hipoteque otros bienes, y si carece de ellos, los primeros que adquieren. *Ley hip.*, *art.* 188 *y* 191. —Tambien puede enajenarse la finca dotal inestimada cuando poseyéndola en comun *pro indiviso* con otros, estos instasen su division.—La finca dotal inestimada no puede enajenarse ni obligarse por el marido, á menos que sea con el consentimiento jurado de la mujer; y esta no la puede enajenar sin el consentimiento del marido; aunque puede permutarse dicha finca durante el matrimonio, si fuese útil á la mujer; en cuyo caso la cosa recibida se hace dotal. *Leyes* 23, 27, 62, *etc.*, *D. de jur. dot. etc.*

**Restitucion de la dote durante el matrimonio.** No puede verificarse, aunque lo consienta el marido, sino en los casos siguientes: 1.° para los alimentos de la mujer, de sus hijos, aunque sean de otro matrimonio, de su marido, padres y hermanos en caso de necesidad y para rescatarlos del poder del enemigo ó ladrones. —2.° Para pagar á los acreedores de la mujer.—3.° Para comprar una finca.—4.° Si el marido viniese á pobreza por su culpa, de modo que no le quedase lo suficiente para garantir la restitucion de la dote. En este caso si instara la mujer, podrá el marido evitar dicha restitucion ofreciendo fianza idónea, y en los tres primeros casos es necesario el consentimiento del marido. Para que la mujer pueda usar de ese derecho es necesario que justifique en el término de 10 dias la entrega de la dote. No basta la justificacion del marido, refiriéndose á época anterior al matrimonio y sin mas prueba. *Leyes* 20, 21, 24, *D. solut. matr. etc.* Los pactos estipulados por los cónyuges sobre los bienes dotales deben guardarse, no obstante la contraria costumbre; y en defecto de ellos, se estará por la cesion de la dote á la costumbre del lugar en que se celebró el matrimonio, y no á la del domicilio del marido. *Ley* 24, *tít.* 11, *part.* 4.ª

El marido puede imponerse pena (arra) para el caso de que no restituya la dote; mas no debe exceder del duplo. Si el marido por negligencia no realiza el importe de la dote consistente en créditos ó de una deuda y viene á ser insolvente el deudor, debe satisfacerla él de sus bienes, á no ser que aquel fuese el padre ú otro ascendiente. *Ley* 15, *tít.* 11, *part.* 4.ª Si la deuda fuese voluntaria y consistiera en cosa determinada, el marido no está obligado á restituir la dote, y la pérdida es de cuenta de la mujer. — Cuando la mujer haya obtenido la restitucion de la dote en virtud de alguna de las dos últimas causas arriba dichas, deberá conservarla, empleando sus réditos en la manutencion de su marido y familia.—Si la mujer cometiera adulterio perderá la dote y demás bienes, adquiriéndolos el marido, á no ser que existieran hijos del matrimonio, que entonces quedarian á favor de aquellos. *Ley* 27, *tít.* 11, *part.* 4.ª, *etc.*

**Restitucion de la dote disuelto el matrimonio.** Disuelto el matrimonio debe el marido ó sus herederos restitiur la dote en la forma siguiente: 1.° Si la dote consiste en cosas fungibles, se debe restituir otro tanto de la misma calidad y valor.—Si en usufruto, debe restituirse este derecho, no los frutos percibidos durante el matrimonio.—Si la dote es estimada, se debe restituir la estimacion, sean los que fueran los aumentos ó disminuciones que hayan tenido lugar durante el matrimonio.—Si consiste en cosas muebles ó inmuebles dadas inestimadamente, se

deberán restituir en el estado en que se encuentren finido el matrimonio, siendo responsable el marido ó sus herederos por los deterioros causados culpablemente. Si la dote se hubiese constituido con el pacto de deberse volver la cosa ó su estimacion, corresponde al marido la eleccion, á no haberse concedido expresamente á la mujer. *Leyes* 19, 21 *y* 31, *tít.* 11, *part.* 4.ª, *etc.*.

2.º Deben abonarse al marido los gastos necesarios y útiles que hubiese hecho en las cosas dotales, competiéndole por razon de los primeros la retencion de la dote ó de la parte necesaria hasta su completa satisfaccion. Los gastos voluptuarios, aunque los hubiera verificado consintiéndolo la mujer, no tiene derecho de recobrarlos; podrá si llevarse las mejoras resultantes de esta clase de gastos, si puede sin detrimento de la cosa. *Leyes* 23 *y* 32, *tít.* 11, *part.* 4.ª

**Por disolucion del matrimonio se extingue la sociedad:** 1.° por muerte de uno de los cónyuges;—2.° por divorcio ó por declararse nulo el matrimonio. El que hubiera obrado con mala fé, en este caso no tendrá parte en los gananciales. *Ley prov. del Matr. civil, art.* 99. Los bienes gananciales son de la libre disposicion de los cónyuges, sin que estén obligados á reservarlos para los hijos del primer matrimonio, con tal que no les perjudiquen en su porcion legal. (*L.* 14 *de Toro*).

**La mujer pierde su parte de gananciales:** 1.° por cometer adulterio, ó vivir lujosamente;—2.° por huir de la compañía del marido contra la voluntad de este, ó por no querer cohabitar con él. Mas no la pierde si huye el marido. *S. T. S.* 26 *julio de* 1870. Por el delito que el marido ó la mujer cometiesen, no pierde el otro cónyuge sus bienes, ni la mitad de las predichas ganancias hasta la sentencia condees indispensable que se demuestre oportunamente la existencia legal de tales bienes natoria; pero por la liquidacion al disolverse esta sociedad por causa de muerte de alguno de ellos ó por divorcio, ó interdiccion civil del marido. *Ley* 10, *tít.* 4, *lib.* 10, *N. R. S. T. S.* 8 *mayo de* 1873. (*L.* 15, *tít.* 17, *p.* 4, *y L.* 5, *tít.* 5, *lib.* 4 *F. R.*).

—**En Cataluña** no es conocida la sociedad legal, y solo en el territorio conocido con el nombre de Campo de Tarragona, que es el que formaba su antiguo corregimiento, acostumbra el marido asociar á la mujer en las compras y mejoras que haga, sobre lo cual puede verse la obra del *Sr. Vives, t.* 2, *p.* 240. Aunque esto no constituye ninguna excepcion, puesto que lo mismo tiene en Barcelona que en Tarragona, si en el contrato ó capítulos matrimoniales se estipula ó deja de estipularse la predicha sociedad de bienes.

—En el resto del Principado ni por ley ni por costumbre se conoce esta comunidad entre los cónyuges, ni les es aplicable la legislacion de Castilla, si al celebrar su matrimonio no han perdido la cualidad de vecinos del Principado. *S. T. S. de* 27 *nov. de* 1867. Pero les es permitido el pactarla, y pactada debe observarse, puesto que no se halla prohibida: lo que seria caritativo aconsejarlo é introducir en Cataluña esa costumbre en la escritura de capitulaciones matrimoniales, pues que es doloroso

tener despues de la muerte del marido que imponer á la viuda la obligacion de renunciar las ganancias y sudores de la juventud para otras manos, como los romanos, manteniendo en eso á manera de esclava á la mujer catalana.

38. Q. *An sponsi licite inire secum invicem possint societatem bonorum universalem?*

R. I. Affirma, in ipso matrimonii contractu et quoad fructus percipiendos.—Nega quoad debita et credita ante conjugium existentia; aut credita postea obvenientia titulo successionis, legati, aut donationis. Quoad cætera, lege vel conventione deficiente, observentur regulæ pro contractu societatis. *(V. n.* 249).

II. Quoad societatem particularem, tum sponsis, tum conjugibus ea permittitur, accedente prælati, vel Tribunalis auctoritate, ad tuendam libertatem mulieris, ac fraudes contra leges cavendas. *(Scavini).*

39. Q. *An restituere debeat maritus, qui notabilem communium bonorum partem male impendit?*

R. Alii affirmant; quia uxor dominium habet dimidiæ partis illorum bonorum; proindeque jus illud violat maritus, si, ipsa rationabiliter invita, ea dissipat. *Ita Antoine, Coll., Pont., Gousset, Croix, Ballerini (seclusa lege speciali), n.* 556.—Alii vero negant, nisi maritus limites juris sibi a lege concessi excedat; nam ut dicunt, uxor ex lege tantum habet jus strictum ad dimidiam partem, soluta communitate, superstitem.—Sed nugatoria videretur talis uxoris proprietas, si vir ita libere dissipare omnia posset, ut nil dividendum supersit, finita societate, ut merito ait *Ballerini cum Croix, l.* 3, *p.* 1, *n.* 1020. Graviter utique peccat maritus contra justitiam, cum obligatione restituendi, si aliquid notabile uxori surripiat, ipsa invita vel sine ejus consensu, ex bonis paraphernalibus, vel aliis propriis; nam par est mariti, et uxoris quoad bona propria conditio. *S. Lig., n.* 539. Uxor præcavere potest bonorum disipationem per facultatem, quæ ipsi concedit lex, separationem bonorum juridice postulandi, ut supra (n. 28.

40. Q. *Quænam sit uxoris potestas disponendi de bonis familiæ?*

R. I. Uxor graviter peccat, si notabilem summam accipiat, invito marito, vel ejus voluntate non bene perspecta, etiam ex dote, vel bonis communibus, ac eam impendat in donationes, itinera, vanitates, etc., quia maritus habet administrationem et usufructum, ideoque ad restitutionem tenetur uxor. *S. Lig., n.* 539.

II. Uxor bona expendere potest, marito absente, vel fatuo, in bonum familiæ vel sui ipsius; tunc enim ad illam spectat administratio domus: —item quæ acquirit sua industria, dempto tamen labore, quem præstare debet familiæ:—item paraphernalia et quæ sibi præter dotem reservavit: —item libere disponere valet de iis, quæ sibi reservavit de bonis a viro sibi assignatis pro vestitu, etc., modo honeste familiam jam sustentarit. *Croix. Less., Mol., Lugo, n.* 67, *S. Lig., n.* 541.

III. Non peccat uxor, aliqua subducendo, vel compensationis causa, si vir sit prodigus; vel pro victu, vestibus, eleemosynis, cæterisque sibi, vel familiæ necessariis, quæ sæpe mariti non capiunt, vel frustra ab ipsis peterentur; cum uxor non sit mancipium, sed viri socia, etsi eidem subjecta; ideoque communiter ei conceditur, quod ejusdem conditioni, vel statui congruum est, etiamsi maritus illi prohibeat; nam est irrationabiliter invitus. *Lugo, n.* 64, *S. Lig., n.* 540 *et* 541.

IV. Uxor si ejus pater, mater, vel proles ex alio matrimonio sit pauper, ita ut misere secundum statum suum vivant, et maritus eis sucurrere nolit, potest ex bonis suis propriis, extradotalibus, et in horum defectu etiam ex communibus, eis subvenire; nam jure naturæ eos alere tenetur, et maritus id consentire. *Less.*, *Pal.*, *S. Lig.*, *n.* 542. Quod etiam *Diana* extendit ad fratres et sorores, et probabile judicant *Less.*, *Trull.*, *Mol.*, *Sanch.*, *Lugo*, *n.* 71.

Neque bona hæc, si parvi sint momenti, dein restituere uxor devincitur, cum venerit in mariti hæreditatem, vel dotem suam recuperet; nam illæ habentur uti eleemosynæ communes. *Gury*, *Scavini*, *cum communi*. Secus tenendum videtur cum S. Lig., n. 542, ait *Gury*, *n.* 557, si bona subtracta sint majoris momenti.

V. Item, si adsit licentia præsumpta viri circa ista, et similia, ne cogatur mulier sese ostendere ut ancillam. (*Gury*, *Reuter*, *n.* 47). — Imo si maritus in familiæ detrimentum bona dilapidat in ludis, etc., uxor ea abscondere, et in bonum familiæ reservare potest, marito ea occultando. Horum ratio est, quia uxor jus habet ad sustentationem ex bonis communibus; ergo illa sibi pro nutu comparare valet, si vir renuat, vel ægre admodum consentiat, uxore petente (*Gury*, *n.* 552). *Uxor tamen non videtur solum habere jus ad nuda alimenta*, ait Lugo, *quia videtur particeps bonorum et rei familiaris aliquo modo; neque est sicut unus de familia, ut solum ali debeat; sed habet partem in gubernatione familiæ; et licet sit sub viri potestate, est tamen socia et particeps dignitatis*. (D. just., D. 16, n. 72).

---

# CAPUT IX.

## De dominio auctorum.

41. Certum est ex jure naturali hominem jus habere in fructus sui ingenii, ac industriæ; nam si res domino fructificat, nihil magis homini proprium quam internæ facultates. — Auctor autem alicujus artis, scientiæ, vel libri, quo nomine veniunt conciones, manuscripta, notæ musicales, dramata theatralia, et similia, jus habet, ne secretum suum surripiatur, vel se invito in publicum divulgetur, aut mandetur typis; qui vero id ageret, ratione injuriæ ad restitutionem teneretur. *Ita Carriere*, *n.* 61, *Gury*, *n.* 566 *et* 567.

Q. *An ille, qui typis dedit librum suum, jus habeat, ne quivis illum prælo committat et vendat?*

R. De jure naturali probabilius non habet jus perpetuum in opus suum; nam res in communitatem semel tradita, eo ipso de jure communi fit. Consentaneum tamen æquitati est, ut jure positivo aliquod privilegium auctori ad certum tempus concedatur, vel ad ipsius vitam. Ita *Gury*, *n.* 568, *et ita usus se ubique habet*, ait *Del-Vecchio*.

Alii vero cum *Ballerini* id negant; cum enim fructus industriæ in re nostra percipi nullus possit, nisi in communitatem opus evulgetur, profecto eadem lex naturæ postulat, ut ista evulgatio operis in communitatem fructu industriæ suæ auctorem non privet.

Q. *An typis mandari possit sine auctoris licentia in regno vicino liber recenter vulgatus?*

R. De jure naturali idem fere dicunt *Gury*, *Carriere*, etc., ut supra, —at *Ballerini* in contra; etsi concedat quod in regione longinqua minus impediat præstitutum principium, quominus fructum industriæ auctor accipiat.—Tamen de jure positivo, quidquid sit de jure naturali, certo prohibetur.

En España por los artículos 2, 3 y 4 de la ley de 10 de junio de 1847 y por las Reales órdenes de 11 de octub. de 1853, 5 dic. de 1855, y por la sentencia del Tribunal Sup. de J. de 4 de diciembre de 1861 se halla prevenido: 1.° que el derecho de propiedad literaria corresponde á los autores durante su vida, y que se transmite á sus herederos legítimos ó testamentarios por el término de cincuenta años;— 2.° que igual derecho corresponde á los traductores en verso ó en prosa de obras escritas en lenguas vivas y en lenguas muertas;—3.° á los autores de sermones, alegatos, lecciones ú otros discursos pronunciados en público, á los de artículos y poesías originales de periódicos reunidos en coleccion; 4.° á los compositores de cartas geográficas, á los de música, á los calígrafos y dibujantes;—5.° á los pintores y escultores, con respecto á la reproduccion de sus obras por el grabado ú otro cualquier medio.

—Nadie podrá reproducir una obra ajena con pretexto de adicionarla ó compendiarla sin permiso del autor, á no ser que la importancia del compendio ó del método y anotacion, constituyan una obra nueva, ó que la idea y método publicado como original por un autor, ya otro antes que él hubiese dado á conocer la misma idea ó método, pues en este caso no se considera original la obra. (*S. T. S. de J., 4 de diciembre de* 1861).

—No podrá impedirse la publicacion de otras distintas traducciones de la misma obra. — En cuanto á las obras dramáticas ó musicales, establecen los artículos 17 y 18 de la misma ley y las Reales órdenes del 4 de marzo de 1857 y 17 de mayo de 1859 que nunca pueden representarse en los teatros públicos (bajo cuya voz se comprende toda sociedad formada por acciones, suscripciones, y toda otra contribucion pecuniaria, cualquiera que sea su denominacion), sin el prévio consentimiento del autor. Este derecho dura toda su vida y pasa á los herederos.

—Igualmente está dispuesto en dicha ley, art. 7 y 10, que los que tengan el derecho exclusivo de reproducir una obra podrán enajenarlo y transmitirlo por cuantos medios reconozcan las leyes. Para que el autor goce de tales beneficios debe probar haber entregado dos ejemplares al Gobernador civil de la provincia, fuera de la de Madrid, y en esta uno al Ministerio de Instruccion pública y otro en la Biblioteca Nacional. *Real órden de* 1.° *de marzo de* 1856.

Mas los españoles conservan el derecho de propiedad y de traduccion en Francia, Bélgica, Inglaterra, Cerdeña, Holanda y Portugal, é igualmente los conservan en España los súbditos de las mencionadas potencias, cumpliendo con lo dispuesto en los respectivos tratados, á saber: con Francia el 15 de noviembre de 1853, ratificado en 21 de enero de 1854.—Con Bélgica el 30 de abril de 1859, ratificado en 28 de julio.—Con Inglaterra el de 7 de julio de 1857, ratificado en 5 de setiembre.—Con Cerdeña el de 9 de febrero de 1860, ratificado en 20 de abril.—Con Portugal el de 5 de agosto de 1860.—Con Holanda el de 31 de diciembre de 1862, ratificado en 20 de mayo de 1863, y además lo dispuesto en R. O. de 12 de setiembre de 1857.

De variis modis acquirendi rerum dominium: 1.° de *occupatione;*— 2.° de *accessione;*—3.° de *præscriptione;*—4.° de *contractibus.*

# CAPUT X.

## De possessione.

42. **Possessio** definiri potest: *Legitima rei detentio, vel juris fruitio.* —Possessio a dominio differt; nam prima tantum dicit jus rem detinendi uti propriam; secundum vero dicit ipsum jus, quo res est propria.

**Divisio.** Tripliciter distinguitur possessio: *naturalis*, nempe, *civilis*, et *mixta:* 1.ª est cum *quis rem apprehendit corporis et animi adminiculo, eique insistit, ut eam tanquam suam habeat*, licet alius ejusdem rei civilem possessionem retineat, uti creditor pignoratitius in pignore; vel cum animo sibi habendi, sed sine titulo, uti fur:—2.ª est cum *quis rem aliquando naturaliter forsan possessam, non quidem actu corporis per se vel per alium, sed animi tamen adminiculo possidere pergit fundato in aliquo justo titulo*, uti proprietarius longe a sua proprietate existens: —3.ª est quando *quis animi et corporis adminiculo rem ita actualiter possidet, ut nullus alius ejusdem rei possessionem civilem retineat*, quæ perfectissima possessio est; v. g., dominus in sua domo degens.—Addunt *civilissimam*, qua ex legum dispositione dominium, citra aliquem corporis actum apprehendendi, verum vel fictum transfertur.

—*Subdividitur possessio*, nempe *juris* et *facti*. 1.ª est *honestum jus insistendi rei tanquam suæ non prohibitæ possideri.* Agitur 1.° de licito jure; — 2.° de honesta insistentia; — 3.° de nomine proprio, non tutoris in bonis minoris; — 4.° nulla lege prohibente, uti esset rei sacræ a laico possessæ.

2.ª est *detentio ac vera rei occupatio aliqua corporali apprehensione uti manu, pede, animo illam habendi uti suam, jure nullo resistente;* uti resisteret si de furto ablata, vel injusta re ageretur.—Nomine rei intelliguntur res etiam incorporeæ, uti patronatus, aliaque jura.

**Possessio tribus modis acquiritur**, scilicet, apprehensione *vera, ficta*, et *legali*.—1.° Ad rem nullius apprehendendam, uti pisces maris, requiritur apprehensio *vera*.—2.° Ad apprehendendam rem alicujus, qui alteri tradere eam vult, sufficit *ficta*, uti claves domus.—3.° Cum vero res sola juris dispositione habetur, absque corporis et animi adminiculo, dicitur *legalis* apprehensio; hoc sensu hæres, etsi nesciens, possessionem defuncti testatoris apprehendit.

**Effectus possessionis sunt**: 1.° Præscriptionem parit, stantibus requisitis conditionibus.—2.° In dubio de vero dominio firmat proprietatem. —3.° Possessor probare non tenetur; nam possessio præsumptionem dominii parit.—4.° Turbatus in possessione, in ea restituendus, priusquam de possessionis justitia agatur.

Q. *Quomodo deperditur possessio?*

R. 1.° facto nostro, uti rem abjiciendo; —2.° facto alieno, v. g. si quis jure eam occupat;—3.° casu, ut si pereat;—4.° lege, sic lex statuit, ut quorumdam animalium per eorum fugam amittatur possessio.

# CAPUT XI.

## De occupatione, venatione, et piscatione.

43. **Occupatio** est *rei corporalis apprehensio in nullius dominio existentis, animo eam sibi comparandi.* Est *originarius* modus acquirendi occupatio, seu primus juris gentium, modo adsint hæ conditiones: 1.ª ut res sit nullius et capax privati dominii; —2.ª ut occupans velit rem facere suam, cum eam de facto apprehendit; —3.ª ut nulla lex obstet, ne ejusdem dominium cuipiam applicetur.

—*Species occupationis* frequentiores sunt: *venatio, piscatio,* ac *inventio.*

44. **Venatio.** Triplicis generis sunt animalia quoad venationem, nempe, *mansueta*, *mansuefacta*, et *fera.*

I. *Mansueta* seu *domestica* sunt, *quæ natura sua hominis subsunt dominio, ac ejus non abhorrent consortium,* uti oves, equi, gallinæ. Hæc semper sunt prioris domini una cum fructibus eorum, uti lana, ova; nunquam enim dici potest ea animalia suam recuperasse libertatem, cum indole sua sint mansueta; et dein res una cum fructu semper clamat ad dominum suum. (*Scavini, Gury, n.* 570).

II. *Mansuefacta,* quæ *ex feris, natura sua, hominis industria mansueta fiunt, ac ejus dominio subsunt,* uti aves, feræ.—Hæc prioris domini manent, quamdiu consuetudinem revertendi, vel sub dominio hominis vivendi non amittant; quia ratione occupationis, educationis, ac detentionis ad primum possessorem pertinent. Si vero ad suam feram indolem ac libertatem revertantur, fiunt primi occupantis. (*Ita jus roman., et hispan.*).

III. *Fera* seu *sylvestria* sunt, *quæ natura sua libere vagantur, ac hominis consortium abhorrent;* v. gr., animalia terrestria, uti lepores; volatilia, ut perdices; et natantia, uti pisces maris et fluminis.—Hæc fiunt primi occupantis, cum sint dominii nullius. (*Lugo, d.* 6, *n.* 41).

En España es permitido cazar en terreno propio y en ajeno pero con licencia del dueño en escrito en cualquier tiempo del año sin traba ni sujecion á regla alguna. *R. O. de* 3 *mayo de* 1834, *art.* 1 *y* 2.—En ningun tiempo del año se permite cazar en propiedad ajena, aunque sea cazar animales dañinos, sin licencia del dueño. *Leyes de* 8 *junio de* 1813, 6 *setiembre de* 1837 *y R. O. de* 25 *noviembre de* 1847.—Los transgresores pagarán á mas de los daños causados, incluso el valor de la caza cogida, que debe ser para el dueño o arrendatario, el procedimiento, y además 20 reales por la 1.ª vez, 30 por la 2.ª y 40 por la 3.ª (*Art.* 8).—En las tierras que no son de propiedad particular, ó con sola licencia verbal siéndolo, está prohibido cazar desde 1.° de abril hasta 1.° de setiembre en las provincias del norte y septentrion de Castilla, Navarra y Aragon, y desde 1.° de marzo hasta 1.° de agosto en lo demás del reino. *Art.* 9. Está prohibido siempre en los dias de nieve, ó con hurones, lazos, perchas, redes y reclamos machos, exceptuando las codornices y demás aves de paso, que se pueden cazar durante su tránsito con redes, etc. *Art.* 11. No se permite en tierras abiertas, aunque estén amojonadas, ó sean propias, cazar con cepos, trampas, ni otros armadijos de que pueda resultar perjuicio á pasajeros ó animales domésticos. Los infractores pagarán á mas del daño y costas, 40 reales por la 1.ª vez, 60 por la 2.ª, y 80 por la 3.ª *Art.* 26.—Será libre la caza de animales dañinos, como lobos, zorras, garduñas, gatos monteses, tejones y turones durante todo el año, incluses los dias de nieve, etc., en tierras abiertas y rastrojos. *Art.* 25.

En los artículos 21, 22 y 23 de la predicha ley de 1834, se manda á los dueños de los palomares que los tengan cerrados durante los meses de octubre y noviembre, y desde 15 de junio hasta 15 de agosto, ó en otros 4, segun los climas, avisándolo en este caso anticipadamente la justicia, facultando (además de la multa de 100 reales por la 1.ª vez, de 150 por la 2.ª, y de 200 por la 3.ª á los infractores) tirar á los palomos á cualquiera distancia fuera del pueblo, siempre que se tire con las espaldas vueltas al palomar. *Art.* 24.—Fuera de estas temporadas solo se les puede tirar á la distancia de mil varas de sus palomares. Los infractores pagarán al dueño el valor de la caza, y además á la justicia 20 reales por la 1.ª vez, 30 por la 2.ª, y 40 por la 3.ª, siendo la mitad para el dueño, y la otra para el fondo destinado al exterminio de animales dañinos. *Art.* 20.

**En Navarra** no puede tirarse á las palomas ni cogerlas por medio alguno dentro de la distancia de media legua del palomar; y si fueren domésticas, y criadas en palomar no se las puede tirar en ningun tiempo ni lugar. *Ley 3 y 4, tít. 7, lib. 5 de la N. R.*—Está prohibido cazar con perdigones género alguno de caza.—Toda caza cogida en cepo corresponde á quien lo prepara.—El cazador con perros que matara caza, la hace toda suya; pero si perseguida la fiera entra en poblado, y otros la matan, corresponde al cazador la piel y la mitad de la carne. *L. 2, 3 y 8.*

45. Q. *An civilis prohibitio venandi ac piscandi in conscientia obliget?*

R. Communiter tenent doctores hujusmodi leges mere pœnales esse, et saltem *per se* veniale non excedere earum transgressiones; cum nulli grave inde detrimentum sequatur; neque leges irritam declarant prædæ acquisitionem. *(Lugo, Carriere, n.* 301, *Gury, n.* 571). Venatores et piscatores in hoc nullum vident peccatum; in sua bona fide ergo relinquantur. Neque contra alterius jus peccant venantes in alieno fundo, si iste sit pervius, nec res ulla lædatur; quia feræ fructus fundi non sunt, et solum ob læsionem est restituendum. Secus autem si fundus sit clausus, ita ut feræ inde exire non possint, et facile capi queant; vel si res aliqua lædatur, contraria ratione. *(Lugo, Gury).*

46. Q. *An quis occidere, vel capere possit columbas, et gallinas alienas sive nocentes, sive non?*

R. Nega si facile abigi possint, et damnum grave non afferant. Ita *communiter cum Gury, n.* 573.—Secus affirma; nam unicuique licet propriam defendere rem, etsi indirecte alteri æquale damnum sequatur.—Columbæ non præsumuntur graviter nocere, nisi messis, vel seminum tempore. *(Lugo, Bill., Elb., Gury).*—Columbæ vero fugientes motu proprio, quin fraude attractæ sint, fiunt ejus in cujus columbario sedem figunt.—Secus si fraude, uti cibo extraordinario, vel exquisito fuerint attractæ. *(Lugo, d.* 6, *n.* 42, *cum aliis).*

Q. *An dominus fundi accipere possit prædam ab alio occisam, vel impedire ne ab alio capiatur?*

R. Nega de jure communi utrumque; quia etsi dominus jus impediendi habeat, ne quis in suo fundo venetur, non habet jus ad feram occisam, sed tantum ad compensationem damni illati a venatore. *(Lugo, Gury).*—Si vero fera sit capta laqueo, quem quis, invito fundi domino, posuerit, videtur fera potiri posse dominum fundi; nam potest impedire ne ingrediatur quis ad laqueum ponendum, et etiam ad feram eximendam; dominus posset item feram dimittere, et dimissam plane capere. *(Ballerini).* En España por Real decreto de 3 de mayo de 1834, art. 7, está prevenido que la caza herida, que cayere del aire en tierra de propiedad, ó perseguida entrase en ella, pertenezca al dueño ó arrendatario de la tierra, y no al cazador.

Q. *Cujus est animal a te captum, si fugam arripiat?*

R. Si naturalem acquisivit libertatem, est primi capientis; secus prioris domini. *Naturalem autem libertatem recipere intelligitur animal, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio.* Ita *Justinianus, Inst.* § 12.—Examen apum, quod e tuo alveo evolavit, eo usque tuum est, quamdiu in conspectu tuo manet, et facilis illius persecutio; secus fit primi occupantis. Ita jus roman., et hispan., *Inst.* § 14 *de rer. divis.*—(*Ley* 22, *tit.* 28, *part.* 3.ª).

47. Q. *Cujus est fera læsa, vel laqueo capta?*

R. Primi occupantis, si adhuc facile fugam arripere valet, in sua enim libertate censetur.—Secus est vulnerantis, vel illaqueantis; contraria ratione; nam sic per læsionem, vel laqueum ipsam jam apprehendit, et satis occupat. *(Gury, Scavini, S. Lig., n.* 604).—Si vero res dubia sit, dividatur per æquales partes, cum æquale sit utriusque jus, et spes. *(Scavini, S. Lig., ibid.).* Sed ex se attendenda est illa generalis regula: *Feræ bestiæ capientibus cedunt, non vulnerantibus.* Ita *jus roman.*, y por *Real decreto de* 3 *mayo de* 1834, *art.* 6, 8 *y* 13.—Tambien es del primer ocupante el animal que hubiese sido cogido en lazos, cepo, hoyos ú otro armadijo, sin que pueda alegar derecho alguno el que los hubiera preparado. (*Ley* 21, *tit.* 23, *part.* 3.ª)

Q. *Si quis extrahat alterius ovem ex ore lupi cujus erit?*

R. Primi domini, etsi pro eo esset certo amittenda, nisi ab alio salvaretur; quia ovis erat furata, et non efferata; sicut qui ex incendio eam, vel aliam rem extraheret, ad quod etiam obligat sola charitas. Tamen labor, et damnum quod quis patitur compensatione dignum est. *(Gury).*

---

# CAPUT XII.

## De inventione.

*Quadruplicis* generis sunt bona, quæ inveniri possunt; nempe *thesauri, bona derelicta, vacantia*, et *res nuper amissæ.*

48. Thesaurus, ex jure romano, *est summa pecuniæ abscondita, cujus memoria non extat.*—Ex jure hispano, et gallico thesaurus est *quæcumque res abscondita, vel infossa, quam nemo probare potest eam esse suam.* Unde 1.º thesaurus inventus in proprio fundo totus est inventoris, velut pars fundi:—2.º item si in alterius fundo de industria inveniatur ex jure hispano. Si autem casu inveniatur in alterius fundo, inter inventorem, et fundi dominum æque dividi debet. *Ley* 45, *tit.* 28, *part.* 3.ª *y ley* 16 *mayo de* 1836, *art.* 1.—Ex jure romano, si de industria inveniatur, proprietario fundi totus cedi debet, dimidia pars illico, et alia pars interveniente judicis sententia; nam hac privatur inventor in criminis pœnam; idcirco quoad hanc partem expectari potest, nec obligari videtur ante judicis sententiam. *(Inst. lib.* 2 *de rer. divis. Thes.* 39).—Eadem distinctione opus est, si thesaurus inveniatur in loco publico: 1.º si profano, dividatur vel non, ut supra, inter inventorem, et fiscum, seu publicum ærarium (*Ley* 16 *mayo de* 1835, *art.* 1.º, *n.* 4.º);—2.º si in loco sacro, inter fabricam, vel prælatum, et inventorem. Ita etiam ex jure rom. (*Gury, n.* 578); princeps enim, et locus sacer pejoris conditionis quam alius quivis non sunt. *(Ita Henno, de jure, d.* 4, *q.* 5, *Scavini).*

Q. *An sciens in alieno agro latere thesaurum, illum emere possit pretio communi?*

R. I. Si ante emptionem hoc scivit, sed non fodit, pretio communi agrum emere valet, et thesaurum acquirere; cum lateat, non auget fundi valorem. *(Ita Bill., Lugo, S. Thom.*, 2. 2, *q.* 66, *a.* 5, *Varceno, p.* 479, *Gury, n.* 577 *aliique,* contra *alios*).—Secus si antea thesaurum invenerit, et apprehenderit, ac iterum in fundo illum condiderit; obest quidem jus romanum, quod tunc divisionem præscribit, ut supra.

II. Qui suspicans ibi esse thesaurum reconditum, pretio communi agrum emit, totum retinere potest; thesaurus enim nondum repertus ad dominum agri nullimode pertinet, neque pars fundi est. (*Bouvier*).—Item qui bona fide arcam emit, in qua gemmam, vel pecuniam invenit, totam sibi retinere potest, si nulla sint vestigia, ad quem hæc pertineat; est tunc simul inventor, et dominus. (*Lessius*).—Si vero opifex in aliqua domo laborans, summam pecuniæ inveniat, et adsint vestigia, ex quibus judicetur pecuniam hanc esse talis personæ, vel familiæ, tota huic reddi debet; nam reputatur ut bonum nuper amissum. Secus dimidiam partem sibi retinere potest; habere siquidem videtur rationem thesauri. (*Gury*).

49. **Fodinæ** sive carbonariæ, sive marmoreæ, sive aureæ, etc., jure naturæ ad dominum fundi pertinent; cum sint hujus partes.—Legitime autem statutum est sive ex jure communi, sive ex consuetudine communiter recepta, ut respublica eas sibi vindicet, parte inventori concessa, et compensato damno fundi domino facto.—Reipublicæ ita convenit ad onera communia sustentanda, ad homines excitandos ad res difficiles, et pretiosas premio proposito inveniendas. En España, segun la *ley* 11, *tít.* 28, *part* 3.ª, y el *reglamento de* 9 *agosto de* 1849; de 20 dic. de 1868, y la R. O. de 29 julio de 1872, toda sustancia orgánica ó subsuelo que se preste á una explotacion, es del dominio del Estado; y nadie podrá beneficiarla sin concesion del gobierno en la forma que se dispone en las mismas leyes, aunque generalmente se concede al propietario el utilizarla.

50. **Bona derelicta** ea sunt, *quæ ipse dominus abjicit, vel reliquit animo eorum dominium a se abdicandi.* Hæc de jure naturali, et hispano, fiunt primi occupantis, utpote res nullius. (*Leg.* 49, *tit.* 28, *part.* 3.ª).—Hinc in alieno fundo glandes, castaneas, nuces, spicas, uvas (item fungos) colligere, quæ manus collectorum fugiunt, fere ubique permittit consuetudo, uti totidem bona derelicta. Sed cavendum ne talia perquirentes alienis fundis damnum inferant.

51. **Bona vacantia** sunt, *quæ quis relinquit ab intestato moriens, quin hæredes habeat intra decimum consanguinitatis civilem gradum.* Ad hæc referri possunt ligna, arbores, lapilli, gemmæ, margaritæ, coralla, auri, vel argenti fragmenta, etc., quæ in flumine, vel mari, aut in eorum littore inveniantur.—Bona vacantia de jure naturæ fiunt primi occupantis, quia nullius sunt.

En España la *ley de* 3 *agosto de* 1866, *art.* 87, establece: 1.° que los árboles arrancados y trasportados por la corriente de las aguas pertenecen al propietario del terreno á donde pararon, si no las reclaman dentro de un mes sus dueños.—2.° Las brozas y leñas que vayan flotando en las aguas ó sean depositadas por ellas en el cauce, ó en terreno de dominio público, son *primi occupantis*; las dejadas en propiedad particular ó sus riberas, son del dueño de las fincas respectivas. *Art.* 86.—3.° Los objetos sumergidos en cauces públicos siguen perteneciendo á sus dueños; mas pasado un año serán del que los extrajere, previo el permiso de la autoridad. Al dueño nunca se le puede negar el permiso para la extraccion. *Art.* 88. — 4.° Cual-

quiera puede recoger los animales, maderas, frutos, muebles, etc., arrebatados por la corriente de aguas públicas, presentándolos á la autoridad local, quien anunciará en seguida su hallazgo en su pueblo y limítrofes superiores; si dentro de seis meses reclama el dueño, se le entregará el objeto ó su precio, abonando el 10 por 100 por gastos; trascurridos los seis meses sin reclamacion, perderá el dueño su derecho y se devolverá todo á quien lo salvó. *Art.* 85.—5.º Son *primi occupantis* los hallazgos de los productos naturales del mar, de los rios, lagos y estanques públicos, y los encontrados en sus orillas. *L.* 16 *mayo de* 1835.

Pertenecen al Estado: 1.º los bienes muebles é inmuebles vacantes sin dueño ni poseedor conocido; —2.º los bienes poseidos ó detenidos sin título legítimo, que el Estado puede reivindicar segun las leyes comunes; —3.º todo cuanto el mar arroje en sus playas, no teniendo dueño conocido; exceptúanse los productos de la misma mar, que los hace suyos el primer ocupante; —4.º los bienes de los que mueren intestados, sin dejar personas capaces de sucederles con arreglo á las leyes; —5.º los buques que por naufragio arriben á las costas del reino y todo cuanto en ellos se halle, si pasado el término prevenido por las leyes resulte no tener dueño conocido, y los efectos que la ley concede al primer ocupante.

Hoc tamen, quoad derelicta, et vacantia, ex consuetudine ad sola immobilia restringendum videtur, saltem ante judicis sententiam. (*Carriere, n.* 285, *et* 343, *post plures jurisconsultos, Gury, n.* 576).

Q. *Quid de bonis naufragorum?*

R. Ad suos dominos pertinent ex jure romano, et hispano, non enim eo ejiciuntur animo, ut quis ea habere nolit, sed necessitate coactus. (*Ley* 4 *y* 50, *tit.* 28, *part,* 3.ª, *etc.*). Excipit *S. Lig., l.* 7, *n.* 309 bona, quæ diu in littore jacuerunt; quia merito præsumuntur illa tunc haberi a dominis pro derelictis. Item papyrus, farina, saccharum, et similia projecta; quippe talia communiter pereunt in mari, statim ac projiciantur; inde ut derelicta habentur.

52. Res nuper amissa. Charitas obligare potest ad curam rei perditæ suscipiendam: 1.º si prævideatur secus rem domino esse perituram; nam diligere tenemur proximum sicut nosmetipsos ex Christi præcepto (*Marc.* XII, *Matth.* XIX): —2.º si tibi constet de re ab alio inventa, aut amissa, postulat charitas, ut aliis id aperias, ut dominum invenias (*Ballerini, n.* 576): —3.º si autem rem inventam acceperis, ex charitate, ac etiam ex justitia teneris diligentem rei curam gerere, eamque custodire, et ex *quasi contractu gestionis* implicito media rei inventæ valori respondentia adhibere, ut ad dominum res perveniat; maxime si rem apprehendens difficiliorem inventu reddas, uti evenire solet: siquidem dominus ordinarie loci recordans, in quo eam perdidit, ibi frustra inquiret (*Ità Ballerini, Lyonnet, Collator Ambianensis, Scavini*): —4.º domino invento certe res ei est tradenda; nam res clamat ad dominum cum fructibus suis. Hinc D. Augustinus: *Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti.* (Serm. 179).—Dominus tamen solvere tenetur omnes expensas pro re sua factas, imo aliquid inventori tribuere rationi congruum est; sic facilius alliciuntur inventores ad hoc onus suscipiendum; et ii tuto etiam præmium exigere ac recipere valent. (*Scavini*).

Q. *Quid faciendum si post diligentiam adhibitam ejus dominus non inveniatur?*

R. Vel adest aliqua spes dominum inveniendi, vel non.—Si 1m, res, vel ejus pretium est conservandum; et si servari nequit, vendi, aut pauperibus distribui debet; etenim adhuc in ea jus habet dominus ratione

spei; ideoque juxta ejus præsumptam voluntatem res est distribuenda. — Si vero post hanc distributionem compareat dominus, ei est tradenda res, si in se, vel in æquivalenti subsistat, nec sit præscripta; nam largitio illa sub hac conditione videtur facta. *Lugo, n.* 102, *Holz., Croix, S. Lig., n.* 590, *et* 603. Item si res pauperibus sit tradita ante præfatam diligentiam, et postea compareat dominus. *S. Lig., n.* 596.

Si 2m, nempe, si ratione temporis, distantiæ, diligentis inquisitionis, impossibilitatis recognitionis, ut accidit sæpe in nummis ordinariis, non sit amplius possibile dominum invenire, illam potest inventor sibi retinere: nec restituere eam debet, etsi postea appareat dominus. Ratio, quia jus gentium privatis dominium tribuit, ut rebus utantur; hic dominus facultatem disponendi amisit; ergo res ejus dominii esse desinit; ergo est nullius; ergo fit primi occupantis; ergo facta jam est dominii translatio; ergo non est amplius inquirenda prioris domini voluntas. Ita *sentiunt Croix, Holz., Nav., Gury, Ballerini, Lugo, n.* 104, *Scavini, S. Lig., l.* 3, *n.* 603, *S. Thomas,* qui ait: *Si pro derelictis habeantur* (res), *et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum.* (2. 2, q. 66, a. 5). Utile in praxi erit, ut suadeatur aliqua eleemosyna; sed non de hac obligationem imponere.

En España está dispuesto por la *ley de* 16 *de mayo de* 1835 y la S. *T. S. de* 27 *oct. de* 1865, que deben adjudicarse al Estado los bienes semovientes, muebles é inmuebles, derechos y prestaciones que no pertenezcan á dueño conocido, ni estén poseidos por individuo ó corporacion alguna con titulo legal. Sed quoad inventa mobilia, aliter videtur statuere populorum consuetudinem.

Q. *Quodnam tempus effluere debet, ut dici possit jam non adesse spem dominum inveniendi, ut rem inventam quis sibi applicare possit?*

R. Cum id sit pensandum ex circumstantiis, et prudentum judicio, aliis deficientibus, aliqua norma suppeditari potest a quibusdam codicibus civilibus, qui generatim decernunt, ut quoties sit adhibita præscripta diligentia ad dominum inveniendum, hoc post biennium non apparente, vel post unum annum ut in Hispania, vel etiam sex menses, ut supra n. 50, inventori res cedat. Etsi enim leges istæ alicubi non vigeant, ut regula prudentiæ tamen valere poterunt. *(Ballerini, n.* 579).

# CAPUT XIII.

## De accessione.

53. Accessio est *modus acquirendi dominium in rem aliquam, sive mobilem, sive immobilem, ex eo quod hæc nostræ uniatur.* (Vide infra ubi de adjunctione).

—Accessio enim immobilium fieri potest variis modis, nempe, *productione, plantatione, ædificatione, et vi cursus aquarum.*

54. I. **Productione.** Res una ab altera producitur *realitate*, vel *suppositione. Primi* generis sunt partus animalium, fructus arborum et agrorum.—*Secundi* autem generis sunt, v. gr. pensio fundi, vel domus locatæ, fructus vitalitii. Regula generalis est, ut quidquid nascitur, seu producitur, per se ad parientis, vel producentis dominum pertineat. *(Jus-*

*rom. et hisp. Ley* 25, *tit.* 28, *p.* 3). (Quoad fructuum species, v. n. 72).

55. II. **Plantatione.** Ex jure romano, et hispano statuitur 1.° quod si tu ponas alienam plantam in tuo fundo, vel tuam in fundo alterius, ad dominum fundi pertineat, si radices jam jecerit; in quo casu neque post arboris mortem, vel ejusdem excisionem illam repetere valet prior dominus;—2.° quod si quis *bona fide* rem alienam plantaverit, vel seminaverit in proprio fundo, ad rei valorem tantum teneatur; si vero ita plantaverit, vel seminaverit rem propriam in alieno fundo, rei pretium recuperabit; si *mala fide*, nil ex hoc repetere poterit;—3.° si arbor radices in alieno agro tantum jecerit, hujus erit; si vero radices inter duos agros diversi dominii extenderit, communis erit. (*Inst.* 31 *de rer. divis.*, *y Ley* 42 *y* 43, *tit.* 28, *part.* 3.ª)—En Aragon rige esa misma ley; empero si uno de los dueños empezó á cortarlo y el otro lo corta por completo, pertenece al último la leña. *Fuero único de conf. arb. y Fuero* 1 *de arb. incid.*

En Cataluña si el que ha plantado ó edificado hubiese tenido la cosa por título de alquiler ó arrendamiento, solo deberá recobrar lo gastado en caso de desampararla por culpa del dueño, ó forzado por hambre, guerra, opresion de algun poderoso. *Const.* 1 *de Cat.*, *tit.* 1, *lib.* 7.

—Notandum hic, non licere arboris in alieno solo positæ radices, vel ramos in agrum proprium porrectos succidere, nisi aliter monitus eos tollere nollet dominus. (*Scavini*).—Item statuitur, ut litteræ, licet aureæ, cedant chartis. Sed hodie ex consuetudine contrarium vigere asserunt *Croix*, *S. Lig.*, *l.* 3, *n.* 501, *cum aliis.*—Por derecho romano y español la letra cede al papel o pergamino, y el dueño ha de pagar el valor del escrito hecho con *buena fé.* —Mas si se hubiese obrado de *mala fé*, se pierde la escritura. (*Inst.* 35, *ley* 36, *tít.* 28, *part.* 3.ª) La pintura, dibujo o escultura hecha con *buena fé*, en tabla, madera ó piedra ajena es propia del artífice, debiendo abonar el valor de esos materiales al dueño. —Si se hizo con *mala fé*, se pierde la pintura, dibujo ó escultura y trabajo. (*Inst.* 36, *ley* 37, *tít.* 28, *part.* 3.ª)

56. III. **Ædificatione.** Ex jure romano, et hispano statuitur: 1.° quod si in solo tuo de aliena materia ædifices, vel in alieno de materia propria, omne cedat solo; neque in primo casu duplum pretii illius materiæ solvere teneris; quia nullibi id aperte hodie statutum invenitur: sed tantum suum valorem. (*Gutierrez. Elias* vero contrarium tenet, plures afferens leges, et *S. T. S.* 29 *jun.* 1866).—In secundo autem casu, si bona fide ædificaveris, possessionem ædificii retinere poteris, donec soli dominus materiæ, et expensarum valorem solvat. (*Leyes* 41 *y* 42, *tit.* 28, *part.* 3.ª, *etc.*) Intellige si bonæ fidei accedat etiam extructi ædificii possessio, et insuper fundus domino factus sit pretiosior; nam si non est in possessione, unicum illi superest subsidium, ut, si quidem fundi dominus factus sit ditior, æquitatis obtentu actio illi per officium judicis ultro detur. (Ita *Ballerini*, *n.* 592). At in utroque casu, diruto ædificio, tantummodo vindicari poterunt materiæ non satisfactæ. (*Inst.* § 29 *de rer. divis.)*—2.° Si scienter ædifices in alterius solo ex tua materia, ædificium illius est, ac materiæ dominium amittis, nec pretium repetere potes; præsumitur enim te donare voluise; nisi contrarium constet. (*L.* 2, *c. rei vindicat.)*

57. IV. **Vi cursus aquarum**; quæ accessio fit *alluvione*, *avulsione*, *alvei mutatione.*—1.° *Alluvio* est *cum latenter, et insensibiliter fit accessio.*—2.° *Avulsio* autem est *cum fit impetu improviso.*—3.° *Mutatio alvei* intelligitur *cum flumen, primo alveo relicto, per novum decurrit.* His positis:

1.° *Accessio per alluvionem* pertinet ad eum, cujus est fundus.—Item quando paulatim aqua unam deserit ripam, alteram supergrediendo, pars derelicta est domini illius partis, quin altera, aqua supergressa, reclamare possit.—Item si *longiore tempore fundo vicini tui hæserit, arboresque, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini tui fundo acquisitæ esse.* (*Inst.* § 22, *de rer. divis.* —*Ley* 26, *tit.* 28, *part.* 3.ª—*Art.* 20, *R. D.* 29 *abril* 1860).

2.° *Si vero accessio per avulsionem fiat,* et aliqua pars notabilis detrahatur ab uno in alterum fundum, tunc pars detracta manet dominii illius, a cujus fundo detracta est, nisi jam radices arbores ibi jecerint. (*Ita jus romanum, et hispanum.—Ley* 26, *l. c.*)

3.° *Insula vero in mari nata, vel dudum deserta,* fit primi occupantis, cum nullius sit.—Insula vero in flumine nata... *si... mediam partem fluminis tenet, communis est eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cujuscumque prædii, quæ prope ripam sit.—Quod si alteri proximior sit parti, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident;—quod si qua parte divisum sit flumen, deinde infra unitum, agrum alicujus in formam insulæ redegerit, ejusdem permanet is ager, cujus fuerat. Inst.* § 22, *etc. Lex* 28, et sic etiam lex 3 aug. anni 1866 quoad Hispaniam articulis a 77 ad 81.

58. **Accessio mobilium** triplici modo fit: *adjunctione*, *specificatione*, et *commixtione.*

I. **Adjunctio** est cum *res ad diversos dominos pertinentes ita in unum aliquid adjunguntur, ut sine detrimento separari non possint,* uti plures gemmæ in uno annulo —Tunc ex jure hispano totum illius est, cujus res se habeat uti *accessorium,* juxta illud: *Accessorium sequitur principale,* si absque consensu et cum bona fide res adjuncta sit. Sed alteram partem facere debet indemnem.—Si autem separatio fieri possit, quivis dominus partem suam accipere valet. Habenda erit uti principalis *illa, cui res adjuncta est velut ornamentum, vel complementum,* uti gemma in annulo, purpura in veste: accessorium autem *quod ornamenti causa accedit.*—Si dubitetur, habeatur ratio valoris et pretii; et si valor sit ferme æqualis, præferatur illa quæ volumine præstet. (*Scavini, n.* 319. —*L.* 27, § 2, *D. de acq. rer. dom., et lex* 23, *tit.* 28, *part.* 3.ª)

59. II. **Specificatio** est cum *ex aliena materia nova corporis species per artem conficitur;* ut pannum ex aliena lana, de uva vinum. Ex jure romano, ac hispano, si species ad priorem materiam redire non possit, ad artificem pertinet, si bona fide egerit, cum obligatione solvendi pretium materiæ, ac damna compensandi. Excipitur frumentum; *cum grana, quæ spicis continentur, perfectam habeant speciem suam; qui excutit spicas, non novam facit speciem, sed eam quæ est detegit.* (§ 7, Inst. de rer. divis ).

Tamen si mala fide id sit factum, res a pristino domino omnino vindicari potest. (*L. de eo* § *si quis ff. etc. Ley* 23 *y* 33, *tit.* 28, *part.* 3.ª *Bill*).

III. **Commixtio** est *confusio diversæ materiæ ad complures dominos pertinentis;* uti oleum, vinum, frumentum, nummos cum aliis ejusdem generis confundere.—Tunc si materiæ a se invicem sine præjudicio separari possunt, quivis suam partem sibi vindicare valet;—secus, compensatione aliis facta, erit totum domini principalis;—si non constat

quis sit dominus principalis, pro rata dividatur inter singulos, ratione materiæ et valoris habita, ut de adjunctione diximus. (*Scavini*, *Gury*, *n.* 591.

---

# CAPUT XIV.

## De præscriptione.

60. **Præscriptio** est medium *acquirendi dominium, aut se liberandi ab aliquo onere per certum temporis lapsum, positis conditionibus a lege statutis.*—Duplex est præscriptio: 1.ª *acquisitiva*, per quam jus aliquod acquiritur; ita si quis fundum alterius occupat tempore, et modis a lege statutis, illius jus acquirit;—2.ª *liberativa*, quæ ab aliquo onere, vel servitute liberat; v. gr. si quis mutuum debet, liberatur ab obligatione illud reddendi, transacto tempore ab ipsa lege statuto. Insuper esse potest *ordinaria* et *extraordinaria*, seu *longi temporis, temporis longissimi*, et *immemorabilis*, cum in contrarium non extat memoria.

Apud *omnes* in confesso est in utroque foro ac jure præscriptionem legitime obtinere.—1.º *Juri naturali* conformis est hæc proprietatis translatio; cum bono communi innitatur, ne fere semper incerti sint domini aliquarum rerum; litium finis habeatur; ac etiam dominorum segnities circa bona sua vitetur.—2.º *Naturali æquitati* non repugnat; nam ante omnem eventum talis lex est constituta; ideoque omnibus parem lucri, vel damni sortem dat. 3.º *Jus canonicum* in foro conscientiæ id recognoscit.—Unde Angelicus: *Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem.* (Quodl., l. 2, a. 74).—4.º *Jus civile* hoc propugnat; uti patet ex toto *t. de præscrip.* Doctrina hæc de præscriptione juri hispano consonat. —5.ª Theologi ac jurisconsulti in eo ipso conveniunt. *(Ita Bouvier, Gousset, Gury, n.* 581, *Scavini, n.* 355, *etc.)*.

61. Q. *Quinam præscribere possunt?*

R. Omnes usu rationis pollentes, qui capaces acquirendi sunt, sive per se, sive per alios; ideo etiam corpora moralia, uti Ecclesia, communitas, instituta publica, non secus ac privata persona præscribere valent, ac præscriptioni subduntur.— At nemo contra seipsum præscribit: unde actus ex errore gesti non nocent erranti: sic beneficiatus a multo tempore quatuor ex errore celebrans Missas in hebdomada, cum nonnisi ad duas teneatur, non ideo in posterum ad quatuor adigitur.

**Conditiones ad legitime præscribendum** hoc versiculo continentur: *Non usu capies, nisi sint tibi talia quinque—sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.—Possideas juste completo tempore legis.*

62. I. **Res apta**: ea omnia, et sola generatim præscribi possunt, quæ in privatum commercium veniunt: cum enim præscriptionis finis sit dominium transferre, fieri nequit talis translatio de re, quæ ex natura sua, vel legum dispositione in privatorum dominium venire nequeat.—Hinc 1.º præscribi non potest res juris naturalis, et divini, uti libertas a submissione erga superiores; etsi præscribi possit, ut desinat quis esse

subditus;—2.° quæ in commercio non sunt, uti res sacræ, calices, ecclesiæ, cœmeteria, jura spiritualia et ecclesiastica a laicis;—3.° res publici vel communis ordinis, uti via publica, forum, platea, pontes, publicus fons, et similia, nisi eorum usus in populo cessaverit;—4.° quæ ipsa lex impræscriptibilia declarat, uti homo liber, littus maris, jura conferendi beneficia, jura percipiendi decimas, etc., (secus dic de jure patronatus. *Anacl. n.* 17, *S. Lig., n.* 515), limites Provinciarum, Parœciarum, Episcopatuum, modo certe constet eos legitima auctoritate fuisse statutos; secus præscribuntur *(Scavini, n.* 364). Controvertitur an præscribantur tributa Regis: aliqui affirmant tempore 40 annorum juxta illud: *Nullumque jus privatum vel publicum in quacumque causa, vel persona, quod prædictorum* 40 *an. extinctum est jugi silentio, movetur. Ley* 4.ª, *tit.* 39, *libro* 7, *Cod.*—5.° res furatæ vel vi possessæ; aut bona amentis, aut minoris 25 an., vel filii sub patria potestate constituti, res dotalis inæstimata, et alia bona uxoris sub viri potestate, nisi vir dissipator sit; et id sciens uxor, sinat tamen, silentio suo, ut alter præscribere queat. De iis rebus dicitur: *Vitia possessionum a majoribus contracta perdurant, et successorem auctoris sui culpa comitatur. (L. II, c. de acquir. et reten. Poss.—Inst.* § 3 *de Usucap. Ley* 8.ª). Quæ omnia juri hispano consonant. *(L.* 6, *d. tit.* 29.—*L.* 4 *d. tit.* 29.—*L.* 2, *tit.* 8, *L.* 11 *Nov. Rec.)*

Los bienes vinculados desde 30 agosto de 1836 están sujetos á la prescripcion.

Las cosas dadas en prenda, comodato, depósito, arrendamiento ó administracion, y las que están *pro indiviso*, no prescriben en poder de sus poseedores; pero si, cuando por compra ó por otra derecha razon pasan á extraña persona. (*Leyes* 1.ª *y* 2.ª, *tit.* 8, *lib. XI, Nov. Rec. L.* 22, *tit.* 29 *y* 5, *tit.* 3, *part.* 3.ª *S. T. S.* 27 *feb. de* 1859, *y* 16 *abril de* 1874).

Hay que añadir que en España la prescripcion de 20 ó menos años no empieza á correr contra el menor, como no hubiese comenzado en su antecesor, si bien tendrá el beneficio de la restitucion *in integrum*, por el tiempo que corrió contra él; si no reclama á su tiempo, la prescripcion corre contra él. La prescripcion de 30 ó mas años comienza á correr contra el menor de 14 años, salvo el beneficio de la restitucion. *(Ley últ., tit* 41, 1 *mayo de* 1861 *y S.* 9 *mayo de* 1867). El que aproveche por 20 años las aguas públicas, ó de arroyos y manantiales, ó sobrantes de establecimientos públicos de poblaciones, aunque sea en terrenos inferiores ó colindantes, prescribe, y no pueden los Ayuntamientos ni propietarios impedir la continuacion del aprovechamiento, sino por causa de pública utilidad, prévia indemnizacion de daños. *(Ley de* 3 *de agosto de* 1866, *arts.* 41, 42, 63 *y* 65). El que deja transcurrir 30 años sin reclamar en juicio sus créditos al deudor, pudiéndolo hacer, pierde su derecho por perezoso; pero no así el arrendatario, ó administrador, (ó lo que se tiene en encomienda), porque no lo posee en nombre propio. *(Ley* 22, *tit.* 29, *parte* 3.ª)

63. II. **Possessio**, quæ dicitur *rei detentio nomine proprio;* vel *juris alicujus fruitio;* uti jus eligendi, venandi, quæ solet appellari possessio *impropria*. Tunc una cum bona fide adest titulus præsumptus in ipso facto placidæ possessionis per tempus præscriptum.

—*Sequentibus conditionibus gaudere debet possessio:* 1.° ut sit *dominativa*, seu haberi debet res animo proprietarii, non depositarii, coloni, usufructuarii, quod ad ejus successores titulo universali extenditur.—Neque actus meræ ac propriæ facultatis, aut simplicis tolerantiæ esse possunt præscriptionis fundamentum.—*Primi* sunt, quos eliciendi, vel non eliciendi facultatem habemus a natura, uti ædificatio in fundo proprio die et hora, qua eligatur, quod vicinus impedire nequit.—*Secundi* illi sunt, qui fiunt ex tacito, vel præsumpto domini consensu; v. g., titulo

amicitiæ; nam vicini multa tolerant, quin tamen ex iis aliquod jus acquiratur. (*Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 357).

2.ª *Publica,* ut innotescere ei potuerit, contra quem præscribitur; sed hæc, ut recte notat *P. Ballerini,* tantum pro externo foro requiritur; nam pro interno bona fides sufficit, quoad hanc rem.—Sic qui furtim aquam ex alieno puteo hauriat, licet per longum tempus, non præscribit. Tamen in Hispania non reputatur bona fides in venditore, neque in emptore immobilium absque legalibus solemnitatibus venditorum. (*S.* 8 *oct.* 1862, *et* 9 *maj.* 1869).

3.ª *Tranquilla,* et *certa,* ut quemlibet violentiæ actum excludat, vel ut nulla litis contestatio de re intercesserit: item non æquivoca, aut *dubia,* demonstrata per actus attestativos veræ possessionis.

4.ª *Non interrupta,* donec compleatur requisitum tempus. Qui vero rem successive possident titulo universali, vel particulari, puta emptione, tempus ad præscribendum uniunt, ac si unus illo tempore eam possedisset. *L.* 14 *princip. et* § 1 *et* 2 *de div. præs. tit.* 3, *lib.* 44.

64. III. Bona fides, quæ in hac re, *est firma possessoris persuasio, qua prudenter judicat rem a se possessam esse suam.* Hæc bona fides omnino necessaria est in principio, et decursu possessionis ad acquirendum dominium; secus res aliena sine gravi culpa nequit retineri, multo ergo minus præscribi potest; cum sit contra jus naturale, divinum, et humanum. Hinc jus: *Oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ.* Cap. Quoniam præscript. Unde latro, et emptor rei ablatæ cum mala fide præscribere nequeunt.

Requiritur bona fides non solum ad præscriptionem *adquisitivam,* sed etiam ad *liberativam;* v. gr. a solvendo debito, cum pro utraque eædem rationes æque militent.- Excipe servitutes passivas; v. gr. solvendi mulctam; quia in iis nullo ligatur debito præscribens erga eum contra quem præscribit; nec monere tenetur, currente præscriptione, ut contra ipsum servitutis jure utatur. (*Croix, n.* 494, *Gury, Scavini, etc.*)

Sed de sola servitute prædiorum rusticorum valet, non vero de urbanis servitutibus, contra quas cum non præscribatur sine aliquo actu positivo præscribentis requiritur ut hic cum bona fide ponatur, qua quis se liberum a servitute putet; secus injuste ageret. (*Ballerini, n.* 589).

Q. *Quid si quis ex culpabili ignorantia putat rem esse suam?*

R. Si est graviter culpabilis, præscribere nequit; sane iniquum est, ut ex sua iniquitate locupletetur. Si vero leviter culpabilis sit, probabilius præscribere potest: in Concilio *Carthagin.* non damnâtur nisi sola fides cum peccato mortali; secus res esset innumeris scrupulis obnoxia; nam facile ignorantia leviter culpabilis locum habet etiam in viris probis. (*Scavini, Lugo, S. Lig., n.* 511.)—(Quoad fidem dubiam, vide n. 401).

65. Q. *An mala fides antecessoris successorem impediat a præscriptione, etiam quoad præscriptionem* 30 *annorum?*

R. I. Nega, si tantum adsit dubium de bona fide antecessoris; etenim mala fides præsumi non debet, nisi probetur. Imo licet de mala fide constet, quoad particularem successorem sive emptorem, sive legatarium, sive contractum alium ineuntem, dummodo illæ res in specie alienæ non sint; ad onera equidem ejus non tenetur, sicut obstringitur successor universalis. *Gury, n.* 590.

II. Affirma vero probabilius quoad successorem universalem; nam

fictione juris hæres censetur unica persona moralis cum auctore, ut succedat in omnes obligationes, et onera; et cum antecessor, ob malam fidem, et retentionem injustam, contraxerit obligationem restituendi, et impediendi præscriptionem illius rei, et resarciendi omnia damna; hæres in hac obligatione succedit: ita *Lugo, n.* 60, *Laym., Ballerini, n.* 590, *Billuart, S. Lig., n.* 512 *cum communi* contra *Gury*, et *Gousset, n.* 720; quia jus civile dicit, omnes obligationes tam reales quam personales posse præscribi 30 annis.

III. Idem dicunt *Lugo, n.* 61, *Layman, n.* 18, *Croix, S. Ligor., ibid.*, contra *Less., Pal., Cov.*, et *Gury* qui hanc communem vocat, de successore mediato sive de hærede hæredis, ratione supra adducta. Cum ergo hæres universalis teneatur ad omnia debita defuncti, saltem juxta hæreditatis vires, consequens est, ut etiam hæres universalis mediatus ad hæc defuncti debita teneatur, non obstante ejus bona fide. Quæ quidem sententia juri romano plane conformis, *communis, et recepta est*, ait *Laym.* Et addi posset, et juri naturali ac divino, prout de re furto ablata dicitur. *Ac propterea opposita opinio, neque rationi ulli, neque articulis Cod. Gallici niti videtur*, ait *P. Ballerini, n.* 590.

Q. *An valeant in conscientia præscriptiones trium annorum pro rebus mobilibus furtivis, et inventis?*

R. 1.° Fur, et possessor malæ fidei numquam præscribere valent, etiamsi lapsu temporis oblitus fuerit, se rem injuste accepisse.—2.° Emptor vero, aut donatarius, qui rem bona fide a fure accepit, præscribere ex se potest. Ita *Gury, n.* 586. Idem decernit de rebus inventis.—Et quoad alia mobilia, ait, *per se*, sufficere titulum possessionis. Alii id recipiunt quoad tricennalem præscriptionem tantum. Alii cum *Ballerini* id negant omnino quoad res furtivas, et quoad alia ut supra.

Quod leges civiles statuunt de possessione sive bona sive mala fide valere pro titulo, præsertim quoad res furtivas, mere pro foro externo deservit, ad præsumendum pro legitima possessione in ordine ad præscriptionem inducendam, uti etiam articulus 2230 codicis gallicani insinuat, merito ait *Ballerini, n.* 587, contra *Gury, Gousset* ac *Bouvier*, qui ait: *quod lex haberi uti justa debeat, propterea quod commercio, bono publico, et tranquillitati possessionum utilissima sit*. Tamen *Gury, n.* 589 ait: *Dispositiones juris civilis, in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt, pro foro interno non valent, et velut mera recursus, id est actionis contra alium denegatio sunt habendæ.*—Certum est, tales novas leges civiles esse contra jus romanum, et antiquos doctores. *S. Lig., n.* 515.

En España vendida ó enajenada una cosa raiz por el poseedor de mala fe, la prescribe por 30 años el comprador ó poseedor que tenga buena fe; y si el dueño lo supiese y no reclamase en 10 años estando presente, y en 20 ausente. (*Ley* 19, 21, *tít.* 29, *part.* 3.ª *S.* 15 *jun.* 1864, 65, 67, 68.—Segun la *ley* 7.ª, *tít.* 14, *part.*, 6.ª el poseedor de mala fe, sea con título ó sin él, adquiere tambien el dominio de alguna cosa raiz, por la prescripcion de 30 años. Dice así la ley: *Si aquel que há derecho en la herencia non la demanda á los tenedores della fasta 30 años, sabiéndolo ó podiéndolo facer, pierde por su negligencia el derecho que en ella avia, é gánala por tiempo el otro que la ovo.* (S. 4 octubre 1862, 25 enero 1867 y 7 abril 1898). Así está admitido por la jurisprudencia y por el Tribunal Supremo de Justicia segun *Elías*. La *ley* 21, *tít.* 29, *part.* 3.ª, dice que con 30 años puede ganarse la propiedad de una cosa con buena ó mala fe. (*S.* 4 *dic.* 1866).

Esta ruidosa cuestion tiene en su pro y contra leyes como la 21, 22 *y* 29, *tit.* 28, 29, *y* 19, *part.* 3.ª, *y la* 18, y sentencias del Tribunal Supremo de Justicia, como en 1860, 65, 66, 67, 68, y otros jurisconsultos y teólogos. Mas como para toda idea hay adeptos en esa tierra de miserias, creemos cumplir con nuestro propósito diciendo que no parece muy racional conforme al derecho y al Evangelio el asegurar del poseedor de mala fe, que en cada momento estaba en pecado mortal y cargado con el urgente deber de restituir para hacer cesar la injusticia, le llegue un momento en que la injusticia se le transforme en justicia, el robo en propiedad, la malicia en inocencia y lealtad.

Se alega la razon del bien comun en esa prescripcion. A lo que se podria responder si será de bien comun superior la ley de Dios que prohibe el hurtar y manda restituir lo hurtado; si será contra el bien comun el poner así un dique á todo trampista y perturbador de los derechos divinos y humanos; si será razon de bien comun el conceder pase á todo pillo que tenga paciencia para ocultar y conservar por 3 años cosas muebles y por 30 las inmuebles. (*Véase á Gut., l.* 3, *p.* 86 *á* 89, *Ballerini, n.* 587).

66. IV. Titulus dicitur *generatim causa propter quam aliquid possidemus.* Hic non de vero titulo agitur; nam tunc necessaria non esset præscriptio; sed de alio sufficiente titulo ad transferendum dominium, uti emptio, permutatio, donatio, et similia.

—*Quadruplex ex jure romano distingui solet titulus;* scilicet, *legitimus, coloratus, existimatus,* et *præsumptus;*—1.º legitimus est *qui nullo intrinseco vitio laborat;*—2.º *coloratus* qui *occulta laborat nullitate,* uti est rei alterius ex errore emptio;—3.º *existimatus* est, *qui prudenter interfuisse creditur, cum non interfuerit,* uti filius ex hæreditate rem aliquam possidens, quæ a patre empta putabatur, cum fuerit mutuata;—4.º *præsumptus* vero est *cum lex ob temporis diuturnitatem præsumit interfuisse*, uti evenit, in possessione 30 annorum cum bona fide: et multo magis in possessione temporis immemorabilis.—5.º Additur titulus *vitiosus*, qui aliqua conditione legali caret, et ad nil deservit. Porro ad præscriptionem aliquis semper ex tribus intermediis titulis requiritur; alioquin deesset bona fides. Unde axioma: *Melius est non habere titulum, quam titulum vitiosum.*

67. V. Tempus requisitum: quod in dies, et non in horas, computatur; et si in menses, hi sunt 30 dierum; et præscriptio habetur ultimo die completo.—Ex jure romano, et hispano *res mobiles* cum titulo et bona fide præscribuntur spatio trium annorum tam inter præsentes quam inter absentes. *S. Lig., n.* 506 *cum communi.* Immobiles decem annorum inter præsentes, et viginti inter absentes. *Lex* 18, *tit.* 29, *part.* 3.ª, *S. T. S.* 1860, 62, 64, 2 *dec.* 1870, *et* 14 *feb.* 1874. Triginta vero sine titulo, seu cum sola possessione et bona fide, (tam inter præsentes quam absentes) quam tunc præsumit lex. *Gut. t.* 3, *pag.* 8.—Dicitur præsens qui moratur in provincia, ubi sita est res immobilis: alias absens vocatur. *Lex* 19, *tit.* 29, *part,* 3.ª, *et S. T. S.* 27 *jan.* 1867.—Hæc provincia particularibus determinatur legibus. *Lugo, n.* 76 cum aliis absentes censent eos, qui, esto in eadem provincia, in diversis tamen locis degunt. Si quis autem partim fuerit absens, et partim præsens, anni absentiæ sunt duplicandi. *Anacl. n.* 24, *S. Lig., l.* 3, *n.* 508.

El término para la prescripcion, cuando no exige justo título, comienza á correr desde la fecha en que se inscribe la posesion en el Registro, y en la que requiere justo título desde que este sea inscrito. *Ley hipot. art.* 35.

En España con tres años se prescriben las acciones siguientes: 1.ª la que tienen para cobrar sus servicios ó salarios los que hayan servido á otros.—En Cataluña los salarios de toda clase de domésticos prescriben dentro un año, contando desde el dia que estuvieren fuera del servicio, á menos que constase su crédito por algun documento público ó privado. *(Const. de Catal., Const. 3.ª, tít. 2, lib. 7, vol. 1, Sent. del T. S. de J., 12 junio* 1862).—2.ª La que compete á los boticarios, joyeros y otros oficiales mecánicos, y á los especieros, confiteros y á otras personas que tienen tiendas de comestibles, por razon de lo que hubiesen dado de sus tiendas, y hechuras que hubieren hecho. (*Const. de Catal., Const. 4.ª, tít. 2, lib. 7, vol. 1*).—3.ª La que tienen los letrados, procuradores y solicitadores para pedir sus salarios, no habiéndose contestado sobre ello, antes que hayan pasado los tres años; *Ley 9.ª, tít. 11, lib. 10, Nov. Rec. y l. 9 y últ.*, la cual manda que no pueda renunciarse su contenido, y que si renunciare, no lo impida la renuncia.

Los tres años se cuentan en los sirvientes desde el dia en que hubieren sido despedidos por sus amos, y en los otros desde el dia en que recibieron lo que se les dió; para impedir esta prescripcion basta cualquiera peticion de la deuda, aunque hubiese sido extrajudicial. (*Ley 10, tít. 11, lib. 10 de la Nov. Rec.*). En Cataluña se halla dispuesto por las *leyes 1.ª y 3.ª del tít. 2, lib. 7, vol 1, del Código municipal*, que aquellos que estuvieren con otros en clase de domésticos y familiares no pueden despues de la muerte de los señores pedir salario, á no ser que probasen que les habia sido prometido en una cantidad cierta, y deben pedirlo precisamente dentro de un año despues que estuvieren fuera del servicio, presentando carta ó albaran de dicha deuda.

Previenen tambien las *leyes 4, 7 y 8* del mismo título, que las deudas de artistas ó menestrales, así de hombres como de mujeres, si no se pidiesen dentro de tres años, desde que fueron debidas, no pueden ya pedirse despues, ni formalizarse juicio sobre ellas, á menos que se tuviera carta ó albaran de las mismas;—que los boticarios deben reclamar dentro de dos años el pago de las medicinas que se les adeudan;—y que los abogados y procuradores no pueden exigir de sus clientes ni de sus herederos, aunque fuesen escritas de su mano en sus libros, salarios de conducciones, sino por tres anualidades vencidas. Esto mismo dispone en cuanto á los escribanos la *ley 3, tít. 12, lib. 4 del mismo vol. 1.º*

Está admitido por la jurisprudencia española que en materia de aguas debe respetarse la posesion, especialmente cuando es inmemorial; y procede por lo tanto contra lo pactado y designado en antigua escritura. *Elías t. 2, pág. 32, S. T. S. 30 jun.* 1860.

No puede ser privado del derecho de utilizarse de agua corriente sin ser vencido en juicio de propiedad, el que se hubiese servido de ella para regar, etc., por un dia ó una noche en aquel año sin ocultacion, violencia, ó mediante concesion precaria. Igualmente nadie puede ser privado de rehacer ó limpiar los caños para conducir las aguas de cuyo aprovechamiento se tiene posesion; ni las cloacas que alguien tuviese en terreno ajeno, aun cuando la existencia de aquellas fuese viciosa, por deberse á fuerza, ocultacion ó concesion precaria. *Ley 7, tít. 32, part. 3.ª*

En España tambien está prevenido que el derecho de ejecutar por obligacion personal se prescriba por 10 años; y que la accion personal y la ejecutoria dada sobre ella se prescriban por 20 años.—Cuando en la obligacion haya hipoteca, ó la obligacion sea mixta, á saber, personal y real, la deuda se prescribe por 30 años contados desde que puede ejercitarse la accion con arreglo al título inscrito segun el artículo 134 de la ley hipot. vig. *(Ley 63 de Toro, 5, tít. 8, lib. 11, Nov. Rec. S. 15 enero de* 1867). La prescripcion que no requiere justo título, no perjudica á tercero, si no se halla inscripta la posesion que ha de producirla. Lo mismo si requiere justo título, cuando este no se halla inscripto en el Registro. El tiempo de la prescripcion principiará á correr en uno y otro caso desde la fecha de la inscripcion. *L. hip. ref. art.* 35.

En Cataluña las cosas inmuebles se prescriben, ya sea entre presentes, ya entre ausentes, con título ó sin él, ya con buena, ya con mala fé, con treinta años. *(Ley 18 y 21, tít. 29, part. 3.ª—Us. omnes causæ, tit. 2, lib. 7, vol. 1, Const. Cat.)*

Enseñan comunmente empero los autores que por dicho usage solo se varió la disposicion del derecho comun en cuanto á las prescripciones de 10 y 20 años, igua-

lando éstas y extendiéndolas á 30 años, quedando en su pié las que requieren menor tiempo, y las que lo exigen mayor. *Vives, lib.* VII, *tit.* 1.

**Bona immobilia Ecclesiæ**, vel locorum piorum, et patrimonialium populorum 40 annis præscribuntur ex jure romano, et hispano; *Lex* 26, *tit.* 29, *part.* 3.ª, et 100 annis immobilia Ecclesiæ romanæ, seu S. Joannis Lateranensis. *S. Lig., n.* 509.—Pro mobilibus Ecclesiæ 40 annos requirunt, *Anacl., n.* 27, et *Panor.;* nam in textu juris canonici nulla fit distinctio.—Alii cum *Bon., Les., n.* 12, *Laym.* æque probabiliter, ait *S. Ligor.* triennio illa præscribi docent ex *Auth. quas actiones.* La *ley* 5.ª, *tít.* 11, *lib.* 2 *del F. R.*, exige tres años para las cosas muebles; 40 para las inmuebles; si fueren de la Iglesia romana, 100. *(Gat., p.* 88). Por tiempo inmemorial los patrimoniales de la corona. *Ley* 4, *tít.* 7.

Decimæ etiam cum bona fide præscribi possunt, si necessariæ sustentationi maneant; et requiruntur 40 anni cum titulo; sine titulo tempus immemorabile: sed laicus acquirere eas nequit præscriptione, cum incapax sit.

Præscribit etiam beneficium ecclesiasticum, aut ejus fructus possidens per tres annos, ex Cancellariæ regula relata in extensum aqud *Croix, l.* 4, *n.* 689; etsi titulus fuisset nullus, modo non intercesserit intrusio, aut ingressus simoniacus. *Croix, n.* 716, *Less., Sot., Nav.* contra *alios.* Item præscribit, si post simoniam superveniat titulus coloratus. Ad excludendum autem beneficiatum, simonia esse debet utrinque completa. *Croix, n.* 712.

Ingressus simoniacus est, si quis sciens simoniam a se vel ab alio tertio commissam beneficium ingreditur. Intrussio vero erit, si ipse se immittat in beneficium sine vera collatione, aut institutione, aut confirmatione, aut expeditione Litterarum Pontificiarum, vel si post excommunicationem, suspensionem, aut amotionem per sententiam saltem declaratoriam. *S. Lig., n.* 507. (V. t. I, n. 502).

Verius autem non præscribi potest missarum numerus, ac circumstantiæ in fundatione appositæ nec 20, nec 30, nec 40 annis, ut aliqui cum *Laym.* dicunt; quia Tridentinum interdicit illis oneribus derogari; et Pius VI Concilium confirmans, et S. C. C. 18 aug. 1845 declaravit irritum in posterum quod contra factum fuisset. Unde *Croix cum aliis communissime* dicit clausulam decreti irritantem etiam ignorantes ligare, et in causis beneficialibus titulum, ac possessionem inficere. (*V. S. Lig.*) Jus autem gallicum bona ecclesiastica ab aliis non discernit, saltem in foro externo limitat *Bouvier, c.* 2 *de just.;* reipsa civilibus legibus naturalia Ecclesiæ jura derogari, nisi penes paganos, non possunt. (*Ballerini, n.* 585).

68. **Præscriptio dicitur interrumpi** quando *intervenit aliquod impedimentum, tum naturale, tum civile, quod illam jam inchoatam extinguit.* 1.º *Naturale*, ut si quis a possessione, vel rei fruitione dejiciatur, sive ab anteriori ejusdem proprietario, sive a tertio, aut si mala fides superveniat; tunc de novo est incipienda possessio.—2.º *Civile*, si intervenit lis, vel injectio, aut sequestrum, vel denuntiatio coram judice, licet incompetenti.—Secus si condictio est injusta, vel nulla ex defectu formæ, vel si auctor a petitione recedat, vel si perimi sinat instantiam, vel petitio rejiciatur. *(Scavini, Less., n.* 49, *S. Ligor., n.* 511). Ita jus romanum.

En España se interrumpe *naturalmente* tambien la prescripcion, si el que prescribe pierde la posesion: mas en cuanto á la mala fé que puede sobrevenir hay que observar lo siguiente: La *ley* 12, *tít.* 29, *part.* 3.ª, establecio que la buena fé del poseedor debe existir en el tiempo en que se le entrega la cosa, á excepcion de

cuando la reciba por compra; que entonces es menester haberla tenido tambien al tiempo de perfeccionarse el contrato.—Sin embargo, *Greg.*, *Lop.* y otros intérpretes, á tenor de lo dispuesto por el derecho canónico, *cap. ult. de præscrip. de las decretales de Gregorio IX*, sostienen que la buena fé debe durar todo el tiempo de la prescripcion.

Se interrumpe *civilmente;* sobre lo cual conviene notar que si bien algunos autores afirman que para dicha interrupcion es preciso haber contestado el poseedor al pleito movido sobre la reclamacion de la cosa, las *leyes* 2.ª *y* 3.ª *del Cod. de annali except. y la* 29, *tit.* 29, *part.* 3.ª, que citan en su apoyo, no exigen la contestacion al pleito, sino simplemente la presentacion de la demanda, y nuestro derecho reconoce tambien la citacion extrajudicial; (pero no una simple carta, S T. S. de 1 mayo de 1861, 21 jun. de 1862, y 21 enero de 1865, *Gutierrez, pág.* 119).—Por sentencia del Tribunal Supremo de Justicia se halla establecido que la conciliacion seguida de la demanda interrumpe la prescripcion. Tambien se interrumpe la posesion por la ausencia en el servicio militar por causa pública, ó en hueste de aquel contra quien se intenta. *Ley* 28.

69. Q. *Quando dicitur suspensa præscriptio seu dormire?*

R. *Cum ei objicitur impedimentum ne ultra procedat;* quod accidit 1.º dum judicia exerceri nequeunt; uti tempore belli, pestis;—2.º contra Ecclesiam dum rectore seu superiore caret;—3.º contra pupillos absque tutore, toto tempore quo pupilli sunt, neque inchoari, neque continuari potest. Quoad minores, si præscriptio fuerit inchoata contra anteriores possessores currere potest tricennalis præscriptio, non vero temporis ordinarii; *Lex* 9, *tit.* 19, *part.* 6.ª;—4.º contra filios familias respectu bonorum adventitiorum; uxorem, marito vivente; item contra amentem, et contra quemlibet, qui jus suum prosequi nequeat, vel quia absens est possessor. *Sic varia jura* sive romanum, sive hispanum. Tunc dormire dicitur. Sed finita causa propter quam dormiebat, iterum reviviscit inchoata præscriptio, et posteriores anni cum prioribus computantur, relictis iis, quibus dormiebat. *(Scavini, Bill., Gury,—Ley* 29 *y* 30.)—Cessare item potest præscriptio per renuntiationem tacitam, vel expressam, si potestatem alienandi habet renuntians. Tamen si adsint quibus interest, præscriptio adhuc opponi potest; cum hæc sit jus reale. *(Scavini, n.* 363).

**Prescripcion en Aragon.** Los bienes raices se adquieren por 30 años y un dia sin necesidad de titulo alguno en los casos extraordinarios, pero se requiere titulo justo y buena fé para la prescripcion comun. S. T. S. 11 dic. de 1864 contra la controversia entre los jurisconsultos.—Por 3 años el terreno que uno roturó, plantando viña, y el reclamante estuvo en el pueblo varias veces, sin que le prohibiese ante testigos el cultivarla.—Por un año la posesion de los bienes de una heredad obtenida sin contradiccion legítima, contado desde que se supo públicamente en el lugar, donde radica, la muerte de su legítimo poseedor.—Por dos meses el derecho de retraer la cosa vendida judicialmente desde la fecha de la venta.—El solar antiguo ajeno en que uno abre cimientos y edifica, prescribe, siendo ya las paredes de tres hiladas y ha formado portal.—El área de un molino harinero destruido sobre el cual se ha levantado otro nuevo, se prescribe al servir este para su destino. *Fuero* 3, 5, 6, 30 *de præscript.*

Los bienes muebles prescriben por *usucapion* en tres años. No son necesarios la buena fé y el justo título dice *Elías.*—Por la prescripcion inmemorial se adquiere el derecho de pacer y abrevar ganados, el de corralizar, leñar, y el de servidumbre de pozo. *Obs.* 3.—La interpelacion judicial y extrajudicial interrumpe la prescripcion; mas no el pleito vencido, ni la mujer obrando sin licencia de su marido. *Fuero* 1.

**Prescripcion en Navarra.** Las cosas prescriben por 20 años entre presen-

tes y 30 entre ausentes con justo título y buena fé. Se interrumpe con la sola citacion ó notificacion de dichos años. — Por 40 años de posesion sin título, pero con buena fé se prescribe una heredad.—Para que quede esta prescripcion interrumpida es necesaria la contestacion á la demanda.—Por tres años obtiene la prescripcion el que plantare y labrare viñas segun las condiciones para Aragon. *L.* 1, 2, 8 *y* 9, *tit.* 37 *y* 4, *lib.* 2 *y* 4 *de la Nov. Rec. de Nav., etc.*

En Vizcaya rige un fuero especial y no existe la prescripcion como medio de adquirir el dominio y otros derechos, y sí solo como medio de liberacion del dominio y de extincion de acciones. *S. T. S.* 28 *nov. de* 1864.

---

# CAPUT XV.

## De usufructu, et usu.

70. Ususfructus est *jus percipiendi fructus ac utendi simul rebus alienis, salva tamen earum substantia.*—Ususfructus acquiritur *lege*, ac *hominis voluntate;* et dicitur *legalis*, vel *conventionalis.*—*Legalis* constituitur 1.° in favorem patris in bonis adventitiis filiorum;—2.° in favorem conjugis in bonis uxoris, ut supra;—3.° per auctoritatem judicis in judiciis partitionis hæreditatis;—4.° per præscriptionem.—*Voluntate hominis* constituitur vi conventionis, testamenti, donationis, et usus. Ita jus romanum, et hispanum. (*Ley* 30, *tit.* 31, *part.* 3.ª, *y ley* 10, *tit.* 15, *part.* 6.ª)

71. Usus est jus *utendi aliena re, salva ejus substantia materiali, ac formali.* Constituitur regulatur ac extinguitur eodem modo, quo ususfructus. *Usuarius* jus habet utendi, ac percipiendi a re sibi in usum tradita, quæ ad usum quotidianum sibi, ac familiæ necessaria sunt, non exclusis filiis nasciturís, (etiamsi tempore, quo usum acquisivit, conjugatus non fuerit), hospitibus, et conviviis. *Ley* 5, *tit.* 31, *part.* 3.ª) Porro hæc necessitas metienda est juxta conditionem, statum et dignitatem usuarii, ejusque familiæ.—Illud tandem ad *usum quotidianum* non sic intelligi oportet, ut aliud non liceat, quam quæ singulos in dies sufficiant. *Recte quippe*, ait Dettori, *simul ac semel accipit (usuarius), quæ sibi in annum necessaria sint, quamvis universos parvi fortasse prædictos fructus inde absumi contingat.* (Scavini, p. 676).

Onera usuarii sunt: 1.° Rem integram diligenter proprietario servare, neque in melius eam immutare potest; nam non habet jus ea utendi, nisi salva ejus substantia.

2.° Fructus tantum percipere, qui cum usu conjuncti sunt et proportionati; quia solus usus ei conceditur. Sic si usuarius ab initio anni acceperit quæ sibi necessaria sunt per reliquum annum, et ante anni finem decedat, ille vel hæredes restituere debent id quod superest.

3.° Tenetur pro ratione fructuum ad modicas refectiones, ac ordinaria tributa; sic qui partem domus habitat, ei soli parti respondentia solvere tenetur.—Unde non potest jure suo uti, nisi inventario bonorum confecto.—Et cautionem præstare debet re bene utendi.

4.° Non potest fructus alienare, et extraneis elargiri; neque alteri locare, vendere, aut donare jus suum; ad suum quippe tantum usum conceduntur. Excipe si clare aliter res appareat; nam usus ab ipsa con-

ventione primum sustinetur. (*Leyes* 20 *y* 21, *tit.* 31, *part.* 3.ª).—El que tiene derecho de habitacion puede conceder á otro habitacion en ella, mientras la ocupa, y puede alquilar ó ceder á otro la parte que él no puede ocupar, y recibir huéspedes. (*Inst.* § 5, *de usu et habit.*) (*Ley* 21).

—El que tiene el uso de un ganado, puede tomar de aquel la leche, fetos, lana que necesita, y servirse del mismo (*Ley* 21, *tit.* 31, *part.* 3.ª), mas no para vender ni dár.

— Usus et ususfructus dividitur in *proprium*, et *improprium.*— 1.ˢ constituitur in rebus, quæ usu non consumuntur, uti sunt *domus, hortus.*—2.ˢ autem in rebus fungibilibus, uti *oleum, vinum*, et dicitur quasi ususfructus, ratione juris illis utendi cum onere ea reddendi.—Si usus, vel ususfructus versatur circa omnia bona, dicitur *universalis;*—si in aliquod in specie, *singularis* vocatur;—si vero in aliquam bonorum partem, *particularis;* si cum aliqua conditione, vel ad talem diem, dicitur *conditionalis;* aliter *purus* dicitur. Ususfructus est divisibilis: sic si tres fuerint vocati, inter ipsos dividi debent fructus: uno eorum moriente, ejus pars cæteris accrescit. *L.* 1 *et* 2, *D. de usufr. accresc., tit.* 2, *lib.* 7.

72. Q. *Quid venit nomine fructuum, et quotuplicis generis sunt fructus?*

R. Nomine fructuum generatim *venit omne, quod res producit, et est in hominum patrimonio.*—Fructus dividuntur in *naturales, industriales,* et *civiles.*—1.º Naturales sunt, *qui ex solius naturæ beneficio producuntur*, uti *herba, arbores, nuces, animalium lac, fetus, lana,* et *stercora...* —2.º Industriales, et mixti sunt, *qui partim a natura, partim ab industria habentur*, uti *oleum, vinum, segetes, frumentum, caseum...* (L. 45 *de usuris et fruct.)*—3.º Civiles, *qui occasione rei proveniunt,* uti *pretium domus locatæ, pensiones fundi,* vel *aliæ quæcumque*, et *usuræ pecuniæ mutuatæ.* (Ita etiam jure hispano. *L.* 25, 26 *y* 39, *tit.* 28, *part.* 3.ª, *etc.)*— Fructus *naturales*, et *industriales* subdividuntur in *nascituros*, et *natos:* isti in *pendentes*, si nondum percepti sint; et in *perceptos*, seu collectos, si a solo, vel a re separati jam fuerint: et isti in *extantes*, et *consumptos*.

73. **Jura usufructuarii** sunt: I. Jus habet percipiendi, sive per se, sive per alios, omnes fructus tum naturales, tum industriales, tum civiles, eosque facere suos, ac pro nutu suo de ipsis disponere; usufructuarius siquidem dominium utile habet, ac velut proprietarius circa hos agere censetur.

II. Item fructus naturales, et industriales ab initio ususfructus pendentes ad ipsum spectant; et reciproce si moriatur, vel discedat ante fructuum maturitatem, eorumque collectionem ad proprietarium, vel successorem, v. gr. beneficiarium, pertinent. In utroque casu fructuum perceptor solvere debet sumptus factos propter fructus nondum collectos. *L.* 7, *D. solut. matr., tit.* 3, *lib.* 24, *Elias, l.* 2, *pág.* 276.—(Excipe mariti usumfructum circa dotem uxoris, ob quem fructus sive collecti, sive pendentes inter virum, et mulieris hæredes dividuntur juxta matrimonii durationem. *Lex* 26, *tit.* 11, *part.* 6.ª)—Unde si hæres prædicti usufructuarii jam morituri fructus immaturos collegerit, ipsos proprietario, vel successori restituere devincitur; siquidem neque ipse usufructuarius illos colligere valebat.—Fructus vero civiles de die in diem acquiruntur; proindeque pro temporis rata, quo ususfructus duravit, dividendi sunt. Tamen hi fructus ex terræ ipsius ususfructus conductione juxta regulam

naturalium, et industrialium acquiruntur; annui quippe redditus pro fructibus sumuntur. Lex 25, *D. de usufr. et quem. tit.* 1, *lib.* 7.

Usufructuarius colligere valet fructus non perfecte maturos, cum utilius sit non amplius expectare, vel adsit talis consuetudo, ut in olivis, feno, et sectilibus silvis.

III. Ususfructus rerum fungibilium onus inducit eas restituendi, finito usufructu, in eadem quantitate et qualitate. In aliis vero, quæ usu paulatim deteriorantur, uti vestes, et supellectilia, sufficit, ut usufructuarius proprietario illa reddat eo statu, quo reperiuntur finito usufructu, nisi dolo, aut culpa ejus fuerint amplius deteriorata; tunc juxta culpam restituere deberet.—Qui animalium usumfructum habet, eorum fructibus ac utilitatibus uti valet, prout ageret ipse proprietarius.—Quoad venationem, et piscationem eadem jura habet usufructuarius, ac proprietarius. Ita *jus hispanum*.

IV. Usufructuarius in sectilibus silvis cædere potest certam lignorum portionem, etiam ad vendendum, quam nempe cædere solet proprietarius. Item circa fodinas, ac lapidicinas, sicut facere valet ipse proprietarius. Potest insuper fructus vendere, locare, aut donare, vel alteri cedere, ac pignerare. Tamen jus ususfructus alteri transferre nequit, nisi conditionaliter, licet de omnibus commodis participem facere valeat. Lex *hypot. art.* 105, *S. T. S.* 16 *april.* 1859, et *leges variæ.*—De monte, seu de aliis silvis, tantum tollere potest quod indiget ad usum et reparationes hæreditati necessarias. L. 10, § 7, *D. de usufr...*—De vineis, olivetis, et aliis arboribus tollere sibi potest naturaliter mortuas, cum onere alias in earum loco plantandi; nam avulsæ a ventis, vel casu proprietarii sunt; aut eas auferre debet, si usufructuario sint impedimentum. L. 22, *tit.* 31, *part.* 3.ª, L. 18 *et* 59, *D. de usufr....* Usufructuarius jus habet etiam ad incrementa rei propter naturalem accessionem; item vendere potest arborum plantaria, sed alias plantando, ita ut plantarium conservetur in eodem statu, quo id accepit.

V. Jus habet usufructuarius in ea omnia, sine quibus ususfructus haberi nequit: 1.º jus itineris ad rem fructuariam per fundum hæreditarium, si aliunde aditus non pateat;—2.º jus utendi servitutibus omnibus fundo inhærentibus, quæ velut qualitates fundi ipsius habentur;—3.º jus in singula fundi instrumenta, nisi aliter appareat testatoris voluntas;—4.º jus utendi mediis, quibus usumfructum tueatur, tum adversus usumfructum impedientes, tum in eos, qui injuste fructus perceperint, ut ipsos restituant. Proprietarius nil facere potest, quo deterior fiat usufructuarii conditio; quia patitur frui. Ita etiam jus hispanum.

74. **Onera usufructuarii sunt:** I. Initio ususfructus fieri debet inventarium rerum mobilium ac descriptio immobilium, quæ in usumfructum cedendæ sunt, non obstante quavis testatoris dispositione.—Insuper cautionem præstare de *bene utendo,* etsi non quoad ususfructus validitatem, sed quoad proprietarii onus tradendi fructus (S. 7 nov. 1859), nisi eum dispenset lex, vel titulus, ex quo ipse ususfructus dimanat: sic lex dispensat patrem, et matrem circa usumfructum in bonis filiorum; ita venditorem, et donatorem, si contractus sub reservatione ususfructus sit initus.

II. Uti rebus tam mobilibus quam immobilibus debet tanquam bonus paterfamilias, ut ea proprietario restituere possit in illo statu, ac

forma, in quibus ea accepit. Item solvere tenetur tributa, salaria, census, et alia onera ordinaria; reparationes item ordinarias seu puræ conservationis peragere, abusus ac damna præcavere. (*Ley* 22, *tit.* 31, *part.* 3.ª). Sed locatarios, et conductores ibi inventos conservare non tenetur sine pacto expresso. (*L.* 59, *tit.* 1, *D. de usufr.*). Quoad cæteras reparationes sumptum facere de suo debet proprietarius; nisi ob usufructuarii incuriam quoad res conservatorias evenerint detrimenta. Tamen reædificare quod ob antiquitatem cecidit, alteruter non tenetur. (*L.* 7, § 2, *D. de usufr... tit.* 1, *lib.* VII.)

El usufructuario de heredad, viña ó huerta, debe atender á su cultivo, y reparar con otras nuevas las vides y los árboles que se sequen; pero no está obligado á sustituir los arrancados por la tempestad. (*Ley* 59).— El usufructuario de un rebaño está obligado á reponer las reses muertas con otras que nazcan: si no nacen con ningun deber carga; lo mismo si el usufructo consistiera en un determinado número; pues se presumen en este caso tantos usufructos como cabezas, y muerta una se extingue el usufructo de ella. En este caso los despojos pertenecen al propietario, y en el primero al usufructuario. (*Gut.*, *p.* 611).—Si el rebaño perece sin culpa del usufructuario, por efecto de un contagio ú otro acontecimiento comun, cumple con entregar al dueño los despojos. El usufructuario universal debe satisfacer las deudas hereditarias juntamente con el propietario; y las testamentarias, v. gr. un legado de renta vitalicia, ó una pension por alimentos, deberá pagarla por entero el usufructuario.—Si el usufructo es particular, el usufructuario no está obligado á pagar las deudas, aunque la finca estuviere por ello hipotecada; y si se embargare ó vendiese, deberá el propietario indemnizarle de los perjuicios.—Los gastos de pleitos sobre el usufructo corren á cargo del usufructuario, y debe avisar al propietario cuando se perturben sus derechos. Al concluirse el usufructo no puede reclamarse cosa alguna por razon de las mejoras hechas por el usufructuario, ni pueden arrancarse si estuviesen fijas á la cosa; pero si reivindicarse separadas que estén. *L.* 15, *D. de usufr.*

75. **Cessat ususfructus** ex jure romano, et hispano 1.° *morte naturali* usufructuarii, non vero civili, uti deportatione, præsidio; quia istam non recognoscit jus hispanum.—Si vero collegio, vel civitati relictus sit, extinguitur elapsis 100 annis, ex jure romano, et hispano. (L. 56, *de usufructu*).—2.° *Finito tempore constituto.* Si vero concessus sit usque dum talis persona ad talem perveniat ætatem, et ante moriatur, perseverat tamen ususfructus usque ad præfixum tempus. (L. 12, *Cod. de usufr. et hab.*).—3.° *Consolidatione*, et *renuntiatione;* tamen si hæc fuerit fraudulenta, invalidari poterit a parte læsa. Rei venditio nullam inducit variationem in juribus usufructuarii. L. 9. *D... usufr.*—4.° *Abusu,* quo res deterior fiat culpa utentis.—Item *non usu* neque per se, neque per alios, spatio ad præscriptionem determinato, si interim utatur proprietarius, nempe decem annis inter præsentes, et viginti inter absentes.—5.° *Totali rei-interitu*, v. gr., domo diruta, agro alluvione inundato; quia ususfructus est jus in corpora.—Si partialiter tantum res pereat, sustinetur in parte remanenti.—Item *resolutione* juris illius, qui usumfructum constituit. (*Inst. lib. II, tit.* 4, *n.* 3.—*Leyes* 22, 25 *y* 26, *tit.* 31, *part.* 3.ª—*Ley* 3.ª *tit.* 8, *part.* 5.ª—*Ley* 15, *tit.* 8, *part.* 4.ª, *etc.*).

Añádese aquí que por derecho español el padre pierde el usufructo legal que tiene en los bienes adventicios del hijo: 1.° si entrare y profesare en alguna religion;—2.° si por disipador se le quitase la administracion de los bienes del hijo;—3.° si por algun delito se le impusiere la pena de presidio, etc.;—4.° si fuere emplazado por edicto en virtud de algun delito y condenado en rebeldía;—5.° si emancipare al hijo,—y 6.° si el hijo contrajese matrimonio.

Si pater permittat filio e sua domo discedere, non censetur prædictum usumfructum remittere, nisi dimittatur filius ad quærendum sibi *victum*, vel nisi filius, vidente, et tacente patre, fructus expendat. *Lugo, n.* 27, *etc.* Secus ususfructus peculii adventitii erit patris quandiu vivit, etiamsi filius exierit a patria potestate, nisi electus sit ad magnam dignitatem, v. gr. si fiat Episcopus, Cardinalis, præfectus urbis majoris, regius consiliarius, magister militum. *Lugo, n.* 24, *Salm., n.* 128, *S. Lig., n.* 488.

---

# CAPUT XVI.

## De servitute.

76. **Servitutis et libertatis** nomina tum personis tum rebus aliquando conveniunt, cum discrimine quod persona dicitur *serva*, si dominum habet; res autem *libera*, si dominum unum solum habet: si vero *alteri* etiam domino servire debeat, tunc res dicitur *servire*, vel servitute ligata.—Quo sensu definitur servitus: *Onus alienæ rei impositum, in usum et utilitatem alterius.* Unde servitus est *jus* et *onus*.

**Divisio.** Distinguuntur servitutes ratione *originis, objecti*, et *modi*.

I. Ratione originis alia est *naturalis*, alia *legalis*, et alia *conventionalis;* 1.ª est *quæ oritur a locorum dispositione*, uti fundus in situ inferiori, qui recipere tenetur aquas effluentes e fundo superiori:—2.ª *quæ emanat a lege, aut præscriptione*, v. g. regulæ domorum, viarum, murorum, aquarum directionem, arborum plantationes respicientes, *vel judicis sententia* in judicio partitionis hæreditatis, vel communium bonorum:—3.ª *quæ ex mera conventione fundorum, vel ædium vicinarum proprietariorum originem ducit.*

II. Ratione objecti est *personalis, realis*, et *mixta;* etsi moderni quoad nomen hanc divisionem omittant, in praxi eam sequuntur. *(Rogron.)* 1.ª est *quæ a persona debetur personæ*, uti mancipii erga dominos: hæc hodie fere ubique dempta est:—2.ª quæ *a re debetur rei*, et dicitur *passiva*, sionus prædio in utilitatem alterius prædii sit impositum: *activa* vero, si jus prædio inhæreat, ut alterum sibi deserviat:—3.ª quæ *a re debetur personæ*, uti usus, ususfructus, habitatio. Servitus erit *rustica*, vel *urbana;* prout inhæret *prædiis seu fundis, vel ædificiis quibuscumque.*

III. Ratione modi: 1.º est *continua*, vel *discontinua*, prout durare potest absque hominis opere, ut est servitus aquæductus, et omnis servitus realis; vel sine eo exerceri nequeat, uti aquam ex puteo haurire, ac servitus itineris per fundum:—2.º est *apparens*, et *non apparens*, prout exteriori signo aperte declaratur, uti janua, fenestra, aquæductus; vel tali caret signo, ut prohibitio ædificandi, et omnes servitutes negativæ:—3.º *positiva* vel *affirmativa*, et *negativa*, prout facultatem concedit aliquid agendi in prædio serviente, v. g. iter, aquæductum etc., vel in proprio quod alioquin vicinus impedire posset, v. g. fenestras aperire super alienum prædium, aut obligat ad aliquid faciendum, ut aquæducti constructionem; vel omittendum, uti ædificii elevatio.—Son susceptibles de servidumbre las cosas inmuebles, con tal que no sean sagradas, religiosas y santas, ó públicas y comunes, como las

plazas, edificios, etc. Las servidumbres se constituyen por contrato, testamento, uso y prescripcion. *S. T. S. de 27 dic. de* 1871. Así en España.

Las servidumbres de predios sirvientes y dominantes para que sean atendidas en el tribunal deben estar inscritos en el Registro.

77. **Jura servitutum** generatim loquendo pendent a *natura rei*, a *lege*, vel *conventione*. Hæc præcipue statuuntur: 1.º qui *active* jus ad servitutem habet, omnia perficere potest necessaria ad ea utendum, et ad illam servandam;—2.º si fundus dividatur, ad cujus utilitatem constituta est servitus, hæc cuique parti istius fundi debetur; nam servitus amoveri nequit a re, in qua est posita. (*Ley* 24 *de serv., tit.* 2, *lib.* 8) Et est indivisibilis quoad jus, etsi sit divisibilis quoad utilitatem inde exurgentem, seu procurandam;—3.º dominus prædii servientis nihil agere valet, ex quo minui possit servitutis usus; et vicissim is, cui debetur servitus, nil facere potest, unde gravior fiat conditio prædii servientis. Hinc facere aggerem nequeunt, ut aquæ superioris prædii non amplius per fundum inferiorem defluant; vel aliquid agere, ut aquarum fluxus insolite augeatur; neque mutare positionem viæ, rivuli, etc., unde servitus gravior evadat, aut impediat, quominus reparationes prædio utiles fiant. Ita postulat æquitas naturalis, cui etiam consonant jura.

Unde qui agros ad ripas fluminum navigabilium possident, obstare non possunt, quominus aperiatur via ad navigiorum cursum necessarium.—Item qui jus habet a puteo, fonte, lacu vel stagno aquam hauriendi, vel in eo gregem adaquandi, vel eo jure usus fuerit per unius anni spatium, absque vi, fraude, aut perutili concessione domini, impediri nequit ipso uti. Ita jure etiam hispano. Idem dic de iis, quorum prædia viis, aut aliis publicis operibus adjacent, quoad operum confectionem et reparationem : at semper dominus læsus jus habet ad damnorum satisfactionem.

Los autores españoles apoyados en las leyes enumeran varias especies de servidumbres, entre las que figuran: 1.ª *La servidumbre de apoyar la casa ó columna sobre la columna ó casa del vecino. Ley* 2, *tít.* 31, *part.* 3.ª, *etc.* pero si el edificio se ha derruido, y no se restaura, se presupone que el dueño renuncia á su derecho; lo cual basta para la prescripcion ó extincion de la servidumbre. (*Gut., p.* 567).—2.ª *De horadar la pared para meter en ella las vigas del edificio propio*, (*Ley* 2) *y otros para la construccion de un edificio,* segun los intérpretes de la ley. La convencion es la ley en este caso. (*Gut., p.* 567).—3.ª *De avanzar la obra sobre el predio del vecino* : 1.º de sacar sobre cierta área, sin descansar en ella, alguna parte del edificio del vecino: 2.º de tener saliente sobre nuestra área el tejado de la casa del vecino para evitar que la intemperie cause daños á su edificio. Se necesita alguna de estas servidumbres para hacer el menor avance sobre el solar ajeno.—4.ª *De luces;* segun la que nadie puede abrir ventana en pared medianera sin licencia del condueño. (*Ley* 4.ª, *Dig.)* En pared propia, el dueño puede abrirla, si el paraje por el que ha de tomar las luces le pertenece, ó está destinado á uso público. (*Ley* 8, *Cod.).* Establecida la servidumbre, no puede edificarse sin dejar patio, cuya extension varía desde 8 á 9 piés, y de 15 á 20 segun la localidad; (empero esto no tiene lugar si la obra levantada descansa sobre la mitad de la pared medianera divisoria, bajo cuyo concepto puede levantarse la obra del *suelo al cielo. S. T. S.* 6 *marzo de* 1875.) No existiendo ésta puede el dueño construir sobre su fondo con absoluta libertad, sin cuidarse de las luces que en su pared tiene abiertas el vecino, tapándolas de todo punto, si le fuere preciso, á no ser que por escrito y verdadero título de servidumbre hubiese renunciado su derecho. *(Gut., p.* 569).—5.ª *De vistas: quod in prospectu plus quis habet, ne quid ei officiat ad gratiorem prospectum et liberum... Prospectus etiam ex inferioribus locis est. (Leyes* 15 *y* 16). Las vistas pueden ser derechas y oblícuas, segun se encuentren en pared paralela ó perpendicular á esta línea. Si la pared divisoria de los dos predios es medianera, el

uno no puede abrir ventana sin el consentimiento del otro; no siendo medianera, puede el dueño abrir las ventanas que quiera, siempre que el predio del vecino se encuentre á alguna distancia; segun el proyecto de Código, 6 piés en las vistas rectas y 2 en las oblicuas. —6.ª *De no levantar mas que hasta cierta altura el terrado;* etc., la que se puede entender, dejando los varios pareceres entre otra ley opuesta á esta, segun dice *Parladorio: Manifeste deducitur ex hac servitute altius tollendi officii, ut vicinus, qui servitutem debet, non possit altius tollere* (Rev. quot., c. XV, n. 3); pero sí el vecino á quien se debe la servidumbre. *S. T. S.* 26, *dic.* 1874.—7.ª La *de echar las aguas al predio vecino, ya sean conducidas por canal, caño ó de otra manera.* Esto dice que sin convenio ó servidumbre no puede un propietario echar las aguas, ni aun pluviales, sobre el tejado de otro. Así segun el proyecto de Código y la ley de Partida. (Véanse las ordenanzas y usos locales sobre esto). Puede imponerse servidumbre forzosa de conduccion de aguas para servicio público, establecimientos, fábricas, baños, riego, desecacion de lagunas, escorrentías de interés privado; mas no para jardines, huertos y edificios. Pero siempre sin perjuicio de tercero en los casos permitidos. *Ley de* 3 *agosto de* 1863.

78. **Cessat servitus.** 1.º *Elapso tempore statuto*, vel impleta conditione.—2.º *Renuntiatione proprietarii* expressa, vel tacita, quæ ex aliquo facto deducatur. Ita ex jure romano, et hispano. *(Lex* 17, *tit.* 34, *part.* 3.ª) —3.º *Consolidatione prædiorum* dominantis, et servientis in uno domino. —4.º *Destructione*, vel si amplius non inserviant servitutes, ut si fons, e qua descendebat aqua, exarescat; si decidat paries, in qua jus habebatur fenestras aperiendi... Tamen si res ad pristinum reducatur statum, reviviscunt servitutes, nisi obstet præscriptio.

Las servidumbres *pasivas urbanas* prescriben por el no uso de 10 años entre presentes y 20 entre ausentes, con tal que el dueño del predio sirviente recobre la libertad por algun hecho, como cerrando la ventana por donde entraba la luz.—Las *rústicas* por el no uso de 20 años sin diferencia de presentes y ausentes, siendo contínuas; y por el no uso de tiempo inmemorial las discontínuas, esto es, que exceda á la memoria de los hombres mas ancianos. (S. 13 enero 1860, 23 junio 1862, 12 junio 1866). (L*ey* 16, *tit.* 31, *part.* 3.ª)

1.º Las servidumbres *positivas contínuas* se adquieren sin título por la prescripcion, usándose con buena fé de ellas 10 años entre presentes y 20 entre ausentes. Las *discontínuas* se prescriben con su uso ó posesion inmemorial. *Ley* 15, *tit.* 31, *part.* 3.ª, *S. de* 25 *octubre de* 1866, *S. de* 14 *abril de* 1874. – 2.º Las *negativas* aunque sean contínuas, se prescriben, mediando un acto prohibitivo del dueño de un predio, de que el vecino haga en él obra alguna en perjuicio suyo, y el consentimiento de la prohibicion en el vecino por el tiempo necesario para la prescripcion. *S. de* 6 *marzo de* 1875 —Las *civiles*, como censos, multas y toda deuda, se extinguen por el tiempo de 30 años con buena fe. *Lugo, Gury, n.* 584. En Cataluña las servidumbres *positivas* se adquieren sin título por la prescripcion de 30 años, y las *pasivas* prescriben por el no uso de las mismas por igual tiempo.—Las acciones todas prescriben con el transcurso de 30 años, aun cuando falte título y buena fe. *Usat. omnes causæ, tit.* 2, *lib.* 7, *vol.* 1 *del Cod. municipal.*

**Tempus currit** in discontinuis a die, quo aliquid contra illas actum est; v. gr. si fundus mihi dat servitutem aquæducti, et proprietarius eum amovet; præscriptio eo actu incipit, et si per 30 annos sileo, periit meum jus. Idem dic de fenestris, quæ proprietatem vicini mei aspiciunt; si occludere eas facio, et sic per 30 annos maneant. *Lex* 16, *tit.* 34, *part.* 3.ª— Tamen in genere tempus præscriptionis currere non incipit nisi quum dominus prædii agit in alieno, istius domino consentiente, aliquid, quod huic impedit ejus juris exercitium in ejusdem proprietate. *S. de* 6 *mayo de* 1875. —In *affirmativis* generatim incipit præscriptio eo die, quo quis tali

jure bona utitur fide, et dominus tacet.—In *negativis* vero incipit ea die, qua dominus prohibet, vel impedit alterum, ne quid agat; vel ne vicinus suum jus exerceat. (*Vallen., Part. jur. can., lib.* 11, *tit.* 26, § VI, *L.* 6, *D. de servit. prœd. urb., tit.* 2, *lib.* 8).

Tamen ad acquirendum præscriptione jus servitutis, v. g. aquæducti, et viæ per alienum fundum, præscribens exercere debet actus positivos, et simul bonam habere fidem, qua credat jus illud sibi pertinere. (Secus dic de servitutis liberatione per præscriptionem).—Nec sufficit scientia, et tolerantia illius contra quem præscribit, si titulum non habet.—Si vero titulum habet, hujusmodi scientia non requiritur. *Gury.*

En España la servidumbre de recibir las aguas pluviales de un terreno superior, al igual que las demás servidumbres naturales y necesarias, no prescribe por tiempo alguno. (*Resolucion del Consejo de Estado en sentencia de* 19 *enero de* 1861). Empero, en cuanto al aprovechamiento de ellas se da la preferencia al dueño de los terrenos superiores, si el inferior no tiene título especial. L. 3, *tít.* 28, *part.* 3.ª

**Aragon.** Las servidumbres contínuas se adquieren por la prescripcion de 10 años entre presentes á ciencia y paciencia del dueño del predio sirviente, y de 20 años entre ausentes. Lo mismo sucede con las discontínuas, si el prescribiente tiene titulo; en otro caso solo se adquiere por la posesion inmemorial.—Las servidumbres de pastos, lana y abrevadero, pueden adquirirse sin título por prescripcion inmemorial. *Obs.* 7 y 9 *de præscrip., lib.* 2.

# TRACTATUS NONUS.

# DE CONTRACTIBUS.

## DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

## CAPUT I.

### De natura, divisione, et materia contractus.

79. **Contractus stricte** *sumptus* est *duorum vel plurium in idem consensus, obligationem pariens in utraque parte.* In hoc distinguitur a contractu *late* sumpto, vel *quasi-contractu*, qui vel nullam, vel unilateralem, vel saltem non stricte talem ex utraque parte obligationem parit, uti in *deposito,* et *pignore.*

**Divisio:** *Multiplex* est contractus: 1.° *bilateralis,* et *unilateralis*, prout obligationem parit in alterutra, vel in utraque parte.—*Bonæ fidei,* et *stricti juris*, prout ex benigna æquitate ac generositate sumitur, ut commodatum, depositum, emptio, venditio, locatio, conductio, etc., vel ex rigore verborum, ut donatio scripta, mutuum, census. *Ballerini n.* 754.—*Gratuitus,* et *onerosus*, prout mere gratuito quis alteri aliquid tribuit, ut legatum; vel necessario et stricti juris, ut in venditione peracta. Hæ tres species inter se fere conveniunt.

2.° *Commutativus,* et *aleatorius:* 1.s est, si unus in una specie dat rem, et alter in æquivalenti, aut in diversa specie:—2.s vero est, cum unus rem dat, alter tantum spem probabilem dandi, quæ falli potest, sicut aleæ.

3.° *Formalis,* et *virtualis,* prout expressum contrahentium habet consensum, vel nonnisi tacitum; v. gr. in eo, qui ex acceptione alicujus officii tacite suscipere censetur obligationem justitiæ onere illo bene fungendi, uti in parocho, medico, et advocato evenit.

4.° *Vestitus,* et *nudus:* 1.s est qui legis formam induit, ut in foro externo actionem pariat; v. gr. conventiones cum scripto, vel coram testibus; ac etiam in hisce duobus, nempe, in nudo pacto donationis, aut dotis, et in conventione de pignore.—2.s dicitur qui absque scripto, aut testibus fit, et regulariter obligationem non parit in externo foro, (uti conventiones in ludis) sed tantum exceptionem; v. gr. si ex venditione tibi debeo centum nummos, tu vero promisisti mihi centum mutuos, petenti tuos exceptionem opponere possum; quia naturalis illa mutuandi obligatio nondum

extincta superest. Imo si causa ad forum canonicum spectat ratione materiæ, vel personarum, actio datur pro nudo promissionis pacto, si id cum expressione causæ fiat; vel etiam pietatis ac sine expressione, si donatio facta fuerit Ecclesiæ; quia præsumitur sufficiens religionis ratio. (*Laym.*, *Ballerini*, *n.* 754).

5.° *Solemnis*, vel *simplex;* prout speciales legis formalitates requirit, vel communes tantum dispositiones. *Purus*, vel *non purus,* seu *absolutus*, et *conditionatus*, prout apponitur vel non aliqua conditio.

6.° *Nominatus*, et *innominatus*, prout speciale nomen habet, uti locatio, venditio; vel eo caret, ut qui genericum pacti vel contractus vocabulum retinet.

*Quatuor* modis fiunt contractus *nominati*; nempe, *re, verbis, litteris,* et *consensu:*—1.° *re*, scilicet, traditione rei, v. gr. mutui;—2.° *verbis,* seu formulis a lege præscriptis, sive stipulatione;—3.° *litteris*, seu scriptura; —4.° *consensu,* cum contractus solo eo perficitur, uti venditio.

*Quatuor* item modis fiunt contractus innominati; nempe;—1.° *do ut des*, v. gr. do tibi pannum, ut tu mihi des vinum;—2.° *do ut facias*, v. gr. do tibi vinum, ut tu facias mihi pannum;—3.° *facio ut des*, v. gr. facio tibi pannum, ut tu des mihi oleum;—4.° *facio ut facias*, v. gr. facio tibi vestem, ut tu facias mihi horologium.

Tria sunt distinguenda in omni contractu, nempe; *natura, essentia*, et *accidentalia:* 1.° Ad *naturam* spectant ea, quæ ex lege, consuetudine, vel æquitate in contractu, etsi non expressa, intelliguntur comprehensa, quamvis essentialia non sint, uti rei venditæ ab evictione assecuratio.—2.° Ad *essentiam* pertinent ea, sine quibus contractus existere nequit, uti sunt *contrahendi capacitas*, *consensus*, et *materia apta*. In venditionis contractu habentur, *res, consensus* et *pretium;* uno deficiente, nullus est contractus venditionis, esse tamen potest commutationis.—3.° *Accidentalia* vero dicuntur ea, quæ contractui adjungi possunt, vel non, v. gr. talis pretii dilatio. *Gury*, *n.* 755.

80. **Materia contractus** generatim sunt *ea omnia, quæ sub hominis dominium cadere possunt, et de quibus plenum dominium, et liberam administrationem habent contrahentes.*

Materia contractus debet esse *possibilis*, *existens*, *certa* , *propria*, *honesta*, *pretio æstimabilis*, et *in civili commercio posita*.—1.° Possibilis *physice* et *moraliter ;* ad impossibile enim nulla obligatio: unde nemo ad fortuitos casus tenetur, nisi ratione specialis contractus.—2.° *Existens* in actu, vel in spe, uti uvæ anni præsentis, vel sequentis; secus nullo foret pretio æstimabilis. Excipitur successio hæreditaria personæ viventis, circa quam omne pactum habetur nullius roboris, ob pericula insidiarum, etc. *Laym. n.* 3, *S. Lig. n.* 934. Nisi renuntiatio fiat in favorem communitatis, vel collegii; tunc enim cessat insidiarun periculum; vel ob constitutiones ordinis in favorem piæ communitatis, vel certæ personæ pauperis; vel si fiat pactum circa hæreditatem personæ incertæ. *Sanch. n.* 54, *S. Lig. ibid.* —3.° *Certa et determinata* in specie et individuo, vel in propria quantitate, et qualitate; vel ut aliquo modo quantitas determinari possit, v. gr. talis cumuli; aliter illusorius esset contractus.—4.° *Propria contrahentis;* nemo enim dat quod non habet: unde si quis rem furtivam emat, invalide emit, etsi bona fides in utroque adfuerit contrahente. (v. n. 68).—5.° *Honesta ac licita in se,* ut neque legibus, neque bonis moribus adversetur; quia

dari nequit obligatio ad rem aliquo jure prohibitam; secus aliquis obligari posset ad aliquid simul faciendum et omittendum. Diximus *in se*, id est, ut materia sit substantialiter honesta; nam aliqua circumstantia accidentalis illicita esse potest cum valido contractu, uti invidia in emptione. —6.° In *civili commercio posita;* secus alienationi apta non esset. (v. n. 62.)

81. Q. *An res mere spiritualis objectum esse possit contractus gratuiti, el onerosi?*

R. Affirma quoad gratuitos contractus (nisi accedat Ecclesiæ prohibitio, uti in permutatione beneficiorum, privata auctoritate facta); nihil enim obstat; neque jus naturale, neque divinum; cum Deus permiserit; imo præceperit spiritualium rerum gratuitam communicationem: sic ex rigurosa fidelitatis obligatione promitti orationes, reliquiæ, vel missæ possunt: imo etiam quoad onerosos, si res spiritualis sit ex utraque parte; nulla enim simonia in permutatione adesse potest, cum nulla sit comparatio rei spiritualis cum temporali; secus dicendum si res temporalis ex una parte adest. *Gury, n.* 758. (V. t. 1, n. 481).

82. Q. *An semper sit restituenda res ex turpi contractu accepta, uti ex meretricio, maleficio, injusta sententia lata?*

R. 1.° Affirma ante operis positionem; nam pactio turpis est pactio nulla, quæ jure translationis dominii caret. Ita *omnes*, ait *Gury*.—Nega post operis positionem; tunc enim pretium ex justitia dari tenetur, accipi, retinerique licite potest; non ratione prioris pactionis invalidæ, sed ratione conditionis appositæ de pretio tradendo, si opus turpe ponatur; hic quippe contractus *do ut des*, conditione impleta, validus est; nam de natura ejus est, ut quoties unus partem suam præstiterit, teneatur suam implere et alter, si licite possit. Etenim, licet turpis, semper est posita res laboriosa, periculosa, vel alteri utilis. *(Lugo, Scavini, n.* 367, *S. Lig., n.* 712). S. Pœnitentiaria, 22 apr. 1822, hanc dedit decisionem: *Mulier pœnitens non cogenda est, sed hortanda, ut pretium meretricii, juxta prudentis confessarii judicium, eroget in usus pios.* Ita jure hispano, juxta quod restitutio procedit, cum turpitudo fuerit solummodo ex parte rem accipiente, uti ad obtinendam restitutionem depositi, vel rei furtivæ. Si vero turpitudo ex utraque parte habeatur, aut tantummodo in illo, qui rem seu actum præstitit, v. gr. datum ad corrumpendum judicem, aut procuratorem adversarii, vel meretrici satisfactum, vel a fure datum, ut non reveletur, restitui opus non est. *Lex* 47, *et* 49, *tit.* 14, *part.* 5.ª, *etc.*

83. Q. *An pretium accipere liceat pro re jam debita?*

R. Affirma, saltem probabilius, pro re pretio æstimabili debita non ex justitia, sed ex alia virtute; v. gr. ad corripiendum cognatum blasphemum; siquidem tam accipiens pretium quam tribuens jus acquirunt, quod ante non habebant. *(S. Ligor., n.* 713, *cum communi).* Item etsi ex justitia alicui actio esset debita, si eadem actio, illæso jure prioris, alteri prodesse valeat; v. gr., qui est conductus ab uno ad oppidum negotii gratia, potest etiam ab alio conduci pro altero negotio. *(S. Ligor., Gury, aliique).*—Secus non liceret.

Q. *An valeat contractus, si materia sit tantum ex parte possibilis?*

R. Affirma si res sit divisibilis, uti tritici mensuræ, et divisibiliter de ea contractum sit: hinc si emeris 100 modios tritici, ita ut contractus non sit perfectus, nisi re tradita, et pereant 50, contractus adhuc susti-

netur in aliis 50; secus vero si sit indivisibilis, et indivisibiliter de ea fuerit conventum; unde si horologium promiseris, et nescias te non habere jus nisi partiale, nulla erit tua promissio.

---

# CAPUT II.

## De subjecto contractus.

84. De jure naturali ii omnes, qui liberum rationis usum habent, etsi impuberes sint, contrahere possunt, et obligantur; cum obligationes suscipiendi, ac dominium bonorum suorum transferendi capaces sint. (*Lugo*, *n.* 288, *Less.*, *n.* 61, *Salm.*, *n.* 5, *S. Lig.*, *n.* 918). Unde ex omni jure incapaces administrandi, et contrahendi sunt furiosi, amentes tempore amentiæ, perfecte ebrii, ac infantes; et ex jure romano et hispano etiam minores, uxores, prodigi, interdicti, seu civiliter mortui, et omnes, quibus constituuntur curatores. *Lex* 4 *et* 7, *tit.* 11, *part.* 6.ª, *etc.*

Ex jure romano, canonico, et hispano omnes a nativitate usque ad 7 annos infantes vocantur: a 7 usque ad 14 pueri, et usque ad 12 puellæ impuberes: ab hac ætate usque ad 25 indiscriminatim puberes, seu minores appellantur in Hispania; usque ad 21 annum vero indistincte ex jure gallico, et etiam ex novo jure romano a Gregorio XVI edito. Deinde majores dicuntur.—En Aragon es menor el que no ha llegado á los 14 años, y mayor el que los ha cumplido ya sea varon ó hembra. *F. de contr. min. lib.* 5.°, *etc.* In Hispania si patriæ potestati adhuc sujacent, vocantur filiifamilias; secus patresfamilias, licet ob solam emancipationem, et ante matrimonium. Si impuberes, tutoribus indigent, defuncto patre, quorum auctoritate gubernantur una cum ipsorum bonis; si autem puberes curatorum consilio reguntur, saltem eorum bona. *Art.* 1231, 1233, *et seq. Legis Enj.* (V. T. 1, n. 850). Hinc:

I. Infans seu pupillus non pubertati proximus, uti vir, nondum expleto 10 anno cum dimidio, et fœmina 9 cum $1/2$ nihil per se efficere possunt, quo alteri obligentur, vel alium sibi obligent: at pubertati proximi obligare sibi alium valent, si utilitatem inde capiant, sed non se alteri, saltem in externo foro. *S. T. S.* 14 *jun.* 1861, 17 *mart.* 1868, *L.* 4, *tit.* 11, *part.* 5.ª, *et L.* 17, *tit.* 16, *part.* 6.ª—Idem dicendum de impuberibus, et minoribus absque tutoris, vel curatoris consensu: tamen una cum tutore, vel curatore valide, et licite contrahere valent, ac etiam obligantur, nisi de immobilibus, aut mobilibus valde pretiosis agatur, pro quibus requiritur judicis decretum. *Lex* 5 *et* 7, *tit.* 11, *lib.* 1, *F. R.*, etc. *S. T. S.* 17 *sept.* 1863.—Si cum ipsis tutoribus, vel curatoribus contrahant, profecto non obligantur ex jure. Segun derecho español los que son capaces para contratar, no podrán librarse del cumplimiento de los contratos que hubiesen celebrado con personas incapaces, siempre que interese á estas el hacerlos efectivos. *L.* 19, *D. de reg. jur. tit.* 17, *lib.* 50, *etc.* Es esta una ley general.

II. Jure romano, et hispano impuber, et minor, curatore carentes, valide contrahere queunt; tamen si decepti, aut læsi evaserint, jus contractum rescindendi habent. *Lex* 5, *tit.* 11, *part.* 5.ª Sed alienare nequeunt absque legalibus formulis bona immobilia, neque super jura sua transigere, neque donationes facere, neque emere, aut accipere ad

creditum. La *ley* 17, *tít.* 1, *lib.* 10 *de la Nov. Rec.* se limita á prohibir á los hijos de familia contratar al fiado, y á los que no lo son, el hacerlo para cuando hereden ó se casen. *S. T. S.* 26 *enero de* 1867, L. 3, *c. de in ins. rest.*

En España el hijo (ó hija) de familias puede obligarse con su padre, y este con el hijo solamente sobre cosas que vengan de ganancias del peculio *castrense* ó *quasi castrense*. (*Ley* 6.ª, *tít.* 11, *part.* 5.ª).—Mas no valdria el pleito que hicieren, sino en los hijos varones de 25 años cumplidos emancipados, y en las hijas de esa edad casadas con otorgamiento del marido. (*Ley* 8.ª, *tít.* 11, *lib.* 1, *F. R.*).—Lo mismo sucede con el peculio profecticio; pero solo en cosas pertenecientes á su administracion, y que les están permitidas por dicha ley. Y lo mismo parece poder decirse de los bienes adventicios, pues no son mas sagrados que los profecticios. (*Gregorio* Lopez, *Glos.* 2.)

III. Ad vitanda damna, quæ minoribus advenire possunt, sive soli, sive interveniente tutore, vel curatore contrahant, indultum est eis beneficium restitutionis in *integrum*, cujus ope rescindere possunt contractus, in quibus læsi fuerint, sive læsio contingat minorum levitate, sive dolo adversarii; tam ipso contrahente, quam aliud negotium gerente; tam in judicialibus, quam in extrajudicialibus, et nedum quamvis tutoris curatorisve auctoritas intervenerit, sed etsi decretum magistratus sit interpositum. (Lex 11, *c. de præd., et aliis reb.*). (*S.* 29 *oct.* 1862, 17 *mar.* 1868). —Restitutionem petere potest minor intra quinquennium numerandum ex quo 25 annos compleverit, si ex causa onerosa; vel intra 10 annos inter præsentes, et 20 inter obsentes, si ex lucrativa causa alienationes proveniant; sed solum de damnis, quæ durante minoritate passus fuerit, concedenda est, causa cognita; id est, præsentibus, vel saltem evocatis omnibus, quibus interest; et numquam deneganda, nisi cum expresse cautum inveniatur. Lex 8, *tit.* 29, *S.* 1.º *maji* 1861, *L. Cod., tit.* 14, *l.* 5). Unde minor eo privilegio uti nequit:

1.º Semper ac adsit aliud remedium ex ordinariis, cujus ope plene ipsi succurratur, ac per extraordinarium restitutionis in integrum.—2.º Si damnum ex fato contigerit, non ex fragilitate, vel dolo adversarii. —3.º Si minor, factus jam major, illud in minore ætate factum probaverit. *S.* 21 *jan.* 1861.—4.º Si minor dolo se majorem finxerit.—5.º Si obligatio ex delicto oriatur, quod minor dolo commiserit. *S.* 12 *mart.* 1870.—6.º Si ex decreto judicis debitum minori fuerit solutum.—7.º Si restitutio, quæ propter minimam rem imploratur, majori rei præjudicat.—8.º Si minor, major jam factus, ei renuntiaverit, sponte jurando, nisi tunc prius fuerit a juramento absolutus. (*Ita jus romanum, et hispanum*). (Lex 6.ª, *tit.* 19, *part.* 6.ª) - 9.º Si ipse sit negotiator, vel trapezita.—10. Si de matrimonialibus conventionibus agatur.

Unde:—1.º Minor tuta conscientia hoc beneficio legis uti potest, secluso casu malæ fidei, cum lex in ejus favorem lata sit; et excepto etiam casu, quo pecuniam, quam mutuo accepit, dilapidaverit, etsi nullum inde emolumentum perceperit; nam ipsius culpæ tribui debet.—2.º Minor solus, vel per alios, a quibus repræsentatur, contractus rescisionem postulare potest, neque qui cum ipso contraxerunt ejus incapacitatem opponere queunt; et ad rescisionem tenentur, quando læsio est omnino aperta, etsi postulatio sit privata.—3.º Tamen ex se qui contraxit cum minore contractui stare potest, donec nullitas a minore, vel ab ejus patre, aut tutore invocetur. (*Gury, n.* 765).

85. Uxores de jure communi contrahere, vel inter vivos disponere nequeunt de dote ejusque fructibus, nec de bonis familiæ, invito marito,

nisi hic sit absens, amens, vel fatuus; potest tamen, etiam invito marito, de paraphernalibus *inter vivos;* de bonis quibuscumque tam dotalibus quam extradotalibus libere disponere *mortis causa* per testamentum, donationem, aliamve ultimam voluntatem. (*Gury, n.* 767).—Uxor separata a marito habet jus administrandi ea, quæ ipsi ceduntur, non tamen alienandi, vivente marito. (L. 9, *c. de jur. Dot. Art.* 47, *civilis matrimonii).* (V. *n.* 28 *et* 33).—No puede la mujer contraer válidamente con su marido, ni intervenir ambos en un mismo contrato. *Ley* 61 *de Toro.* (*R. C.*, 23 *junio* 1855, *y* 21 *dic.* 1858). Puede empero el marido dar licencia general á su mujer para contratar y hacer todo lo demás que no pudiera hacer sin ella; y ratificar, ya general, ya especialmente, lo hecho por su mujer sin su permiso. *Ley* 56 *de Toro.* Resistiéndose el marido sin justa causa á dar licencia á la mujer para la celebracion de un acto en que sea necesaria, podrá el juez compelerle á dársela, y si compelido no se la diese, podrá otorgársela el mismo juez, como tambien en los casos de que estuviese ausente el marido, ó se ignorase su paradero, y el negocio para el cual debe estar autorizada la mujer no sufriese demora. (*Leyes de* 11 *á* 15, *tít.* 1, *lib.* 10 *de la Nov. Rec., y los art.* 1351 *y sig. de la ley de Enj. civil, etc. S.* 12 *mayo de* 1866.)

**Resolves.** 1.° Irritus est uxoris contractus absque viri licentia initus cum læsione jurium ac bonorum ejusdem, et damnum alteri illatum reparare adigitur uxor malæ fidei, quin obligare possit bona mariti, vel communitatis ratione fraudis, et illegalitatis. Ita communiter *Carriere, Gury, n.* 769, *Gutierrez, pag.* 421, *Gomez, Acevedo, aliique* contra *alios,* dicentes alterum deceptionem sibi imputare debere.—2.° Nullitas contractus uxoris sine viri licentia non est *ipso facto,* ut aliqui contra alios sustinent, sed post judicis sententiam declaratoriam: nec est absoluta, sed respectiva: scilicet, invocari ac pronuntiari tantum potest in favorem ipsius uxoris, mariti, eorumque filiorum; nam licet uxori lex favere non intendat, sed viro, tamen eam non excludit, dummodo alteram partem non deceperit. Res ergo restitui debent in eumdem primitivum statum, et uxor reddere tenetur id, in quo facta est ditior, modo læsa non fuerit. Unde uxoris obligatio sine viri licentia contracta, omnes suos effectus producit, si ille (vir) cui actio interest, contractus nullitatem non opponat. *S. T. S.* 27 *jun.* 1866, *Carriere, Gury, n.* 769.—3.° Si mulier pecuniam mutuam pro marito petat, se obligans in hujus defectu, restituere adigitur, in mariti defectu; illa siquidem fuit absoluta causa contractus. Si in propriam utilitatem petat uxor mutuam pecuniam, inscio marito, absdubio de illa tenetur, ut clamat naturalis æquitas. *Gury, n.* 769.

86. **Mortui civiliter** *dicuntur damnati ad mortem, ad triremes perpetuas, vel ad deportationem.* Effectus mortis civilis præcipui sunt:—1.° amittere bonorum proprietatem, quæ ad hæredes transeunt, quin valeat testamentum, si quod illi fecerint;—2.° non posse hæreditatem acceptare, aut donationes, nisi id quod ad eorum sustentationem destinatur;—3.° donare bona non valere, quæ acquisierint, sive testamento, sive inter vivos. (Sed post mortem naturalem ad gubernium transeunt, additur in *Scavini, p.* 761).

Hæc generatim in conscientia effectum habere videntur, juxta *Gury, n.* 770.—Tamen juxta communem interpretationem civiliter mortui non prohibentur a manualibus donationibus acceptandis; inhabiles tantum sunt ad ea, quæ lege determinantur: unde plerosque contractus valide ineunt, et agendi commercii incapaces non sunt. *Ita jus romanum.* Hodie non amplius vigent in Hispania præfati effectus mortis civilis. (*V. n.* 169).

87. **Interdicti** *vocantur illi, qui judicis sententia incapaces declarantur civiles actus exercendi ob dementiæ, vel imbecillitatis, aut furoris statum.*—Designatur illis aliquis ut tutor: omnesque eorum actus jure irriti sunt; tamen ante judicis sententiam absolute nulli non æstimantur. Cessat interdictio, cessante causa, cujus cessatio a judice declarari debet, ut interdictus iterum civiliter agere possit. La interdiccion civil, segun el art. 43 del Código, priva al penado, mientras la está sufriendo, del derecho de patria potestad, tutela, curatela, participacion en el consejo de la familia, de la autoridad marital, de la administracion de bienes, y del derecho de disponer de los propios por actos entre vivos.

88. V. **Prodigi** *sunt qui ob suorum bonorum dissipationem administratione privantur. Lex* 13, *tit* 16, *part.* 6.ª: juridice denuntiati, ad incundos certos contractus lege determinatos, inhabiles sunt sine consiliarii a judice constituti assistentia. Nullitas contractuum initorum a prodigis et interdictis opponi non potest, nisi ab ipsis, aut ab eorum causam agentibus; non vero ab iis, qui cum ipsis contraxerunt, sicut de minoribus, uxoribusque dictum est. *(Gury, n.* 771). Prodigi etiam testari prohibentur, velut impuberes et amentes.—A estas prohibiciones, segun el derecho español, se unen algunas especiales, como la hecha á los obispos, clérigos seculares, militares, mujeres y labradores para hacer fianza; la de los tutores, curadores, albaceas y procuradores para compras y ventas respecto de los bienes que administran. (V. n. 270).

---

# CAPUT III.

## De consensu ad contractum requisito.

89. **Legitimus consensus** quoad contractus esse debet *internus, manifestus, liber*, et *mutuus*. 1.º *Internus*, sive explicite, sive implicite; nam contractus est conventio voluntatis; a voluntate se obligandi ergo oritur contractus vis. Sufficit tamen consensus implicitus, uti cum quis, v. g. judicis officium suscipit, implicite se obligare velle ad justas edendas sententias censetur.—2.º *Liber* ea deliberatione, quæ ad peccatum grave requiritur; secus esset actus imperfectus, qui perfectam obligationem parere non valet; neque censetur quis indeliberate in se suscipere velle obligationem gravem.—3.º *Manifestus*, cum sit actus humani commercii; aliter nec cognosci, nec acceptari, neque probari ab alio posset.—4.º *Mutuus;* perfectus equidem contractus est conventio saltem duorum. Attamen consensus utriusque partis non simul elici opus est; nam consensus semel datus nec revocatus, accedente alterius consensu, moraliter unitur, statimque perficitur contractus.—Si sit onerosus, requiritur cessio et acceptatio ex utraque parte: si gratuitus, cessio ex una, et acceptatio ex altera parte.

Q. *An valeat contractus initus cum animo contrahendi, et non se obligandi?*

R. I. Probabilius non valet, si promissio et animus non se obligandi versantur circa idem omnino objectum, et sub eodem sensu ac respectu; nam promissio est fidei obligatio; qui ergo nolit obligationem, velle nequit promissionem, seu contractum: conditio enim, quæ substan-

tiæ contractus adversatur, ipsum contractum destruit. *Gury, Sanch., Salm., S. Lig., n.* 710, *Ballerini, n.* 773). Excipe, nisi in aliquo contractu oneroso alter contrahens partem suam jam præstiterit. *S. Lig., n.* 709. (V. *n.* 83).

II. Si vero promissio et animus non se obligandi referantur ad objectum, quod multiplicem habet considerationem, distingui rursus oportet. Vel alterutra e duabus voluntatibus contrariis prævalet, vel non.—Prævalet quæ magis efficax et absoluta est, vel modus volendi magis universalis, et cum reflexione formali vel virtuali supra alteram: tunc etsi ex errore putaretur a contractu vel promissione non oriri obligationem, orietur quidem obligatio; nam prævalet voluntas contrahendi et promittendi; uti qui absolute vult professionem religiosam.—Secus si voluntas contrahendi, et se obligandi sit minus efficax et absoluta, tunc non oritur obligatio.—Item si dicatur esse fere æqualem utramque voluntatem; tum quia effectum intenderet impossibilem; tum quia esset solum chimerica voluntas. (*Lugo, Disp.* 22, *n.* 39, *Ballerini, n.* 773).

III. Valet contractus cum animo se obligandi, sed non adimplendi initus, et ad illum tenetur contrahens; revera enim componitur voluntas non implendi cum voluntate se obligandi. (*Gury, S. Ligor., et alii communiter).*

90. *Resolves.* 1.° Si per procuratorem contrahatur, perficitur contractus, quando ille acceptat; cum procuratoris acceptatio moraliter ipsius mandantis sit. Hinc, si quis tertio non commisso manifestat suum consensum aliquid dandi, vel contrahendi cum alio, nullus evaderet contractus, etsi hic propositum ab illo tertio manifestatum acceptasset; quia non adest nisi propositum aliquando contrahendi, minime vero consensus parti datus. (*Gury, n.* 774).—2.° Qui ficte consentit, partem deceptam in conscientia indemnem facere tenetur, vel restituendo, aut verum consensum præbendo, vel contractui stando. (*S. Lig., Hom. Apost., t.* 18, *n.* 93, *Gury, n.* 774). Si contractus ficte initus sponte executioni mandatus fuerit, firmari censetur; tamen nullum dominium de facto transfertur, deficiente unius consensu: unde ratione rei acceptæ, deceptor tanquam possessor malæ fidei habendus est; secus vero deceptus.—3.° Consensus est sufficienter intimatus per rei cessionem sub tali pretio; sed contractus non perficitur cum alter interne consentit, sed quando acceptatio per aliquod signum externe prodit. Tamen taciturnitas regulariter pro consensu accipitur in favorabilibus. *Qui tacet consentire videtur.*

---

# CAPUT IV.

## De errore, dolo, vi, et metu in contractu.

91. **Error** *est unum pro alio putare.*—In contractibus error versari potest: 1.° circa *substantiam rei,* ut si emas cuprum pro auro;—2.° circa *naturam, seu speciem contractus,* ut si sumas locationem pro venditione;—3.° circa *qualitatem, vel accidentia rei,* uti si equus sit tardus, vel decennis, dum velox, aut quinquennis putabatur;—4.° circa *personam,* ut si quis dat Paulo, dare volens Cajo;—5.° circa *motivum,* ut si quid Tito

ob pietatem, vel inopiam dares, cum dives, vel impius sit. Item contrahens decipi potest 1.° ab *altero contrahente;* 2.° a *tertio quopiam* sine alterius contrahentis culpa, vel *cum culpa;* 3.° a *seipso;* quia putabat rem meliorem esse, et ideo illam emit, vel pluris emit; quæ distinctio non parum refert ad subsequentem obligationem. Hinc:

I. *Si error versatur* circa contractus *naturam*, vel rei *substantiam*, nullus erit contractus; cum enim ipsam naturæ, vel substantiæ cognitionem tollat, et rem omnino diversam respiciat, tollit etiam voluntarium et substantialem consensum; nam *nihil volitum, quin fuerit præcognitum. (Gury, Scavini, S. Lig., n. 714).*

II. *Si error circa qualitatem, vel accidentia* versetur, sive error ille det causam contractui, sive non, communius et probabilius onerosos contractus non invalidat; quia non impedit cognitionem, neque absolutum consensum quoad rei substantiam. Neque refert quod, eo remoto, contractus initus non fuisset; nam in contractibus non attenditur quid factum fuisset, sed quid factum fuit. Hinc qui equum decennem emit, putans esse quinquennem, ex se valide contraxit; error est quidem accidentalis. Idem dic de vino, tritico, etc. *Lugo, n.* 92, *Less. n.* 29. *S. Lig. n.* 715. Sed si error causam dederit contractui, deceptus in conscientia contractum implere non tenetur, ratione injuriæ et defectu consensus; nam hæc est contrahentium mens. Si vero res non sit integra, adhuc in conscientia contractus rescindi potest, si res magni momenti sit. At deceptor in omni casu damnum illatum resarcire adigitur. Ita *Con., Bus., Less., Spor., n.* 98 *aliique,* et jus hispanum. L., 1, 2, D. *de dolo, etc.* Excipe; 1.° si qualitas expresse intendatur, ac declaretur, uti conditio *sine qua non*; tunc enim in rei substantiam transit; v. gr. si sacerdos pannum emat ad se vestiendum, putans sub nocte nigri coloris esse, cum viridis sit. Item dic de vino veteri ad medicinam, vel ad celebrandum, et sic de cæteris. (*Lugo, Scavini, S. Lig., l.* 3, *n.* 715, *S. T. S.* 20 *jan.* 1875). Tamen decipiens in utroque casu damna resarcire tenetur; et deceptús talém contractum semper irritare potest ratione injuriæ, et consensus defectu. (*Con., Busemb., Less., Spor., Tour., etc.*)—2.° contractus *gratuitos probabilius et communius;* nam tales contractus ex natura sua omnimodam spontaneitatem requirunt; quæ plane abest, cum causa ad largitionem movens deest. (Ita *Gury, n.* 777.)

III. *Error circa personam* generatim in contractibus *onerosis* est mere *accidentalis*; parvi sane interest venditori et emptori, cuinam emat, aut vendat, modo in pretio non adsit læsio.—Excipe 1.° cum personæ consideratio fuerit principalis causa contractus, ut sunt matrimonia, et sponsalia, in quibus persona fit objectum et substantia contractus simul ac pars contrahens;—2.° probabilius etiam contractus *gratuitos;* saltem erunt rescindibiles ad arbitrium decepti; et decipiens contractui stare debet ad illius arbitrium, cum in his donatarii persona specialiter intendi soleat.—Tamen attendenda sunt adjuncta et voluntas *benefactoris* et *gratificatorum*, uti in eleemosynis, legatis, etc. (*Gury, Ballerini n.* 777., Error juris neminem excusat neque lædit. *Lex* 1.

IV. *Error circa motivum finale* irritat contractum; uti si eleemosynam dares Cajo diviti, quia illum pauperem reputas; nam consensus quoad rei substantiam deficit.—Secus vero, si error in *motivum impellens* cadat, uti si quid dares pauperi, quem valde pium credis, cum sit minus

pius. *(Gury, n.* 778, *Ligor., n.* 737*)*. Consonat præfata doctrina cum hispano jure. (*Leyes* 20 *y* 21, *tit.* 5, *part.* 6.ª L. 32 *y* 36 *D. de verb. oblig.*, etc.

92. **Dolus** alius est bonus, et alius malus.—1.° Bonus dicitur *solertia quædam in agendo.*—2.° Malus est *fallacia, calliditas, machinatio ad alterum decipiendum: calliditas* sita est in *tacendo; fallacia* in *mentiendo; machinatio* in *faciendo.* Hic dolus a simplici errore differt; et aliquando error, non per se sufficiens ad contractum irritandum, una cum dolo ex parte alterius contrahentis, nullitati locum dare potest. Tamen quæ de errore diximus, tenenda sunt etiam de dolo cum *S. Lig. n.* 714 *et* 715, *ac jure hispano.*

Q. *An dolus malus contractus invalidet?*

R. Nega omnino, si dolus adhibeatur a quodam tertio tantum; sane tunc deceptus actionem solum habet in tertium decipientem eum. El dolo es causa de la nulidad, cuando sin él la otra parte no hubiera contratado. *L.* 1, *de dolo malo, S. T. S.* 30 *mayo de* 1864.

Quod si dolus, vel mendacium causam dedit contractui, invalidus est in foro conscientiæ, si ita velit deceptus; atque etiam in foro exteriori, si id probetur; esto nulla ex ipso orta sit inæqualitas: sed in hoc casu non erit culpa gravis sese non offerre, vel contractum nolle rescindere, aut restituere, nisi ratione pretii accepti magni valoris supra justum, quod acquisierit deceptor, vel graviter peccaverit. Sub levi utique tenetur, aut rescindere, aut restituere, etsi in re levi, ut patet. *(Scavini, et Leg.* 12, 57, 63 *et* 64, *tit.* 5, *part.* 3.ª, *pro Hispania*). (V. n. 219).—La nulidad del contrato por causa del dolo ó engaño solo puede reclamarse dentro de dos años; pasados estos solo podrá pedirse del que lo causó ó de sus herederos lo que hubiesen lucrado por razon del mismo. *Leyes* 3 *y* 6, *tít.* 6, *part.* 7.ª, *etc.*

Si deceptio bona fide ex utraque parte sit facta, vel sine dolo, sciente quidem altero contrahente, nec subtacente quæ manifestare tenebatur, si æqualitas servetur, in utroque foro valet contractus; si vero adsit inæqualitas, v. gr. vel quia acceptum fuit supra justum pretium rigorosum, vel datum infra infimum, tunc reduci in foro conscientiæ debet ad æqualitatem solum usque ad limites justi pretii, atque etiam in foro exteriori, si transgressio fuit infra, aut ultra dimidium justi pretii. (V. n. 222).

93. **Metus** est 1.° *gravis*, vel *levis;*—2.° inductus a causa *intrinseca*, vel *extrinseca; necessaria*, vel *libera;*—3.° incussus *in ordine ad extorquendum consensum*, vel *non.* Hinc:

I. Si quilibet metus ita rationis usum perturbat, ut a gravi culpa excuset, profecto contractum invalidat; deficit enim consensus ad contrahendum requisitus.

II. Nullus contractus ex metu ab intrinseco, vel causa naturali, aut necessaria, vel ab homine justa de causa incusso, est invalidus, deliberatione remanente; nulla siquidem irrogatur injuria; nec impeditur liber consensus; neque ullo jure invalidantur tales contractus. Unde stuprator justo metu gravi ad ducendam puellam adactus, quam seduxit, valide contrahit. *Gury, n.* 780.

94. Q. *Quid si metus sit injuste incussus?*

R. I. *Si metus sit levis*, probabilius et *per se onerosos* contractus non invalidat, nec rescindibiles facit ad nutum metum patientis; nam metus undecumque levis in jure, et in corde viri fortis pro nihilo reputatur, cum facile contemni possit: alias gravissima incommoda orientur

in humano commercio. *S. Lig., n.* 717, *Gury, aliique* contra *alios non paucos.* Aliter probabilius est dicendum de contractibus *gratuitis*, quoties metus levis injuste incussus fuerit; cum in iis essentiale sit, quod ex benevolentia, et ultronea liberalitate procedant. *Gury, Ballerini, n.* 780, *aliique.* (V. T. I, n. 22). A fortiori ergo si metus sit gravis.

II. *Si metus gravis sit a comparte injuste incussus ad extorquendum consensum*, communius dicunt validos esse contractus *onerosos;* nam ille, qui metum patitur, vere et absolute ex suæ voluntatis motu contrahit. Ita *Lugo, Varceno, S. Lig., n.* 716, contra *Mol., Pot., Vill., Dian., Leand., et alios,* non immerito tenentes, contractus illos ex jure naturæ esse invalidos; alias jus ab injustitia oriretur; ac proinde metum incutiens rem sic extortam sine injustitia retinere posset usque ad judicis sententiam, quod fere omnes negant. Aliunde incutiens metum tollere omnia incommoda tenetur ex injuria provenientia. Ita etiam *Gury, n.* 781, cui consonat jus hispanum. La violencia usada contra el que contrajo la obligacion, la hace nula, aunque haya sido ejercida por un tercero, distinto de aquel á cuyo provecho se hubiese celebrado el contrato. *Ley* 22, *tit.* 11, *part.* 5.ª, *etc.*—Tamen cum ex omnium sententia hujusmodi contractus tam onerosi quam gratuiti rescindibiles sint, in praxi parum differunt hæ sententiæ. Si hujusmodi gravis metus a tertio fuerit incussus, non officere validitati contractus, tenent *Reuter, Lugo, n.* 131, *Varceno,* et *alii* ut supra; quippe tertius non unum facit cum contrahente, nec auferre valet contractus obligationem, licet auferre teneatur metum. Tamen *Lugo, cum communi*, tenet esse irritandos, ut mox diximus. *Ballerini, n.* 782.

III. *Nulli sunt ex jure canonico sequentes actus per metum gravem initi*, ob magnam quam exigunt libertatem: 1.° matrimonia, et sponsalia:—2.° dotis promissio, et solutio:—3.° professio religiosa:—4.° promissio, et traditio rerum Ecclesiæ:—5.° electio prælati, et auctoritas tutoris: —6.° renuntiatio beneficiorum ecclesiasticorum:—7.° absolutio a censuris, ut decrevit Gregor. X in Conc. gen. Lugdun. *cap. unico de iis quæ vi, metusve causa fiunt in* 6. Negat autem *Ballerini, n.* 781, cum *Lugo, n.* 131, ecclesiasticam jurisdictionem per metum extortam invalidam esse; quia nullibi id invenitur statutum.

IV. *Si metus sit reverentialis*, et talis ut timorem alicujus gravis damni immittat; v. gr. verberationis, minarum, diuturnæ indignationis, torvi aspectus, duriorum verborum, et similium, in conscientia contractus irritare valet; quod verius negant de precibus importunis, nisi minas includant. Si vero metus non sit talis, negant contractus invalidare; nam libera permanet voluntas. Ita *S. Lig., l.* 3, *n.* 717, *Scavini, n.* 376, *Gury, Ballerini.* (V. T. I, n. 21).

95. Q. *An metum passus possit pro arbitrio suo contractum rescindere sine judicis auctoritate?*

R. I. Affirma, licet ad tertium possessorem bonæ fidei res pervenerit; nam qui metum injuste incussit, injuriam alteri intulit; unde istum tenetur in priorem statum restituere: et patiens jus habet id exigendi; ergo si alter renuat, potest hic occulte se rescindere ac compensare; nam quod uti debeant opere judicis, est tantum de legis formalitate ad facilius jus suum probandum ac consequendum, a quo quidem modo sæpe adesse potest causa excusans, uti difficultas probandi in foro externo, impensæ, etc. (*Ita communiter Scavini, n.* 375, *S. Liq., n.* 719). Segun el

derecho español el miedo debe ser de un mal grave é inminente para sí ó para sus hijos, como la pérdida de la libertad, alguna fuerte pena corporal, el estupro, ó semejantes; mas no el temor de la infamia, ó de alguna vejacion. *Ley* 7, *tít.* 33, *part.* 7.ª L. 3, *etc.*

96. **Resolves**: I. Si quis tibi ex malitia malum parat, nihil tamen postulans, et sponte pecuniam promittas, ut liber evadas, ei ipsam tradere non teneris; quia habet tantum pro objecto cessationem injustæ vexationis, quam vendere nequit vexator; inde accipiens restituere debet. Secus dicendum, si quis a tertio oppressus transeuntem in auxilium vocat, pecuniam promittendo; etenim auxilium est pretio æstimabile. (*Billuart, Gury, n.* 784).

II. Si hic tertius latroni minetur eum delaturum esse ad judicem, vel ad dominum læsum, nisi pecuniam ei promittat, etsi intentionem deferendi non habuerit, sed eum terrendi, restituere munus juste acceptum non tenetur; cederet quippe tertius e jure suo, quod pretio æstimabile est. (*Elbel. Reuter, Gury, ibidem*).

—Secus dicendum, si quis tibi metum inferat, ut rem tuam alteri tradas; nam si hic injuriam novit tempore acceptionis rei, metum etiam incutere, vel cooperari, per ipsam rei acceptionem censetur; si non noscit, assimilandus possessori bonæ fidei, qui rem possessam restituere debet, statim ac alienam esse comperiat. (*Billuart, d.* 7, *n.* 4, *Gury, ibidem*).

---

# CAPUT V.

## De contractus obligatione, modo, et juramento.

97. **Obligatio contractus** est *vinculum, quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum, vel omittendum.*

Omnes validi contractus in conscientia obligant utrumque contrahentem, si bilaterales sint, vel alterutrum tantum, si unilaterales; nam in contractu jus aliquod tribuitur; omni autem juri respondet sua obligatio; imo postulat æquitas, ut præstetur non solum quod promissum est, sed etiam ea omnia consectaria, quæ ratio naturalis, consuetudo patens, ac certa lex cuique conventioni adscribunt; sane contrahentes agere censentur uti probi homines, et consequenter velle non solum quod in stipulatione expresse includitur, sed etiam quod ab ea nasci solet. L. 2, § *ult. D. de oblig., et act., tit.* 7, *lib.* 44, etc. Hinc studiose est inquirenda partium intentio; cum ab intentione pendeat hæc obligatio; si obscura manet, explicari debet juxta materiam conventionis, locorum usum, et indolem personarum; si adhuc dubium subsistat, amicabilis transactio suadeatur, vel melius possessori bonæ fidei res tradatur. (*Gury, n.* 785).

98. Q. *Inter quas personas vim habet contractus validus?*

R. Inter contrahentes aliasque earum locum tenentes; vel cum ipsis causam habentes, uti mandantes, hæredes, nisi lex positiva aliud statuat. Ratio, quia nullus privatus alteri invito onus imponere, vel beneficium concedere potest; nec privati contractus vim habent præter contrahen-

tium voluntatem. (*Gury*). Tamen si in favorem tertii quis contraxerit, huic jus inest adimplementum petendi. Item tutores, et curatores, omnesque administratores alienorum bonorum intra legum, et facultatum limites contrahere in eorum favorem valent. L. 1, *tit.* 10 *Nov. Rec.* L. 8, *tit.* 11, *part.* 5.ª

99. **Obligatio in contractu triplex distinguitur**; nempe: *mere naturalis, mere civilis, et mixta :* 1.ª est *quæ oritur a solo naturæ jure*, et ideo in conscientia obligat; sed non dat actionem in foro externo;—2.ª *actionem parit in foro externo ob aliquam præsumptionem*, qua non existente, conscientiam non obligat;—3.ª *in utroque foro obligat.*

100. **Modus** est *qualitas contractui adjecta, modificans, vel addens aliquid in onus, vel favorem contrahentis.*—Modus ex justitia est servandus, nisi substantiæ contractus repugnet. Tamen contractus, etsi non servetur modus, si inhonestus aut impossibilis non sit, semper validus habetur, nisi aliter paciscatur.—Sequentes præcipui sunt modi contractibus adjungi soliti, scilicet: 1.° *ad diem;*—2.° *ad causam;*—3.° *ad demonstrationem;*—4.° *sub pœna;*—5.° *sub disjunctione;*—6.° *suspensiva, vel resolutiva conditione.* Demonstratio est: *appositio signi ad ostendendam rem, de qua contrahitur, vel personam, cum qua contrahitur.*

101. **Obligatio contractus modalis.** 1.° Contractus *ad diem* statim obligat, sed effectus ad diem præfixum suspenditur; tempus in debitoris favorem præsumitur appositum.—2.° Contractus ad *causam* validus est, si causa impulsiva deficiat; secus si causa *finalis;* deest enim consensus *substantialis.*—3.° Si *demonstratio* circa substantiam falsa sit, nullus est contractus; secus validus; nam error, *ex se*, non invalidat, nisi ad rei essentiam pertineat.—Si error sit *in quantitate*, res tota debetur, si quantitas designata fuerit *demonstrative;* si vero *taxative*, excessus quantitatis non debetur. Res censetur designata *demonstrative*, si ipsa primo loco exprimatur; v. g. lego pecuniam in tali loco existenti ad 100 scuta pertingentem: *taxative* vero, si primo loco exprimatur quantitas; v. g. lego 10 aureos in tali capsula existentes. Sed rerum adjuncta sunt perpendenda. Error *in persona* præter sponsalia et matrimonium raro est substantialis.—4.° Contractus sub *pœna est quoties resilienti a pacto pœna imponitur*, quæ ex justitia debetur, si petatur; saltem si culpabiliter contractus adimpletus non est. Pœna tamen moderata esse debet; secus non obligat. (*Gury, n.* 794). Imo invalida obligatione, nulla est pœna; non vicissim. Jure hispano tenet clausula pœnalis, licet invalida sit obligatio, nisi turpis vel impossibilis fuerit. *Lex* 38, *tit.* 11, *part.* 5.ª. Pœna autem a judice temperatur.—5.° Contractus *sub disjunctione* habetur *cum inter aliqua adest electio*, quæ ex se debitoris est; sed si una res legitima non erat, vel culpa debitoris perierit, simplex evadit obligatio; si utraque perierit absque culpa debitoris, cessat penitus obligatio; si cum sua culpa, et ipsi competit jus electionis, solvere tenetur alterutrius pretium ad suum arbitrium; si creditori tale electionis jus competit, ad hujus arbitrium fit solutio. (*Varceno, p.* 511).—6.° *Contractus sub conditione:* conditio alia *est suspensiva, quæ pendet ab aliquo futuro, vel ignoto*, quæ numquam supponitur, sed est adstipulanda; et aliunde res stat periculo debitoris, qui se non obligavit ad eam tradendam nisi casu, quo conditio adimpleatur: alia est *resolutiva*, quæ obligationem solvit; uti si altera pars in suis obligationibus deficiat. Aliqui addunt *solidariam, divisibilem*, et *indivisibilem.*

102. **Conditio** hic est *circumstantia contractui, seu dispositioni adjecta, a cujus existentia pendere volumus illius valorem.* Multiplex est conditio, quæ contractibus apponi valet: omnes tamen conditiones impleri debent eo sensu, quo contrahentes prudenter se obligare velle censentur. Unde:

I. *Conditiones potestativæ,* seu *quæ a contrahentibus pendent,* adimpletæ censentur in sequentibus casibus: 1.° quoties ille, qui se obligavit, impedivit quominus adimpleatur conditio, nisi agatur de meliori status electione, v. gr., si religionem, vel ordinem sacrum eligat ille, qui sponsalia aut matrimonium promiserat; nam hæc conditio tacite subintelligitur. Secus enim turpis esset promissio, proindeque invalida;—2.° quando ab altero est impeditus, ne conditioni satisfaciat; renuntiare enim censetur. *Gury, n.* 796. Ita *jus hispanum.*

II. *Conditiones de præsenti,* vel *de præterito* contractum non suspendunt, sed statim valet vel non, prout conditiones existunt vel non.

III. *Conditio de futuro contingenti* contractum suspendit, vel rescindit usque ad ejus adventum; nam talis est intentio.

IV. *Conditio impossibilis* de *præsenti, præterito,* vel *futuro* contractum irritat; etenim signum est dissensus juxta adagium: de *re impossibili et turpi nulla obligatio.*—Jure hispano non invalidat obligationem, et tunc pura censetur. *L.* 7, *D. de verb. oblig.*

V. *Conditio turpis de futuro* contractum irritat omni jure; nam alterum directe ad malum alliceret: et nemo ad peccatum potest se obligare. —Excipe jure romano et hispano (*Lex* 3, *tit.* 4, *part.* 6.ª), testamenta, ultimas voluntates, et matrimonia, si ejus substantiæ non adversatur; quia nemo præsumitur in morte nugari velle. *Hinc Gregor. IV præcepit ut conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* (Scavini). Conditio *turpis de præsenti,* vel *præterito* contractum non irritat; ad malum quippe non allicit, sed illud supponit factum. (*Varceno, p.* 509). (V. n. 83). *Conditio si nupseris,* turpis non est, si esset determinata ad aliquam personam; justa enim et honesta ratio tunc adesse potest.

Cumplida la condicion, tiene efecto el contrato desde el dia en que se contrajo; si ha fallecido el acreedor, pasa el derecho á sus herederos.—Pendiente la condicion, los aumentos y disminuciones de la cosa corren á cargo del acreedor; y la pérdida total de la cosa á cargo del deudor.—Si no se cumple la condicion resolutiva, es como si fuese pura; cumplida, débese restituir el objeto del contrato con sus frutos y accesiones. *Ley* 14 *y* 38, *tit.* 5 *y* 15, *part.* 5 *y* 6, *etc.*

VI. *Conditio contractus substantiæ* contraria ipsum irritat; sane contractus subsistere nequit absque sua substantia. Ideo si quis matrimonium contraheret, intendens illud esse solubile, tali animo, quod secus non contraheret, invalidum esset conjugium. *Lugo, Sanch., S. Ligor, l.* 6, *n.* 24. Valide tamen contraheret si per errorem putaret esse solubile; nam error privatus non officit generali intentioni modo debito contrahendi. *Suar., Lugo, n.* 132. Item conditio a statu perfectiori retrahens; nam inhonesta censetur, ac veluti non apposita.

103. Q. *An obligent contractus sine debitis solemnitatibus?*

R. I. Solemnitates sunt *quædam humanarum legum conditiones, ex præscripto in contractibus adhibendæ;* v. gr., scriptura, testes. Aliæ dicuntur *substantiales,* aliæ vero *accidentales,* prout clausulam irritantem habent, uti clandestinitas in matrimonio; vel tantum ad complemen-

tum pertinent, uti rei tali die traditio. His positis. — II. Alii obligare negant; leges siquidem irritantes fundantur in præsumptione doli et periculi; unde lex humana ob bonum commune funditus tollere potest naturalem obligationem, sicut Ecclesia matrimonia clandestina invalidat. *(Ita Salm., Lessius, aliique).* — Alii affirmant; nam lex humana non tollit obligationem naturalem, ad quam solus consensus sufficit. *(Ita Mol., Sa, S. Antoninus).* Alii congruentius docent præferendum esse possessorem, donec hic per judicis sententiam ad restitutionem condemnetur, vel certo constet de jure alieno. Hæc in praxi est *omnino* tenenda, ait *S. Lig., n.* 711, ut probabilior et securior; *quippe in dubiis melior est conditio possidentis,* qui non debet se spoliare, quod nimis rigidum esset; et superiori est parendum, maxime ob bonum commune. *(Ita Varceno, Sanchez,* Lugo, *n.* 711, *Gury, n.* 786, *Scavini, p.* 765).

104. Q. *Potest princeps quoad contractus obligare in conscientia, ac de subditorum bonis disponere?*

R. Quando certo constet, vel ex ipsa lege determinativa, vel ex communi doctorum sensu, Gubernium revera transferre voluisse ob publicum bonum rerum dominium de uno in alium, nulla est quæstio; potest, et ei obtemperandum est *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam:* Rom. XIII: sic v. g. hodie nemo jam dubitat de validitate præscriptionis.—Quando lex jus irritationis tribuit, vel jus rescindendi contractum, patet tunc ipsum valere, donec a judice irritetur.—Item si verba legis sint tantum prohibitiva, non irritantia; nam multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. —Item quando lex fundatur in præsumptione facti, quod non subsistit; tunc lex non obtinet; nam præsumptio facti cedit veritati.

Q. *Quibusnam signis distingui potest, utrum lex irritet contractum ipso facto ob defectum solemnitatis, vel tantum post judicis sententiam?*

R. Vix quidem regulæ certæ dari possunt. Generatim tamen lex irritare videtur *ipso facto:* I. Quando irritatio fundatur in lege determinativa proprietatis; nam ad principem spectat rerum dominium determinare. Hinc *ipso facto* irritatæ sunt dispositiones, quibus reservatio hæredum necessariorum læditur: item *ipso facto* parentes in usumfructum bonorum filiorumfamilias ingrediuntur.

II. Quando irritatio actum bono communi nocivum directe spectat, vel in ipso fundatur motivo boni communis; quia princeps potestatem habere debet impediendi ac irritandi in conscientia actus civiles bono communi noxios; secus enim socialem inordinationem efficaciter non impediret. Hinc *ipso facto* irritæ sunt conventiones ob causam turpem ex utraque parte; item dispositiones immobilium, dotalium, etc. Item *absolute* a testando impuberes impedit, quæcumque bona habeant; et etiam *relative,* puta ne patres filium adulterinum ad hæreditatem vocent; et tunc lex prohibet, impedit, et irritat.

III. Aliquando de uno in alterum rerum dominium directe transfert, ut in usufructu legali, et in inventione.—Aliquando obligationem solvit, quam quis jure naturæ contraxisset, ut plerumque in mutuo filiisfamilias dato evenit.—Aliquando jus repetendi tribuit quod alteri est solutum, uti minoribus in ludo amissum.—Aliquando prohibet, quin irritet, certos ludos.—Aliquando prohibet et irritat post judicis sententiam tantum, ut contractus dolo ac metu initos; venditio, in qua gravis læsio intervenerit, erit valida, sed rescindibilis.

Q. *Quid si de ipsius legis vi adhuc dubitetur?*

R. 1.° Ex ipsa naturali æquitate resolvenda est controversia.—2.° Inquirendus est communis theologorum sensus.—3.° Videnda est quotidiana timoratorum praxis, seu consuetudo: sic qui vinum vendidit tot libellis ad mensuram, mensura erit illa, quæ ibi est in usu.—4.° Si adhuc dubium perseveret, tunc potius est jus possesoris. (*Ita Bouvier, Scavini, p.* 767).

105. Q. *Quomodo sustinetur ac probatur contractus obligatio?*

R. 1.° *Scriptura* publica, vel privata, maxime si a judice, vel ab eo, contra quem procedit juxta diversitatem contractus, sit exarata; item illam probant libri negotiatorum, tabulæ et chartæ familiares, ac tesseræ;—2.° *testium depositione* in quibusdam contractibus;—3.° *partis confessione* sive *judiciali*, sive *extrajudiciali;*—4.° *juramento;* juramentum *decisorium* jure defferri potest in omni civili controversia;—5.° *præsumptione*, quæ est consectarium, quod lex, seu judex a facto notorio ad ignotum deducit.

Q. *Quomodo sunt interpretandœ conventiones?*

R. 1.° Attendenda sunt communis contrahentium voluntas et verba;—2.° si sensum habent ambiguum, convenit interpretari ea ratione, quæ in loco celebrationis contractus usu venit: unde clausulæ, quæ usu erant exprimendæ, tanquam expressæ habentur, etsi expressæ non sint;—3.° in dubio conventio accipitur in favorem illius, qui obligationem assumpsit; nam quisque censetur se minus obligare, quam potest. (*Scavini, p.* 770).

Q. *Quorsum obligat contractus rescissioni obnoxius?*

R. Obligat conditionate, usquedum nullitas legitime invocetur; quia legislator ob bonum pacis noluit, ut hujusmodi contractus invalidi essent, nisi quando nullitas expresse invocatur et obtinetur.

106. Q. *Quomodo contracta obligatio solvitur?*

R. 1.° *Solutione* rei debitæ, etiam per executionem et cessionem bonorum.—2.° *Condonatione* ex plena libertate et justitia facta, seu conditione actum resolvente, perinde ac si nulla sit inita conventio.—3.° *Compensatione* a creditore facta. — 4.° *Interitu rei debitœ* determinatæ sine debitoris culpa, aut mora culpabili.—5.° *Juramento decisorio*, et mutuo consensu.—6.° *Novatione*, v. gr. si quid ex emptione debeas, et alter paciscatur, ut illud ex tunc mutuum habeas.—7.° *Confusione* (et præscriptione ut supra), quæ locum habet, cum debitoris obligatio et jus creditoris in eadem persona coadunantur.—8.° *Rescissione;* nam si in substantialibus defecerit, nulla declaratur obligatio.—Si adsit enormis læsio, ipsa rescinditur. Si non sit enormis, non admittitur in judicio; licet semper adsit obligatio compensandi excessum. Erit *enormis*, si dimidium justi pretii excedat; si excedat duas tertias partes vel easdam æquet, dicitur *enormissima*.

107. **Juramentum non firmat contractus** tam de jure naturalí, quam de jure positivo irritos, vel contra leges, aut munia naturalia, vel civilia, bonos mores, aut jus alterius. Ita *etiam jus hispanum*. Ratio, quia juramentum est quid omnino extrinsecum contractui; unde ejus vim supplere mullatenus valet: aliunde lex irritans ex motivo ordinis publici agit; quod autem ex tali bono irritum est, juramento firmari nequit; nam foret juramentum contra bonum commnne, et ob vinculum immorale,

quod a Deo non sancitur. Hinc axioma: *Juramentum sequitur naturam contractus.* Ideo non obligat juramentum metu extortum super religiosa professione, matrimonio, sponsalibus, renuntiatione fori ecclesiastici; item super donatione a clerico, vel milite facta concubinæ. (*Billuart, Reuter, Gury, n.* 791, *S. Lig. n.* 177, *cum communi).*

108. Q. *An saltem juramentum firmet contractus jure rescindibiles?*

R. I. Nega probabilius, quando rescindibilitas motivo boni communis inducitur. Hinc plerumque non valet juramentum minorum, uxorum, et similium ad contractus lege irritos firmandos, etsi lex in ipsorum utilitatem sit lata; secus perversi semper ab eis juramentum exigerent, quod in societatis detrimentum cederet. *Elb., Spor., Tamb., Pichl., etc.,* contra *Sanch., Azor.*

II. Valet autem juramentum, si rescindibilitas sit inducta in privatam contrahentium gratiam; nam quisque gratiæ renuntiare potest; et, interposito tunc juramento, est quædam renuntiatio beneficio rescissionis. Hinc stare videtur testamentum, vel legatum factum in alicujus favorem cum juramento de non illud revocando; quia jurans cedere censetur a jure suo. *(Ita Lugo, Gury, n.* 792).

III. Juramentum vi, fraude, et dolo extortum ex jure hispano non firmat contractum, si dolus contractui causam dederit; eo quod juramentum non firmat errorem. Si quis sponte jurat dispensationem juramenti, etc., se non petiturum, probabilius est validum, et servandum juramentum. *(Varceno, p.* 508). (V. T. I, n. 575).

---

# CAPUT VI.

## De quasi-contractu, et quasi-delicto.

109. **Quasi-contractus** ad sensum jurisperitorum est: *factum hominis voluntarium et licitum, ex quo enascitur aliqua erga tertium, aut etiam mutua partium inter se obligatio.* Duæ sunt illius species.

I. *Negotiorum gestio;* evenit *quando quis alterius negotium suscipit, sive inscio, sive sciente proprietario. Inscio,* v. gr. Paulus abest a possessione sua, urget tempus vindemiæ, et Petrus amicus ejus uvas colligere facit: per talem modum tacitam obligationem contrahit impendendi in ea opera necessariam diligentiam, opus bene perficiendi, ac in securo loco uvas, aut vinum reponendi. *Sciente,* v. gr. si Paulo in loco suæ possessionis existente, tunc ejus amicus se ingerat in uvarum Pauli recollectionem, et hic gestionem permittat, ille tenetur negotium prosequi in omni casu, ut bonus paterfamilias, et damna ex suo dolo, negligentia, vel culpa ei illata reparare, etiamsi in foro externo temperari possit hæc obligatio, cum ex imperitia, vel negligentia gestatoris damna proveniant, qui rem alterius in peritioris defectu sumpserit. *Gury, n.* 848. —Ipse proprietarius implere tenetur obligationes ab illo contractas, et eum indemnem facere, etsi res inculpabiliter male evenerit.—Imo probabilius gestator jus habet ad congruentem mercedem; secus enim pauci invenirentur gestatores, et dignus est operarius mercede sua, maxime

cum adsit aliquis consensus domini. (*Antoine*, *Gury*, *Scavini*, *n.* 382).

II. *Solutio rei sibi indebitæ:* idque contingit quando quis aliquid non suum accipit. Hic rem domino restituere tenetur sicut de possessore bonæ, vel malæ, vel dubiæ fidei dicetur.

110. **Delictum et quasi-delictum** supponunt factum hominis culpabile, ex quo alter damnificatur: si cum directa damnificandi intentione ponatur, erit *delictum;* si vero cum culpa ponatur, sed absque directa nocendi intentione, ut si adsit culpabilis ignorantia, vel inadvertentia, *quasi-delictum* habetur. Qui enim est in culpa de damno et pœna, seu de mulctis tenetur.

Qua obligatione quisque tenetur ex facto 1.° *Personarum*, quæ suæ custodiæ sunt, ut est filius respectu patris, ac in ejus defectu matris, si una secum moretur; minor respectu tutoris, quo cum una cohabitet; domesticus ac commissionarius respectu domini, et committentis quoad proprii officii munia; discipulus et addiscentes respectu præceptorum et artificum, quandiu sub eorum tutela sunt. Excipe, nisi probent damnum impedire non potuisse.—2.° *Animalium*, quæ de proprio servitio sunt, uti si alicui noceant; quod valet sive animalia sub custodia sint, sive fugitiva et amissa; erant enim custodienda.—3.° *Rerum*, quibus nostrum est providere; ut esset si tuum ædificium ruens, quia illud instaurare culpabiliter neglexisti, vel ob vitium constructionis, damnum intulerit.

Esta doctrina está conforme al derecho romano y español. (*Leyes* 1, 5, 8, 9, 24, 43, *etc.*, *tít.* 15, *part.* 7.ª)

---

# DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

## PARS PRIMA.

### DE CONTRCTIBUS GRATUITIS.

---

## CAPUT I.

### De promissione.

111. **Promissio** est *gratuita, deliberata ac spontanea fidei datio, exterius facta, et acceptata, de re possibili, et honesta.*—Distinguitur a proposito, quod est simplex animi voluntas aliquid dandi, vel faciendi sine intentione se obligandi. Promissio, ante expressam, vel tacitam acceptationem, dicitur simplex *pollicitatio.*

—*Promissionis conditiones* sunt: 1.ª ut adsit voluntas, saltem virtualis, *se obligandi*, non vero de justitia, quam habere censetur ille, qui serio promittere vult, etsi ad obligationem non advertat;—2.ª ut *consensus sit plene liber* ab errore, dolo, injusto metu etiam levi, et coactione circa

substantiam, et causam finalem; nam liberalitas omnimodam libertatem importat, ac meretur; —3.ª *ut sit exterius manifestata, et acceptata;* omne enim pactum obligans et jus tribuens mutuo consensu unitur ac firmatur, ante quem semper revocare licet. *Lugo, n.* 38, *cum communi;*—4.° ut sit *de re possibili et honesta;* sane impossibilium nulla obligatio; et in malis fidem servare non expedit.

Q. *An obliget promissio facta?*

R. I. Alii sub gravi, et ex justitia obligare dicunt, si acceptata sit; nam promissa fidelitas dat promissario jus ad rem. (*S. Antoninus, cum pluribus aliis).*—Alii docent ex fidelitate sub levi tantum obligare, etiam in re gravi, simplicem promissionem acceptatam; contractus enim gratuitus solum obligat vinculo fidelitatis, et fidelitas obligare ex se non videtur sub gravi peccato; nec sic promittens intendit gravem suscipere obligationem. (*Salm., Scavini, n.* 453, *S. Thom.*, 2. 2, *q.* 88, *a* 3, *ad* 1, *S. Lig. l.* 3, *n.* 254, *aliique).*

Excipe 1.° si addatur juramentum, aut instrumentum, vel coram testibus fiat; sane promittentis intentio tunc aperte declarari videtur; —2.° si promissarius fidens promissioni expensas fecerit, v. gr. ad filium suum educandum; —3.° si intercedat ratio gravis damni promissario inde obvenientis; ut si quis alteri promiserit solvere legatum, vel dare mutuum, quo graviter indigebat, et promissioni fidens aliunde non sibi prospexit. (*Scavini, ibid., S. Lig., n.* 720). Tamen in praxi quærenda est promittentis intentio, a qua pendet tota obligatio; et in dubio an obligare se voluerit ex justitia vel fidelitate, sub gravi vel sub levi, aut nullo modo, ad minimum est cogendus. (*Ita Lugo, n.* 90, *Gury, n.* 798, *S. Ligor., l.* 3, *n.* 720, *qui hoc probabilissimum dicit).* Sæpius promissiones neque ex fidelitate obligant; quia promittens suam fidem stricte obligare non intendit.

II. Communiter dicunt ad materiam gravem in promissione constituendam requiri, ut ipsa sit quadruplo major quam in furto; nam promittens de proprio agit, fur autem de alieno. *S. Ligor.*

III. Mortuo promissario obligat promissio, si facta fuerit principaliter in gratiam familiæ, vel hæredum promissarii; secus non obligat; eo siquidem mortuo, cessat finis præcipue intentus. *(Gury, n.* 800, *Reuter, Lugo.)*

Hinc: 1.° potest promissio acceptari per alium, v. gr., pater pro filio; religiosus pro monasterio; prælatus pro ecclesia sua; uxor pro marito; nam unum cum alia persona constituere censentur in hisce adjunctis; —2.° mortuo promittente, adimplenda est ab ejus hæredibus realis promissio debitis vestita conditionibus; omnis quippe realis obligatio ad hæredes transit. Proinde sub gravi vel sub levi, ex justitia vel ex fidelitate, prout tenebatur ipse promittens. Poterunt tamen ab omni onere liberari, si ex rei adjunctis, aut ex signis manifestum sit promittentem personaliter voluisse se tantum obligare. (*Lugo, Gury, n.* 800*).* Secus vero personalis; nam personalis obligatio transit cum persona obligata.

Paulus aliquoties famulo suo dicit velle (præter stipendium annuale), opera ejus gratificare, vel proponere legatum in ejus favorem, aut aliquam ei summam dare. Paulus moritur quin aliquid circa hoc disposuerit. Poterit famulus promissam quantitatem sibi appropiare?—Minime; aliud quippe est propositum generale ac incertum efformare, sine animo se

obligandi, et aliud est rem dare. *Gousset, l.* 1, *n.* 796. Communiter hæ, ac fere omnes promissiones non sunt propriæ tales, sed merum propositum enuntiant. *(Gury, aliique).*

Q. *Quomodo cessat obligatio promissionis validæ et acceptatæ?*

R. Cessat 1.º: remissione spontanea promissarii;—2.º notabili mutatione rei promissæ vel personarum, v. gr. si fiat illicita vel inutilis, impossibilis, aut valde nociva;—3.º quoties supervenit notabilis mutatio rerum, quæ si prævisa fuisset, non esset facta promissio; quia semper sub tali tacita conditione præsumitur facta; et tunc cessat finis et ratio promissionis;—4.º si promissarius non stat promissis. (*S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 720, *cum communi).*

---

# CAPUT II.

## De donationibus in genere, inter vivos, mortis causa, et de traditione.

112. **Donatio** est *cessio deliberata, spontanea et gratuita alicujus rei in alterius favorem.*—Qui donationem facit, dicitur *donans* vel *donator*, et cui fit donatio, *donatarius.*—Donatio multiplex est: 1.º *gratuita*, vel *remuneratoria*, prout ex sola liberalitate oritur, vel ex donantis gratitudine ob acceptum favorem;—2.º *absoluta*, vel *conditionalis*, prout adjectam habet conditionem aliquam, vel non;—3.º *inter vivos, et causa mortis*, seu *per testamentum*, prout donator se actualiter privat, et modo irrevocabili, re aliqua in donatarii favorem acceptantis; vel rem donatario concedere non vult, nisi post mortem suam;—4.º *realis*, vel *verbalis*, prout adjectam habet rei traditionem, vel tantum promissionem; hac acquiritur *jus ad rem;* illa vero *jus in re;*—5.º *propria et impropria*, prout omnibus suis propriis gaudet conditionibus legalibus, vel non; nempe si adsit libera et realis traditio donatoris, et formalis acceptatio ex parte donatarii, dicitur propria donatio; secus impropria, uti est donatio *causa mortis.*

113. **Donatio inter vivos** est *libera et gratuita juris proprii irrevocabiliter in alterum translatio.* Ad hujus donationis validitatem requiruntur *subjectum capax, res apta, legales formalitates*, et *accipiendi facultas.*

I. **Subjectum capax.** Donationes inter vivos facere valent omnes dominium, et administrationem bonorum habentes, ac lege non impediti. Unde ex jure romano, et hispano incapaces sunt: 1.º *pupilli, impuberes, minores, filiifamilias* licet habilitati. (V. n. 24). De profectitiis aliquid etiam matri, sorori, et propinquo dare possunt, justa stante causa. *L.* 5.ª, *tit.* 4, *part.* 5.ª, *et L.* 3.ª—2.º *Uxores, prodigi*, et *tutores*, ut habetur in suis tractatibus respectivis. *L.* 1, *tit.* 7, *lib.* 1, *N. Rec. L.* 10, *tit.* 4, *part.* 4.ª—3.º *Debitis gravati.* Imo communius, et probabilius qui mala fide ab eis donum accipit contra justitiam peccat, et restituere adigitur; nam illud est creditoris; insuper donatarius injustitiæ donantis cooperatur. *S. Lig.*, *n.* 722, *Lugo, n.* 7, *Scavini, n.* 158, *aliique* contra *Less.*, *n.* 186, *Mol.*, *Lay.*, et *alios* tenentes, donatarium solum uti jure suo, propriumque commodum curare.—4.º *Minores in Cathalaunia*, donec

20 annum compleverint erga suum tutorem, vel curatorem, sive per se, sive per alium, nisi firmata sit donatio consensu trium propinquorum proximiorum sive ex parte patris, sive ex parte matris, et in horum defectu, trium amicorum intimiorum cum judicis interventu, ac minoris juramento. *Const. de Catal., S.* 10 *oct.* 1857.—5.° *Conjuges inter se*, perdurante matrimonio, nisi juramento donationes firmentur; — vel donans præmoriatur donatario, dummodo in vita res jam sit tradita; — aut si donatio sit modica, vel remuneratoria, vel causa mortis;—aut si vir sit prodigus, vel uxor viro donet, ut aliquam adipiscatur dignitatem;—aut denique si donans pauper non fiat, nec ditior donatarius. L. 4, 5 *et* 6, *tit.* 4, *part.* 4.ª, *S.* Lig., *n.* 723, *Salm.*, *n.* 101. Potest tamen conjux retinere, vel distrahere rem donatam, sciente et non contradicente donante; nam consentire videtur. *Gury, S.* Lig., *n.* 723.—Las donaciones entre marido y mujer insinuadas están sujetas á la cuarta falcidia, y á las deudas del donador á falta de otros bienes, caducando aquellas por la premoriencia del donatario. *L.* 2, *tit.* 11, *part.* 4.ª

Parentes, licet rerum suarum habeant administrationem, prohibentur filiis sub potestate sua manentibus *inter vivos* donare, (excepta studiorum causa, matrimonii, belli, et similium); seu cum donatio cæterorum filiorum legitimam lædit, vel creditores suos. L. 8, *tit.* 4, *part.* 5.ª, *S.* Lig., *n.* 724. (V. n. 145).—Sed quoad has donationes, et legitimam bona patris sunt computanda in tempore ejus mortis. *L.* 23 *de Toro*, *S.* 21 *nov. de* 1867. En España si bien la *ley* 2, *tit.* 5, *part.* 5.ª prohibe á los que han sido condenados á muerte ó destierro perpétuo hacer donaciones, parece sin embargo que debe entenderse corregida por la *ley* 3, *tit.* 18, *lib.* 10 *de la Nov. Rec.*, la que declara, que el condenado por delito ó muerte civil ó natural puede hacer testamento, codicilo y otra cualquiera última voluntad, por cuanto hoy dia no rige la pena de confiscacion de bienes.

114. II. **Res apta.** Donari possunt inter vivos res omnes, quæ in humano commercio sunt. Quoad quantitatem de jure hispano prohibentur sub pœna nullitatis, cum creditoribus nocent, gratuitæ donationes ultra 500 marapetinos auri, (seu 25,600 rs., vel 70,352 juxta alios, vel 500 solidos, circiter 6,784 libellas italicas), absque insinuatione ante judicem, vel ejusdem auctoritate. *L.* 9, *tit.* 4, *part.* 5.ª, *Const. Catal.*—En Navarra deben insinuarse las que exceden 300 ducados.—En Cataluña las que pasan de 500 florines (425 libras) cuando se hacen ó resultan en perjuicio de acreedores. *Const.* 1.ª, *tit.* 9, *lib.* 8, *vol.* 1, *S. de* 13 *marzo de* 1870.—La nulidad en los predichos casos solo afecta al exceso. *S. Lig.*, *n.* 733.

Es nula la donacion simple de todos los bienes; si el donador no se ha reservado ni los venideros, ni el usufruto, ni parte de ellos para testar, ni impone al donatario condicion alguna. *Ley* 2, *tit.* 17, *lib.* 10 *de la Nov. Rec.*, *Ley* 8, *tit.* 4, *part.* 5.ª *S. de* 1859, *y* 28 *de marzo de* 1863.—Excipe: 1.° Si donatio *inter vivos* fiat Ecclesiæ, vel causæ piæ; siquidem jus civile restringere nequit officia pietatis, et consilia Evangelii:—2.° si donatio quælibet justa sit juramento firmata; servatis enim sibi necessariis, ex se facultatem testandi sibi adimere malum non est, imo utilius esse potest. *Lugo*, *Scavini*, *S. Lig.*, *n.* 733, *aliique.*

115. III. **Legales formalitates,** nempe: *traditio*, et *acceptatio*, *publicum instrumentum*, et *insinuatio.*—1.° *Traditio*, et *acceptatio*, scilicet consensus donantis et donatarii, vel istius acceptatio, sive per se, sive per alium. *L.* 10, *tit.* 12, *lib.* 3 *F. R.* Attamen in conditionatis sufficit consensus actu quo donationes celebrantur, quamvis adimpletionis tempore sive donans, sive donatarius in amentiam devenerint. *L.* 2, *D. de*

*donat.* Ut consummetur donatio, opus est rei traditio. La reserva de usufructo tiene fuerza de entregar. *L.* 14, *tit.* 11, *part.* 3.ª—2.° *Publicum instrumentum, et insinuatio,* si de immobilibus sermo sit. Deben inscribirse en el registro de la propiedad para que surtan su efecto en cuanto á tercero. De jure naturæ autem quælibet *inter vivos* donatio, etiam mere verbalis, debitis vestita conditionibus, statim dominium irrevocabiliter transfert. Neque error in causa secundaria donationes invalidat, etsi a donante irritari possint. Secus in causa principali, vel finali. *S. Lig., n.* 737. (V. n. 91).

Exceptúanse de la referida insinuacion: 1.° Las donaciones hechas al soberano y las hechas por este. *Ley* 9.—2.° Las que tienen por objeto la redencion de cautivos, ó la reparacion de alguna iglesia, edificio arruinado, ó las que á algun piadoso establecimiento.—3.° Las donaciones remuneratorias en que además se imponen obligaciones al donatario, y las que hace un jefe militar para recompensar los servicios á sus subordinados.—4.° Las que se otorgan en las capitulaciones matrimoniales. *L.* 9, *tít.* 4, *part.* 5.ª—5.° La pension señalada á viuda, permaneciendo en este estado. *S.* 21 *de marzo de* 1819.—Las donaciones hechas en diversos tiempos entre las mismas personas de cantidades, cada una de las cuales no llegue á lo prefijado para la insinuacion, valen aunque la suma de aquellas exceda esta cantidad. *L.* 34 *de donat.*, *tít.* 54, *lib.* 8.—Cuando á alguno se le prohiben las donaciones, no se le prohiben las remuneratorias proporcionadas á los obsequios recibidos, aunque no debidos.—El donador no es responsable por la eviccion de la cosa donada, y solo estará obligado á indemnizar al donatario por los perjuicios que hubiese sufrido por razon de los vicios de la misma, cuando hubiera mediado intencion dolosa; mas no está obligado á la prestacion de intereses por la demora en la entrega de la cosa donada. *Ley* 18 *y* 22 *de donat., tít.* 5, *lib.* 39.

Cataluña: 1.° Las donaciones universales que no sean insinuadas 10 dias antes de contraida la deuda por el donante, carecen de valor en perjuicio de los acreedores, cuyos créditos consten en escritura ó vales, ó de cosa juzgada. *Const.* 1, *tít.* 9, *lib.* 8.—Las no insinuadas excedentes á 500 florines, valen en la parte que no exceden.—La donacion de una pension anual que no llegue á 500 florines, no debe insinuarse, si estuviera limitada á la vida del donador ó del donatario. *L.* 34, *Cod. de donat., tít.* 54, *lib.* 8.—2.° Las donaciones hechas á los hijos naturales del donador, habiendo hijos legítimos, solo valen hasta la 12.ª parte de los bienes del donador, y hasta la mitad de la 12.ª hechas á favor de la madre de aquellos. No existiendo hijos legítimos, son válidas las donaciones, salvas las legítimas de los ascendientes del donador, si los tiene. *Novell.* 89, *cap.* 12.

116 Q. *An, et quomodo sit acceptanda donatio?*

R. I. Si directe sit Deo facta donatio in piarum causarum utilitatem, uti pro tali ecclesia, non requiritur acceptatio ad ejus validitatem; tunc enim valet ut votum. Secus si immediate ipsi causæ piæ fiat, v. gr. hospitali; tunc quidem ex jure naturali et positivo necesse est ad validitatem, ut acceptetur. Ita probabilius *Salm. n.* 69, *S. Lig, n.* 726 cum communi. In dubio intentionis in favorem directe causæ piæ resolvatur; nam in iis communiter intentio primario in Deum fertur. *Lugo, Scavini, Sanch. n.* 17, *aliique.*

II. Si fiat Deo, aut causæ piæ, a quolibet acceptari irrevocabiliter potest; nam hanc sine acceptatione valere et irrevocabilem esse, est probabile cum *Lay, et Diana,* ait *S. Lig., n.* 725. Item pater vel mater acceptare potest pro filio etiam emancipato; tutor pro pupillo, curator pro minore, filiusfamilias pro patre, servus pro domino, monachus pro monasterio, et vicissim quicumque alterius curam gerit, etiam per litteras, nuntium vel signum quodcumque.—Item præsenti et tacenti donatio facta censetur ab eo

acceptata. *S. Lig. n.* 726.—Ast si per nuntium, procuratorem, vel per litteras fiat donatio, probabilius coram nuntio aut procuratore, vel per alias litteras ad donatorem missas est facienda acceptatio; alias constare nequit de mutuo consensu. *Gury, n.* 811, *S. Lig. H. Ap. n.* 130, *Salm. n.* 73, *Less., n.* 43.—Donatio infantibus facta valet ante acceptationem. *Sanch. n.* 11, *Vill. n.* 4. Item facta civitati ad ædificia restauranda; pro iis enim acceptat ipsa lex. *Lay., n.* 2, *Less., n.* 36.—Donator executionem donatarii tantum sufferre potest, solutis debitis et ad suam decentem sustentationem rebus detractis. L. 12, *de donat., tit.* 5, *lib.* 39, *etc.*

117. Q. *Quænam donationes validæ censendæ, licet sint factæ absque legali solemnitate?*

R. Dona manualia libere facta inter personas habiles in parte disponibili, quæ etiam in conscientia obligant, saltem ante judicis sententiam contrarium declarantis. *(Ita probabilius Tartara in sup. ad Theol. Moral., Alasia),* et talis est usus. —Inter quæ ex *Bouvier* enumerantur: 1.° donatio de manu ad manum, uti libri, etc.; —2.° donatio *indirecta* sub specie contractus onerosi occultata, uti domus venditio per 100, sed cum intentione pretium condonandi;—3.° donatio *accessoria,* quæ ex conventione cum tertio inita sequitur, uti venditio domus Petro, ea conditione, ut 100 donet Cajo;—4.° donatio *remuneratoria;* nam est quædam compensatio;—5.° donatio *onerosa,* cum sit potius quædam solutio, vel commutatio.

118. Resolves: I. Mortuo donatore (post donationem factam, sive per epistolam missam), ante acceptationem, probabilius invalidatur donatio; nam voluntas donantis jam non conjungitur cum recipientis voluntate. Sed quia res dubia est, possessor bonæ fidei est præferendus. *(S. Ligor., n.* 729, *cum aliis* contra *Mol., Less., n.* 44, *aliosque* docentes virtualiter permanere in litteris, vel nuntio misso.*)*

II. Mortuo donatario ante acceptationem, acceptare nequeunt ipsius hæredes; succedunt quippe in juribus realibus defuncti, non vero in personalibus. *(Ita probabilius Less., Gury, n.* 812, *Varceno, S. Ligor., n.* 731.) Tamen ex æquitate id concedunt aliqui *cum Sanch. n.* 6, *Suar., Mol., Cov., Ballerini etc.,* maxime si filius donatarii hæres sit, ut ait *Lessius;* hæres enim repræsentat personam defuncti.

III. Item si donator revocat donationem antequam acceptetur, etsi sit jurata, et revocatio nuntio, vel donatario innotescat; adempta jam enim est acceptandi potestas, ac nulla erit donatio. *Lex* 10, *tit.* 12, *lib.* 3, *F. R.* —Si non innotescat nuntio ante executionem, invalida item erit, si nuntius se habet solum instar referentis, vel rem tradentis; quia deest consensus donantis; valida autem erit si nuntius habet mandatum donationem faciendi; nam ratum habere debet mandans id, quod ex vi mandati bona fide ejus nomine gestum est. *(S. Ligor., Hom. Apost., n.* 130).—Si insciis de morte mandantis tam nuntio, quam donatario, a nuntio sit facta donatio, valida erit; in bona enim fide possidere incepit, et in dubio melior est conditio possidentis. (*Lugo, n.* 78, *Ballerini, n.* 812, *S. Ligor., n.* 729, *etc., y Ley* 51, *tit.* 5, *part.* 5.ª). Donatio verbalis et acceptata ante rei traditionem non dat jus in re, sed tantum ad rem: hæc vix differt a promissione. *Less., n.* 35, *S. Lig. n.* 732. (V. n. 6.)

Por derecho español todos los actos ejecutados por el mandatario en cumplimiento de su cometido, antes de tener noticia de la muerte del mandante ó de la revocacion del mandato, tienen cumplido efecto. (*Lib.* 15, *de mand.*)

IV. Las donaciones prohibidas entre los cónyuges producen efecto despues de la muerte del donador, si este no las ha revocado expresamente; en caso de haberse cumplido con respecto á las mayores de 500 florines con la formalidad de la *insinuacion* (*Ley 4, tit.* 11, *part.* 4.ª), ó de haberlas confirmado expresamente el donador en su última disposicion. (*Novell.* 162).

V. Si el cónyuge donatario hubiese consumido la cosa donada, solo estará obligado á restituir la suma en que por su razon hubiese aumentado su patrimonio en la época de la contestacion de la demanda. (L. 5, § 18).

119. **Donationes acceptare**, vel per eas acquirere valent omnes generatim, qui per testamentum acquirere possunt, exceptis tantum iis, qui lege incapaces sunt declarati; uti sunt medici et pharmacopolæ, quoad ea, quæ infirmus pro salute recuperanda præter justum stipendiun obtulerit. L. 9 *de profes. et med.;* item concubina, filii illegitimi aliique ut supra; nam quum nulla est donatio, illicita et invalida fit acceptatio. (V. n. 143).

120. **Revocatio donationis inter vivos facta.** Tres sunt causæ principales hujus revocationis: nempe, *ob donatarii ingratitudinem; ob prolem postea susceptam;* et *ob donationem liberis inofficiosam.*

I. Ob *ingratitudinem donatarii; propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata donatoris persona de rigore juris eam poterit revocare.—Si ingratus sit, omnis donatio, mutua patronorum voluntate, revocanda est.—(Exc. propter* 10 *de donat.—Cod. de revocand. donat.*)

Quinque ibi enumerantur casus, in quibus a donatario censetur committi ingratitudo sufficiens pro facienda revocatione donationis, quæ ingratitudo hisce versiculis includitur:

*Ingratum faciunt atrox injuria, damnum;*
*Impia dextera, fides fracta, pericla necis.*

1.° Si donatarius atroces injurias in donatorem parentem effundat; nam huic tantum conceditur tale jus ob ingratitudinem (*Cit. l. ult. et cit. c. propter S.* 13 *febr.* 1867), v. gr. verbis inhonorando, infamando.—Arbitrio judicis relinquitur judicare quænam sit atrox injuria ex facto, loco, qualitate personæ tam offensæ, quam offensoris. (*Ibid.*) Ante judicis sententiam donatarius restituere non tenetur. *Lugo, S. Lig., n.* 738.—Item si filii, quibus omnia parentes donarunt, hos postea negligunt.—2.° Si donatarius grave damnum donatori infert in bonis suis externis; ita ut majorem partem amittat. (*Inst.* § *Atrox de injuria*).—Quod autem sit grave damnum eodem modo, quo de injuria est judicandum.—3.° Si donatarius impias ac violentas manus in donatorem injecerit (ibid.); ita ut percussio sive manibus, sive pedibus, per se vel per alium fiat graviter injuriosa, et cum culpa mortali.—4.° Si donatarius conditiones in donatione appositas et a se acceptatas adimplere nolit, v. gr. non solvere annuam pensionem.—5.° Si donatarius grave vitæ periculum donatori, vel alicui ejus membro inferre præsumpserit, sive eum accusando, sive alio modo, etsi mors secuta non sit. (*Inst. ibid. L.* 1, *tit.* 12, *lib.* 3 *F. R.*, *Lex* 10, *tit.* 4, *part.* 5.ª *S. T. S. J.*, 23 *dec.* 1857 *et* 1858).

II. *Ob supervenientem prolem* ipsi donatario; statim ac filius legitimus, vel naturalis, etsi posthumus, donatori superveniat, seu post patris mortem natus, vel legitimetur per subsequens matrimonium, si natus sit post factam donationem, revocatio pleno jure suum sortitur effectum.

*Lex.* 8, *tit.* 4, *part.* 5.ª; nam ex juris dispositione inest donationi hæc tacita conditio, *nisi nascantur mihi liberi.* Et quidem si facta sit extraneo, tota revocari potest: si vero alicui ascendentium, ut patri, avo, vel Ecclesiæ, aut causis piis, tantum revocari potest usque ad portionem legitimam filii. *Less.*, *S. Lig. n.* 738.

III. *Ob donationem liberis inofficiosam:* est illa, *quæ contra officium pietatis paternæ fit in filios,* ut si pater vel mater alteri tam filio, quam extraneo tantum donaverit, ut reliquis filiis, licet post donatoris mortem natus quis fuerit, *legitima* non remaneat. In hoc casu jus est ipsis, post donatoris mortem, donationem revocandi usque ad eorum legitimam. (*L.* 8, *tit.* 4, *part.* 5.ª, *Const. de Catal.*, *S.* 12 *oct.* 1858, *S. Lig. n.* 740).

Hoc jus pertinet etiam parentibus et ascendentibus, si liberi eorum tam excessivas donationes faciant, ut non remaneat eis debita de jure legitima, casu quo præfati donatores sine liberis, vel nepotibus moriantur. (*L. si filius* 4, *Cod. de inoffic. don.*)

Q. *Quid si donator in ipso donationis actu huic juri revocationis ob supervenientem prolem renuntiaverit?*

R. Invalida erit renuntiatio, nisi de impropria donatione agatur, quæ occasione alicujus certi ac determinati matrimonii fiat. Quo casu etiam filio tribuitur facultas reductionem petendi. Donatio inofficiosa infirmatur tantum quoad partem, in qua filii fraudantur, si animo fraudandi filios sit facta.

121. **Non fit locus revocationi** si donatio facta sit 1.° Ecclesiæ, monasterio vel causæ piæ; quia primario facta est Deo, qui ingratus esse nequit;—2.° si donatio sit remuneratoria, aut improprie dicta; nam hæ in odiosis donationis nomine non veniunt;—3.° si donator ingratitudinem scivit, et tamen donationem non revocavit, remisisse enim censetur;—4.° si facta sit donatio causa alicujus determinati ac certi matrimonii.

122. Q. *Quid de donationibus factis occasione ingressus in religionem?*

R. Ex Trid. (*sess.* 25, *c.* 16, *de Regul.*) constat irritas esse donationes, et renuntiationes, etiam juratas, quæ fiunt ab ingredientibus in religionem (nisi de Episcopi vel ejus Vicarii licentia fiant, vel de Soc. Jesu agatur), intra duos menses proximos ante professionem, si professio postea sequatur. Unde irritantur.

1.° Renuntiatio beneficii ecclesiastici; quia est amissio magni juris, ob quam impeditur libertas a religione egrediendi (*Sanch.*, *n.* 37);—2.° donatio seu renuntiatio bonorum sub conditione professionis edendæ facta; nam accipientes (id est, monasteria, vel hæredes), omni modo donantes (scilicet, novitios) contra libertatem ac divinam vocationem ad professionem facile inducere curabunt (*Nav.*, *Laym.*, *n.* 8);—3.° omnes demum renuntiationes et donationes, quæ fiunt intuitu, vel causa impulsiva ingrediendi; quæ intentio in dubio præsumitur, si non multo ante ingressum sint factæ; Concilium enim absolute loquitur, et alias libertati novitiorum non satis consuluisset. Ita probabiliter *Nav.*, *Less.*, *n.* 40. Unde sic donatum tuto retineri potest, donec per judicis sententiam rescindatur. *S. Lig. l.* 3, *n.* 935.

—Tamen ea Constitutione non prohibentur: 1.° modica donatio; etenim cessat ratio (*Sanch.*, *n.* 23);—2.° testamenta, codicilla, aut donationes causa mortis; quia cessat ratio Trident. in hisce ultimis voluntatibus, cum ad professionem usque revocabiles sint;—quare valet hodie testamentum

a novitio conditum, neque rumpitur secuta professione, etsi monasterium in eo præteritum fuerit. (*Sanch.*)—Qui autem a religione licite recedit, omnia bona ante donata intuitu ingressus in religionem recuperat. *S. Lig. ibid.* —Validæ etiam sunt renuntiationes ante vel post ingressum in Societatem Jesu factæ, juxta ejus Constitutiones; nam Trident. disserte Societatem excepit.—Secus si contra ejus Constitutiones sint factæ; Trident. siquidem in Societatis favorem id voluit; et quod in alicujus gratiam conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. (*Molin., Sanch., Scavini, p.* 822).—La doctrina expuesta en cuanto á donaciones es en general conforme al derecho español, segun es de ver. (*Ley* 1.ª, *tit.* 7, *lib.* 1.º, *de la Nov. Rec.*—*Ley* 1.ª, *tit.* 12, *lib.* 3.º, *del Fuero Real.*—*Ley* 10 *y* 11, *tit.* 4, *part.* 5.ª).

123. **Donatio mortis causa** ea est, *quæ intuitu mortis* per testamentum, vel alium modum *fit, ut effectum obtineat post donatoris mortem.* Unde: 1.º Ex natura sua unilateralis et revocabilis est; nec acceptatio, neque rei traditio ad validitatem requiritur, sed illico post donatoris mortem transfertur rei dominium in donatarium. (*Ley* 11, *tit.* 4, *part.* 5.ª—*S. T. S. J.* 11 *martii an.* 1864).—2.º Omnes, qui testari possunt, has facere valent donationes. Excipitur filiusfamilias, qui licet testamentum condere nullo modo possit, cum id juris publici sit, donare tamen potest causa mortis, cum id sit juris privati; has donationes etiam facere potest mediante patris sui consensu. (*Ley* 11, *tit.* 11, *part.* 5.ª). Sine hoc donare eum posse non tantum de castrensibus, sed etiam de adventitiis probabile censet *Diana*, si nimirum filius ex concessione patris habeat de istis usumfructum et administrationem. *Salm. n.* 116, *Pal.* (v. n. 198).—3.º Acquirere per has donationes queunt omnes, qui per legati titulum acquirere valent. (L. 9, L. 15, *de mort. caus. donat.*).—4.º Ad harum donationum validitatem sufficit donatarii capacitas in ipsa donatoris morte. (*L.* 12, *D. de mort. caus. donat.*).—5.º Donationes *mortis causa* ratæ fieri debent coram quinque testibus; sed ad ejus valorem non requiritur *insinuatio.* (*Ley* 11, *tit.* 4, *part.* 5.ª). (V. n. 189 et seq.)

Esta adquisicion es independiente de la adicion de la herencia del donador. L. 5, *de his...*

Las donaciones *mortis causa* están sujetas á la detraccion de la cuarta falcidia al igual que los legados no piadosos. (L. 42, *de donat. mort. caus.*, L. 1, *tit.* 11, *part.* 6.ª, *Salm.*, *n.* 196, *S. Lig.*, *n.* 961). Del mismo modo pueden ser gravadas con sustituciones. (*Ibid.*).

—Ut valeat donatio mortis causa de jure communi, et hispano: 1.º fieri debet intuitu mortis; in dubio donatio *inter vivos* censetur, et irrevocabilis. *Lugo, Silv., et alii.*—2.º acceptari debet ante donatoris mortem ab ipso donatario, vel alio ejus nomine, si ei manifestetur donatio; secus recusari videretur; valet autem probabiliter, etsi donatarius præsens tacuerit. *S. Lig.*, *n.* 742.—Ipso facto revocatur, si præmoriatur donatarius, nec ad hujus hæredes transit; item si donator periculo propter quod donavit, supervixerit, vel eam revocaverit. L. 11, *tit.* 4, *part.* 4.ª, *et* 5.ª, *S. Ligor.*, *n.* 741, *Ballerini*, *n.* 835. Unde ille, cui mortis causa res mobilis est donata, illam occulte recipere potest, mortuo donatore; saltem probabilius, modo certus sit de ultima voluntate defuncti ac donatione; habet enim jus in re donata, utiturque jure suo. Aliunde res non fuit donata ut solvenda, sed ut ab ipso donatario accipienda. (*Gury*, *n.* 836).

124. Q. *An valeat donatio manualis ab ipso facta sub ea conditione, ut res donata sibi restituatur, si convalescat, vel si repetatur?*

R. I. Affirma, valet ut donatio *mortis causa*, et etiam *inter vivos*, si non sit revocabilis ad donatoris nutum, sed tantum a sanitatis eventu; quia tunc ut donatio conditionata *inter vivos* haberi potest.

II. Affirma *probabilius*, etsi non valeat ut donatio *inter vivos*, quæ postulat ut donator re sua se irrevocabiliter spoliet.—Valere tamen potest tanquam donatio *causa mortis* propter realem traditionem, quæ non minus roboris habere debet, licet nulla fiat mortis mentio. (*Gury*).

—Hinc: 1.° non est donatio *mortis causa*, sed *inter vivos* dispositio, qua quis irrevocabiliter alteri donat dominium rei, cujus usum sibi reservat usque ad mortem.—2.° Idem dic de ægrotis, qui irrevocabiliter personis præsentibus res mobiles, vel etiam immobiles, absque ulla conditione mortem respiciente, donant. Secus dicendum de promissionibus, quæ fieri solent in vita de re aliqua ob meram generositatem danda famulis, amicis, parentibus; neque vi talis promissionis aliquid prætendere quis poterit; et si famuli, vel alii occulte aliquid surripiant, ad restitutionem tenentur; solum quippe bonum animum, vel merum propositum donationis alias faciendæ denotare solent illa verba, non vero actualem, vel futuram irrevocabilem donationem. (*Gury, n.* 837). (V. n. 132.)

125. Traditio definitur: *Translatio possessionis de manu in manum, si res mobilis sit, vel in possessionem, si immobilis.*

**Divisio:** alia est *propria*, quæ consistit in corporalibus tam mobilibus quam immobilibus. Alia *impropria*, quæ rebus incorporalibus competit; hæ tradi dicuntur, cum dominus earum usum concedit.—Alia est *ficta*, quæ triplex est, nempe; *brevis manus*, *longæ manus*, ac *symbolica.* —1.° *Brevis manus* est, cum res aliqua, quæ jam penes alterum existit, ex novo titulo ibi relinquitur.—2.° *Longæ manus* est, cum res ante oculos posita, sola voluntate alteri traditur, qui eamdem se accipere oculis significat, quasi longa manu apprehendens. 3.° *Symbolica* est, quæ aliquo alio traditionis signo fit, uti traditio clavium domus, vel ecclesiæ ad significandam jurisdictionis, vel dominii traditionem.

**Traditio fit:** 1.° de rebus *incorporeis* per documentorum consignationem, quæ earum rerum dominium repræsentant; aut per ipsarum rerum usum de domini consensu; —2.° de rebus *corporeis mobilibus* fit traditione reali, donatione, nempe, de manu ad manum;—3.° de rebus *immobilibus* traditio fit per clavium consignationem, si de ædificio agatur; vel documentorum, si de alia proprietate. (*Inst. lib.* 11, *tit.* 1, *n.* 40, *lex* 46, 47 *et* 48, *tit.* 28, *et lex* 1, 6, 7, 8, *et* 9, *tit.* 30, *part.* 3.ª)

---

# CAPUT III.

## De testamento, ejusque divisione, formalitatibus, et testibus.

126. **Testamentum** est *mentis testatio*, quæ definiri solet: *Justa ac libera voluntatis sententia juxta præscriptam a jure formalitatem de eo, quod quis post mortem fieri vult, cum directa hæredis institutione.*—Tes-

tandi facultas repetenda est primo a jure naturali, ut patet ex supra dictis de dominio; et secundario etiam ex jure civili, cum sit ordinata facultas ad bonum commune; et semper voluntas testatoris est lex in hac materia. *S. de* 1858, 1863, 65, 66, *etc.*

**Divisio.** I. Ex jure romano, et hispano duplex est testamentum, *solemne*, seu commune, scilicet, et *privilegiatum*. 1.^m^ est illud, *in quo servantur omnes conditiones a lege præscriptæ;*—2.^m^ vero illud est, *quod valet, etsi non omnes formalitates communis juris serventur.*

II. Solemne dividitur in *scriptum*, seu *clausum*, et in *nuncupativum*, seu *apertum* : 1.^m^ est *illud in quo testator scripto propria, vel aliena manu confecto suam declarat voluntatem, idque sic clausum notario subscribendum, una cum 7 testibus, tradit.* L. 2, *tit.* 18, *lib.* 10, *Nov. Rec.*—2.^m^ illud est, *quod fit coram testibus requisitis sive in scriptis, sive viva voce.* Hoc a clauso differt, quod ad ejus substantiam non requiritur scriptura, nec testium subscriptio.

III. Privilegiatum est: 1.° *conditionatum:*—2.° *sacramentale ;*—3.° *holographum ;*—4.° *tempore pestis ;*—5.° *itinere super mare;*—6.° *a milite conditum ;*—7.° *a patre pro filio impubere, vel demente confectum.*

127. **Solemnitates** quæ ad validitatem jure romano, et hispano requiruntur in testamentis non privilegiatis sunt sequentes. 1.ª testatoris capacitas tempore conditi testamenti:—2.° legis solemnitates ad ipsum probandum:—3.° ut non intercedat præteritio seu injusta exhæredatio:—4.° ut non sit revocatum ante testatoris mortem. *Lex* 2, *tit.* 18, *lib.* 10 *Nov. Rec.* contra *legem* 2, *tit.* 1, *part.* 6.ª quæ absoleta est quoad testamenti solemnitates. *S.* 28 *jun.* 1846. Solemnitates vero, quæ ad validitatem in unoquoque testamento postulantur, nunc singillatim videamus.

I. Quoad testamentum *conditionatum* nil novi dicendum est; nam subjicitur conditionibus genericis testamenti, cui adnectitur conditio, sive substitutio, sive fideicommissum, ut supra de contractu conditionato diximus.

II. Ad *sacramentale*, quod solum viget in locis consuetudinariis, uti Barchinone, et suburbiis, requiritur 1.° ut testator claris, et expressis verbis voluntatem suam coram duobus testibus manifestet, quando nullum adest dubium testandi animum habuisse; —2.° ut testes intra sex menses, Barchinone commorantes, cum juramento declarent, ante altare D. Felicis M. (hodie Sanctæ Crucis) ecclesiæ SS. Justi et Pastoris, et ante judicem, et notarium aliasque personas, defuncti voluntatem, quam publicus notarius commentari debet.—3.° opus non est in eo hæredis institutio; imo præteriri possunt filii et descendentes, cæteræque externæ formalitates, non vero essentiales. *(S. T. S.* 18 *mart.* 1864, 18 *jun.* 1864, *et* 21 *febr.* 1870. *Const. Cat. L. unic.*, *tit.* 1, *lib.* 6, *vol.* 2.—*Lib.* 1, *tit.* 13, *etc.*).

III. *Quoad holographum* seu patris inter liberos, aut matris, aut alterius ascendentium, requiritur: 1.° ut totum a testatore manu propria scriptum, et subscriptum sit coram duobus testibus rogatis claris, et expresis verbis; -2.° ut apponatur dies, mensis, et annus, in quo est confectum sub pœna nullitatis, quæ adjectio arithmeticis notis fieri potest, et in qualibet testamenti parte; loci inscriptio ubi conditur testamentum minime necessaria existimatur ; — 3.° ut nomen testatoris proprium in forma chirographi subscribatur ad calcem testamenti integris litteris; item nomina filiorum, et portio, in qua ab ipso testatore instituuntur;—4.° quælibet

charta sufficit, sed ante executionem hujus testamenti judici præsentari debet in tribunali primæ instantiæ; judex vero post suum examen jubebit illud penes aliquem notarium custodiri.—5.° si vero hoc testamentum nuncupative fiat, nil innovavit Justinianus; standum est veteri juri, et sufficiet quod fiat cum duobus, vel tribus testibus masculis, vel fœminis. (*Mol., Scavini, Gury, n.* 817). Solo en Cataluña son válidos los testamentos *ológrafos*, los cuales, exentos de toda clase de solemnidades externas, solo pueden revocarse por otros perfectos y solemnes en que se haga terminante mencion de aquellos. (*L.* 8, *tit.* 1, *part.* 6.ª, *S. T. S.* 17 *dic. de* 1860 *y* 25 *junio de* 1877.)—No altera el testamento la falta de institucion de los hijos del testador, ni la de no señalarles la porcion en que los instituye, ni el haber instituido á una persona extraña, porque la ley no exige esa institucion en primer grado en favor de los hijos: y si apareciera la mujer como heredera con la obligacion de disponer de los bienes á favor de los hijos del testador, será aquella heredera de confianza, institucion practicada en Cataluña, quedando los hijos herederos. *Novela* 107, *y S. de* 11 *ocubre de* 1869.—Segun la *ley* 8 *de inoff. test.* el padre que testa por su hijo impúber puede privar á la madre de su porcion legítima; pero no se presume á no constar explícitamente. *Const. únic., tit.* 6, *lib.* 6, *vol.* 1, *y S. de* 27 *nov. de* 1872.

IV. Ad testamentum *tempore pestis* sufficiunt septem testes (vel duo ut infra dicetur) separatim adhibiti et subscripti. (*L.* 8, *Cod. qui test. fac., tit.* 22, *lib.* 6, *S. Ligor., l.* 3, *n.* 926). Imo absolute loquendo sufficiunt solemnitates juris gentium, scilicet, tres, vel duo testes, sive fœmina, sive notarius ipse. Ita *Dian., Sa, Laym., S. Lig., ibid.* Si parochus coram uno teste scribat, habere vim testamenti, saltem nuncupativi, dicunt *Mol., March., Diana:* quando testis, vel notarius haberi non possit, ultimæ voluntates validæ pronuntiantur, si de voluntate defuncti liquido constat. *S. Lig.*

V. Quoad testamentum *in itinere super mare,* idem fere ac in tempore pestis dicendum.

VI. Ad testamentum a *milite conditum* requiritur: 1.° ut testator foro militari gaudeat, sive in castris, sive in domo sua inveniatur. (Los retirados hoy han perdido el fuero militar.) (*L.* 8, *tit.* 18, *lib.* 10 *Nov. Rec., Lex* 4.ª, *tit.* 1, *part.* 6.ª);—2.° præterire nequit sub nullitatis pœna descendentem suum, si testator ejus existentiam non ignorat (*Lex* 7 *et* 8, *tit.* 18, *lib.* 10 *Nov. Rec., Lex* 4, *tit.* 1, *part.* 6.ª); —3.° uti valet simplici papyro propria manu subscripta, vel alio modo, in quo constet sua voluntas; aut illud ante scribam facere potest cum assuetis formalitatibus sicut ipsi placuerit. (*Inst. de milit. test.* Real órden de 17 de enero de 1835).

Testamentum militare inceptum cum formalitatibus, validum erit, etsi mors illud consummare impediat. (*L.* 3, *D. de test. milit.*).—Item miles ad mortem damnatus testari valet. (*L.* 29, *Cod. de test. milit.* —*L.* 4, *lib.* 5, *Nov. Rec.*).—Imo miles solo nutu testari potest, sine subscriptione testium, nec signorum appositione; licet surdus et mutus sit, si in castris auditum et vocem amiserit. (*Diana, aliique*).—Los regulares que ejercian el empleo de capellanes del ejército podian testar libremente de lo adquirido por razon de dicho empleo, y durante el mismo, con la obligacion de hacer alguna manda pia. (*L.* 9, *tit.* 21, *lib.* 1, *de la Nov. Rec.*). Los que gozan del fuero militar pueden hacer testamento por sus hijos impúberes emancipados, y tambien por un estraño; pero en este caso solo pueden de lo que el pupilo haya adquirido de los mismos. *L.* 6, *L.* 41, *de test. milit.*

V. *Testamentum impuberum:* El padre que tiene bajo su potestad á su hijo impúber, puede disponer en testamento de los bienes de este para el caso de que no

llegue á la pubertad, en cuya edad queda sin valor, aunque el padre hubiese dispuesto que se estendiese mas allá de dicha edad. *L. 5, tit. 5, part.* 6.ª Para la validez es necesario que al mismo tiempo haga testamento para sí, si no es militar, en un documento ó en dos separados: será nulo el del impúber, siéndolo el del padre (y no *vice-versa*), á no ser por la pretericion sin justa causa, en cuyo caso subsistirá el del hijo: será tambien válido este testamento tanto si el padre le ha instituido como si le ha desheredado: en este caso si el heredero nombrado no acepta, será nulo el testamento del impúber.—Si este es nombrado heredero por el padre, subsistirá el testamento, aunque no acepte la herencia paterna.—Si el padre deshereda á su hijo, no puede en el testamento que haga en su nombre gravar con legados y fideicomisos al heredero nombrado; mas puede excluir en él á la madre del mismo hijo de la porcion legitima. *L.* 1, *tit.* 20, *lib.* 10 *Nov. Rec.*, y *Laserna, Montalban, Eizondo, Gutierrez* contra de *Gomez, Lopez, Covarrub.*—Si el impúber es emancipado por su padre ó le premuere, queda nulo el testamento que este hubiese hecho á nombre del primero.—Si el padre habiendo hecho testamento para sí y para su hijo impúber hiciera otro válido para sí, ambos quedarian anulados. *L.* 2 *princip. de vulg*... Si lo ha limitado á una edad menor que la pupilar, queda sin efecto llegada la edad señalada. *L.* 14 *y* 24.

Testamentum dementium. El padre, el abuelo, bisabuelo, y tambien la madre puede hacer testamento para su hijo demente no sujeto á la patria potestad, (dejándole la porcion legítima), y queda nulo al recobrar el juicio.—Si el demente tuviese hijos deberá dejarse á éstos la herencia. En falta de descendientes, deben ser instituidos los hermanos del demente, y en defecto de éstos, puede el testador nombrar heredero á quien le parezca. Si el demente tiene hijos y hermanos puede el testador repartir la herencia entre ellos como quiera. *L.* 11, *tit.* 5, *part.* 5.ª etc. En lo demás como en el de los impúberes. *Inst.* § 1, *de pub. subs.*

En Cataluña aunque se anule el testamento por causa de pretericion ó desheredacion, queda válido el nombramiento de albaceas. *Novell.* 115, *c.* 3.—Es opinion comun que el albacea no goza de salario; pero debe dársele, cuando conste ser ésta la voluntad del testador y del albacea. En Cataluña los albaceas universales perciben el 10 por 100 de los caudales que administran. En Vich el 5 por 100.

---

# CAPUT XIII.

## De codicillis, et legatis.

156. **Codicillus** est *velut appendix testamenti,* quamvis condi possit tum ante, tum post ipsum testamentum: tamen hoc non illum invalidat, nisi expresse revocetur. L. 5 *et* 16 *de jur. Cod. tit.* 7 *lib.* 29.—Hinc: 1.° Codicilli sunt *scripti* vel *nuncupativi* velut testamenta; a *testato* vel *ab intestato;* illi cum testamento cadunt, nisi aliud sit statutum a testatore; isti suis propriis viribus subsistunt.—2.° In codicillo aliquid testamenti plerumque explicatur, detrahitur, mutatur, vel legata instituuntur; aut etiam declaratur (in Catalaunia), quod si testamentum ex defectu sive solemnitatis, sive præteritionis etc., non valeat, vi tamen codicilli valorem obtineat. In hoc casu hæres ab intestato legata solvere ac hæreditatem restituere tenetur hæredi in illo testamento instituto; quamvis retinere sibi valet quartam trebellianicam, ac etiam portionem legitimam, si hæres necessarius est; nam habetur velut hæres fiduciarius, et ita sustinetur

ejus institutio. L. 1, *de jur. cod. tit.* 7, *lib.* 29, *et* L. 29, § 1, *D. qui test. fac.*, *S.* Lig. *n.* 919; *Ita jus commune et Catal.*

Codicillos facit, qui testamentum facere potest, et codicillos etiam sine testamento; sed non potest quis in iis hæredem directe instituere, neque exhæredare, nisi sufficiens causa ibi exprimatur ac probetur; nec conditionem hæredi in testamento instituto in codicillis adjicere, nisi fideicommissum ordinetur. (§ 2, *Inst.*, L. 6, *pr. l.* 10, D. 1..., 2, *C.* 4, *t.—Balcells, p.* 148).—Tamen hæredibus necessariis conditionem imponere potest, et etiam testamento institutis, ut alteri signato hæreditatem cedant. Sed in hoc casu quartam partem trebellianicam deducere potest primus hæres nominatus. (L*ey* 2.ª, *tít.* 12, *part.* 6.ª) Plures codicillos quis facere valet modo sibi invicem non adversentur. L. 9, *Cod. de jur.*

Un codicilo ante escribano público y con el número de tres testigos, que previenen las *leyes* 1.ª *y* 2.ª, *tít.* 18, *lib.* 10 *Nov. Rec.*, será válido, pues segun la *ley* 3.ª *de Toro*, ó sea la 2.ª citada, en los codicilos debe intervenir la misma solemnidad qúe en el testamento.

En Cataluña no es necesario el cumplimiento de las formalidades internas de los testamentos, y bastan dos testigos, lo propio que en el testamento. *Inst.* § 3 *de codicil.*, *tít.* 25, *lib.* 2. (*V. Ley* 3, *tít.* 12, *part.* 6.ª) Pero no se ha de expresar que han sido rogados los testigos. *(Balcells).*

157. **Legatum** est *donatio quædam a defuncto relicta, et ab hærede præstanda.*—Est impropria donatio causa mortis, quæ revocari pro libito potest.—Morte legatoris, legatarius habet jus ad rem legatam, et ab hærede acquirere debet jus in re, non a se ipso. *S.* 26 *set. de* 1862, L*eyes* 37 *y* 38, *tít.* 9 *y l.* 2, *tít.* 10, *part.* 6.ª

158. **Divisio.** Multiplex est legatum: 1.º *absolutum*, et *conditionatum;* —2.º *universale*, vel *particulare*, uti si legentur omnia mobilia, vel talis summa;—3.º *in diem*, vel *ex die*, prout quis dat aliquid ad quinquennium, vel nonnisi post certum tempus a discessu;—4.º *disjunctivum*, vel *conjunctivum*, aut *alternativum;* prout diversa diversis tribuuntur, vel pluribus aliquid legatur, aut tribuitur eligendi facultas inter plura. Quibus per dotem, etc., legitima jam data est, vel in documentis ad matrimonium consignata manet, aliqua parva quantitas relinquitur in testamento, id ipsum ibi consignado; ne eos præteriri dicatur, quod clausulam hæreditariam invalidaret.

159. Q. *Quinam legare possunt, quibus assignari, et quibus solemnitatibus?*

R. I. Legare queunt qui valent testari; qui potest majus potest minus.—Iis autem legatum assignari potest, qui recipiendi sunt capaces per testamentum, et aliis per hoc incapacibus etiam quoad alimenta. (L*ey* 1, *et* 4, *tít.* 3, *et* 9, *part.* 6.ª).

II. El legado se hace del modo con que se hace el testamento; y si es nulo el testamento ó codicilo, queda inválido el legado, á no ser que fuese nulo el testamento por la pretericion de alguno de los descendientes del testador que tiene derecho á la legítima. *(L.* 1, *tít.* 8. *part.* 3.ª).—Si la vinculacion ó fideicomiso perpetuo se hubiesen hecho de alguna cosa legada, quedan á favor del heredero nombrado en testamento los bienes que lo forman. *(S. T. J.*, 7 *de abril de* 1864).

Es incapaz el legatario que hubiese ocultado maliciosamente el testamento en el cual se dejaba el legado, ó lo hubiese impugnado como falso, á no quedar vencido.

Los legados son válidos mientras conste por las palabras la voluntad del testador; tampoco impide el efecto de los legados el error en el nombre del legatorio, ni la

equivocada designacion de la cosa legada ó de la causa motiva. *L.* 9, 20 *y* 21, *tít.* 9, *part.* 6.ª Si entre dos personas del mismo nombre y circunstancias con que el testador ha designado el legatario, no puede saberse cuál sea la nombrada, será ineficaz la disposicion. *L.* 16 *de reb. dub.*, *tit.* 5, *lib.* 34.—Legada cierta cantidad de dinero, etc. en testamento y la misma en codicilo, el heredero debe entregarlas ambas, no probando ser otra la voluntad del testador. *L.* 45, *tít.* 9, *part.* 6.ª Si se ha repetido en otros casos, debe probarla el legatario. *L.* 34 *de legat.*—El obligado á la entrega de la cosa legada responde, en caso de eviccion, si la cosa correspondia á una especie y fué indeterminada. L. 58 *de evict.*, *tít.* 2, *lib.* 21.—Son irrevocables, aun en el testamento, la mandas consignadas en escritura pública. *S.* 19 *dic. de* 1862. Tambien lo son las mejoras hechas en virtud de un contrato oneroso, ó entregadas al mejorado las bases en que consisten, ó si ante escribano se le hubiese entregado la escritura en que estuvieran constituidas, á no haberse reservado el mejorante la facultad de revocarlas, ó el mejorado incurriere en alguna de las causas por las que pueden revocarse las donaciones perfectas. *L.* 1, *tít.* 6, *lib.* 10 *Nov. Rec.*

Q. *An valeant legata pia, si invalidum sit testamentum?*

R. Communius valent; nam ibi tantum ad jus canonicum attenditur in favorem religionis. *(Ron.*, *Lay.*, *Cov.*, *S.* Lig., *l.* 3, *n.* 925, *etc.)*—Alii etiam extendunt ad legata non pia; quia utile per inutile non vitiatur.—Saltem res dubia est; ergo legatis favendum. (*Scavini*, *p.* 738).

160. I. **Legari possunt** ea, quæ in rerum natura sunt, vel fore sperantur, uti fructus venturi, sintque in commercio humano, neque a lege prohibeantur.—Imo legari possunt res incorporeæ, uti jus aliquod ab alio recuperandum; et dicitur legatum *nominis*, si ab extraneo, *liberationis* vero, si ab ipso legatario debetur. *L.* 12, *tit.* 9, *part.* 6.ª, *L.* 17 *de legat.*

II. Sed nullum esset legatum de re alterius, nisi id sciverit testator, et tamen in testamento expresserit; quippe tunc hæres tenetur rem illam, etiam judiciali via, vel pretium legatario procurare. (*Lex* 10, *Cod. de legat.* L. 10, *tit.* 9, *part.* 6.ª) Vel nisi ex conjecturis prudenter constaret, quod nihilominus testator eam legasset: imo etsi testator putasset rem esse suam, cum sit hæredis, debet hæres legatario illam tradere. (L. 67, § 8 *de legat.*, L. 10, *tit.* 9, *part.* 6.ª). Ratio est; quia cum hæres cætera bona defuncti acquirat, jam sic compensatur, et recte gratitudinis causa dicta re alteri legata se expoliare debet.

III. Legata non debentur nisi legitima, atque ære alieno deducto. (L. 66, *ad leg. falcid.* 2).—Res nominatim legata in specie, quæ limites non habet, v. gr. una hæreditas, vel domus, si pereat, vel inveniri nequeat inter testatoris bona, nec dolo hæredis deesse probetur, peti non potest; secus si res limites habet, v. gr. calix, equus. L. 23, *et* 29, *tit.* 9, *part.* 6.ª—Legatarius uti nequit legis falcidiæ, vel trebellianicæ beneficio. (L. 47, *ff. ad leg. falcid.* 5).

El legado de una casa no comprende los muebles que hubiese en ella, ni el de una granja los aperos de labranza. Legada una casa con todo lo que en ella se encuentra, no comprende las cosas que están en ella temporalmente, ni deja de comprender las que accidentalmente se hallen fuera de la misma. Asi no se comprenderán los créditos cuyos títulos se hallen custodiados en la casa, ni el dinero que en ella se encuentre. *Leyes* 32, 44, 46 *y* 86 *de legat.* 2 *y* 3, *lib.* 32, *etc.* Lo mismo parece debe resolverse del dinero y otras prendas halladas en vestidos, cómodas y semejantes legados.

Legada una cosa á muchos sin señalar partes, se entenderán iguales. *L.* 1, *tít.* 12, *part.* 6.ª—El legado dejado á un acreedor, no se entiende hecho en compensacion

del crédito. *L.* 85 *de legat.*—El legado dejado al legatario y sus herederos, se entiende tambien á los herederos de sus herederos. *L.* 22, *Cod. de legat.*—El legado anual de cierta cantidad de frutos, que cada año producirá una herencia determinada, tendrá efecto aun en el año que no haya cosecha, habiendo de los anteriores lo suficiente para este pago, que adquiere el legatario al principio del año, aunque muriera luego de empezado este. *L.* 17 *de an. legat., et L. Cod. quand.*

161. Q. *Quænam portio bonorum legari licite potest?*

R. Ut plurimum non expedit ea prodigere; ita ut, si tres quartas partes hæreditatis in instituti hæredis, vel hæredum præjudicium superent, erit deveniendum ad solutionem explicandam, qua primo deducuntur defuncti debita, ac sepulturæ expensæ. (L. 66, *ad leg. falcid.* 2, L. 1 *y* 2, *tit.* 11, *part.* 6.ª). Quod superest, hæreditatem constituit, cujus quartam partem integram saltem potest sibi reservare hæres (vel hæredes pro rata) uti talis, detrahendo a singulis legatis pro rata partem necessariam, ut liquida ipsi maneat dicta quarta pars, quæ vocatur *quarta falcidia, ex lege falcidia.*—At hæc detractio fieri nequit, quin hæres, tempore statuto, inventarium hæreditatis sumpserit, et id non prohibuerit testator; uti prohibere potest ad quæstiones vitandas inter legatarios, et hæredes. (*Tot. tit. ff., etc. Cond., et Inst. ad leg. falcidiam*).—Ibi tamen eximuntur legata pia, quæ deductionem illam non admittunt. *Autent. similiter Cod. ad leg. falcid. tit.* 50, *lib.* 6, Ley 10, *tit.* 9, *part.* 6.ª—Item Episcopus de legatis ecclesiæ in sua diœcesi sitæ portionem canonicam detrahere potest, quæ varia est juxta cujusque loci consuetudines. Excipe, si citra fraudem legata relicta fuerint ecclesiæ pro ornamentis, fabrica, cereis; item pro pauperibus, et similibus. *(Cap. Officii* 14, *hæc tit. cap. Requirit. Vallens. par. tit. in jus Can., lib.* 3, *tit.* 26, § 2).

162. Q. *Intra quod tempus, quo ordine, et modo legata sint distribuenda?*

R. I. Intra sex menses quoad legata pia; et intra annum quoad profana. Secus de damnis tenetur. In foro autem conscientiæ hæredes, et executores tenentur sub gravi statim implere legata (maxime pia), cum possint. Ita *communiter Salm., n.* 155, *Lugo, Diana, S. Anton., S. Lig., n.* 941, *et alii.* Insuper ab utroque judice compelli possunt, si laici sint, et si post annum a monitione exequi negligant, omni commodo, excepta legitima hæredis, ex testamento ipsis proveniente, privantur; et jus executionis devolvitur ad Episcopum. *Mol., Dian., S. Lig., n.* 941. (Quoad legata pia.) Et tenetur Episcopus exequi, removendo illos ab executione, et emolumentis spoliando. *S. Lig., n.* 941.

Q. *Quomodo resolvuntur legata?*

R. Iisdem causis, quibus nullæ sunt dispositiones testamentariæ, v. gr. revocatione, diminutione, translatione alteri personæ; insuper 1.º *alienatione legati;*—2.º *immutatione,* ita ut primam amittat formam; —3.º *illius interitu totali;* secus in parte sustinetur: et si pereat post testatoris mortem sine hæredis culpa; vel etsi hæres in mora fuerit, modo æque periisset, ad nihil hic tenetur. L. 42, *tit.* 9, *part.* 6.ª, *Instit.* § 1 *de legat., tit.* 21, *lib.* 2.

163. I. **Solutio legati**: Si legatum sit *conditionale,* expectari debet conditionis impletio; tamen adstringi potest hæres ad cautionem dandam. —Si vero fuerit *simplex,* a morte testatoris competit legatario jus illud habendi, cum suis usuris ac fructibus: 1.º si legatum sit res frugifera;—

2.° si id imperaverit testator; — 3.° si titulo alimentorum pensio sit legata. — In aliis casibus fructus a die judicialis petitionis debentur, aut a die, quo fuit promissa ipsa legati præstatio; sed non licet ex se legatum proprium facere, sed semper est postulandum. *(Scavini, n.* 346, L. 34 *et* 39, *tit.* 9, *part.* 6.ª)

II. Quando quis legaverit proprietatem alicujus rei immobilis, et eamdem proprietatem auxit aliis novis fundis acquisitis, isti, licet contigui, partem rei legatæ non constituunt, nisi novam testator condiderit dispositionem. Tamen partem rei legatæ constituunt ornatus, novæ ædes in fundo legato extructæ, ampliationes alluvionis, et similia. L. 37, *tit.* 9, *part.* 6.ª

III. Gaudet etiam legatarius jure accrescendi, sicut ipse hæres, quando deficit conditio, sub qua aliquis ex legatariis fuerat vocatus, vel si res una pluribus sit legata in eodem testamento, etiam separata dispositione. *(Del-Vecchio, n.* 346).

164. Q. *Quomodo relicta legata incerta executioni sint mandanda?*

R. 1.° Si incertitudo sit ex parte legatarii; v. gr., quia duo sunt ejusdem nominis, jure civili cadit legatum: in foro autem interno æqualiter inter eos fiat divisio, si in id consentiant. *Mol., Dian., Trull.* — 2.° Si vero legatum sit pium, et adsit incertitudo loci, vel ecclesiæ, non fit caducum, sed plerumque pauperiori ecclesiæ, vel xenodochio dandum erit. — 3.° Si denique incertitudo sit ex parte rei legatæ, v. gr., an talis ovis, vel equus; danda est ex mediocribus; si an talis domus, vestis, etc., electio pertinet ad hæredem, qui rem in genere minimam dando satisfacit. Idem dic de legatis in numero, pondere, et mensura consistentibus. *S. Lig., n.* 938.

165. Q. *An legatum relictum puellis, ut nubant, in conscientia dare liceat religionem ingredientibus, aut viceversa?*

R. I. Affirma, si relictum sit determinatæ personæ, nisi aliter de testatoris mente constet. Patet 1.° ex jure canonico (*Authent. de Sanctis Epis.* § *et hoc),* ubi ita statuitur; — 2.° ex ratione; ne scilicet ad legatum consequendum inconveniens status eligatur. — Si vero indeterminatis sit relictum, probabilius non licet; esset quidem in aliorum præjudicium; et aliunde intentio testatoris esse videtur subvenire ad alterutrum statum contendentibus. Imo cum agatur de justitia, dari nequit illis, quæ jus probabile tantum habent. (*Lugo, n.* 293, *Gury, n.* 830, *Scavini, p.* 739, *S. Ligor., n.* 734 *et* 930).

II. Item si legatum sit relictum orphanis, in horum concursu sine injustitia aliis pauperibus dari nequit; porro testatoris voluntas est adimplenda in suo proprio sensu, quando fieri potest. (*Ex Clem. quia contingit de rel. Domib., et ex Trident., sess.* 25, *c.* 8). *S.* 23 *nov.* 1875. Si vero non sit talis concursus, videtur dari aliis pauperibus posse; sic etiam adimpletur meliori modo possibili voluntas testatoris. Inutilis pater reputatur uti mortuus. *S. Lig., n.* 930.

Q. *Quid si relictum sit puellis, ut nubant, et jam sine dote nupserint?*

R. Si testator dederit indeterminatis puellis ad periculum prostitutionis vitandum, tunc, secuto matrimonio, cessat jus ad dotem. — Si vero relictum sit legatum personis determinatis, vel ad pauperes sublevandos in genere, bene dari poterit nuptis; tunc enim præsumitur perseverare

finem testatoris. (*Salm.*, *Sanch.*, *Scavini*, *S.* *Ligor.*, *n.* 930). Quando vero legatum est relictum pro dotandis puellis pauperibus, bene dari potest nuptis; tunc quidem perseverat finis testatoris, scilicet, ipsarum inopiam sublevandi. *S.* *Lig.* *cum communi.*

Q. *Quid si relictum sit virginibus ad nubendum, dari poterit corruptæ?*

R. Nega, si publice de corruptione constet; quia non adimpletur finis testatoris. -Secus si clam; cum in communi æstimatione virgo habeatur, neque turpidinem suam prodere teneatur.—Probabilius legatum petere non potest corrupta; porro non servaret verba testatoris in aliarum præjudicium, nisi desint aliæ virgines; tunc enim interpretari videtur de putata virgine. (*Ita Con.*, *Roncaglia*).

—Item legatum fœminis relictum in matrimonio collocandis, dari potest viduis iterum nupturis, si non adsint aliæ fœminæ ætate nubiles; secus, si adsint. Ita communiter *Salm.*, *S.* *Lig.*, *ibid.*—Item legatum puellæ relictum, ut virgo remaneat, debetur ei, si nubat. Secus si relinquatur viduæ ad servandam viduitatem. *Sal.*, *Con.*, *S.* *Lig.*—Legatum puellæ relictum, ut nubat, si ante nuptias moriatur, ad ejus hæredes transit, si ei relictum sit intuitu subventionis, ut nubere possit; secus si nullo respectu habito ad personam, sed tantum ad piam operam peragendam; tunc ad aliam pauperem dotandam est convertendum. *Lugo*, *n.* 209, *S.* *Lig.*, *n.* 930.

166. Q. *Quomodo est distribuendum legatum pauperibus relictum?*

R. 1.º Si testator id ordinaverit, illi parendum est;—2.º si vero reliquerit hæredis vel curatoris arbitrio, poterit cuicumque vere pauperi dari, juxta charitatis regulam; sed præferendi sunt indigentiores testatoris propinqui, concives, probi, et fœminæ ratione periculi. *(Ita communiter cum Scavini).* Imo dari potest hospitalibus, locis, ecclesiis indigentibus, et iis, qui secundum suum statum vivere non possunt, dummodo aliam fuisse testatoris voluntatem non constet. *Vazq.*, *Mol.*, *Dian.* Si legata pia inveniantur inducta, tenetur hæres ea solvere, licet non constet de testatoris intentione; præsumitur enim id fortuito accidisse. *Bard.*, *S.* *Lig.*, *n.* 940.—Si aliquid determinato pauperi legaverit, et moriatur, hæres illud alteri pauperi dare tenetur; præsumitur enim in beneficium animæ testatoris. *S.* *Lig.*, *ibid.* Imo sibi aliquid applicare potest executor, si pauper sit, ut dicunt *Sanch.*, *Laym.*, *Barb. cum communi.*—Si dicat testator inter pauperes, non potest uni tradi. Ita *Ronc.*, *Barb.*, *cum communi.* —3.º Hæc est res parochis plena periculis; quia tunc omnes pauperiores apparere exoptant, quod esse solet in parochum murmurationis, ac aversionis causa. Magna cautela igitur opus est.—Curare oportet, ut citius fiat distributio, ad vivorum atque defunctorum profectum.

Los que otorgan testamento en la Corte ó á 8 leguas en contorno, deben dejar mandas para los hospitales generales. *R. O. de* 11 *dic. de* 1850 *y* 17 *oct. de* 1851.—Los legatarios gozan del derecho de acrecer, el que solo tiene lugar en los légados de usufruto con respecto á la parte de los legatarios que falleciesen despues de haberla aceptado, ó que no han aceptado su parte, á no haberlo prohibido el testador: se divide la parte vacante entre aquellos á quienes acrece. *L.* 10 *de usufr. acer. tit.* 2, *lib.* 7. El que acepta está obligado á cumplir con lo que ordenó el testador, y el que acrece aun con las cargas correspondientes á la parte. *L.* 36, *tit.* 9, *part.* 6.ª, *etc.*—El heredero es responsable de los daños por no entregar la cosa legada á su tiempo, y el legatario de los ocasionados por no quererla aceptar. El legatario hace suyos los

frutos de la cosa legada desde la muerte del testador. *Leyes* 34 *y* 37, *tít.* 9, *part.* 6.ª
Por Real cédula de 30 mayo de 1830 y segun la *Ley* 15, *tít.* 20, *lib.* 10 *N. R.* se halla establecido: 1.° que no valgan las mandas y herencias dejadas en la última enfermedad hechas á su confesor, ni al deudo, iglesia ó religion del mismo. - 2.° Ni deben tener efecto los sufragios encargados con iguales circunstancias, sino que los parientes mas próximos heredarán dichas cantidades, y en su defecto serán aplicadas por las justicias á otras obras piadosas. *S.* 18 *jun.* 1861.

**Aragon.** No pueden recibir legados el hijo adulterino, el sacrílego y el incestuoso. El legatario ó defensor de los bienes del difunto ha de pagar las deudas ó dejar los bienes, á no consistir el legado en dinero. Esto se entiende en defecto de heredero. *Blas.* Si el marido dejare legados piadosos, se pagarán con los bienes muebles de aquel, y en su defecto, con sus bienes sitios, salvo el derecho de viudedad. *Obs.* 1, 3, 15, *etc.* El heredero no detrae la cuarta falcidia. *Molino.* Es discutible, si esta existe por derecho comun. *Elías.*

167. **Legata pia** ea dicuntur, quæ intuitu pietatis sunt relicta, uti loco, vel personæ sacræ, nosocomiis, confraternitatibus, pupillis, orphanis, pauperibus studiosis, (saltem in studiis theologicis,) monumenti pii constructioni, publicæ utilitati, aut necessitati. *(Dian., S.* Ligor., *n.* 937).

168. **Commutatio piorum legatorum, et fundationum.** I. Nihil potest *ex se* Episcopus circa ea; nam ex *Trid., sess.* 22, *c.* 8, tantum imponitur Episcopis sollicitudo ultimas voluntates, et pias fundationes sedulo exequendi;—et *Sess.* 6, *c.* 6, id unum Episcopis injungitur, ut quando reductiones, vel commutationes a Sede Apostolica eis committantur, ipsi eas ante executionem examinent, an verum sit expositum. *(Ita probabilius Barb.,* Lugo, *Scavini, n.* 610, *Gury, n.* 832, *S.* Lig., *n.* 931 *et* 939, *aliique).*
—Excipiendi sunt casus, qui si a testatore essent prævisi, aliter disposuisset; uti 1.° si pecunia ad aliquem usum legata non sufficiat, vel legatum adimpleri nequit;—2.° si res legata deservire non possit pro usu determinato; aut non sit ad usum ita necessaria; uti si legatum sit pro vasis sacris, quibus ecclesia non eget, sed potius casulis; nam tunc ex epickeja interpretari potest testatoris voluntas. Ita probabilius et communius *Salm.*, *Lugo*, *n.* 305, *Scavini*, *Gury*, *S.* Ligor., *n.* 931.

II. Potest utique Summus Pontifex, si adsit justa ac necessaria causa. Constat 1.° ex *Clementina,* ubi legitur: *Quia contigit de religiosis domibus ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alia (salva Sedis Apostolicæ auctoritate), converti.*—2.° Ex ratione; etenim Pontifex est a Christo institutus piarum causarum administrator, ut possit de iis disponere, sicut exigit necessitas, vel utilitas spiritualis.—Idem dicendum de principe quoad legata profana.—3.° Ex usu ac praxi Ecclesiæ. (*Gury, Scavini, S.* Ligor., *n.* 939).—Tamen diximus si adsit *justa ac necessaria causa;* nam Romanus Pontifex non tamquam dominus agit, sed uti dispensator Domini. *(Ita cum communi ac veriori sententia, Lay., Busemb., Sanch., Salm., Scavini*).

# CAPUT XIV.

## De substitutionibus.

169. Substitutio est *institutio hæredis* 2.ⁱ, 3.ⁱ, 4.ⁱ, *etc., in loco primi defuncti.—Multiplex* est, nempe, *vulgaris, pupillaris, fidei-commissaria, exemplaris, et compendiosa.*

I. **Vulgaris** (seu conditionalis, quæ ab omnibus fieri potest, qui possunt testari): est *institutio alius, vel aliarum personarum, casu quo hæres jam scriptus præmoriatur, vel alias non fuerit hæres:* est nullius roboris hæc substitutio, si substitutus præmoriatur testatori, vel antequam sibi ipsi aperiatur successio, vel primitus vocato, vel antequam hic renuntiaverit. *(Ley* 2.ª, *tit.* 5, *part.* 6.ª, *S.* 30 *jun.* 1866).

II. **Pupillaris** est, *qua pater impuberem prolem sub potestate sua constitutam hæredem instituit, eique alium sub conditione substituit, casu quo moriatur antequam pubertatem attigerit, in qua ætate testari valet:* et tunc bona patris ab impubere ad substitutum devolvuntur una cum bonis ipsius impuberis; nam testamentum patris est quasi testamentum prolis impuberis. *(L.* 5, *tit.* 5, *part.* 6.ª) Substitutio jus ad legitimam adimere nequit. *(Gut., p.* 333).

Empero si el sustituto es nombrado heredero juntamente con el hijo, puede tomar los bienes del pupilo y dejar los demás; y si es nombrado simplemente sustituto, debe llevar los del hijo y los del testador. Si el sustituto tuviese incapacidad legal para heredar, pasarán los bienes á los que deban heredar *ab intestato. L.* 5 *y* 8, *tít.* 5, *part.* 6.ª

**Queda sin efecto la sustitucion pupilar**: 1.º por llegar los pupilos á la pubertad.—2.º por la muerte del hijo antes que la del padre.—3.º por salir el hijo del poder paterno.—4.º por la anulacion ó revocacion del testamento del padre.—5.º por nacer posteriormente un hijo de quien no se hizo mencion en el testamento. *L.* 1 *y* 11, *tít.* 5, *part.* 6.ª

170. III. **Fideicommissaria** *universalis* ea est, *qua hæres, vel legatarius ex defuncti voluntate palam jubetur per aliquod tempus conservare, et dein alteri hæreditatem, vel legatum restituere.* Et hæreditas sic acquisita vocatur *fideicommissaria*; primus autem hæres sic temporaliter acquirens dicitur *gravatus*, vel *fiduciarius* (heredero de confianza); persona vero cui postea fieri debet hæreditatis restitutio vocatur *fideicommissarius. L.* 14, *tit.* 5, *part.* 6.ª *Inst.* § 2 *de fideic.*

Ab antiquo duplicis speciei erant fideicommissa, *temporalia* nempe, et *perpetua;* sed hæc nunc prohibita in Hispania sunt, Regio decreto 27 sept. 1820, uti lex publicato 11 octob. ejusdem anni, et instaurato 30 august. 1836, art. 1.º et 14. Possunt adhuc testatores suis hæredibus substitutionem temporalem imponere, modo hæc non se extendat ultra secundam generationem, juxta *R. O.* 24 *nov.* 1818, *art.* 2. *(S. T. de J.,* 21 *de abril de* 1866).

No obstante el *T. S. de J. en* 28 *abril de* 1871 resuelve, que establecido en testamento el usufruto de una casa hasta que se caiga de vieja, no se declara el usufruto en perpetuidad, sino á tiempo cierto, aunque indefinido; y por lo tanto la sentencia que anula dicha cláusula es contraria á lo dispuesto por el testador, infringiendo la *ley* 5, *tít.* 33, *part.* 7.ª Es el parecer de muchos autores que aun pueden hoy sustituir los testadores á sus herederos temporalmente, con tal que no se estienda mas allá de cuatro generaciones, segun estableció Justiniano en el nuevo derecho romano. *Novell.* 159.

En España habia unas sustituciones llamadas *mayorazgos*, las que no son mas que unas instituciones por las cuales se prohibe la enajenacion de ciertos bienes, ligándose la posesion de estos á una série de determinados sucesores á manera de los beneficios de sangre. Estos mayorazgos tienen el carácter de disposiciones *causa mortis.*—Por Real cédula de 14 de mayo de 1789 se prescribió que de allí en adelante fuese precisa la licencia del Rey. En la Real cédula de 19 de setiembre de 1798 (*ley* 22, *tít.* 2, *lib.* 1 *de la Nov. Rec.*), se dispuso la enajenacion de todos los bienes

raices pertenecientes á obras pías, aunque fueren de patronato activo ó pasivo, ó por derecho de sangre sin perjuicio de los derechos de patronato, cuyos capitales debian imponerse en la Real caja de Amortizacion, bajo el interés anual del 3 por 100 para el cumplimiento de todas las cargas impuestas sobre los bienes enajenados. Esta disposicion llevada á cabo con energía, fué suspendida por decreto de la Junta central de 16 noviembre de 1800. En un decreto de 27 de setiembre de 1820, publicado como ley en 11 de octubre del mismo año, restablecido en 30 de agosto de 1836, se dispuso en el artículo 14, que para de allí en adelante quedase prohibida toda especie de mayorazgos, y cualquier clase de vinculaciones, como fideicomisos, patronatos, censos, juros, etc., restituyéndoles á la clase de absolutamente libres.—Los que en aquella fecha eran poseedores de esas especies de vinculaciones pudieron disponer libremente de la mitad de los bienes vinculados, debiendo pasar la otra mitad despues de la muerte de aquellos á los inmediatos sucesores, quienes podrán disponer como dueños.

Lo mismo sucedió en Cataluña con los *vincles* (vínculos), sustituciones fideicomisarias indefinidas. *(Véase el comentario de Arnoldo Vinnio, lib., tít.* 23).

Los fideicomisos son *espresos* ó *tácitos*, segun el testador haya manifestado en términos claros su voluntad, ó esta se deduce por las cláusulas del testamento, como seria la prohibicion de enajenar impuesta por el testador á favor de una persona ó familia determinada. *L*, 14, *D. de legat.* 1.º *lib.* 30. – El fideicomiso puede ser *puro* y *condicional*. El fideicomiso impuesto á los hijos ó descendientes del testador á favor de un colateral ó extraño, contiene la condicion tácita de morir el fiduciario sin hijos legítimos. *L* 102 *de cond. et dem.*, *L.* 30 *Cod. de fideic.*, *tít.* 6, *lib.* 42.—La obligacion del heredero fiduciario es cumplir exactamente la voluntad del testador segun sus palabras mas ó menos generales. *L.* 14, *tít.* 5, *part.* 6.ª, *S.* 8 *de mayo de* 1871.—Aun cuando el heredero no ada, ó repudie la herencia, pasará al sustituto fideicomisario. *L.* 1, *tít.* 19 *del Orden. de Alcalá.*

**Cuarta trebeliánica**: 1.º Se llama la cuarta parte que el fiduciario tiene derecho á retener de los bienes vinculados, rebajando primero las deudas del testador, los gastos de la última enfermedad y funerales y el importe de los legados pios. *L.* 8, *tít.* 11, *part.* 6.ª, *L.* 1, § 20 *y* 21, *de senat. trebell.*, *tít.* 1, *lib.* 36.—2.º Se imputan en la cuarta trebeliánica y disminuyen su valor las donaciones, legados y demás que el fiduciario hubiese adquirido de los bienes del testador, como tambien los frutos percibidos hasta el dia de la restitucion, á menos que el fiduciario fuese hijo ó descendiente del testador. *Inst.* § 7, *de fid. hæred.*, *tít.* 23, *lib.* 2, *L.* 18, § 1, *L*, 22, § 2, *D. ad senat. trebell. etc.*—Los frutos percibidos desde dicho dia hasta que el fideicomisario reclame la herencia no se imputan en la trebeliánica. *L.* 22, *tít.* 1, *lib.* 36.

**La detraccion de la cuarta trebeliánica** no tiene lugar: 1.º Cuando se hubiese asignado por ella una cosa determinada de la herencia.—2.º Si el fideicomiso solo comprende una cosa determinada de la herencia, no esta ó una parte de ella.—3.º Si el fiduciario ha restituido la herencia sin deducirla, á menos que lo hubiese verificado por error de hecho. *L.* 4 *y* 21, § 1, *D. ad senat. trebell. Inst.* § 2 *y* 9 *de fid. hæred.*, *tít.* 23, *lib.* 2 *y* 9, *Novell.* 39, *c.* 1.—El heredero ó legatario que hubiesen cumplido un fideicomiso nulo, no tienen derecho al recobro de lo que hubiesen entregado. *L.* 2, *Cod. de fideic.*, *tit.* 42, *lib.* 6.—El escribano autorizante de un testamento puede ser albacea, mas no heredero fiduciario. *L.* 11, *tít.* 1, *part.* 6.ª, *S.* 6 *febr. de* 1866.—La mayoría de intérpretes españoles creen que existe en Castilla la cuarta trebeliánica, de cuya opinion se separan *Ceballos*, *Gutierrez*, *Laserna* y *Montalvan*, dice *Elías*, *art.* 1742.

171. Q. *An in foro conscientiæ valeant substitutiones fideicommissariæ lege prohibitæ?*—R. Eadem videtur esse quæstio ac pro testamento et contractu formalitatibus destituto; unde possessori ante judicis sententiam favendum est.

Q. *An valeant in foro conscientiæ fideicommissa occulta pro causis piis,*

*seu sub forma donationis simulatæ, testamenti, aut legati ficti in alicujus personæ favorem?*—R. Affirma, si de donationibus manualibus agatur, vel de rebus quæ ante transmissionem diu conservari non debent; vel etiam *probabiliter* si non debent conservari usque ad donatarii mortem; quia cum lege non prohibeantur, impugnari a nemine possunt. (*Gury, Ballerini, n.* 840). —Quoad alias donationes fideicommissarias, respondendum est sicut de testamentis ad pias causas formis carentibus.

Q. Eudorius *hæredibus necessariis destitutus, graviter decumbens, ut animæ suæ consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem* Bonifacium *legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum* Bonifacio *tradit, in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab ipso, ut eamdem fideliter exequatur.* Bonifacius *vero, mortuo Eudorio, hæreditatem integram servat, ex eo quod testamento valido illam teneat. Postulatur utrum in conscientia tutus esse possit?*—R. *S. Pœnitentiaria* 23 *jun.* 1844 *respondit, in casu exposito, Bonifacium teneri in conscientia ad implendum voluntatem Eudorii certe cognitam pro foro conscientiæ.*

Q. *Quid si testator hæredem amicum vocat cum pacto, ut illa bona filio suo spurio reddat?*

R. Certo ambo peccant, cum contra legem agant; et probabilius amicus bona hæredi *ab intestato* restituere adigitur; nam ex una parte spurio tradere non tenetur, utpote contra legem; ex altera non licet sibi ea retinere, cum non habuerit testator talem intentionem. (*Scavini, S. Lig. n.* 951). Tamen alii tuentur amicum acquirere hæreditatem, et pro suo arbitrio eam retinere, vel spurio dare posse; quippe promissio illa contra leges non obligat: alii cum *Salm.* tenent hæredem bene acquirere hæreditatem post hujus traditionem, sed ob pactum ex justitia spurio reddere teneri, sicut pretium meretrici illicite promissum.

172. Los derechos del fiduciario, son: 1.° si está relevado por el testador de dar cuenta á persona alguna, no puede ser compelido á ello. *(S. T. S. J.* 21 *abril* 1860).—2.° Entregados los bienes en que consiste la confianza al heredero así nombrado, queda este autorizado para disponer de ellos de la manera que mejor le pareciere para llenar su cometido, sin que á nadie sea dado rescindir sus operaciones. *(S. de* 27 *setiemb. de* 1861).—3.° Hacer suyos los frutos de la cosa heredada ó legada bajo este título. *S. de* 1.° *agosto de* 1848.—Tambien hace suyos los percibidos desde el dia en que debia verificar la restitucion hasta el en que se la reclamó el fideicomisario. *(L.* 10, *Cod. de fideic. L.* 22, § 2 *de ad sent.)*:—y los frutos que hubiese percibido el fiduciario hasta el dia de esta reclamacion no van comprendidos en la 4.ª trebeliánica: es decir, que el fiduciario puede llevar los frutos y la cuarta trebeliánica, aunque el testador hubiese extendido el gravámen á todo lo percibido de su herencia. (*L.* 57, *L.* 18, *pær. et* § 2, *d. legat.)*—4.° A mas tiene derecho á recobrar las mejoras que hubiese hecho en los bienes vinculados; *L.* 22, § 3, *D. ad senat. trebel.*: para el cobro de estos y demás derechos contra los mismos le compete la retencion del patrimonio, hasta que hayan sido liquidados. (*Real cédula* 24 *feb.* 1742, *Vives t.* 2, *pág.* 310 *y siguientes*).

*El fiduciario carga con los deberes*, 1.° de restituir la herencia en el tiempo señalado por el testador; y de restituir los frutos percibidos y podidos percibir con los demás daños que hubiese ocasionado al fideicomisario desde el dia de la reclamacion por éste. —2.° de no serle lícito enajenar dichos bienes;—3.° de reparar los deterioros ocasionados por su dolo ó culpable negligencia *(L.* 22, § 3 *ad senat. treb.)*;—4.° de satisfacer las deudas del testador á prorata de la cuarta parte, si la percibiese.—5.° Si el heredero hubiese retrasado restituir la herencia, desde el momento que se constituyó

en mora, está obligado á computar los frutos en la cuarta, y si algo sobrare, tendrá que restituirlo. (*Molina, de just. tract.* 2, *d.* 187, *Gut.*, *p.* 353).—El testamento declarado nulo es ineficaz para transmitir la calidad de fiduciario.

173. IV. **Sustitucion ejemplar**; es la que hacen los padres con sus hijos locos ó sin memoria. Comprende tambien los bienes del demente, á ménos que se le hubiese nombrado otro heredero de entre las personas que pueden ser sus herederos. (*Ley* 11.ª, *tít.* 5, *part.* 6.ª)—Esta requiere el órden siguiente: 1.º entran los hijos del incapacitado;—2.º Los nietos y demás descendientes por su órden;—3.º los hermanos;—4.º los extraños.—La madre no puede sustituir á los hijos espúreos, ni á los naturales, cuando no se les debe legítima: y el padre no puede substituir á unos ni á otros. *L.* 1 *y* 11, *tít.* 5, *part.* 6.ª

**Cesa la sustitucion**: 1.º por recobrar el incapacitado la razon;—2.º cuando le nace un hijo;—3.º por la revocacion del testamento en que se hizo.

V. **Sustitucion compendiosa**: esta admite todas las formas. Lo más notable es: 1.º que si *un militar* hace la sustitucion pupilar ó vulgar de un impúber, y éste muere dentro de la edad pupilar, excluye el sustituto á la madre; si el hijo muriese despues de la pubertad, la madre heredera la tercera parte de los bienes y derechos del padre: todos los demás pasan al sustituto.—2.º Si el que sustituye es *un paisano*, se dispone lo mismo en el primer caso; pero nada recibe el sustituto en el segundo; pues son preferidos la madre y parientes. (*Ley* 12.ª, *tít.* 5, *part.* 6.ª)—3.º Se exceptúa si la sustitucion se hubiese hecho con estas palabras: «Nombro heredero á mi hijo, y en cualquier tiempo que muriere, nombro á N. su heredero.» Entonces si muriere sin hijos despues de la pubertad, recibirá la madre una parte de los bienes, y los derechos arriba citados; las otras dos irán al sustituto.

**Aragon**. La sustitucion *vulgar* se hace con palabras directas y expresas ó por algun antecedente del qué no puede inferirse otra cosa. Cuando sustituido heredero el hijo en ciertos bienes, se lega, dona ó deja de gracia especial otros, nombrándole sustituto para todos, la sustitucion durará solo 20 años en cuanto á los bienes en que ha sido sustituido, y para siempre respecto á los demás. *Obs.* 2, *de reb. vincul.*—Los bienes de abolengo del testador que éste deja á sus parientes mas cercanos para despues de la muerte de una persona, verificada ésta, pasarán á los parientes en grado más próximo que al morir el testador existieran por aquella parte de donde descendiesen los bienes. *F.* 5 *de testam.*

El fiduciario, ya sea constituido en contrato, ó en capitulacion matrimonial, debe manifestar en juicio ó fuera de él, los bienes que ha de restituir al fideicomisario, siempre que el testador no le haya dispensado de esto. *Lissa, Tiroc. lib.* 2, *tít.* 23. En Aragon no se conoce la cuarta trebeliánica.

**Cataluña**. Además de las reglas generales para España se dispone: 1.º El fiduciario puede ser obligado á aceptar la herencia.—2.º Los hijos y descendientes del testador instituidos con el gravámen del fideicomiso pueden deducir de la herencia la *trebeliánica* y la legítima que les corresponda, á ménos que el testador les hubiese espresamente prohibido la detraccion de la primera. *Const. de Cat. únic. tít.* 6, *lib.* 6, *vol.* 1, *Decretal. c.* 16 *de testam.*—3.º La detracion de la *trebeliánica* no tiene lugar además de los casos espresados arriba, cuando el heredero gravado hubiese sido obligado á aceptar la herencia.—Si no hubiese tomado inventario de los bienes del testador dentro de 30 dias desde el tiempo de la adicion y lo hubiese concluido dentro de otros 60. *L.* 8, *tít.* 11, *part.* 6.ª *Const. de Cat.* 1, 2 *y* 3, *tít.* 8, *lib.* 6, *vol.* 1, *Vives, t.* 2, *pág.* 352.—Si se trata de legados no piadosos tiene la 4.ª *falcidia.*—No deben confundirse esos herederos con la prevencion de que inviertan sus bienes en los objetos que de palabra ó por escrito les tienen confiados. Tales herederos no lo son propiamente, sino unos meros ejecutores. *Vives, t.* 2, *p.* 273. Los herederos de confianza son los nombrados en testamento ó codicilo. *Vives, t.* 2, *p.* 273.

**Navarra**. Los descendientes por línea recta de los instituidos y llamados á la sucesion, muertos antes que los primeros llamados, entran en lugar de sus padres y ascendientes, como si estos viviesen, siempre que otra cosa no hubiera dispuesto el

testador. Los hijos deben ser espresamente llamados á la sucesion, y no basta la condicion ni las conjeturas, lo que deben advertir los escribanos á los testadores y contrayentes so pena de suspension de oficio por dos años. *Cortes de Pamplona de* 1580, *L.* 2, *tit.* 13, *lib.* 3, *Nov. Rec. N.*—El escribano, notario ó párroco que autoriza un testamento, está obligado á recordar al testador si quiere dejar algo al hospital general de Pamplona, ó del lugar, quedando árbitro de dejar ó no. *L.* 14, *tit.* 3, *lib.* 5, *Nov. R. de Nav.* No se hallan en Navarra la cuarta *trebeliánica* y la cuarta *falcidia. Alonso, Nov. Rec.*

---

# CAPUT XV.

## De hæreditate ab intestato.

174. I. **Hæreditas ab intestato** dicitur, *cum ex quovis testamenti defectu, vel ob incapacitatem, aut non acceptationem hæredum, et substitutorum, lex ipsa decernit, quis succedere debeat in bonis defuncti.* Cum vidua secundas contrahit nuptias contra expressam testatoris prohibitionem, jus amittit ad hæreditatem, et censeri debet illum esse mortuum absque testamento. *(Ley* 1.ª, *tit.* 13, *part.* 6.ª) *S.* 30 *jun.* 1866.

II. *Duplicis generis* est hæreditas *ab intestato, regularis,* nempe, et *irregularis:*—1.ª *respicit personas secum aliquo parentelæ vinculo etiam civili conjunctas,* uti *descendentes, ascendentes, collaterales:*—2.ª vero *complectitur personas nullo vinculo ligatas,* uti *filios naturales, conjuges superstites, fiscum.* In *regulari* successione bonorum defuncti possessio ipso facto, et jure pleno cum suis oneribus ad hæredes transit.—In successione autem *irregulari* bonorum possessio est expostulanda a propinquis defuncti, vel ab auctoritate.

175. **Filii distinguntur**: 1.º *Legitimi*, et sunt orti a legitimo matrimonio, vel publice, et in bona fide saltem ex una parte, uti tali contracto;—2.º *illegitimi,* si aliter nati sunt; et dicuntur *naturales,* si ex patre, et matre liberis ortum habent; qui legitimari possunt modis præscriptis, et gaudent iis juribus, quibus legitimi; et tunc dicuntur *legitimati;* vel *nefarii, spurii, quæsiti, incestuosi, sacrilegi, adulterini,* si habentur ex parentibus in linea recta conjunctis, ut ex patre et filia nati; vel ab iis aliquo dirimente impedimento detentis, vel a meretrice, vel inter propinquos liberos, vel inter personas sacras, voto solemni castitatis, aut sacris ordinibus initiatas, vel inter conjugatos; -3.º *adoptivi,* si ex adoptione suscipiantur.

176. **Fratres dicuntur**: 1.º *germani,* si ex eodem patre simul ac matre procedant;—2.º *consanguinei,* si ex eodem patre, sed diversa matre;—3.º *uterini,* si ex eadem matre, sed diverso patre.—Idem dic de sororibus.—Tandem qui per lineam masculinam descendunt *agnati* dicuntur; qui vero per lineam fœmineam *cognati.*

177. **Stirps** est *illa persona, ex qua aliæ descendunt, de quarum conjunctione quæritur;* ideoque esse potest tum pater, tum mater, tum uterque simul.

**Linea** est *ipsa series personarum ab eodem stipite descendentium.* Multiplex est linea: 1.ª *Recta*, si personarum series una ab altera sit genita:—dicitur *descendentalis,* si in ea conficienda descendatur a capite

ad posteros; *ascendentalis,* si a posteris ad stipitem ascendatur.—Utraque *masculina,* vel *fœminea* dicitur, prout masculos respicit, vel fœminas; *paterna,* vel *materna,* prout patrem, vel matrem.—2.ª *Obliqua,* seu *transversa*, vel *collateralis,* si personarum series una ab alia non sit genita, uti duo fratres.—Dicitur *æqualis,* cum personæ æqualiter a stipite distant, uti fratres, vel fratrum filii.

178. Gradus est *ipsa personarum distantia inter se.*

—*In civili computatione,* quæ semper intelligitur cum de rebus civilibus agitur, vel testator aliud non statuerit, tot sunt gradus in linea recta, et obliqua, quot sunt personæ genitæ, quæ generationem multiplicant, dempto stipite.—Sic fratres inter se in secundo gradu sunt; filius fratris in tertio cum avunculo suo, seu cum fratre patris sui, et sic successive.

—*In computatione vero canonica,* quæ est vulgaris in rebus ecclesiasticis, in linea *recta* tot sunt gradus quot personæ, quæ generationem multiplicant, stipite dempto, ut in civili computatione:—in linea vero *obliqua æquali* eo gradu distant inter se, quo unus eorum distat a stipite: sic fratres uno gradu distant inter se invicem:—in *obliqua inæquali* eo distant gradu, quo remotior, dempto stipite, distat. Sic frater, et filius alterius fratris duobus tantum distant gradibus.—Idem obtinet in affinitate, cum in ejus gradu computando habeatur ratio consanguinitatis. Hinc Titius secundum canonicam computationem est affinis in primo gradu cum uxore fratris sui; sed in secundo juxta civilem computationem.

179. **Ordo successionis ab intestato.** Successio hæc fit in *capita,* et in *stirpes:* 1.ª est, *cum dividitur in tot partes æquales, quot sunt personæ proprio jure ad hæreditatem concurrentes,* uti sunt filii;—2.ª vero, *cum succeditur jure repræsentationis defunctæ personæ,* ut nepotes. In *prima* attenditur personarum numerus; in *secunda* etiam stirps, in qua veniunt quoque stirpes absentis, exhæredati, indigni, exclusi, vel ejus, qui jura civilia amisit, sub aliquibus limitationibus. Ratio est, quia in hoc filius iniquitatem patris non portat. *L.* 3, *tit.* 13, *part.* 6.ª

—*Exemplum. Titus* genuit *Petrum* (qui merito exhæredatus fuit), *Paulum* (qui jam obiit, et tres reliquit filios), et *Prothum* (qui vivens etiam habet tres filios). *Titus* moritur *ab intestato,* et ejus hæreditas in tres partes æquales dividitur: una erit æqualiter dividenda inter filios *Petri,* qui succedunt in *stirpes;* altera inter filios *Pauli*, qui jure *repræsentationis* succedunt; tertia erit *Prothi,* qui succedit in *capita.*

180. **Successio regularis:** I. Est *successio descendentium proximioris gradus utriusque sexus in capita, vel in stirpes,* juxta dicta, licet ex diverso matrimonio proveniant. *L.* 3, *tit.* 13, *p.* 6. Descendentes succedunt patri, matri, avis, etc., et etiam eorum oneribus. *S.* 14 *jun.* 1875.—Nomine descendentium veniunt etiam filii debito modo *legitimati.*—Sed *legitimati* per principis rescriptum hoc fine succedendi admittuntur, si sint soli *(Novell.* 74, *cap.* 1, 89, *c.* 9);—vel salva legitima aliis legitimis antea natis.—*Adoptivi,* et horum descendentes adoptanti succedunt, etiam in concursu aliorum filiorum. Affinitas jure successionis caret.

—Por derecho español suceden 1.º los hijos legítimos y legitimados canónicamente;—2.º en defecto de estos, los legitimados por autorizacion Real;—3.º los adoptivos. Véase apéndice á las partidas del rey don Alfonso el Sábio publicadas en Barcelona el año 1849.

La representacion solo puede tener lugar con respecto á los que hayan fallecido

en el momento de la abertura de la sucesion y á favor de los que en esta época existan. Los postumos se reputan por nacidos. *Novell.* 118, *c.* 1, *Inst. de hæred.*, *L.* 7 *de mis. et leg.*

II. *Est successio proximiorum ascendentium,* deficientibus descendentibus usque ad 5.^m^ gradum canonicum, vel decimum civilem, eodem modo ac ordine, quo descendentes, cum hac exceptione; quod in linea recta ascendentium non admittitur jus repræsentationis: et sic proximior remotiorem excludit. *L.* 4, *tit.* 13, *part.* 6.ª *Novell.* 118, *c.* 2.

Entre los ascendientes la sucesion es por lineas: 1.° Existiendo padre y madre legitima heredan por partes iguales.—2.° En defecto de padres heredan los abuelos de ambas líneas por partes iguales. — 3.° A falta de estos, los demás ascendientes en igual forma. — 4.° Existiendo uno solo de los padres, hereda él solo con exclusion de los abuelos. — 5.° Si concurre un abuelo solo de parte de padre ó madre, y dos de la otra parte, el primero hereda la mitad de los bienes, y la otra mitad es para los otros dos por partes iguales. *L.* 14, *tit.* 13, *part.* 6.ª—6.° El padre sucede á los hijos que suceden á él: así el hijo natural no sucede al padre sino en la sexta parte, mas sucede á la madre al igual que los legítimos. *L.* 5 ª *y* 9.ª *de Toro.*—7.° En los pueblos donde existe el fuero de troncalidad la division se hace segun la procedencia de los bienes por la línea paterna y materna.

III. *Est successio collateralium* intra 10.^m^ civilem gradum in Hispania. En la línea colateral solo se admite la representacion á favor de los hijos y descendientes de los hermanos, bien sean de padre y madre ó de uno solo.

En caso de ab-intestato y á falta de ascendientes y descendientes, suceden: 1.° los hermanos germanos del difunto por partes iguales *in capita.*—2.° Los hijos de los hermanos que hubiesen fallecido suceden con los tios *in stirpes*, por derecho de representacion.—3.° No existiendo hermanos germanos ni hijos de éstos, suceden los uterinos y consanguíneos juntamente y por iguales partes, los hijos de los mismos difuntos por representacion de sus padres. *L.* 1, 2 *y* 3, *tít.* 20, *lib.* 10, *de la Nov. Rec.*, *Novell.* 118, *c.* 3. *L.* 5, *tít.* 13, *part.* 6.ª *Ley de* 16 *mayo de* 1835, S. 15 *enero de* 1867 y 29 *nov. de* 1869.—4.° En falta de todos estos entran los demás parientes en igual y mas próximo grado del difunto hasta el 10.° inclusive, prefiriéndose despues del 4.° grado los naturales y el cónyuge. *S.* 22 *febr. de* 1860, *L.* 6, *tít.* 6, *part.* 6.ª *Novell.* 118. Los colaterales adoptivos solo se consideran parientes para los efectos de los dos números anteriores, en el caso de haberse verificado la adopcion por algun ascendiente. *L.* 9, *tít.* 16, *part.* 4.ª *L.* 9, *Cod. de adopt. tít.* 48, *lib.* 8.

Aragon. I. *La sucesion de los descendientes* se rige por el derecho comun de España. La division de bienes se hace: 1.° *in capita*, si hay hijos solos:—2.° *in stirpes*, si nietos solos: — 3.° *in capita et in stirpes*, si hay hijos y nietos juntamente. *Obs.* 6 *de test. lib.* 5. Empero á los hijos suceden los parientes de la línea respectiva de donde provienen los bienes, como diremos.

II. *Faltando descendientes;* 1.° suceden al pariente *ab intestato* en los bienes adquiridos de pariente por sucesion, los consanguíneos colaterales mas próximos de la línea de donde provengan los bienes. *Fr. de rebus vinculatis*, *Lissa, Tiroc. tít.*5, *lib.* 3. —2.° En los bienes adquiridos por industria propia, ó de otro modo que no sea por sucesion de consanguíneos, suceden *ab intestato* por líneas los consanguíneos mas próximos por parte del padre y de la madre, aunque los de una línea estén mas próximos que los de la otra. En igual forma se sucede en los bienes muebles ya adquiridos por industria, ya por sucesion. *Obs.* 7 *de testam. lib.* 5.—3.° Si el padre legado diera por caridad en vida al hijo de dañado coito algunos bienes, y éste muriese intestado, ó en la menor edad, suceden los parientes más próximos de la línea de donde provienen los bienes, á no ser que constituyan vinculo, en cuyo caso serian del favorecido con tal vínculo. *Obs.* 25 *de gener. priv. F. de natis ex dam. coitu.*—4.° La sucesion de los ascendientes es segun la línea de donde proceden los bienes: así los parientes de la línea paterna suceden en los bienes de este parentesco, y los de la

materna en los del suyo. *F. de success. ab intest. l.* 6.—5.° El hermano sucede á su hermano en los bienes que le trasfirió por título gratuito ú oneroso, si muere intestado y sin hijos. *F.* 2 *de succ. l.* 6.—6.° La division de la herencia en la sucesion colateral se hace *in lineas et in capita*, excluyendo el pariente mas próximo al mas remoto, sin haber lugar á representacion en bienes colaterales. *Obs.* 1 *de test. l.* 5, *S.* 21 *set.* 1868.

III. *Los padres suceden:* 1.° en los bienes que hubiesen dado por acto *inter vivos* de sus hijos, ó trasferido por título gratuito ú oneroso á los mismos, si estos muriesen en la menor edad, ó sin testar y sin sucesion, ó si el hijo muriere intestado con hijos, y estos fallecieren en la menor edad. *F. de success. ab intest. l.* 6.—2.° En los bienes de los hijos que estos adquiriesen por el concepto del otro n.° 2.° de arriba, con preferencia á los parientes colaterales. *Se deduce de la Obs.* 7 *de test. lib.* 5.—3.° El hospital general de Zaragoza hereda los bienes muebles y sitios (no vinculados) de los enfermos y dementes que mueren intestados y sin parientes dentro del 4.° grado. *Fuero de* 1626.— Quedan excluidos de la sucesion: 1.° El que mató al que hubiere de suceder, devolviendo además lo que en vida hubiere recibido del muerto á los parientes más próximos de la línea de dónde provinieron los bienes, á no haber muerto en defensa propia, de la patria, de un consanguíneo ó amigo.—2.° Los hijos que incurriesen en las causas de desafiliacion antigua, como no rescatar el padre cautivo, no socorrerle en su necesidad, tener acceso carnal con la mujer de su padre.—3.° Los hijos desheredados por las causas arriba dichas, menos la de hacer perder los bienes á sus padres. *F.* 2, *de exhœred. lib.* 6. *F. de his qui, etc. l.* 6.

**Cataluña.** I. *Los hijos*, ya sean naturales y legítimos, ya legitimados ó adoptivos, y en falta de ellos sus mas inmediatos descendientes suceden al padre, madre, abuelos y demás ascendientes sin distincion de sexo ni progenitura, aunque provengan de diverso matrimonio.—Si todos los descendientes se hallan en primer grado del difunto le suceden *in capita* por partes iguales, los que se hallan en grado mas remoto suceden en falta de los primeros *in stirpes*, por derecho de representacion, tanto si concurren con otros mas proximos como no. *Novell.* 118, *c.* 1, *L.* 9, *Cod. de adopt. tit.* 48, *lib.* 8, *L.* 3, *tit.* 13, *part.* 6.ª

II. *A falta de descendientes* del difunto suceden el padre, la madre y los demás ascendientes de grado mas inmediato junto con los hermanos germanos, ó por ambas líneas.—1.° *In capita.* Si concurren padre, madre y aun los hermanos. Si los abuelos son llamados, los de una línea no componen más que una persona. *Novell.* 118, *c.* 2. No obsta al padre para suceder en los bienes del hijo, el que este los hubiese habido de otra persona que hubiera privado del usufruto al padre. *S.* 26 *set. de* 1862.—2.° *In stirpes.* Los hijos de los hermanos germanos solo entran en representacion de sus padres, cuando además de los ascendientes concurre algun hermano del difunto: en otro caso suceden *in capita*, y escluyen á los tios de sus padres. *Nov.* 127, *c.* 1, *Aut. cessante Cod. de legit. hœr. tit.* 58, *lib.* 6.—3.° Los adoptantes solo suceden en el caso de ser ascendientes del adoptado. L. 9, *Cod. de adopt. tit.* 48, *l.* 8.—4.° Faltando los hermanos y sobrinos del difunto, sucederán los tios de éste. En defecto de estos vendrán los del 4.° grado, y despues los demás hasta el 10.°, y con el órden que diremos en la sucesion irregular. En lo demás en la sucesion de colaterales rige en Cataluña el derecho comun español.

**Navarra.** I. La propiedad de los bienes de los no labradores pasa á los hijos legitimos y en su defecto á los inmediatos descendientes de los premuertos *in stirpes*, si todos proceden de un mismo matrimonio, y no existen hijos naturales. Siendo de matrimonio distinto, los del primero heredan la mitad de los bienes; el cuarto los hijos del segundo matrimonio; el octavo los del tercero, y asi sucesivamente. *F. de Nav. c.* 3; *tit.* 2, *lib.* 4.—Si el infanzon muriese con hijos legítimos y naturales, deducidas en favor de los primeros las arras, estos heredarán las tres cuartas partes de los bienes, la mitad por suerte de madre, y la cuarta parte por suerte de padre; lo restante se repartirá con igualdad entre los hijos legítimos y los naturales. *Cap.* 8, *tit.* 20, *lib.* 3.—Los hijos de un mismo matrimonio heredan *in capita* por partes iguales

siendo solos, é *in stirpes* cuando entran todos los descendientes del difunto en la sucesion. *Ibidem.*

II. *En la sucesion de los labradores*, muerto el padre ó madre heredan los hijos. —En falta de hijos heredan los nietos y demás descendientes *in stirpes*; pero no pueden pedir su parte, viviendo el abuelo. Si los nietos concurren con hijos, ó con tios suyos, podrán pedir su parte cuando los uterinos la pidan, y no antes. Los hijos naturales heredan junto con los legítimos igualmente, pero no podrán pedir su parte miéntras los últimos no la pidan,—Si no hubiere hijos legítimos, los naturales pueden pedir desde luego los bienes de su difunto padre, ó madre inclusa la parte de gananciales á él correspondiente. *F. de Nav. c.* 19, 20, 21 *y* 22, *tít.* 4, *lib.* 2 *y* 4.

III. *En los bienes troncales á falta de ascendientes y hermanos* de la parte de donde vienen los bienes, heredarán los colaterales más próximos descendientes del tronco de donde éstos proceden, salvo el usufruto de los padres.—En los bienes de propria adquisicion en falta de descendientes, hermanos y ascendientes, suceden los más próximos parientes del difunto, salvo el usufruto competente del cónyuge, si lo hubiere. Así en primer lugar suceden los tios, en su defecto los primos hermanos y padres de los tios. *L.* 3 *y* 6, *tít.* 13, *lib.* 3 *de la Nov. Rec. de Nav.*

IV. *Los padres y ascendientes*, á falta de hermanos, suceden á los hijos en todo género de bienes. *L.* 4.—Los padres pueden disponer con absoluta libertad de sus bienes, salva la legítima foral. *S.* 4 *mayo de* 1863. *Si el infanzon que muriere sin hijos dejare cónyuge sobreviviente*, este sucederá en el usufructo de los bienes del premuerto. El cónyuge sobreviviente ha de empezar á hacer el inventario de los bienes que dejó el difunto dentro de 50 dias y concluirlo en otros 50 contados todos desde el dia de la muerte. *L.* 49 *de las Cortes de* 1765 *y* 1766, *L.* 6 *y* 7, *tít.* 13. Así disfrutará de todos los bienes del premuerto. Debe tambien pagar todas las deudas, criar y educar sus hijos; no puede vender ni cambiar ni enajenar los bienes, ni cortar los árboles; y debe reparar los edificios que lo necesiten. Cesa el usufructo por casarse. *L.* 3 *y* 4, *tít.* 2, *lib.* 4 *del Fuero de Navarra.*

Vizcaya. 1.° Los hijos y descendientes heredan por su grado y órden todos los bienes de sus padres muertos *ab intestato*.—2.° En falta de descendientes suceden los ascendientes por su grado y órden, á saber, en los bienes raíces los de aquella línea de donde proceden los tales bienes.—3.° A falta de ascendientes, los parientes mas cercanos de la línea de donde proceden los bienes raíces, y aunque viva el uno en cuanto á los del padre premuerto, si los habia heredado por parte de padre, o madre. Los parientes de esta son preferidos al padre si vive, y á sus parientes si hubiese muerto, aunque estos sean mas cercanos; la sucesion es troncal, y esta es la preferida. —4.° No habiendo ascendientes, todos los parientes del padre y de la madre suceden igualmente por su órden y grado en los bienes muebles, y si los parientes de la una línea fuesen mas que los de la otra, cada línea hereda una mitad, á no haber hecho en vida el tal difunto donacion de los tales bienes á alguno de sus parientes, ó á otro extraño; habiendo ascendientes, estos heredan por su órden y grado todos los bienes muebles de cualquier manera adquiridos que en tal muerte dejare.—5.° El padre ó madre bínubo debe reservar los raíces heredados del hijo premuerto, autorizándolos para disponer de ellos libremente entre los hijos del primer matrimonio, pero no en favor de extraños. *L.* 8 *y* 9, *tít.* 21 *del Fuero de Vizcaya.*

181. **Successio irregularis.** I. Successio filiorum illegitimorum: 1.° Los naturales legitimados con autorizacion Real entran á suceder á falta de hijos y descendientes legítimos. En los honores y bienes de los demás parientes heredan juntamente con los legítimos. *L.* 7, *tít.* 20, *lib.* 10 *Nov. Rec.*—2.° No teniendo la madre hijos legítimos ó legitimados, aunque tenga padre ó madre, segun la *ley* 1, *tít.* 5, le suceden los naturales, y á falta de estos los espúreos, ó sin esta excepcion segun la *L.* 5, *tít.* 20, *l.* 10 *Nov. Rec.*, exceptuando solo los de dañado y punible ayuntamiento, ó sea cuando la madre por tal ayuntamiento incurre en la pena de muerte, la que hoy dia no impone el Código penal. *S.* 18 *mayo de* 1869.—3.° El hijo natural sucede al padre en defecto de legítimos en la 6.ª parte de la herencia, que

dividirá con su madre, aunque el padre dejase mujer legítima. *L.* 8 *y* 9, *tít.* 13, *part.* 6.ª—4.º Los hijos de clérigo nada heredan de su padre ni de los parientes de este. L. 4, *tít.* 20, *l.* 10 *N. R.*—5.º El padre natural sucede á su hijo no existiendo madre de este. L. 8, *tít.* 13, *part.* 6.ª—6.º Al hijo natural en defecto de descendientes y ascendientes suceden 1.º los hermanos por parte de madre.—2.º en su defecto los hermanos legítimos por parte de padre.—3.º los ilegítimos naturales por parte de padre. L. 12, *tít.* 13, *p.* 6.ª Segun *Escriche*, *Lopez* y *Gutierrez*, lo mismo sucede por parte de madre.—7.º No existiendo pariente dentro del cuarto grado civil, suceden los hijos naturales legalmente reconocidos y sus descendientes en cuanto á la sucesion del padre, quedando entero el derecho preferente que tienen para suceder á la madre. L. *de* 16 *marzo de* 1835, *art.* 2. El hijo natural tiene derecho á reclamar alimentos segun la herencia del padre, en el caso que este en el testamento no se acordare de tal hijo; pues cuando muere intestado sin hijos legítimos, la misma ley dá derecho al natural para heredar la 6.ª parte, segun llevamos dicho.—8.º En defecto de las personas mencionadas suceden los parientes desde el cuarto grado inclusive, computándose civilmente al tiempo de abrir la sucesion. *Ibidem.*

**Cataluña**: 1.º Los hijos naturales solo suceden á su padre cuando este no deja consorte ni hijos legítimos: en este caso perciben junto con su madre la 6.ª parte de la herencia, que partirán en iguales partes. *Nov.* 89, *c.* 12.—2.º No habiendo parientes dentro del cuarto grado, sucederán al difunto los hijos naturales legalmente reconocidos con preferencia á los colaterales mas remotos. L. *de* 16 *mayo de* 1835, *art.* 2. —3.º Los hijos naturales suceden á la madre por iguales partes junto con los legítimos: mas los espúreos solo suceden á la madre no ilustre y á la ilustre en defecto de legítima descendencia. L. 5, *Cod. de S. C. orfic. tít.* 57, *lib.* 6. Pero en caso de no poder suceder tienen derecho á reclamar los alimentos.—4.º A los hijos incestuosos, adulterinos y sacrílegos la ley solo les concede alimentos. *Decr. cap.* 5 *in fin. de eo qui dux, etc.*—5.º La madre y parientes maternos suceden al ilegítimo fallecido sin descendencia.—6.º Cuando los impúberes fallecen *ab intestato*, los bienes que tengan provenientes de la línea paterna pasan al padre, y en defecto de este al mas próximo ascendiente de esta línea hasta el cuarto grado, salva la legítima de la madre; y lo mismo se observará en los bienes procedentes de la madre ó de su línea. *Const. de Cat.* 2, *tít.* 2, *lib.* 6 *y vol.* 1, *S.* 24 *dic. de* 1874.

En caso de no existir hijos legítimos, son válidas las donaciones, salvas empero las legítimas de los ascendientes del donador, si los tuviere. (*Novell.* 89. *cap.* 12.)

II. **Est successio conjugis.** En España 1.º cuando el difunto no deja descendientes, ni ascendientes, ni colaterales hasta el cuarto grado, ni tampoco hijos naturales legalmente reconocidos, sucede el cónyuge sobreviviente no separado por demanda de divorcio, concretada al tiempo del fallecimiento. L. *de* 16 *mayo de* 1835 *art.* 2.—2.º La viuda pobre, aunque con alguna industria y ocupacion pueda alimentarse, tiene derecho á la cuarta parte de los bienes del marido (*cuarta marital*), aunque este le legue el quinto, mandando que se contente con él, si no es suficiente para sus decentes alimentos, aunque haya hijos y testamento. Empero no puede esceder de 100 libras de oro, 102,705 reales 30 mrs., ó 121,976 rs. 16 mrs. segun *Escriche* y *Gutierrez*, si la herencia fuese muy grande. *L.* 7, *tít.* 13, *p.* 6.ª, *S. de* 28 *jul. de* 1846, *y* 20 *oct. de* 1860.—3.º La viuda (ó viudo) que vuelva á casarse estará obligada á reservar para los hijos del primer matrimonio los bienes adquiridos del consorte difunto por título ya universal, ya singular, como arras, donacion, etc., y tambien los que hubiere heredado *ab intestato* de los hijos de dicho primer matrimonio, con tal que estos los hubiesen heredado antes que su padre. *L.* 26, *tít.* 13, *p.* 5.ª, *L.* 1, *tít.* 2, *lib.* 3 *del F. R.*, y *L.* 7, *tít.* 4, *lib.* 10 *N. R.* en cuanto al viudo. No obstante la *L.* 4, *tít.* 2, *lib.* 10 *Nov. Rec.* concede á la viuda casarse sin pena alguna dentro el año primero de viudedad. Hoy el Código penal reformado en 1870, art. 490, impone á la viuda que se casare antes de los 301 dias despues de la muerte de su marido, antes de su alumbramiento, si hubiese quedado en cinta, la multa de 125 á 1250 pesetas.—4.º Corresponde al viudo ó viuda

el lecho matrimonial, como la tarima, colchones, jergon, cuatro sábanas, cuatro almohadas, colcha, manta y colgaduras, segun la costumbre y calidad de las personas, pero no en dinero en lugar de ellas. Si volviera á casarse, deberá restituirlo todo á los herederos del difunto en el estado en que entonces se hallen sin abonar su destrozo. L. 6, *tít.* 6, *lib.* 3 *del F. R.* Si el lecho se hubiere adquirido durante el matrimonio, serán preferidos los acreedores: y si el marido hubiese contraido las deudas antes de casarse, sacará la mujer la mitad con la de los gananciales. L. 9, *tít.* 4, *lib.* 10 *N. R.*—Si no solo la hubiese instituido su marido usufructuariá universal, sino tambien con amplios poderes para vender, empeñar, enajenar parte ó todos sus bienes, si lo necesitase para ella ó para la familia, podria hacerlo en este caso. *S. de* 21 *abril de* 1873.

**Cataluña.** 1.° Rige el n.° 1.° anterior.—2.° La viuda pobre sucede á la cuarta parte de los bienes del marido, aunque este dejase hijos ú otros parientes que la excluyan. *Nov.* 117, *c.* 5, *Nov.* 53, *c. últ.*—3.° Si los hijos sobrevivientes fuesen mas de tres, la viuda solo percibirá una parte igual á la que corresponda á cada uno de ellos. *L.* 7, *tít.* 13, *p.* 6.ª—4.° El marido sucede por partes iguales junto con sus hijos emancipados en el usufruto de lo que á estos corresponda en la herencia de su difunta madre. L. 3, *Cod. de bon. matr.*, *tít.* 60, *l.* 6.—5.° La viuda tiene derecho tambien á ser alimentada de los bienes de su difunto marido durante el año de luto, y si fuese dotada, tendrá además los derechos esplicados en el n.° 29. *Const. de Cat.* 1, *tít.* 3, *l.* 50, *vol.* 1, *S.* 16 *abr. de* 1872.

**Aragon.** 1.° Llámase *viudedad* al usufruto que los fueros conceden al cónyuge sobreviviente en los bienes sitios de propiedad del finado, pero no en los muebles. *S.* 24 *marzo de* 1859.—2.° Para este derecho se requiere matrimonio válido, á lo ménos de buena fé y su consumacion.—3.° Compete preferencia de viudedad en los bienes raíces propios del marido, que este hubiere obligado al pago de deudas contraidas por el mismo durante el matrimonio; pero no si antes. 4.° Para gozarla se requiere inventario. 5.° Las mejoras hechas por el cónyuge viudo en los bienes usufructuados, no se le abonan hasta despues de fenecido el usufructo. *Molino.*

**Navarra.** La viuda ó viudo que pasare á otro matrimonio debe dejar á los hijos del primero todo cuanto recibió de su primer marido, (no por arras) ó de aquellos hijos sin poderlo dar ni en parte á los del 2.°, y si solo puede disponer de ello á favor de los hijos del primer matrimonio, y de los hermanos de padre y madre, y gozar durante su vida el usufruto. L. 8.

183. III. **Est successio fisci.** Si nullus sit legitimus successor, intra 10.m gradum, et alias personas, quæ his gradibus præferuntur, exclusis affinibus, tutoribus, ac nutritoribus, bona vacantia intra quadriennium nuntiata fiscus occupat. (*Ley* 16 *mayo* 1835, *art.* 2).—Quando alicujus rei non agnoscitur hæres, vel cogniti hæreditatem renuntiaverint, hæreditas dicitur *jacens* vel *jacere*. Tunc deputatur ad eam administrandam curator. —Si omnes usque ad 10.m gradum eam renuntiant, ad fiscum devolvitur hæreditas. -Si autem post 30 annos non compareat, nec cognoscitur aliquis hæres, idem fiscus hæreditatem præscribit. (*Scavini, p.* 751).

**Reservacion.** 1.° Los ascendientes suceden con preferencia á otro pariente mas próximo en los bienes que hubiesen donado á alguno de sus descendientes, aunque sea por dote, en caso de fallecer estos sin descendencia: el padre tiene tambien este derecho en la donacion hecha por su abuelo, si este hubiese muerto. — 2.° Están además reservados los demás bienes que lo están en la testamentaria. *L.* 6, *de jur. dot. tít.* 3, *lib.* 23, *L.* 6, *de colac. etc* Asi por derecho español, que rige tambien en Cataluña.

**Capacidad para suceder.** Es necesario existir en el acto de abrir la sucesion, salvo el derecho de los póstumos.—Son incapaces de suceder á mas de los espresados en el n.° 134: 1.° Los estranjeros sin calidad de español.—2.° El desterrado para siempre, y el sentenciado por delito ó á perpétuo trabajo en las minas de la nacion.—3.° Los condenados como autores de algun libelo infamatorio.—4.° Los apóstatas y herejes.

L. 4, *tit.* 3, *part.* 6.ª *etc.—Son indignos y excluidos de suceder:* 1.º Los autores de la muerte, y los que la hubiesen atentado solamente contra aquel de cuya sucesion se trata, ó de un hijo del asesinado.—2.º Los que por culpa le dejaron perecer.—3.º El heredero mayor que no persiguió en juicio al asesino de aquel de cuya sucesion se trata. —4.º El que calumnió al difunto ó le movió cuestion sobre su estado, y los que despues de muerto le acusaron de algun delito.—5.º Los que en vida del dueño contrataron sobre su herencia, se la apropiaron y dispusieron como á dueños.—6.º Los que con violencia consiguieron se hiciera el testamento, o impidieron que el difunto lo otorgase ó variase.—7.º El que se escusó de la tutela y rehusó ser albacea.—8.º El tutor respecto á la sucesion testamentaria de su pupila con quien se hubiese casado contra la prohicicion legal.—9.º El que hubiese prometido restituir parte de la herencia á un incapaz, á no ser un hijo de familia que lo hiciere á favor de su padre. El heredero excluido como indigno debe restituir con la herencia los frutos percibidos de la misma desde el dia en que se abrió la sucesion. L. 26 *y* 27, *tít.* 1, 7 *y* 17, *part.* 6.ª *etc.*

---

# CAPUT XVI.

## De deposito, sequestro, mandato.

184. **Depositum** *est gratuitus contractus inter habiles personas, quo alteri res mobilis* (v. gr. vestis, equus) *custodienda traditur, ut quando deponenti libuerit integra restituatur.*—Qui rem deponit, dicitur *depositor* vel *deponens;* cui depositum datur, dicitur *depositarius. S. Lig. n.* 746.—*Duplex* est, *voluntarium,* nempe, quod fit libero consensu *deponentis* ac *depositarii;* et *necessarium,* cui dat causam casus peculiaris, uti incendium, naufragium, peregrinatio.

**Onera deponentis.** 1.º Solvere tenetur expensas, quas depositarius subiit in re deposita servanda; illumque indemnem servare ab omnibus damnis occasione depositi ortis, ut si in stabulo alterius equum deposueris, nutritionis expensas solvere teneris; et si equus morbo contagioso laboret, quo equi depositarii inficiantur, hunc indemnem reddere debes (*Gury, n.* 844); æquitas enim postulat, ut ex onere gratis suscepto, incommodum quis non sentiat.—2.º Ad depositarii nutum, nisi tempus sit statutum, rem suam recipere; quod si importunus ille videatur, judex definiat.

185. **Munera depositarii.** I. Tenetur rem depositam diligenter custodire, quasi ea esset sua: 1.º si id promiserit;—2.º si de eo aliquid percipiat. —Unde si res deposita ex dolo, vel ejus incuria theologice culpabili pereat, aut sit in mora culpabili, etsi tunc casu pareat, ad restitutionem tenetur. *L.* 32, *tit.* 3, *p.* 5.ª Artifices ut sartores, molitores etc., quibus res traditur polienda, vel immutanda, item caupones, nautæ apud quos res deponitur, tenentur ex levi culpa; eo quia depositio fit etiam in ipsorum commodum. *S. Lig. n.* 750.

II. Re deposita uti nequit sine consensu expresso, vel tacito, aut saltem prudenter præsumpto, uti si res esset usu consumptibilis, v. gr., triticum, pecunia, et dein in eadem quantitate et bonitate restituatur; nemo enim re aliena, inconsulto domino, uti valet.—Si vero depositum non sit usu consumptibile, uti equus, tunc sine deponentis consensu,

saltem præsumpto, nequit eo uti depositarius; secus fructus inde perceptos, seu valorem usus restituere debet, cum res domino suo fructificet. *S. Lig. n.* 748.

III. Tenetur depositum petenti statim reddere cum fructibus ex eo perceptis; nisi 1.° res sit furtiva; — 2.° si deponens evaserit incapax ad acceptandum ex lege; — 3.° vel obstet sequestrum; — 4.° aut deponens in suum, vel alienum damnum repetat; vel depositarius justam habeat causam compensationis. *S. Lig. n.* 753. — Qui porro sine causa illud restituere renuat, apud judicem accusari potest tanquam fur. L. 1, *Cod. deposit.*

186. **Sequestrum** est *species depositi conventionalis, vel judicialis, quo res controversa apud tertium deponitur, ut post judicis, vel arbitri sententiam vincenti tradatur.* Utriusque objectum esse solet res immobilis. Unde

I. Sequestrum *conventionale* esse potest non gratuitum; et tunc legibus contractus conductionis subjicitur. — Si vero sit gratuitum, iisdem regulis subjacet, ac depositum. Non dissolvitur tamen, nisi mutuus partium consensus, vel legalis superveniat causa.

II. In *judiciario* sequestro custos curam boni domini gerere debet; committens autem custodiæ stipendium jure statum depositario solvere adigitur. Sic de jure naturali, et positivo. *(Gury, n.* 845*). L.* 17, *de deposit.*

187. **Mandatum** (vulgo etiam procura) est *gratuitus contractus, quo negotium honestum ab alio ex fiducia commissum, administrandum gratis suscipitur.* — Unde si merces intercedat, erit *locatio-conductio* operum. — Si aliquod detur *honorarium*, non desinet esse *gratuitum* mandatum, cum honorarium longe a mercede differat. — Qui mandat, *mandator* vel *mandans* dicitur; cui datur maudatum, *mandatarius;* et esse potest etiam mulier, minor emancipatus, sed cum *mariti*, vel *curatoris* consensu. *(Scavini, p.* 829). — Mandatum esse potest: 1.° in mandantis utilitatem; — 2.° in utilitatem mandantis et mandatarii; — 3.° in utilitatem mandantis et tertii; — 4.° in tertii utilitatem tantum. *L.* 20, *tit.* 12, *p.* 5.ª

Divisio. 1.° est *judiciale,* quod vulgo dicitur *procura ad lites;* — 2.° *extrajudiciale*, seu *procura ad negotia;* — 3.° *generale*, si omnia gerenda negotia comprehendat. Mandatum autem generalibus verbis expressum, non respicit nisi actus administrationis: — 4.° *speciale*, si determinata negotia comprehendat; — 5.° *conditionale*, vel *absolutum; ad tempus determinatum*, vel *incertum;* fieri etiam potest *verbis,* vel *scriptis*, seu *nuntio*, aut *nutu.*

Q. *Quid requiritur ad mandati valorem?*

R. 1.° Missio mandantis, ac mandatarii acceptatio expressa, vel tacita. — 2.° Scriptura, si mandatum respiciat immobilia, vel actum ex sui natura sit publica scriptura concludendum. Sed ex se *neque scriptura, neque præsentia omnimode opus est. (Inst. de Const. obligat.)*

**Mandantis officia sunt.** I. Diligenter adimplere debet omnes obligationes a mandatario contractas, ac mandato conformes; non vero id, quod ultra mandatum est confectum; nisi expresse vel tacite ratum habuerit. Si vero mandatarius sit a pluribus constitutus, singuli tenentur erga ipsum in solidum; non item si plures sint constituti mandatarii (alia conventione præclusa) tenentur in solidum erga mandantem. *L.* 59 *de mand. tit.* 1, *l.* 17.

II. Ea præstare mandatario debet, quæ ad mandati executionem

necessaria sunt; eique omnia damna et legitimos sumptus, quos, occasione mandati (non vero fortuitos) fecit, refundere, etsi rem ad felicem exitum non perduxerit, excepta culpabili imprudentia, et dolo ab ipso commisso; nemo siquidem tenetur, nec censetur velle alteri beneficium cum proprio dispendio conferre.—Item solvere adigitur usuras pecuniarum, quas mandatarius in antecessum solvit. *(Scavini, Gury, n.* 846. *L.* 22, *tit.* 12, *p.* 5.ª, *L.* 26 *de mand.*)

188. **Onera mandatarii** sunt: I. Tenetur negotium diligenter gerere; unde saltem de dolo et incuria theologice culpabili tenetur. *L.* 20, *tit.* 12, *p.* 5.ª—Nec plura, quam sibi præscriptum est emere, vel minoris vendere potest; secus vi mandati non ageret. *S.* 17 *jan.* 1873. Si mandatarius alium substituat, de substituti culpa tenetur, quando non fuit ei data facultas; vel si data, inhabilem scienter eligat. Semper tamen poterit contra substitutum mandatarius agere, si velit. L. 4, *tit.* 2, *p.* 5.ª (V. n. 109).

II. Non potest mercedem exigere (nec ei licet, *per se,* suam operam compensare), nisi sit promissa, vel ipse eam antea petierit; aut aliquid mandanti solverit, vel expenderit; seu officium, aut artem liberalem exerceat; tunc mandans hos sumptus reddere tenetur. *(S.* 15 *decemb.* 1860, 31 *abril de* 1874, *L.* 17, *Cod. mand. tit.* 35, *lib.* 4).—Idem dic de damno emergenti mandatario.

III. Mandanti reddere tenetur quidquid vi mandati percepit, sive causa lucri, sive titulo doni, nisi dominus aliter consentiat; cum non agat nisi mandantis nomine, non sibi, sed mandanti acquirit.

IV. Rationem de mandati executione mandanti reddere tenetur. *(Leyes* 20, 21, 25 *y* 31, *tit.* 12, *part.* 5.ª, *S.* 27 *junio* 1866). (V. n. 110).

**Mandatum extinguitur**: 1.º per mandanti expressam, vel tacitam revocationem; ut si alium substituat in eadem re, primum certiorem reddendo;—2.º per mandatarii renuntiationem bona fide peractam, et debito tempore notificatam;—3.º per infirmitatem, vel mortem naturalem, vel civilem ejusdem, aut decoctionem, seu interdictionem, sive mandantis, sive mandatarii, vel alteram justam causam. *(Gury, Scavini, ibid. L.* 23, *tit.* 5, *part.* 5.ª) Quidquid tamen agat mandatarius, validum est quoad illos, qui sunt in bona fide; licet ejus mandatum cessaverit. Quare præstat, ut revocatio publicetur. *L.* 51, *tit.* 5, *part.* 5.ª

# CAPUT XVII.

## De commodato, et precario.

189. **Commodatum** est *contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis ad certum tempus, et usum alicui gratis datur, ut finito usu, ipsam in eadem specie restituat.*

Qui rem concedit, *commodans,* vel *commodator* dicitur: cui conceditur, *commodatarius.*—Commodatum ad hæredes transit, nisi intuitu personæ particularis sit.—Objectum commodati sunt res quæcumque, etiam

consumptibiles, si ad solam recipientis pompam præstentur. *L.* 1, *tit.* 2, *part.* 5.ª

**Munera commodantis** sunt: 1.º Rem commodatam ante præfixum tempus non repetere; vel si non sit præfixum, antequam commodatarius ea uti valeat; secus de damno tenetur, cum jus alienum pacto acquisitum violet; nisi res in favorem solius commodatarii fuerit commodata, qui ante tempus præfixum moritur; vel si ipse commodans ex improviso casu re sua statim indigeat, licet grave damnum commodatario ex illa rei petitione tunc sequatur; hæc quippe conditio in tali contractu semper subintelligitur. Verum tunc requiritur judicis auctoritas.—2.º Tenetur de damnis, si rem nocivam, aut vitiosam scienter tradiderit; nam causa eorum esset commodans; etsi non facile sit puniendus, qui favorem tribuit. L. 2 *et* 6, *tit.* 2, *p.* 5.ª—3.º Restituere expensas extraordinarias, quas ad rem conservandam necessarias, ac urgentes subiit commodatarius, dum alioquin commodantem monere facile non potuit. L. 7, *tit.* 2, *p.* 5.ª—4.º Demum rei pericula, ac detrimenta ex casu fortuito orta, seclusa mora, culpa, pacto, et lege peculiari, sustinere tenetur; nam *res perit domino.* (*Gury, n.* 843).

**Obligationes commodatarii** sunt: I. Uti re commodata, non nisi ad usum sibi concessum; vel cui prudenter judicat consentire commodantem, si expressus non sit; vel cui ex natura sua res destinatur; secus re aliena abuteretur, omniaque inde commodanti provenientia damna resarcire teneretur. *L.* 3, *tit.* 2, *p.* 5.ª

II. Subire necessarias expensas ad rei conservationem debet, eamque diligenter custodire; sed non tenetur ad sumptus extraordinarios, v. gr. ob medicamenta equi gravi morbo citra culpam suam laborantis. *L.* 7, *tit.* 2, *p.* 5.ª Imo de casu fortuito tenetur: 1.º si eam servare potuisset, suam substituendo;—2.º si fuerit in mora restituendi;—3.º si ita sit conventum;—4.º si ea fuit æstimata, nec aliter sit pactum;—5.º si culpa sua theologica in re damnum evenerit, vel in usum non concessum eam impendendo. (*Scavini, p.* 829, *L.* 4 *et* 5, *tit.* 2, *p.* 5.ª)—Si ob concessum usum deterior fiat sine commodatarii culpa, ad nihil tenetur.—Si vero deterior facta sit culpa ipsius juridica, de damno tenetur in foro externo, non autem in foro interno, deficiente culpa theologica, nisi peculiaris adsit conventio. *L.* 3, *tit.* 2, *p.* 5.ª

III. Rem commodatam statuto tempore, et loco, ac suis expensis proprio domino reddere debet, etsi non repetatur, (licite antea restitui potest); sane dies statuta pro domino interpellat. Si tempus non fuerit prefixum, restitui debet statim ac usum postulatum præstiterit. *L.* 9, *tit.* 3, *p.* 5.ª

190. **Precarium** definitur: *contractus, quo petenti conceditur res utenda, donec concedenti libuerit.*—In hoc differt a commodato, quod ad concedentis arbitrium revocabile est. Precarium cessat per mortem accipientis, ac per rei alienationem; non vero per mortem dantis, si ab hæredibus non revocetur, vel non petatur. (*Scavini, ibid., S. Lig., n.* 745). Jura et munera eadem fere sunt ac commodati.

# CAPUT XVIII.

## De mutuo, et usura.

191. **Vox mutuum** significat *reciprocationem mei et tui; seu inest in mutuo hæc vis, ut meum tuum fiat, et retro tuum meum.*—Aliquando mutuum accipitur pro ipsa re mutuo donata; aliquando pro contractu, quo ea res alteri donatur, et definiri solet: *Gratuitus contractus, quo rei primo usu consumptibilis dominium per traditionem in alterum transfertur, cum obligatione rem similem reddendi, statuto tempore, in eadem specie et bonitate. (L. 1 et 2, tit. 1, part. 5.ª)*—Res primo usu consumptibiles censentur illæ omnes, *quæ usu illico destruuntur, vel physice, aut commutatione, vel moraliter, aut civiliter.* Hinc:

—1.º *Physice* destruitur quod natura sua consumitur humanis necessitatibus subveniendo, uti oleum, panis, vinum, fructus;—2.º *moraliter* autem destruitur pecunia mutuo data, non in se, sed ei perit, qui illam alteri tradit, ut ipsa utatur. Unde colligitur, in hujusmodi rebus non proprie mutuum, sed commodatum, aut locationem haberi. *(Scavini, p.* 802).

Secundum jura ejusmodi censentur quæcumque pondere, numero, vel mensura constant. (L. 2, *ff. de rebus creditis*). Hinc mutuum a commodato, pignore, hypoteca, locato, et deposito differt; 1.º quia in mutuo res esse debet primo usu consumptibilis; secus in aliis;—2.º quia res non in individuo, nisi aliter sit conventum, sed in eadem specie tantum est reddenda;—3.º quia in mutuo non absolute transfertur rei dominium, sicut in donatione aut venditione, sed ut in bonis dotalibus æstimatis;—4.º quia in mutuo res accipienti perit; in cæteris vero tradenti. Hinc etsi res mutuata ex parte mutuatarii sit *æs alienum,* et ex parte mutuatoris sit *res credita,* de qua *ex se* pro arbitrio disponere possit; tamen cum res mutuata sit primo usu consumptibilis, ejusmodi licitus usus expostulat ipsius dominium. Quocirca expensæ omnes, et rei pericula mutuatario cedunt, utpote vero domino.

Qui mutuum dat, dicitur *mutuans* vel *mutuator;* qui vero illud accipit, *mutuatarius.* Res mutuata *sors* nominari solet; usuræ vero *auctarium* seu *interesse.*—Mutuum est realis contractus *unilateralis,* et *gratuitus;* nam in mutuatarii gratiam initus supponitur. Ast nulla legali forma pollet hic contractus.

192. **Mutuum dare possunt** qui liberam habent bonorum suorum administrationem, neque lege prohibentur. Lege civili prohibentur: 1.º interdicti;—2.º minores sine tutoris auctoritate;—3.º uxores absque viri consensu;—4.º filiifamilias, si de re patris agatur;—5.º præsides provinciarum, et socii commercii cujusvis, si de re communi sermo sit; tamen ii recipere valent. (L*ey* 27, *tit.* 11, *lib.* 7, *N. R.* L. 5, *tit.* 5, *p.* 5.ª)

193. **Mutuum accipere possunt** qui ex contractu obligari queunt: excipe ex lege civili filiosfamilias, etsi majores, quibus Senatus Consultus Macedonianus dare pecuniam mutuam vetat. Venit hoc a quodam Macedone, qui malis artibus pecuniam mutuam filiis tradebat.—Si fuerit iisdem data, repeti nequit, neque post emancipationem, licet filius habuerit

fideijussorem; neque probabilius ab aliis postea est restituenda. *S. Lig., n.* 756.

Obligantur tamen ex eodem jure hispano filiifamilias: 1.º si filius bona propria possideat, v. gr., castrensia, vel alia quorum, vel administratio, vel ususfructus penes ipsum sit; vel juraverit solvere; quamvis potest relaxationem juramenti sibi procurare; imo post solutionem habet actionem ad repetendum solutum;—2.º si separatim a patre vivat, propria administrans bona;—3.º si mutuum filio detur longe a paterna domo, sed in necessariis, vel in utilitatem ipsius patris, vel filii, aut de illius consensu, vel non contradicentis; vel si pater filium negotiationi præposuerit. Quæ civilis juris dispositiones probabilius in conscientia etiam obtinent, cum latæ sint publici boni familiarum causa, ne filii hæreditatem dilapident ante ejus obtentum, et cupiditatibus dediti tristem sentiant exitum. *(Scavini, Les., Sanch., S. Lig., l.* 3, *n.* 757, et *alii* contra *Bon., Dic., aliosque).* L. 4 *et* 5, *tit.* 11. *p.* 5.ª, L. 4, § 4, *D. de dol. mal.*

En España la ley declara nulas las obligaciones de mútuo contraidas por los hijos de familia, y á estos y á sus padres libres de su cumplimiento, aun despues de la muerte de los padres: empero se exceptúa á mas de los casos precedentes: 1.º si el hijo dijese que no tenia padre, como en pena de su engaño; —2.º si tenia oficio público, era menestral, mercader ó soldado; porque en estos casos, ó era considerado como padre de familia, ó capaz de contraer; —3.º si el pupilo sin autorizacion de sus guardadores hubiese entregado, y se hubiese consumido la cosa;—4.º si el hijo mayor de veinte y cinco años y fuera de la patria potestad hubiere satisfecho lo que recibió, etc. (*Leyes* 4, 5 *y* 6, *tít.* 1, *p.* 5. *Inst.* § 2 *quib. alien. licet, tít.* 8, *l.* 2). El senado-consulto Macedoniano de los Romanos está admitido en nuestro derecho (L*ey* 2, *tít.* 1, *part.* 5).

194. Q. *An aliquando adsit præceptum dandi mutuum?*

R. *Affirma,* 1.º pauperibus, qui in necessitate versantur, et fundatam spem habent fore, ut sibi bona obveniant, vel ex hæreditate, vel industria; adest enim stricta charitatis obligatio subveniendi proximo in ea necessitate posito, sive per eleemosynam, sive per mutuum; sed eleemosynam elargiri iis nemo tenetur: ergo... *(Gury, n.* 850, *Scavini, p.* 803*).*

II. Datur præceptum mutuum ex superfluis dandi divitibus, qui indigent ob peculiarem circumstantiam, v. gr. ad litem magni momenti definiendam, vel ad grave damnum e bonis suis declinandum; adest quidem eadem charitatis obligatio; saltem si absque incommodo ipsis per mutuum succurrere possumus. Tamen perraro abest ab hoc mutuandi officio grave incommodum. *Fraudabit illum pecunia sua, et possidebit illum inimicum gratis: et convicia et maledicta* (mutuatarius) *reddet illi* (mutuatori)*, et pro honore et beneficio reddet illi contumeliam,* legitur in Eccli. XXIX. Unde concludit: *Multi non causa nequitiæ non fænerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.*

III. Nulla adest obligatio mutuandi personis divitibus, qui ad augendas opes postulant; quia non sunt in ulla necessitate: neque pauperibus illis, qui non præsumantur habituri, unde æquivalens reddere valeant; nam tunc ipsis per eleemosynam subveniatur; ast nemo tenetur tantum eleemosynæ præstare, quantum mutuo postulant; sunt enim alii, qui opitulari possunt et debent. *(Gury).*

195. **Obligationes mutuantis sunt:** I. Debet ex justitia mutuatarium monere de vitio rei traditæ, si adsit; secus de damnis tenetur: item monere, et pactum statuere de *imminenti damno,* de *lucro cessante,* vel de *periculo sortis,* si adsit; nisi gratis mutuari velit; id est, condonare illud

quod titulis *damni emergentis,* et *lucri cessantis,* servata mutui gratitudine, exigere juste posset. Alias mutuatarius non consentit, sed sustinet injuriam, quam mutuans resarcire adigitur. (*Gury, Ballerini, n.* 851).

II. Mutuum non repetere ante tempus præfinitum, nisi ipse sit in pari necessitate.—Si nullus sit statutus terminus, judicis erit ratione adjunctorum illum definire; vel prudentum judicio, si a mutuante interpelletur. At reddere illud tenetur mutuatarius, etiam non petitus, si non petatur ob oblivionem, reverentiam, distantiam. Secus cum mutuans facile petere possit, censetur dilationi indulgere. *S. Lig. n.* 755. Tenetur tamen mutuans rem accipere, pacto alio secluso, si ante afferatur, quando in meram mutuatarii gratiam tempus conceditur. Secus si in mutuantis lucrum pactum temporis statuitur. Mutuator rei traditionem coram judice probare debet, ut istic jus repetendi ei concedatur. *S.* 3 *mart.* 1876.

III. Non plus recipere, quam res mutuata valuerit, quando mutuo data est. (*Gury, S. Lig., n.* 755. L. 10 *et* 13, *tit.* 13, *lib.* 10 *Nov. Rec.*)

196. **Obligationes mutuatarii sunt:** 1.° Res mutuatas ex justitia restituere eo tempore ac loco, quo fuit conventum, et in eadem conventa quantitate, qualitate et bonitate: quod si non possit, attendatur rerum ipsarum æstimatio; nam mutuum dans servari debet indemnis. *L.* 1, *tit.* 5, *p.* 5.ª—2.° Utcumque res mutuata forte pereat, mutuatarius non liberatur, donec mutuator suum receperit; nam debitum non est præcise de re in individuo, sed in specie aut valore, maxime si pecunia fuerit mutuo tradita.—3.° Solvere adstringitur rerum usuras legales judiciali petitione, si non restituat statuto tempore; imo, si in mora culpabili sit, de damnis etiam tenetur. (*Scavini.* L. 1, *tit.* 1, *p.* 5.ª *S.* 29 *apr.* 1868).

Q. *An quis possit rem mutuatam in eadem mensura et qualitate recipere, si mutui tempore crescat pretium ejus; vel plus repetere, si decrescat?*

R. I. Si æquale sit utrinque dubium, pacisci licet; quia utrinque est periculum, quo servatur æqualitas. (*Gury, S. Lig., n.* 782).

II. Illicitum erit *per se* tale pactum, si certo, vel saltem probabilius constet, solutionis tempore valorem auctum iri; non enim servatur æqualitas, sed plus exigitur, quam datur, nisi statuat mutuans rem servare in tempus pretii aucti; quia tunc ratione *lucri cessantis* plus exigere licet. (*Croix, Gury, S. Ligor., n.* 782). Item si prævideatur pretii minutio; ratione quidem damni *emergentis,* repetere quis potest valorem rei tempore mutui traditæ; nam revera non plus exigit, quam dedit. (*Gury, S. Ligor.*)

Si los labradores se hubiesen obligado á pagar sus deudas en grano al tiempo de la cosecha, se regulará su precio al corriente en la cabeza del partido en los 15 dias antes ó despues de Nuestra Señora de setiembre, segun lo estipulen. (*Pragmática de* 11 *de jul. de* 1765). La promesa de recibir una cantidad en mútuo no es obligatoria. L. 30 *de reb. cred., tít.* 1, *l.* 12.

197. **Usura,** *lato sensu* sumpta, *dicitur omne lucrum ex mutuo cum titulo, vel sine eo perceptum.*—Usura autem, *strictiori sensu* accepta, *est lucrum, seu onus æstimabile immediate ex vi mutui proveniens, aut intentum.* (*Lugo, S. Lig. n.* 758).

**Divisio.** Usura est: 1.° *explicita, implicita,* et *palliata:* 1.ª si expressa fit conventio;—2.ª si indirecte fit declaratio de lucro exigendo, v. gr., si dicat mutuans se indigere, ut sua pecunia aliquid sibi producat;—3.ª si in alio contractu continetur, ut in cambio sicco, mohatra.

2.° Est *realis, mentalis,* et *pure mentalis:* 1.ª si ex aliquo pacto sive

explicito sive implicito usura reapse percipitur; — 2.° si, nullo extante pacto, revera tamen percipitur; — 3.° si solo animo intendatur, aut speretur aliquid supra sortem accipere, vel dare vi mutui, vel implicite in alio contractu, v. g., locationis, emptionis; vel ut merces mutuantis pretio licet justo emat mutuatarius; vel ut hic officium illi conferat absque aliquo legitimo titulo externo.

Q. *An prohibeatur lucrum vi ipsius mutui?*

R. Affirma: est contra judæos, pseudo-reformatos, Calvino duce, aliosque jansenistas, et hæreticos, qui, modo non sit contra charitatem, permittunt locatæ pecuniæ pretium, etsi vi ipsius mutui. Contra hos omnes stat *jus naturale, divinum,* et *ecclesiasticum.*

1.° *Jus naturale:* nam mutuum ex natura sua contractus omnino gratuitus est: aliunde usurarius vendit, quod suum non est; nam aliquid accipit ex re, quæ est mutuatarii, ut etiam ex mutui definitione patet.

2.° *Jus divinum* etiam usuras prohibet. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* (Ps. XIV). Et Ezechiel, cap. XVIII: *Si genuerit filium latronem effundentem sanguinem,... Ad usuram dantem, et amplius accipientem: numquid vivet?*—Et in novo fœdere legitur: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* (Luc. VI).

3.° *Jus ecclesiasticum* usuram vetare constat ex toto titulo de *usuris;* ubi Alexander III, Urbanus III, Innocentius III, 1213, aliique SS. Pontifices usuras gravissime damnant, ac usurarios gravissimis mulctant pœnis; nam usurarius publicus ac notorius 1.° a communione altaris arcetur; — 2.° absolutione in foro interno privatur; — 3.° infamis habetur; — 4.° sic impœnitens moriens, quin satisfecerit, ad ecclesiasticam sepulturam non admittitur. *(Cap. Quia in omnibus de usuris; et cap. Quamquam in* 6).

Adde Concilia Nicen. I, an. 325, Lateran. V, an. 1517, Viennense generale, 1311, inter alia, ubi aperte declaratur veluti hæreticum esse puniendum eum, qui præsumat contrarium docere. Et si in veteri lege usuras ab alienis exigere permittebatur, erat in compensationem, quam hebræi licite facere valebant contra primitivos populos sibi inimicos, Deo permittente. *(Deut.* XXIII).

4.° Adde SS. Patres, et unanimem theologorum consensum, inter quos ait D. August. in Ps. XXXVI: *Si plus quam dedisti expectes accipere, fœnerator es.*

198. Q. *Quid de illis, qui in causa sunt, ut solvantur usuræ?*

R. Omnes judices, advocati, scribæ, potestates, ac consulentes, qui hujusmodi causa sunt, nisi in gratiam mutuatarii id egerint, non solum peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur, si usurarius non restituat; cum efficaciter in alterius damnum influant.—Si usurarii penitus extirpari nequeunt, saltem illorum dentes limandi sunt, ut minus mordeant. *(Scavini, p.* 806).

Q. *Quid de famulis, qui dominis usurariis cooperantur?*

R. 1.° Si agatur de famulis non principalibus, qui tantum scribunt, pecunias enumerant, pignora deferunt, et similia agunt, neque peccant, neque restituere adiguntur; nam ipsorum opera non censentur in damnum directe cooperari.—2.° Si de famulis principalibus, qui usuras exigunt, distingui oportet: si cooperantur in re debitoribus ingrata, uti eos cogendo ad solutionem, et apodixes scribendo, probabilius, et peccant, et contra *Sa, Silv., Vega,* etc., ad restitutionem tenentur in domini defectu; quia

proxime, et injuste in alterius damnum cooperantur.– Si tantum simpliciter, vel sine ulla coactione usuras exigunt, nec peccare, nec ad restitutionem teneri videntur; tunc enim debitores non censentur inviti. *Ita Tamb., S. Ligor., l.* 3, *n.* 789, *Scavini, p.* 807, *aliique). Sed non excusarem a peccato cooperationis ratione solius famulatus*, ait *S. Ligor.*, ibid.; saltem requiritur metus gravis damni. (*Scavini).*

199. **Usura mentalis.** 1.° Si usura sit *pure mentalis*, ad pœnitentiam solum tenetur usurarius; cum nil sit receptum: — 2.° si *ex utraque parte sit mentalis*, ita ut mutuans lucrum acceperit tanquam pretium mutui, et mutuatarius uti tale etiam persolverit, certo lucrum est restituendum; cum desint titulus legitimus retinendi, ac bona fides: — 3.° si *mentalis sit ex parte solius mutuatarii,* ad nil tenetur mutuator; nam in bona fide accepit, ut gratis datum: unde non ex injusta acceptione, sed ex re aliena accepta restituere tenebitur, cum noverit non gratis esse datum: — 4.° si *mentalis sit ex parte solius mutuantis*, ad nihil hic tenetur; quia est gratis datum, etsi in culpa sit mutuans ob suum malum animum, donec de rei veritate certus fiat, et se pœniteat. (*Scavini, S.* Ligor., *l.* 3, *n.* 761).

Q. *Quid in dubio an mutuatarius gratis dederit, vel non?*

R. 1.° Licite a mutuatario accipere potest mutuans dona liberalia, et munuscula levis momenti (*S. Thom., D. Lig., ibid.*); — 2.° item si mutuans bona fide aliquid accepit, ac dein veniat dubium: nam in *dubio melior est conditio possidentis;* — 3.° si autem cum tali dubio dona acceperit, deferendum est illi parti, pro qua est potior præsumptio: hinc ajunt *Salm., n.* 31, *Spor., Less.,* præsumendum esse, mutuatarium moraliter certo gratis donasse, si non sit pauper, aut avarus; aut non dederit impulsus ex metu, neque ex molestia, vel petitione mutuantis; — 4.° oppositum vero præsumitur, si mutuans ante donationem significaverit, velle aliquid ut sibi debitum; aut si mutuatarius acceperit mutuum ad usus necessarios; vel non solitus donare, aut pauper sit; vel si solvat ante redditionem mutui; quia tunc facile præsumitur dare, ne cito cogatur ad restitutionem. (*Ita S. Ligor., n.* 761). Tamen in foro externo qui usuras non conventas persolvit, nequit ipsas sibi repetere. Hæc quæstio in praxi parum interest; nam in more communi est, pacta in antecessum præstituere.

Probabilius mutuans retinere potest quod mutuatarius dedit ex timore, ne alias mutuum denegetur; nam ad usuram requiritur, ut ex vi pacti, sive ut ex justitia debitum detur. (*Ita Lay., Lugo, Diana, S. Thom., cum communi*). *Sotus* advertit discernendum semper esse, an mutuans recipiat ratione amicitiæ, et *gratitudinis*, vel ratione *mutui:* hoc vetatur; illud vero permittunt *Mol., Lugo, S. Lig., n.* 762.

Q. *Quid de hæredibus usurarii, qui usuras non restituerit?*

R. Tenentur juxta vires hæreditatis, si certæ sint, eas restituere, pro parte successionis, vel repræsentationis, quæ particularis omnino est, si duo, vel plures vocati sint hæredes; nisi res ipsa usuraria penes unum extaret; tunc utique illam habens restituere adigeretur, cum res clamet ad dominum; etsi jus æquam compensationem exigendi a cohæredibus habeat, juxta *Billuart, Less., Bouvier, aliosque;* ne solus onera hæreditatis sustinere teneatur; quod non immerito contradicunt *Silvius* et *alii,* modo legitima illi maneat.

Q. *Quid si usuræ jam sint acceptæ, atque fructum produxerint?*

R. 1.° Usuræ sunt restituendæ, utpote res alterius; —2.° Si res usu non consumitur, uti domus, ager, restitui tenetur una cum fructibus suis; *quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus; et ideo ei debentur,* ait *Angelicus* (2. 2, *q.* 78, *a.* 3); imo est facienda restitutio fructuum, tam eorum quos usurarius non percepit, si eos ex sua re percepisset dominus, quam quos dominus non percepisset, si eos percepit usurarius; sane est possessor malæ fidei, et dominus est omnino indemnis servandus; res enim cum suis fructibus semper clamat ad dominum.—3.° Si a re usu consumptibili, vel a pecunia producantur, restitui non debent, *per se loquendo;* cum enim eæ res fructus *ex se* non producant, fructus industriæ ei debentur, qui industriam egit. *(Scavini, p.* 806).

200. **Montes pietatis.** 1.° *Sunt cumulus pecuniarum collectarum, ut pauperes, dato pignore, ad tempus ex illis mutuo accipere possint ea, quæ sibi necessaria sunt.—Pietatis* dici solent, cum pium sit pauperum necessitatibus providere.—Hos Montes approbavit *Lateranense* V, sub Leone X, anno 1517, et *Trident.* eos Episcoporum curæ ac visitationi commisit. (*Sess.* 22, *c.* 8 *de R.*)—2.° Aliquando, consentiente S. Sede, aliquod auctarium exigitur, non vi mutui, sed ad ministros alendos, aliaque onera sustentanda. Ideoque, si Mons est valde dives, nihil est percepturus. (*S. C.* penes Benedict. XIV de *Synod. Diœc., l. X, c.* 5).—3.° Si mutuum non restituatur suo tempore, pignus subhasta venditur, ac retento pretio, quod Monti debetur, reliquum pignoris domino restituitur; vel pauperibus, si ille inveniri nequeat; vel eidem Monti cedit, si pauper sit.—4.° Dicunt aliqui pauperibus tantum ex illis mutuum dari posse, cum ideo tantum sint Montes illi constituti; alii excipiunt, si Mons adeo sit abundans, ut sine pauperum damno cæteris etiam satisfieri possit.—*Lessius* ait: licere etiam privatis hujusmodi Montes instituere. *(V. S. Lig., l.* 3, *n.* 765).

---

# CAPUT XIX.

## De titulis ab usura excusantibus.

201. **Tituli nomine** hic venit *ratio, cujus intuitu aliquid ex mutuo licite exigitur.*—Titulus alius est *intrinsecus,* seu *inseparabilis,* uti mora aliqua; alius est *extrinsecus,* seu *separabilis,* uti *damnum inde eveniens, et lucrum cessans.* Ob titulum intrinsecum nihil exigi potest. Hinc damnata est hæc sub n. 41 prop. ab Innocentio XI: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario accipere, et eo titulo ab usura excusari* (v. n. 195). Ob titulum vero extrinsecum ac legitimum bene poterit aliquid repeti; tunc nulla quidem habetur mutui ratio.

*Quinque* præcipue numerantur extrinseci tituli: 1.° *damnum emergens;* —2.° *lucrum cessans;*—3.° *periculum sortis;* — 4.° *pœna conventionalis;*—

5.° *lex civilis*. Adde *pecuniæ locationem et fecunditatem*. Pauca de singulis.

202. I. **Damnum emergens** est *detrimentum, quod patitur mutuans, occasione mutui proximo præstati.*

II. **Lucrum cessans** est *id, quod mutuans, servata re sua, fuisset lucratus, eam in alio licito contractu adhibens.* Tam ob *damnum emergens*, quam ob *lucrum cessans*, vel *cessaturum*, licet mutuanti damnum, quod causa mutui suffert, a mutuatario exigere. Sane æquum non est dispendium pati, unde præmium quis meretur. (*Ita communiter cum Scavini, S. Lig., n.* 768).

Tamen ad hoc requiritur: 1.° ut non illico exigatur; secus revera non totum tribueretur; sic si 100 mutues, ac statim 6 pro lucro accipias, non 100, sed 94 das;—2.° ut nihil præter compensationem exigatur, quæ a quantitate subeundi damni desumi debet, deductis expensis in alia negotiatione necessariis. Sic si des pecuniam, qua frumentum usui domestico opportuno tempore secus comparasses, ex quo fit, ut ipsum duplicato pretio dein emere cogaris; tunc, nisi charitas obstet, poteris illud duplum exigere, terminos legis superexcedens, præfata ratione, (*Gury, n.* 872, *Lugo, n.* 106, *S. Lig., n.* 769 *et* 770). Quod ad titulum *lucri cessantis* item transferre licet juxta prudentis spei valorem, ob eamdem rationem. (*Ballerini, n.* 858). Sed non licet tunc ex duplici titulo, v. gr., *legis* et *damni emergentis* lucrum accipere. (*Gury, n.* 877).—At si tale periculum ab initio sit tantum probabile, æquitas postulat, ut pro ratione timoris de aliquo lucro pacisci possit: nec refert quod damnum non sequatur; nam pactio fit pro periculo existente, pretio æstimabili. (*Gury, Scav., S. Ligor., n.* 770). (V. n. 193).

203. Imo probabilius mutuans compensationem damni exigere potest, licet ipse ultro se ad mutuandum offerat; quia mutuans non absolute offert, sed sub compensationis obtinendæ conditione; et post acceptationem, mutuum est etiam vera damni causa. (*S. Lig., n.* 769, *Gury, n.* 857).

Q. *Quid si mutuans aliam habeat pecuniam ad negotiationem substituendam?*

R. 1.° Si hanc ad familiæ usum reservaverit, vel ad senectutem solandam, filias dotandas, vel ne suum probabili periculo exponat statum; vel si in tentanda diversa via oriretur molestia, de lucro justo pacisci valet; sane nemo tenetur ratione mutui sua aut suos negligere. (*S. Lig., n.* 771).—Secus etiam affirmant probabiliter *Les., Lugo, Gury, S. Lig., n.* 771, *aliique communiter* contra *Varceno;* nam semper gravosum est pecuniam ad omnem eventum reservatam exponere in alterius gratiam. —2.° Item aliquid accipi posse probabile videtur, si probabiliter tantum erat quis pecuniam mutuo datam negotiationi destinaturus; etenim adest spes æstimabilis. (*Scavini, n.* 810, *Bon., S. Lig., n.* 771). Item si mutuator solum conditionate pecuniam destinaverit, v.g., si diceret: vellem negotiari, ni multi peterent mutuum, præfata ratione (*Less., S. Lig., n.* 772.) 3.° Nihil autem accipere licet pro labore in pecunia numeranda, nisi sit extraordinarius; est enim de mutui natura; neque ob mutuatarii utilitatem, cum hæc ab ipso mutuo oritur; esset quippe rem alterius vendere.

204. III. **Periculum sortis** est *prudens timor, ne sors recuperari queat; vel nonnisi cum difficultate,* aut *expensis,* quod periculum est *ordinarium,* vel *extraordinarium.* Non attenditur periculum ordinarium, cum sit mutuo intrinsecum: item si mutuatarius sortem per pignus, aut

fideijussorem tutam reddat; sic enim periculum cessat. *(Ita Scavini, S. Lig., n.* 765, *Gury, n.* 859).

Ob periculum *extraordinarium* licite exigi potest, si in pactum deducatur lucrum; nam si abdicata spes lucri est prætio æstimabilis, a fortiori æstimabile erit sortis periculum, quod hodie sæpe adest; et revera pluris in omnium sensu æstimatur res in tuto quam in periculo posita, etsi remoto. *Propter periculum futuræ difficultatis in sorte recipienda licet carius justo vendere, dare, etc.*, ait *D. Thom., opusc.* 73 *de usu. a. c.* 1. Id confirmat responsio *S. Cong. de propaganda* pro Missionariis Sinensibus ab Innocent. X approbata, an. 1645.– Idem habet *Lateran. V,* ubi de usura damnatur quodvis lucrum ex re infrugifera perceptum, secluso tamen titulo *laboris, sumptus, aut periculi,* v. g., si mutuetur homini dubiæ fidei. Ita etiam *S. Lig., n.* 765.

205. **Pœna conventionalis** est *obligatio imposita et acceptata de lucro solvendo ultra sortem, si statuto tempore hæc non restituatur.* Quæ pœna legitimus est titulus aliquid citra sortem exigendi; nam ita firmitati contractus consulitur, ac mutuatarii negligentia præcavetur. *(S. Ligor., n.* 766, *Gury, n.* 861).—Sed requiritur 1.° ut mora sit notabilis et culpabilis; nam sine culpa non sustinetur pœna;—2.° ut absit animus usurarius, uti præsumitur, si conventio apponatur ad tempus, quo prævidetur mutuatarium solvere non posse;—3.° ut pœna sit tempori et culpæ proportionata; secus esset injusta.—Probabilius ante sententiam est debita, cum magis rationem pacti habeat, quam pœnæ; nam mutuatarius solutionem culpabiliter differendo, contra mutuantis jus peccat. *S. Lig., n.* 767, *Scavini, n.* 441.

Q. *Quid de pactis generatim in mutuo appositis?*

R. Cum mutuum sit natura sua gratuitus contractus, omne pactum onerosum ei appositum usurarium erit, aut contractus naturam mutabit. Hinc usurarius est, qui alteri mutuat sub onere sibi patrocinandi, merces suas emendi, domum vel agrum locandi aut conducendi; uno verbo, semper ac mutuo novum imponatur onus, et mutuatarii restringatur libertas, licet cujusvis liberæ donationis. *(Gury, Ballerini, n.* 855, *S. Lig., n.* 764 *et* 780).

Secus si quis exigat rem ex justitia jam debitam, sive factum, sive facti omissionem, v. g. cessationem ab injusta vexatione; quia nullum novum imponitur onus.—Item si exigat quod pecunia non æstimatur, uti amicitia, benevolentia, modo in pactum non deducatur; nam sic jam onus haberetur. Unde Innocent. XI sub 42 hanc damnavit prop.: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur.... ex benevolentia et gratitudine debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. S. Lig., ibid.* Non tamen prohibetur gratitudinem expectare; nam ex quolibet beneficio jam natura sua ea sequitur; neque mutuare cum pacto, ut mutuatarius eodem tempore aliquid aliud mutuanti remutuet; esset enim quædam permutationis species: secus si apponatur onus, ut remutuet postea, quando forsan indigeat. (*Scavini, p.* 812).

Q. *Licetne mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obligat ad ipsam non brevi repetendam?*

R. Nego, si per tempus ordinarium sit; nam hoc intrinsece mutuo inhærens est. Idque deduci videtur ex hac sub n. 42 prop. ab Alexandro VII damnata: *Licitum est mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si*

*se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Ita *communiter cum Lugone, n.* 17.—Secus si expectare deberet per multum tempus, puta per tres annos, ut probabiliter tenent *Spor., Med., Henr., Varceno, S. Lig., n.* 760; tunc enim non accipitur ratione mutui, sed peculiaris oneris extrinseci mutuo, ut ait *S. Alphon., cum Lugone, n.* 24. Et propositio damnata non afficit tempus extraordinarium, aut onus mutuo extrinsecum, ut ait *S. Lig., n.* 760. Alias usque ad finem vitæ expectare liceret, et de mutuo actum esset. *(Scavini, p.* 811).

206. Q. *An liceat usuram exigere ex usuris non solutis?*

R. Nega; quia usuræ usurarum ex se naturam sortis non induunt; et turpe erit pactum initum circa hoc, cum in jure repugnet dari accessionem accessionis; et etiam civili lege hispana prohibeatur. *(Ita communiter)*.—Excipiunt etiam in conscientia: 1.° si priori aliud substituatur debitum specie diversum; —2.° si de pensionibus (rentas vencidas) agatur, quæ a conductoribus inquilinis sint debitæ; vel de fructibus debitis causa census, aut vitalitii; —3.° usuras item producunt a die judicialis petitionis, aut factæ conventionis, vel si alius tertius debitoris nomine debitos fructus seu usuras pependerit; quippe tunc induere sortis naturam censentur; vel si creditor ex solutionis dilatione damnum patiatur. *Scavini, p.* 813, *Gousset, Gury).*

207. V. **Lex civilis** mutuanti concedit, ut quinque in re civili, supra sortem exigat; et in quibusdam locis decem vel duodecim pro centum, ubi floret commercium; et sex pro centum in re ad commercium spectante in Gallia, Italia, Hispania, aliisque regnis.

*En España* el artículo 398 del Código de comercio autoriza para recibir el 6 por 100 en los negocios mercantiles; — y en la ley de 14 de marzo de 1856 se leen los artículos siguientes: 1.° Queda abolida toda tasa sobre el interés del capital en numerario dado en préstamo.—2.° Podrá pactarse convencionalmente interés en el simple préstamo; pero este pacto será nulo, si no consta por escrito.—3.° Se reputa interés toda prestacion pactada á favor de un acreedor.—4.° Lo dispuesto en los dos artículos anteriores es aplicable á todo préstamo de cosa fungible, cuyo interés consista en un aumento en la misma especie que ha de devolverse.—5.° El año civil es la unidad de tiempo para el cálculo del interés del capital.—6.° El recibo del capital dado por el acreedor sin reservarse el derecho á los intereses estipulados, extingue la obligacion del deudor respecto á ellos.—7.° Durante el término del contrato, los intereses vencidos y no pagados no pueden devengar intereses. Transcurrido el plazo, los liquidados y no satisfechos podrán capitalizarse, y estipular de nuevo réditos sobre el aumento del capital con sujecion á lo dispuesto en el n. 2.°—8.° Al principio de cada año el Gobierno, oyendo al Consejo de Estado, fijará el interés legal que, sin estar pactado, debe abonarse por el deudor legítimamente constituido en mora, y en los demás casos determinados por la ley. Mientras no se fije ese interés, se considerará como legal el 6 por 100 al año. (Los intereses reclamados no pueden exceder del valor del capital de la deuda. *L.* 29 *de usur., Nov.* 160).—9.° Quedan derogadas todas las disposiciones anteriores, contrarias á las de la presente ley.

208. Q. *An lex civilis admitti possit ut titulus legitimus etiam in conscientia?*

R. I. Nullum subest indicium quod legislatores voluerint dominium *gratuiti*, id est, non *promeriti* lucri ab alio in alium transferre, cum leges ejusmodi sint antiquissimæ; porro inter romanos, et germanos jam existebant; translationis autem ejusmodi notio recentius a paucioribus scriptoribus excogitata fuit; adeo ut leges mere hoc officium demum sibi sumpserint, ut lucri præstatione percipiendi æquam præstiterint

mensuram.—Et huic quidem istarum legum sensui illud favet, quod DD. ad hujus lucri defensionem sensum praximque piorum hominum invocare solent. Unde hic lex civilis non facit justum, sed justum reperit, ut ait *Ballerini, n.* 863.—Non facit justum; *nam alicubi mensuram lucri ex pecuniæ præstatione percipiendi liberæ contrahentium voluntati permittit (ut in Hispania), et ad solvendum cogit, quidquid pactum fuerit. Audebimusne supremæ potestati civili hoc etiam tribuere, quod lucri utcumque iniquissimi dominium velit transferre?*

II. Videamus tamen quid dicunt auctores circa hanc rem. *Alii cum Lugo, Less., Bossuet, D. Thom.,* negant titulo solius legis civilis exigi licite aliquid posse ultra sortem; nam lex humana nihil potest contra legem Dei.—*Alii cum Croix, Gobat, Ledes., Bouvier, Reuter, n.* 201, *Gousset, n.* 823, *pluribusque modernis*, affirmant: 1.° quia principes ratione dominii alti dominium actuarii in mutuantem transferre possunt, eo modo, quo legitime ob bonum publicum res præscribuntur;—2.° ratione boni communis; aliter enim commercium deficeret; lucrum in regno cessaret: porro si licet particulari pacisci de interesse ob damnum privatum, multo ergo magis ob periculum publici damni. Aliunde circumstantiæ sunt mutatæ; ideoque nunc bonum publicum exigit, ut moderatum lucrum ex mutuo percipi possit, quod antea non exigebat;—3.° quia ultroneus et mutuus totius societatis consensus favet;—4.° quia adest hodie consuetudo ubique etiam apud ipsos timoratos recepta;—5.° quia tandem legalis taxa non est lucrum ex vi mutui, sed præmium quod lex divitibus tribuit, ut sic alliciantur ad pecunias mutuo dandas, quibus hodie maxime sustinentur commercia et status. Si commercium est quid bonum, societas concurrere debet ad ejus progressum; indeque jus habet, uti mediis opportunis. Sed undenam assumere debet interesse ad præmia? Nunquid aliquid justius quam ab ipsis particularibus, in quorum favorem mutuum vergit, aliqua taxa utilitati accomodata solvenda? Nonne ita lex disposuit circa solemnitates contractuum?

III. Verum frustra utrinque argumenta controversiam dirimere valent, cum adhuc desideretur supremum Ecclesiæ judicium. Unde sat erit regulam tradere quoad praxim, tam pro fidelibus, quam pro confessariis: 1.° Quoad fideles, qui capitalia aliis tradunt, ut ex illis fructus percipiant juxta taxam civilem, dicimus, cum *Scavini*, et *Del-Vecchio, n.* 443, ex responsis SS. Pontificum Pii VIII, et Gregorii XVI, etc., ipsos *non esse inquietandos*, neque cogendos ad restitutionem fructuum perceptorum; neque in foro pœnitentiæ absolutione idcirco privandos; si tamen sint in bona fide, et vere parati stare mandatis S. Sedis, quando edantur.—2.° Neque inquietandos, neque absolutione privandos esse presbyteros illos, qui contendunt legem civilem esse titulum sufficientem aliquid supra sortem percipiendi, quousque definitionem S. Sedes emiserit, cui parati sint se subjicere.

Episcopus Nicæensis *D. Galvano* hanc quæstionem S. Cong. an. 1837 proposuit: *An pœnitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo, dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere; modo de patrato ob dubiam, vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis?* Die 17 jan. 1838 responsum fuit affirmative, *dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis*. Quæ responsio duo respicit: 1.° *Lucrum*

*moderatum;* si enim lex civilis nimis exorbitaret in statuendo lucro, adeo ut manifestam includeret injustitiam, certo non suffragaretur laudata responsio; — 2.° *ipsam taxam legis;* unde si lex liberam cuique taxam relinquat definiendam, non licet in conscientia illam exigere, si taxam legalem ab Ecclesia permissam superat; nisi alius justus adesset titulus. Si enim liberâ hominum conventio faceret jus, actum esset de omni justitia. *(In Scavini, p.* 915).

Q. *Quibus favet lex civilis?*

R. 1.° Mercatoribus pecuniam aliis mercatoribus mutuantibus;— 2.° mercatoribus respectu aliorum non mercatorum; nam lex commercio favere intendit;—3.° quoad non mercatores respectu mercatorum controvertitur; sed hodie praxis communis in Hispania nullam servat distinctionem; quod non parum commercio favet, et bono communi; aliter paucissimi invenirentur mutuatores. Unde si lex civilis ultra 6 pro centum exigere concedit, et perpensis omnibus locorum, ac temporum circumstantiis, nec non pecuniæ raritate videatur justa, de peccato argui nequeunt ipsa gaudentes. *(Gury, n.* 873).

209. **Pecuniæ locatio, et fœcunditas.** Juxta *Maffei*, *Mastrofini*, *Bolgeni, La Luzerna*, *Rossignol* et *alios*, pecunia natura sua sterilis non est; et ideo ex ejus mutuatione aliquid ultra sortem exigi potest; quod sic probant.

I. Mutuum juxta omnes fieri nequit nisi de re primo usu consumptibili; pecunia primo usu non consumitur, nisi pauperi impendatur ad suam sustentationem impensuro.—Aliunde in traditione pecuniæ solus valor transfertur; valor autem non perit, quando in augendam mutuatarii fortunam impenditur; ergo...—Si totum interesse in mutuo traderetur, velut in donatione, nullum repetitionis jus in mutuante remaneret; neque aliquod onus solvendi in mutuatario, vel ejus hæredibus; atqui juxta omnes hoc jus et onus integrum permanet; ergo... Unde mutuum tunc est veluti quidam usus, vel ususfructus, vel commodatum; ideoque tunc exulant omnes leges circa mutuum proprie dictum.

II. Contractus ille locationis est, ac in se licitus; nam juste pretium exigitur pro re, quæ valorem intrinsecum habet; atqui usus pecuniæ, quæ primo usu non consumitur, habet valorem intrinsecum, qui pretio æstimari potest, ac in humano commercio hodie præsertim causa evadit multorum emolumentorum; ergo auctarium sortis esse valet, ac est justum pretium illius usûs.

III. Pecunia, ut constat ex experientia mercatorum, fructum producit, et multiplicatur *per se,* independenter ab humana industria; etenim idem mercator in iisdem circumstantiis, cum eodem industriæ gradu, multo majus lucrum faciet, si multo majorem summam impendere in commercium possit, sive ratione emptionis in majori quantitate, sive ratione translationis, v. gr., per viam ferream, navim, etc.; ergo non omnino sterilis est reputanda; ergo facultas pecuniam impendendi in commercio est vere pretio æstimabilis.

IV. Illud auctuarium sortis haberi potest, non solum ut pretium locati valoris, sed etiam ut pretium venditi lucri, quod ex inita societate sperabatur. Mutuum enim assimilatur triplici contractui societatis, cum assecuratione, tum sortis, tum lucri: triplex autem ille contractus probabiliter legitimus est, juxta *Benedict. XIV, S. Ligor.*, *aliosque;* ergo...

Potest etiam haberi ut contractus, in quo unus pecuniam, et alter industriam affert; et ut census utrinque rescindibilis, de quibus infra.

210. **Mutatio contractus.** Etsi ex natura sua mutuum esse debet omnino *gratuitum*, tamen est contractus liberæ hominis voluntatis; ideoque pro sola nominis mutatione, uti *commodati in locationem, donationis in venditionem*, efficitur, ut pro re, vel usu, vel pleno dominio alteri concesso, pretium juste exigi possit, vel non possit; atque adeo res non de mero nomine est, sed de diversitate contractuum; e qua diversitate proinde diversa jura, diversæque obligationes ex contrahentium voluntate pariuntur, ut ait *Ballerini.*

Principium quod, vel inviti ratum DD. habuerunt, illud est; pretio æstimabilem esse obligationem, qua quis dum rem suam alteri utendam tradit, se obstringit, re sua ejusque usu carendi ac commodo; *qui ad id se obligat, eo ipso privat se aliquo pretio æstimabili,* ut ait Lugo, Disp. 25, n. 18.—*Usus, quo mutuans ad tempus privatur, est pecunia æstimabilis.* (Molina, de just., t. 2, d. 304, n. 5).—*Pretio æstimabile est fideijubere alterius nomine... ergo etiam mutuare cum obligatione per unum annum non repetendi...* (Salmant., t. 14, c. 3, n. 25-26).—*Fideijubere alterius nomine ad unum annum pro tanta summa est pretio æstimabile; ergo etiam mutuare cum obligatione non repetendi... quia hoc est difficilius quam illud.* (Becanus de just. et jur. C. 78, 7, 6, n. 1. Ita *Salas, n.* 4, *Petrus de Ancharamus, Tostatus, Card. Hostiensis, l.* 5 *de usuris,* § 1, *Ballerini, n.* 867).

Et ne plura sine causa congerantur, illud in præsens satis est, quod ex omnium consensu simoniaca habetur mutui exactio pro re spirituali; quomodo simoniam haberemus, nisi mutuatio per se quidpiam habeat, quod sit pretio æstimabile? — Nam quod abdicata lucri spes sit quidpiam pretio æstimabile, adeoque justa ratio congruam compensationem exigendi, non solum sensus communis habet, sed et Apostolicæ Sedis judicium: Benedict. XIV id confirmat in Const. *Vix pervenit,* § 10, ubi solum reprobatur lucrum ex mutuo vi mutui perceptum, seclusis variis titulis, et a diversitate contractuum illud aliquando repeti posse concedens. Proinde pro contrahentium arbitrio contractus poterit citra injustitiam plus, minusve, aut nullatenus esse gratuitus, variata scilicet pro arbitrio contractus natura.

—Hoc enim principium multo aptius in hanc rem adhiberi potest, quam principium a recentioribus invectum de *fœcunditate pecuniæ*: —1.° quia est magis universale; nam non pecuniam solum, sed quamquam rem fungibilem complectitur. Neque apparet ratio distinctionis rerum, cum æquale sit pretio æstimabile incommodum carendi re sua, et onus eam ad certum tempus non repetendi; —2.° quia hoc principium magis consonum est justitiæ legibus. Justitia enim postulat, ut jus ac norma compensationis in contractibus non quidem ex commodo, quod ex re acquirenda quis percepturus forte erit, sed potius ex onere desumatur, quod alter re sua se privans, subeat; —3.° quia hoc principium non solum est magis in se firmum ac certum, multoque magis a DD. receptum, ac magis probatum, quam illud de *fœcunditate pecuniæ*, sed etiam quia obscuras illas impune prætervolat disputationes, sitne *sterilis an frugifera pecunia ; sitne rei an industriæ fructus*, etc., quæ dum mentes inter incerta defatigatas vexant, firmum, cui conscientia tranquille acquiescat, judicium vix concedunt. (*Ballerini, ibid.*).

Hoc sensu exposito interpretari licet, ac explicari possunt, quæ supra de jure naturali, divino, ecclesiastico ac civili diximus, et amplius. Fac ut advertas; de *jure civili* et *amplius*. Unde præter adjuncta *damni emergentis*, aut *lucri cessantis*, quæ saltem in foro interno deservire valent, semper etiam valere dicenda est lex illa, quæ in qualibet compensatione servatur. Aut enim lucri hujus mensura legibus præfinita est, et hanc prætergredi nefas erit; vel nullam leges præfiniunt mensuram, et tunc vulgari pretio, quod tamen et in re præsenti diversos *infimi*, *medii*, et *summi* habere poterit limites, standum erit. *(Ballerini, ibid., in fine)*.

---

# PARS SECUNDA.

## DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

---

# CAPUT I.

### De emptionis, et venditionis natura, subjecto, et objecto.

211. **Emptio, et venditio** est *contractus, quo merx determinata datur, vel danda convenitur pro pretio determinato.*

I. **Contractus emptionis, et venditionis inire possunt** ii omnes, qui acquirere, et alienare libere queunt. Excipiuntur: 1.° filii-familias, nisi de castrensibus, et quasi castrensibus agatur (*Ley* 2.ª, *tit.* 5, *part.* 5.ª); minores sub tutoribus, vel curatoribus viventes, qui nec emere, neque ad creditum aliquid accipere possunt sine suorum parentum, vel curatorum licentia; et nulli sunt tales contractus, fidejussiones, et cautiones ad eorum executionem datæ. Idem dic de venditione numeranda pecunia facta majoribus, aut minoribus curatore carentibus, quoad solvendum cum nupserint, vel hæreditatem possideant. (*L.* 17, *tit.* 1, *et L.* 1, *tit.* 12, *lib. X Novis. Rec.*).—2.° Inhabilitati, interdicti, uxores sine viri consensu, saltem quoad bona dotalia, vel communia, aut immobilia, nisi hæ mercaturam exerceant.—3.° Conjuges inter se, paucis exceptis casibus.—4.° Provinciæ gubernatores quoad bona immobilia in ipsa sita; judices et arbitri, circa bona subhastata per executionem sui tribunalis; tutores, curatores, ascendens emancipator quoad minoris, vel emancipati bona sine judicis auctoritate, vel alterius curatoris, et sub beneficio restitutionis; publici officiales, advocati, notarii, procuratores, executores (albaceas), et alii cum illis, quibuscum actionem habent: subhastatores circa bona quæ ipsi subhastant neque per se, neque per alios emere valent sine licentia, sub nullitatis pœna. (*Const. de Cat.*, 8 *et* 25, *tit.* 67, *L.* 3, 4, *etc.*, *tit.* 11 *et* 12, *lib. VII et X Nov. Rec.*, *etc.*, *Cod. pœnal. ref.*, *art.* 412.) Leges eum, qui alicujus societatis negotia gerit, non comprehendunt, sed legales administratores. (*S.* 1.° *mayo* 1861, 18 *diciemb.* 1866.—*Ley* 4.ª, *tit.* 29, *lib. XI*).—5.° Item est vetitum emere ab addiscentibus, impuberibus, famu-

lis aurum, argentum, cibos, et supellectilia domus. (L. 6.ª *et* 8.ª, *tit.* 12, *lib.* X *Nov. Rec.*).—6.° Studiosi absque consensu illorum, qui in studiis eos sustinent. Item sarcinator in rebus suæ auctionis. (L. 4, *tit.* 6, *lib.* 9 *Nov. Rec.*).

Por derecho español el menor sin las formalidades legales no puede enajenar sus bienes raices, transigir sobre sus derechos, hacer donaciones, comprar ó tomar al fiado objetos de plata y mercaderías. (V. n. 84.)

212. II. **Res quæ sub emptione et venditione cadere possunt** sunt omnes, quæ in humano commercio existunt, cum propterea æstimantur; item jura incorporea, credita, chirographa, ususfructus, jus ad hæreditatem apertam, ac etiam jura incerta, vel litigiosa pro rata probabilitatis, nisi lege vetentur. *(Ita omnia jura)*. (V. n. 8).

III. **Prohibetur vendere ac emere**: 1.° bona ecclesiastica, ut supra n. 8, nisi a legitima Ecclesiæ auctoritate fiat ad pauperes sustentandos; ad ædificandam ecclesiam, vel cœmeterium faciendum, et similia:—2.° res alienas, vel emptoris proprias: tamen si ambo contrahentes rem esse alienam ignorabant, valida erit emptio. Si vero emptor sciebat rem venditoris non esse, restituere ipsam tenetur; at repetere non valet pretium, nisi aliter fuerit conventum. Si autem emptor nesciebat rem alienam esse, et a vero domino evincatur, venditor pretium restituere debet emptori, ac omnia damna exinde ipsi orta. *(L.* 11 *et* 13, *D. de act. empt.*, *tit.* 1, *l.* 18. *L.* 19, *tit.* 5, *part.* 5.ª *S.* 21 *maj.* 1861 *y el Fuero de Navarra cap.* 11, *tit.* 15, *l.* 3);—3.° res litigiosas, nisi dotis nomine, vel ante nuptias donationis, vel transactionis, aut divisionis hæreditatis occasione, possessas; vel nisi per legati, aut fideicommissi causam tales res datæ, vel acceptatæ fuerint. (*Leyes* 13 *y* 14, *tit.* 7, *part.* 3.ª);—4.° jura successionis personæ viventis (V. n. 80);—5.° res pravas, uti sunt idola, libri vetiti;—6.° res noxias emptori, vel quibus *certo* est abusurus; (nam in dubio nemo præsumitur malus), uti arma, venena, vinum, etc., etsi valida sit venditio; quia charitas ad damnum proximi impediendum, vel saltem non ei cooperandum, nec materialiter, nos urget. (V. n. 442, et t. 1, n. 563).

Los géneros estancados, venenos y medicamentos, solo pueden venderse por las personas autorizadas por la ley. *(L.* 17, *tit.* 5, *part.* 5.ª, *etc.*)

213. Q. *Quid de nigrorum commercio?*

R. Etsi lugendum, tamen jure naturæ, licitum dicunt AA. 1.° si justo titulo nigritæ sua libertate priventur;—2.° si humaniter tractentur;—3.° si in contractu absit fraus. *(Bouvier)*.—In praxi hodie est ab Ecclesia prohibitum a Paulo III, Urbano VIII, Benedicto XIV, Pio VII, et Gregorio XVI, 3 decemb. 1839, illud aperte declarante prorsus indignum christiano nomine. Idem Pontifex districte prohibuit *ne quis ecclesiasticus, aut laicus illud... veluti licitum sub quovis obtutu, aut quæsito colore tueri, aut aliter publice, vel privatim docere præsumat.*—Imo ipsa lex civilis fere ubique illud vetat, uti in Austria, Borussia, Gallia, Hispania, Anglia, Russia.

# CAPUT II.

## De regulis emptionis, et venditionis.

214. I. Hic contractus celebrari potest *pure*, et sub *conditione*. (V. n. 99 et seq.) Dividitur in contractus *negotiatores* (mercantiles) et *communes*. Mobilium emptio animo ea revendendi lucri gratia frequenter, seu ex officio, ad primam classem spectat, et specialibus commercii regulis subest.—Omnes alii contractus communes considerantur, etiam emptio-venditio tritici a venditore collecti, fodinarum, rerum immobilium, proprietariorum, et similium, legibusque infra ponendis reguntur. *Cod. comm. art.* 360.

II. Venditio perfici potest 1.° in corpore, et in mensura, aut pondere. Primo modo intelligitur facta cum pretium omnem cumulum comprehendit. Secundo autem, si pretium sit determinatum pro unoquoque pondere, mensura, vel numero. *L.* 25, *tit.* 5, *p.* 5.ª—2.° Venditio in corpore perficitur solo partium consensu, modo de re, ac de pretio adsit conventio, licet illa non sit tradita, et hoc non satisfactum, nisi de visu et gustu adsit usus, vel conventio. Tunc si non intercedat læsio ultra dimidium pretii, non datur locus rescissioni, neque in foro externo restitutioni. *S.* 8 *apr.* 1865, *L.* 28, *tit.* 5, *part.* 5.ª—3.° Venditio vero in numero, pondere, vel mensura peracta non transfert rei periculum in emptorem, nisi ab eo die, a quo in mora fuerit ad ipsam recipiendam, *L.* 5, *tit.* 6, *lib.* 18 *Dig.*: vel nisi posteaquam numero, ponderi, aut mensuræ subjiciatur, licet res non sit tradita; at ambæ partes contractus complementum petere valent. Et si emptor jus sibi reservavit rem degustandi, aut videndi, ex parte ejus non tenet contractus, nisi post expletam conditionem. *L.* 24 *et* 25, *tit.* 5, *p.* 5.ª—4.° Si hujusmodi probationis tempus non fuerit assignatum, neque obstrictus manet venditor. Si autem præfixum fuerit, atque emptor illo tempore non compareat, vel illo, quod præfixit venditor, cum in contractu illud non fuerit statutum, habetur pro gustata merce, approbato, consummatoque contractu. *L.* 24, *tit.* 5, *part.* 5.ª, *L.* 4 *de per. et com.*, *tit.* 6, *l.* 18.

III. Venditio perfici potest in *limpido*, vel *indiscretim* (en limpio ó en bruto). Si 1.°, ad emptorem pertinent omnes sumptus venditionis, et intrinseca rei venditæ onera. Si vero 2.°, utraque ad venditorem spectant, deductis tamen impensis ab ipso pretio promisso. Hæc est praxis in Hispania. *Elias, art.* 3549. (*V.* L. 81, § 1, *D. de cont. empt.*)

IV. Venditio vel permutatio immobilium publico instrumento, ac insinuatione perfici debet, non quidem ratione validitatis, sed præcepto civili veluti formula in bonum commune, seu ad obligationem jam contractam apud judicem urgendam. Unde invalidus tantummodo erit contractus immobilium, vel jurium super ipsa immobilia, sub prævia, ac suspensiva hac conditione initus, usquedum publica exaretur scriptura: alias sola partium conventione circa rem, ac pretium etiam consummatur talis contractus. L. 6, *tit.* 5, *p.* 5.ª, *L.* 114, *tit.* 18, *p.* 3.ª, *S.* 24 *oct.* 1873, 13 *maj.* 1875, *et* 13 *jul.* 1876.

La venta pues puede contratarse: 1.° Por escrito ó de palabra. En el primer caso queda perfeccionada luego de firmada la escritura por los contrayentes. En el segundo con el simple consentimiento de las partes en la cosa y en el precio, aun cuando para que constase hubiesen convenido en otorgar escritura, (cuya otorgacion tienen el derecho de pedir ambas partes), pues esta condicion no es esencial al contrato. *L.* 6, *tít.* 5, *p.* 5.ª, L. 1, *tít.* 1, *l.* 10 *Nov. Rec.*, *S.* 13 *mart.* 1875.—2.° El que compra al fiado una cosa, se hace dueño de ella desde el momento en que se la entrega el vendedor. *S.* 21 *febr.* 1861.—Es válida y obligatoria una compra convenida sin condicion alguna, entregado que sea ya el precio. L. 12, *tít.* 11, *p.* 5.ª *S.* 15 *dic. de* 1865. —3.° Verificada la tradicion de la cosa por el precio dado, queda consumado el contrato de compra y venta. *S.* 9 *oct. de* 1867.—4.° Es práctica constantemente observada y deducida de las disposiciones de nuestro derecho, que la compra de bienes inmuebles se entienda celebrada con la implícita condicion de que del precio estipulado se rebaje el importe de las cargas con que la finca ó casa se halle grabada, á no contratarse expresamente lo contrario. *S.* 10 *jun. de* 1869.—5.° Los escribanos de número son los únicos que autorizan los contratos y testamentos en los pueblos en que residen, y no hacen fé ni prueba las escrituras de otros, excepto en los lugares donde no los hubiera numerarios. *SS.* 23 *abr. de* 1864 *y* 13 *oct. de* 1865.

**En Aragon** no es necesario el otorgamiento de escritura pública para la perfeccion de los contratos sobre bienes raíces, aun cuando despues lo sea para su consumacion. *S.* 19 *jun. de* 1861, *Obs.* 4 *de empt.*

V. Emptio-venditio celebrari valet sub arrharum traditione, recipiente eas venditore in signum, et securitatem initi contractus.

Si los contrayentes rescinden el contrato de comun acuerdo, ó se le hubiere dado cumplimiento, el comprador recobrará las arras.—Si se aparta del contrato el comprador las perderá. Si el vendedor, las devolverá con el otro tanto. *Inst. Princ. de empt. tit.* 24, *l.* 3.—Cuando el vendedor recibe del comprador alguna cantidad en señal y pago del precio total, ninguno de los contrayentes puede dejar de cumplir lo pactado. *L.* 7, *tít.* 5, *p.* 5.ª, *S.* 11 *abril de* 1864. En pública subasta la cantidad depositada no puede reputarse como señal ó arras, sino aplicarse como parte de precio. *S.* 19 *abril de* 1865, *S. Lig.*, *n.* 794.—Para que pase al comprador el señorío de la cosa, no es bastante que se apodere de ella, si no hubiese pagado el precio, ó dado fiador ó peños, ó tomado plazo cierto para pagar. *L.* 46, *tít.* 28, *p.* 3.ª *S.* 23 *mayo de* 1873, *Gury*, *n.* 881, *S. Lig. n.* 796.

215. Q. *Cujus est res empta aliena pecunia?*

R. Ad emptorem pertinet, si nomine proprio emerit post reciprocam traditionem; secus si nomine alterius; hujus tunc erit res. (L. 48 *y* 49, *tit.* 9, *part.* 5.ª) Tamen pecuniam domino suo restituere tenetur.—Excipe si pecunia sit Ecclesiæ, vel minoris, vel militis; tunc ex privilegio legis res illis acquiritur. *(Scavini*, *S.* Lig., *n.* 799).

Q. *Quid si res duobus in solidum sit vendita?*

R. 1.° Si res nondum sit tradita, priori tradi debet emptori, etsi pretium jam solverit secundus emptor; et huic in venditorem remanet actio ob injuriam, et damna; nam qui *prior est tempore, potior est jure.* *S.* 31 *jan.* 1861.—2.° Si vero res secundo emptori bonæ fidei sit tradita, et pretium solverit, hujus erit, et cæteri emptores semper in venditorem jus habent quoad damna inde ipsis secuta. Ita *ex omni jure.* L. 50, *tit.* 5, *p.* 5.ª, *S.* 12 *oct.* 1875. Secus si mala fide emerit, sciens nempe rem alteri esse venditam; tunc possessori malæ fidei æquiparatur. Unde videtur, etiam in foro interno ante judicis sententiam, priori emptori in hoc casu restitui debere. (*Gury*, *n.* 866, *S.* Lig., *n.* 827). Si primus emptor rei possessionem habet, tamen statutis temporibus pretium non solverit, neque adhuc publico instrumento contractus fulciatur, prælatione non

gaudet adversus secundum, qui pretium solvit, publicaque munitur scriptura, quæ dat ipsi jus in rem. *S.* 14 *oct.* 1861.—3.° Tamen si quid vendatur, aut detur Ecclesiæ, vel aliis locis piis, acquiritur rei dominium ante traditionem, et prævalet secundo emptori. (*Scavini, Lugo, S. Lig., ibid.*) Item si res priori emptori in contractus securitatem hypotecata sit. (*Ita ex jure communi et hispano*).—4.° Si vero res sit tertio tradita titulo gratioso, eam restituere emptori debet (si intra annum eam petat; secus si ita non petat); cum hic jus ad rem habeat, et res clamet ad dominum. (*Less., Salm., Scavini, S. Lig., ibid.*)

216. Q. *Cujus erunt periculum, et fructus rei venditæ?*

R. I. Ad emptorem spectat periculum rei, emptione perfecta, ut n. 215, nisi aliter sit conventum, semper ac res sit determinata, v. g., talis ovis, etsi non tradita; quippe tunc statim fit emptoris, et res domino perit. Est autem venditoris probare casum fortuitum, si pereat ante traditionem. *Scavini, Gury, n.* 883, *S. Lig., n.* 798.

II. Si res sit indeterminata; vel determinata, at ex venditoris culpa, vel culpabili mora eam tradendi pereat (secus si casu fortuito); aut ex vitio intrinseco ante venditionem, et tempore traditionis existente, de pretio rei ac contractus sumptibus tenetur venditor; nam in 1.° casu res adhuc sua erat; in 2.° autem uti suam custodire tenebatur; ac in 3.° denique rem utilem et juxta pretium tradere debebat; ideoque tum venditoris culpa, tum emptoris substantialis error talem contractum invalidant. *Gury, n.* 884, *S. Lig., n.* 798.

III. Item, emptione perfecta, ad emptorem spectant rei fructus pendentes, nisi aliter sit conventum; item maturi; vel etiam statim post contractum nati; nam res domino fructificat; et in jure fructus pendentes pars fundi videntur.—Item quoad fructus rei futuros, etsi re non tradita, vel tradita sine pignore, aut data fide de pretio, semper ac emptori spectet rei periculum, nisi aliter sit conventum; tum quia cui debetur res, debentur etiam fructus tanquam accessorii; tum quia æquum est, ut ad eumdem emptorem spectet commodum fructuum, ad quem spectat rei periculum. Ita *communius et verius Less., n.* 109, *Croix, n.* 978, *Salm., n.* 17, *S. Anton., D. Alphon. n.* 798 contra *Tour., Bon., etc.*

IV. Si venditio est conditionata, impleta conditione casuali, contractus retrotrahitur ad venditionis diem, proindeque fructus interim percepti ad emptorem, vel ejus hæredes pertinent: secus si conditio sit potestativa. Ita *Mald., Less., Salm., n.* 25, *L.* 14, *tit.* 15, *p.* 5.ª

Las condiciones cuyo cumplimiento es indudable, no suspenden el efecto de los contratos. Pendiente la condicion, los aumentos y disminuciones que sin culpa del vendedor ó deudor hubiese tenido la cosa contratada corren á cargo del acreedor ó comprador; mas la pérdida total de la cosa corre á cargo del deudor ó vendedor, cuando no ha mediado pacto contrario. *L.* 8. *tit.* 6, *lib.* 18, *Dig.*

Excipe: 1.° si ex solvendi mora venditor aliquod patiatur damnum, quod certo emptor compensare tenetur;—2.° si venditor ratam habere noluit venditionem, nisi post solutionem pretii; porro tunc tam commodum quam periculum ad ipsum spectant;—3.° si aliter pactum sit. *(Ita communiter, cum S. Lig., ibid.)*—Tamen venditor reservans sibi utile tantum rei dominium, si hæc pereat, exigere ab emptore nequit id, quod ratione fructuum eidem emptor promiserit. (*Scavini, S. Ligor., ibid.*)

217. Q. *Cujus erunt expensæ pro scriptura, aliisque contractui necessariis?*

R. Nisi aliter sit pactum, emptoris erunt; nam ipsi interest contractus validitatem probare.

Q. *Quid si detur pecunia adulterina?*

R. Pecunia adulterina intrinsece falsa, ut si detur stamnum pro argento, injuste expenditur, etiamsi quis deceptus fuerit; deest profecto compensatio circa nocentes, et committitur injustitia. Si vero falsa sit quoad formam accidentalem, per se contra justitiam commutativam non erit; ast, ratione periculi pœnæ legalis incurrendæ, malum esse poterit. *Gury, n.* 424, *S. Lig., n.* 856.

---

# CAPUT III.

## De justo pretio.

218. I. **Pretium justum** dicitur id, *quod rei venalis valorem adæquat.* Alias, si dignoscatur esse pretium simulatum, aderit donatio hujus regulis subjecta.—Duplex est pretium, *legale,* nempe, et *vulgare.*—1.^m est illud, *quod a lege, vel magistratu taxatur;*—2.^m vero illud est, *quod, spectatis circumstantiis, peritorum judicium, vel communis æstimatio determinat.*

II. Pretium *legale ex se* indivisibile est, ita ut non liceat plus accipere, quam per legem statuatur: talis esse solet *salis,* et *tabaci* venditio. *Ita omnes.*—Aliquando autem licet pretium legale excedere: 1.° si a majori hominum parte non servetur, principe tacente;—2.° si, mutatis circumstantiis, injusta evadat taxa; —3.° si merx sit notabiliter solito pretiosior, aut deterior. (*Gury, n.* 890).

*Vulgare* pretium *tripliciter* distinguitur: 1.° *summum,* nempe, *supra quod res æstimari non solet;*—2.° *infimum, infra quod res generatim non æstimatur;*—3.° *medium, quod inter utrumque stat.* En exempla hujus triplicis gradus: oleum, quod valet 5, emi ac vendi licite potest 4, vel 6;—si valet 10, emi ac vendi licite 8, vel 12;—si 100, emi ac vendi potest 95, vel 105. (*Less., Lugo, Salm., S.* Lig., *n.* 804).—Et res, quæ rarius comparari solet, maximam admittit latitudinem: sic domus quæ, elapso anno, vendita fuit 1500, hoc anno vendi potest 2500, ait *Scavini.* Pretium non tam æstimatur secundum rei dignitatem, quam secundum ejus in commercio usum: exemplum habes in gemma muscæ comparata. Hinc:

219. I. Contra justitiam est justum pretium sive summum, sive infimum, tum legale, tum vulgare excedere; nisi specialiter aliquæ adsint circumstantiæ id cohonestantes; nam tunc tollitur profecto justitiæ æqualitas. Hinc Apostolus: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* (I Thess. IV).—Unde etsi in foro externo non invalidetur venditio, nisi deceptio ultra dimidium pretii sit, in foro autem interno obligat quævis deceptio, etiamsi bona fide peracta; sane injustitia tam in parvis quam in magnis locum habet. *(Ita communiter cum S.* Lig., *n.* 805).

220. II. Si res nullum habet pretium determinatum in humano commercio, uti gemmæ, aves, statuæ, veteres vel novæ picturæ, libri rari, novi, vel antiqui, vel etiam cantus, saltatio, et abusus mulieris, probabilius, etsi hæ res maximam admittant latitudinem, æquum semper est, ut habeant quamdam taxam non individuam, sed juxta prudentium arbitrium, spectatis rei novitate, antiquitate, raritate, merito, ac ejusdem æstimatione; nam omnis res ad moralitatem spectans, aliquem ordinem ac regulam habere debet. *(Ita Bouvier,* Less., Lugo, *Scavini, n.* 392, *Gury, n.* 890, *S.* Lig., *n.* 807, *cum communi.)*—Alii dicunt vendi posse quanti plurimi; quia tunc illud putatur justum pretium, quod inter partes convenitur. *Dian., Serra, Sot.: Gousset., n.* 842, *Gury, et S.* Lig., uti probabilem hanc opinionem admittunt.—Tamen in his et similibus venditionibus, cum ex utraque parte existat bona fides, pœnitentes non erunt inquietandi, nisi veram extitisse injustitiam videatur.—Excipit *S.* L*igorius* mulieris honestæ usum; cum enim sit pretio inæstimabilis, sine injustitia poterit illa pro eo quamcumque accipere mercedem.

221. III. Contra justitiam non peccant qui vili pretio emunt res pretiosas apud veteramentarios; res illæ siquidem amisisse pretium suum censentur, et consuetudine, seu contrahentium voluntate, aliud accepisse. Sic aliquando emuntur paucis assibus libri, qui quinque, vel decem francis vendi potuissent: idem dic de mobilibus veteribus. (*Gury, n.* 900, *Carriere, n.* 699).

222. IV. Si venditio supra, vel infra justum pretium bona fide sit peracta absque mutua conventione de periculo, decipiens restituere tenetur id, in quo factus est ditior, ne de alienis ditescat; secus si vicissim bona fide partes convenerint, ignorantes vel dubitantes de vero valore, et expresse se sorti commiserint, etsi inveniatur deceptio in dimidio; nam uterque se exposuit eodem modo, ac jure suo cedit, uti in ludo. (*S.* L*ig., n.* 805, *cum communi).* Excipe si agatur de impubere, etsi jurasset contractum servaturum esse. (L*ey* 56).—Imo si venditor pretium ignorans, rem suam infimo pretio vendat, licet eam emere, quin moneatur; adhuc pretium justum adest; et emens obligationem non habet venditorem monendi, modo eum positive non decipiat, vel vendere non cogat. *(Scavini).*

223. **Pretium vulgare augere** licet: I. *Ratione specialis mercium bonitatis, vel raritatis;* nam tunc plures habentur emptores, et magis æstimatur merx; etsi probabilius vendi nequit quanti plurimi. (*Scavini, S.* L*ig., n.* 801, *cum communi*).

II. *Ratione modi quo vendatur,* si tamen pretium non sit taxatum. Sic caupones, stabularii, aliique, qui paleas, avenam, etc., minutim vendunt, carioris vendere possunt, ob multos labores, curas, parvas mensuras, pondera, et expensas ad merces conservandas, vendendas, et ad famulos solvendos. Idem dic de aliis parvis mercatoribus. (*Scavini, S.* L*ig., n.* 810, *cum communi*).

III. *Ratione temporis pretium accipiendi;* unde carior res vendi potest, si ipsa res sit tradenda tempore, quo pluris est valitura, modo a venditore usque ad illud tempus servanda fuisset; secus damnum venditori emergeret. (*Salm., Scavini, S.* L*ig., ibid.*)

IV. *Ratione loci:* ut qui res de loco, ubi minoris valent, asportant quo pluris æstimantur; sic specula ad Indos pretio ibi recepto vendere licet; nam pretium qualecumque communi hominum ibi commorantium

æstimatione determinatur. (*Salm.*, *n.* 94, *Lugo, n.* 48, *cum communi*).

V. *Ratione damni emergentis*, vel *lucri cessantis*, quod ideo venditori eveniat; modo hic admoneat emptorem, ut si velit, alibi possit rem illam sibi comparare; porro tale incommodum est pretio æstimabile; et nulla ratione gratis *ex se* illud sufferre tenetur venditor: aliunde alter, acceptando, satis convenit; etiamsi res sit pretii legalis; nam taxa tantum respicit rem in se, non autem speciale incommodum vendentis. (*Scavini*, *Lugo, n.* 89, *S. Lig.*, *n.* 806).

VI. *Ratione periculi pretium exigendi;* ex generali enim consuetudine quod periculo est expositum, minoris a prudentibus æstimatur. (*Scavini*, *S. Lig.*, *n.* 810, *cum communi*).

224. Q. *An idem valeat ratione dilationis pretium solvendi?*

R. Affirma probabilius, modo limites legis ac justitiæ non excedantur; nam communis æstimatio auget et minuit pretium vulgare; atqui communis æstimatio pluris habet pecuniam numeratam numeranda; ergo ob dilatam solutionem pretium augere licet: ast non præcise ratione dilationis, quod damnavit Innocent. XI, sed ratione communis consuetudinis, ac æstimationis; nam tunc plures concurrere solent emptores. (*Less.*, *Salm.*, *Cury, n.* 894, *Lugo*, *n.* 107), *aliique*, quorum sententiam probabilem vocat *S. Lig.*, *n.* 811, contra *Nav.*, *aliosque,* qui in hoc usuram virtualem vident.

Eadem ratione communius dicunt primi licere minoris emere anticipata solutione, vel numerata pecunia; nam tunc pauci sunt emptores, et multi venditores. Ita passim evenit. *Unde mercatores sic agentes inquietandos non esse arbitror*, ait Bouvier, *propter rationes superius expositas; et quia in dubio prudentia non sinit conscientias sic turbare.*

225. Q. *An carius res vendi possit ob specialem affectum, vel commoditatem?*

R. Affirma ob specialem affectum, vel commoditatem venditoris; uti si a principe, vel a majoribus suis rem quis accepisset; nam hoc est pretio æstimabile, et æquum est ut augeatur pretium ratione majoris jacturæ, quam patitur venditor. (*Ita Gury*, *n.* 891, *S. Lig.*, *n.* 807, *cum communi*).—Nega ob specialem emptoris affectum et commoditatem; nemo quidem vendere potest rem alienam. (*Ita communiter S. Thomas, Gury*, *n.* 891, *S. Lig.*, *n.* 806).—Alii tamen affirmant; venditor quippe commoditatem emptori procurat; quod est pretio æstimabile. (*Ita Gousset, n.* 480). —Sed inquiri posset, quo labore procurat; et an sit emptor vel venditor, qui eam procurat, ne pretium detur illi, qui non laboravit.

226. **Minuere licet vulgare pretium**: I. *Ratione copiæ mercium, et paucitatis emptorum;* tunc enim merces minoris communiter æstimantur: item *rationi modi quo res venditur*, uti qui multas simul emat; nam tunc venditorem liberat a multis mensuris, ponderibus, ac curis, et illico potest novas sibi comparare. Ita se habet mercatorum praxis. (*S. Lig.*, *l.* 3, *n.* 802).

II. *Ratione temporis, vel loci, quo res est tradenda,* uti si tempore, vel loco, quo minoris valebit. Sic res pretiosa potest parvi emi, ubi parvi æstimatur; et res vilis magni vendi, ubi magni æstimatur.—E contrario, venditor non potest alicubi rem vendere pluris quam æstimatur, licet emerit carius quam ibi æstimatur, et multum expenderit ad illam vehendam. (*Ita Less.*, *Salm.*, *S. Thom.*, *S. Lig.*, *n.* 804).

227. Q. *An pretio currenti vendi possint merces, quas ex particulari notitia quis certo scit mox multo minoris esse valituras?*

R. Affirma, seclusis mendaciis et fraudibus, quibus emptores allicerentur ad emendum; nam non est accipiendus valor rei futurus, sed præsens, qui non ex particulari notitia pendet, sed ex communi æstimatione. Idem dic de emptore, si sciat contra omnium expectationem brevi pretium augendum esse.—Imo etiam adhibere quis potest illas pecuniæ species, quas privatim scit mox esse prohibendas, modo semper absint mendacia, vis, et fraudes.—Secus vero si notitia esset jam communis.—Ratio horum est, quia quisque rebus suis consulere potest, etsi per accidens alteri obveniat damnum; et maxime, cum non sit respiciendus valor futurus, sed præsens. (*S.* Lig., *n.* 824, *cum communi*).

—Excipe: 1.° si ideo emptor ad extremam, vel gravem necessitatem reducatur;—2.° si venditor mercem æque pluribus vendere posset; vel alicui, qui eam mox esset consumpturus, et venderet uni rem servaturo usque ad pretii cambium; nam charitas sicut obligat ad pauperibus subveniendum, item ad non plus eos opprimendos. Sustineri potest hoc grave non esse; charitas equidem non vetat, ne quis jure suo utatur, etsi inde per accidens alteri damnum obveniat. (*Scavini, S.* Lig., *n.* 824).

228. Q. *An liceat vilius emere res ultroneas?*

R. I. Affirma; nam res tunc vilescunt, et pretium ejus decrescit; probabilius pro tertia parte, ut dicunt *Cajet., Mazz., Fill., Sporer, S.* Lig., *n.* 802, contra *alios,* qui usque ad dimidium vilescere sentiunt; nam cum res sic offeruntur, quasi compellendo ad eas emendas, ut plurimum adest etiam parvus emptorum numerus: maxime admittendum, si res parum utilis sit emptori, et hic in venditoris gratiam emat. (*Ita communiter cum Gury, n.* 893, *S.* Lig., *n.* 802).

II. Imo probabiliter etiamsi merces vendantur ob paupertatem; semper enim res ultronea pretio decrescit juxta communem æstimationem. (*Ita Vazq., Bon., Busemb., Gury, ibid., aliique*).—Negant *Salm., Tour.,* et *alii* probabiliter; nam charitati et justitiæ adversari tunc videtur, nisi in solam venditoris gratiam ematur. Hæc est opinio suadenda, non jubenda.

229. Q. *An minoris emi possint credita ipsa?*

R. Affirma 1.° de creditis incertis, aut periculosis, habita ratione periculi, laboris, ac difficultatis ea exigendi; tunc enim revera in communi æstimatione minoris valent;—2.° idem probabilius dic de creditis difficillimis in se, etsi ob circumstantias alicui speciales solutio fiat facilior; nam rei valor a communi æstimatione determinatur, non a circumstantiis particularis ementis (*Gury, S.* Lig., *n.* 829);—3.° imo probabilius licet minori quam infimo pretio emere ea credita, vel chirographa, etsi certa, liquida, tuta et facilis solutionis sint; quippe non emitur pecunia, sed actio ad eam; ideoque speciale pretium habere debet, ac vilius ex natura sua; illud nempe quod communiter pro talibus creditis solvitur. Ita nunc praxis communis est, ait *Gury, n.* 894, *cum Anacl., Azor., Cajet., Bellar., Nav., Sanch., Tour., aliisque* contra *plures alios,* qui volunt creditum liquidum ac tutum tanti valere quanti ipsa pecunia. Quidquid sit, in praxi semper minoris æstimatur; cum fere semper adsint periculum, difficultas, sumptus, labor, et incommoditas in exactione. (*Scavini*).

# CAPUT IV.

## De venditoris, et emptoris obligationibus.

230. Quatuor sunt præcipuæ venditoris obligationes, scilicet *defectus rei aperire; possessionem rei venditæ tradere; hanc usque ad traditionem custodire, et respondere de evictione.*

**Venditor tenetur rei defectus manifestare**: I. Si vitia, vel onera *substantialia* sint tam in se, quam relate ad finem notum emptoris; uti sunt ea omnia, quæ rem aliam faciunt, aut noxiam, aut notabiliter inutilem; secus nulla est venditio, et de pretio tenetur venditor; tunc enim vitium ipsius venditionis naturam afficit, et contractus fit nullus, etiam ex consensus defectu. Ita *ex omni jure.* (*Gury*, *n.* 882, *S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 819, *usque ad n.* 823). L. 20 *et* 21, *tit.* 5, *p.* 5.ª (V. n. 91.)

II. Si sint circa *quantitatem*, ut si dentur tres pro sex; tunc aderit injustitia, nisi 1.° de pretio subtrahatur quantum oportet, et res emptori adhuc sit conveniens; — 2.° nisi ob injustum monopolium, et taxam quis consequi non posset justum pretium, totam quantitatem dando; nam tunc valde probabiliter, venditor uti potest mensura manca ad pretium justum, infimum tamen, nanciscendum: injustam sane vexationem juste redimit. (*Ita* Less., L*ugo, Scavini, S.* Lig.. *n.* 822, *aliique*).

III. Si defectus sint quoad *qualitatem*, sive manifesti, sive occulti, non tenetur *ex se* venditor eos manifestare, nisi 1.° de iis in particulari ab emptore rogetur: Less., *Viva*, *n.* 3. — 2.° vel ipsi constet de emptoris ignorantia, v. gr. si esset puer, fœmina, rusticus; — 3.° si *accidens* in *substantiam* relate transierit, aut emptori sit nocivum, uti si equus sit furiosus. Secus, modo de pretio excessum subtrahat, et absit fraus, et dolus venditoris, ex L. 12. *tit.* 5, *p.* 5.ª non peccat; saltem restituere non tenetur, nec ratione pretii, quod imminuitur; neque ratione vitii, quod si non notuerit, vel de eo non interrogaverit emptor, sibi imputare debet. Alioquin fere nulli fierent contractus liciti. (*Scavini, S. Thom., Gury, n.* 882, *S.* L*ig.*, *n.* 823). L. 63 *et* 65, *tit.* 6, *p.* 5.ª

—Hinc patet, ait *Bouvier*, eos ad restitutionem teneri: — 1.° qui guttam hydrargiri in aures equi infundunt, ut generosior appareat, vel ejus infirmitates, aut defectus interrogatus venditor occultat; L. 65, *tit.* 5, *p.* 5.ª, *S.* 26 *mart.* 1863, *et* 24 *jun.* 1870: — 2.° qui in sacci summitate melius triticum, vel in dolii extremitate majores pisces reponunt, ut sic emptores decipiant: — 3.° qui angulum, et tenebras quærunt, ne mercium suarum detegatur vitium: — 4.° qui lanam, vel avenam aqua spargunt, ut majoris sit ponderis: — 5.° qui pannum adustum pro bono, aut domum ruinosam pro firma vendunt, vel in loco convento non existentem: — 6.° item qui vino aquam miscent, peccant contra bonam fidem, et adversus societatem, quæ tales mixtiones detestatur; et contra legem civilem, quæ tales falsificatores pœnis plectendos decernit: — 7.° peccant etiam contra justitiam, et ad restitutionem tenentur, si vinum aqua sic mixtum emptori noceat, vel notabiliter illi minus sit utile, vel pretium non minuunt, licet adhuc sit illi utile; etenim non licet aquam pro vino vendere: — 8.° peccant demum contra charitatem, et contra justitiam, si efficiunt ut emptor

nimis gravatus, alios gravet, ac deceptus, alios decipiat, quod sæpe evenit.

Contra justitiam non peccant, qui vinum minus exquisitum eis præbent, qui magis exquisitum vellent, modo illis non noceat, nec inutile sit ad finem propter quem illud quærunt, et pretium sufficienter minuant; secus si vinum istud ad medicinam peteretur, vel ut diu conservaretur, etc.—Fieri tamen potest, ut res vitiata minoris sit valoris respectu unius, quam respectu alterius; ut si bos ad arandum impar, at laniario omnino utilis sit; tunc huic secundum totum pretium vendi potest absque vitii revelatione; minime vero alteri. (*In Scavini, p.* 776). Quod dicimus de vino, et bobe, idem de aliis tene.

Q. *Quid si venditor protestetur se rationem reddere nolle de quocumque rei suæ defectu?*

R. Ad nihil tenetur venditor; nam sic omnem injustitiæ labem repellit, et per talem protestationem emptor satis admonitus apparet, ut sibi consulat, dummodo res ultra pretium justum non vendatur, habita ratione illius vitii.—Hinc *Tamburini* merito approbat hanc consuetudinem, præsertim in magnis nundinis, sic vendendi animalia ad lites tollendas, atque ad bonum publicum promovendum. (*S. Lig., l.* 3, *n.* 823). (V. n. 91.)

231. **Curam habere, ac rei possessionem emptori tradere:** 1.° Venditor rei venditæ curam habere tenetur usque ad ipsius traditionem, ac si sua esset; alias resarcire adigitur omnia damna culpa sua accidentia.—2.° Item etsi casu damna eveniant, perinde ac lucri privationem, quæ passus sit emptor ex mora culpabili venditoris rem tradendi. L. 23, *tit.* 5, *p.* 5.ª, L. 21 *de cont. empt., tit.* 1, *l.* 12.—3.° Item restituere debet, quum res vendita quantitatem, vel qualitatem non habet, qua in contractu pollere dixit venditor. L. 22 *de act. empt. et vend., tit.* 1, *l.* 19.—4.° Tenetur etiam ostendere rei venditæ limites; titulos dominii, rem, fructus atque accessoria tradere, et tempore, loco, modo, statuque convento; alias damna compensare obstringitur. Venditio rei immobilis comprehendit ea omnia, quæ ipsius partem constituunt, ut supra n. 9, ac etiam servitutes in favorem rei impositas; (minime vero in onus, uti sunt servitutes urbanæ, si ignotæ, *S.* 14 *maj.* 1861), L. 28 *et* 29, *tit.* 5, *p.* 5.ª, L. 47 *de cont. empt., t.* 1, *l.* 18. Así: 1.° Van á cargo del comprador las servidumbres á que está afecta la cosa inmóvil, á menos que el vendedor las hubiese ocultado maliciosamente; pero no serán del comprador las cosas que se hallen unidas á los edificios para comodidad del propietario que los habita y no para formar parte de ellos; ni tampoco van comprendidas las prensas, cubas, y animales que se hallen en ella, ni los accesorios de las cosas muebles que pueden separarse de ellas, á no ser que con ellos se haya adornado la cosa al objeto de venderla; pero sí los frutos pendientes, y los estiércoles destinados al beneficio de la misma cosa inmueble. L. 29, 30 *y* 31, *tit.* 5, *p.* 5.ª, L. 38 *de œdil. edict., t.* 1, *l.* 21.—2.° El vendedor es responsable de todos los perjuicios que provengan al comprador de resultas de haber procedido con dolo ó mala fé en el contrato: así aunque hubiese espresado que no queria sujetarse á la responsabilidad por la eviccion ó vicios de la cosa, estará obligado por las cargas y vicios cuya existencia hubiese maliciosamente ocultado. *L.* 11 *de act. empt. et vend., tit.* 1, *l.* 19.—3.° Si la cosa fuese de un menor, este sólo queda obligado por lo que haya lucrado, siéndolo en lo resto los guardadores que en su nombre hubiesen vendido. *L.* 13.—4.° Si bien el vendedor está obligado á manifestar al comprador los vicios y las cargas de la cosa no visibles y notorios, y encubriéndolos induce á error y á la nulidad del contrato;

en cuyo caso puede el comprador segun la *Ley* 63, *tít.* 5, *p.* 5.ª y *la S. de* 14 *de junio de* 1870, pedir rescision del contrato con el abono de los perjuicios; sin embargo, los elogios que de la cosa hubiese hecho el vendedor para venderla no dan derecho á indemnizacion, si la calidad (ó los vicios) de ella era manifiesta. *L.* 43 *y* 45.— 5.° Conventione deficiente, res erit tradenda loco quo existebat actu venditionis absque oneribus inconsuetis. Ratio horum est; quia ex tunc res fit emptoris, et res fructificat domino suo.

232. Q. *An contra justitiam peccent venditores, qui mendaciis, aut fraude emptores inducunt ad merces suas pluris emendas?*

R. Non solum peccato mendacii, ac sæpe perjurii, peccant isti venditores, sed etiam contra justitiam, si ultra supremum pretium ita vendunt. Et gravius adhuc si aliorum mercatorum merces despiciant, ut suas attollant; tunc enim tenentur de damnis erga eos. Imo etsi summo tantum pretio ita vendant; cum quisque jus habeat, ne mendacio, vel fraude ad damnum suum inducatur; at hic fraus est causa efficax, et injusta damni, quod emptor patitur; ergo... *(Gury, n.* 867, *Scavini, S.* Lig., *n.* 805, L. 12, *tit.* 5, *p.* 5.ª)

Attamen ordinarie mendacia, et perjuria, quibus venditores affirmant merces tanti sibi valituras, vel tale pretium oblatum fuisse, habenda non sunt ut fraudes realiter damnosæ; cum ob talem frequentiam inter eos, fidem nemo fere illis adhibeat. Unde ipsi regulariter non tenentur ob id restituere, nisi mendacium propter specialem fiduciam in venditorem censeri debeat causa contractus, vel fraus intercesserit. *Salm., S.* Lig., *ibid., Reuter, n.* 223, *Gury*).

Q. *An peccent contra justitiam venditores, qui de pretio interrogati, illud notabiliter exaggerant?*

R. Affirma, tum *affective*, si hoc pretio vendere intendant; tum *effective*, si revera ita vendant; et tunc ad restitutionem excessus tenentur. Secus dicendum, si tantum tentant locum dare emptori, ut ad justum pretium deveniat; nam ita fert usus. *Gury, n.* 898.

Item peccat venditor, qui ad emptores attrahendos infimo pretio vendit; sed rem venditam ante traditionem minuit, vel adulterat, aut mensuram corrumpit, et ad restitutionem excessus tenetur; contra finitum siquidem pactum agit; ideoque emptores injuste decipit. (*Lugo, Scavini; Gury, n.* 898 *et* 902, *cum communi*).

Q. *An venditor, qui ob suam ignorantiam, vel alterius fraudem majori pretio emerit, aut majores sumptus, aut furta subierit, ultra justum pretium tunc mercem vendere possit ad se compensandum?*

R. Nega; pretia enim rerum tantum mutantur, ex eo quod communiter evenit, vel si ex naufragio merces rariores fiant: aliunde nemo jus habet super innocentes compensationem exigendi. (*Elbel, n.* 587, *Gury, n.* 901)

Q. *An vendi possit currenti pretio res cum alia viliori mixta?*

R. Affirma, si per industriam ita materia vilior meliori admisceatur, ut melius temperetur. Item, saltem probabiliter, si res extraordinariæ sit bonitatis, ita ut merx ordinaria evadat; licet in praxi fraudis periculo non careat.—Secus si res sit noxia, vel notabiliter deterior, aut minus utilis: nam tunc contra justitiam peccatur. (*Gury, n.* 895, *S.* Ligor., *n.* 820-823).

233. **Evictio** est *actio emptoris apud judicem contra venditorem, vel domini contra rei possessorem ad servandum se indemnem.* Plerumque

locum habet evictio quando donator, aut venditor mala fide se gessit, rem alienam donando, aut vendendo, unde damna donatario, vel emptori obvenerunt. Debetur evictio, non tantum in venditione, si res ab emptore evincatur, sed etiam in permutatione, donatione, in soluto pro debito, constitutione dotis æstimatæ, transactione, divisione hæreditatis; et in quolibet alio contractu oneroso; non vero ex se in contractu gratuito, v. gr., donationis. *Pal.*, *S.* L*ig.*, *n.* 800. Hinc:

I. *Venditor de evictione tenetur;*—1.° si emptor juridice deturbetur a rei emptæ possessione;—2.° si deprehendatur rem venditam certo ad tertium hic et nunc reclamantem pertinere, sive dominii, sive pignoris ratione; nam venditor tunc alienæ rei dominium transferre nequit. Sed in conscientia pretium emptori refundere non tenetur ante judicis sententiam, nisi omnino certo ipsi constet, rem illius tertii esse. (*Ballerini*, *Gury*, *n.* 888).

II. *Venditor de evictione non tenetur*, cum adest pactum de non præstanda evictione; et non tenetur de evictione, neque de damnis emptoris, cum venditor bonæ fidei non est factus ditior, etsi pretium in lusum impenderit. *Salm.*, *n.* 31. Sed tenetur quidem pretium restituere emptori, etiamsi cum eo convenerit de evictione non teneri; nam æquum non est, ut venditor lucrum faciat cum jactura emptoris. *S.* L*ig.*, *n.* 800 *ex jure.* —Excipe quando sciens emptor rem esse litigiosam, aut periculo obnoxiam, illius periculo se subjiciendo, emit; (nisi expresse de evictione convenerit) in pœnam sui criminis nec pretium repetere potest ex jure, etsi in conscientia venditor illud emptori restituere debeat. *Pal.*, *n.* 16, *S.* L*ig.*, *n.* 800. Ut autem emptor de evictione agere possit, tenetur litem motam, antequam probatio elabatur, venditori denuntiare, ac etiam, documenta ipsi præstare pro defensione; sed eum defendere non tenetur, nisi id promiserit. *Pal.*, *Varceno*, *S.* L*ig.*, *n.* 800. Excipiuntur ab hac obligatione minores et Ecclesia.—Si vero malitia, aut culpa judicis, vel alterius, aut negligentia emptoris res evincatur, ad nihil tenetur venditor; periculum enim fortuitum tunc ad emptorem pertinet. *Pal.*, *S.* L*ig.*

—Potest utique venditor mercem retinere donec pretium sibi fuerit solutum, quum moram non consenserit; vel ex lege civili etsi moram consenserit, si emptor evaserit obæratus, aut decoctus, ita ut pretium periclitetur, nisi tribuatur cautio; nam tunc indemnis fit. *Scavini*, *n.* 387.

**El vendedor de una herencia** no es responsable por la eviccion y vicios de las cosas que la componen, siéndolo solo por la existencia de un derecho ó por sus hechos personales.—Los créditos ó deudas que tuviere el vendedor contra ó en favor de la herencia quedan subsistentes con respecto al comprador.—Los acreedores pueden dirigir su accion contra el vendedor, quedando á este salvo el derecho de recobrar del comprador lo que por esta razon tenga que pagar. *L.* 1, 2 *y* 6 *Cod. tit.* 39, *l.* 4, *etc.*

234. **Emptoris obligationes** sunt: 1.° rem colligere, ac pretium solvere loco, tempore, et modo in contractu statuto; secus rei dominium non acquirit, (Le*y* 46, *tit.* 28, *part.* 3.ª) nisi aliquam cautionem, vel pactum intervenerit:—si nil conventum sit, solvat ubi res est ipsi tradenda; nisi a possessione rei molestari timeat, et venditor cautionem non præstiterit. (*Scavini*, *n.* 390, Le*y* 18, *tit.* 6, *lib.* 18, *Dig.*)—Secus venditor potest rem venditam retinere, vel solutionem pretii urgere. L. 19 *et* 53, *Dig.* (*Gury*, *n.* 885).

2.° Solvere pretii fructus et usuras pro pretio non soluto juxta legem a die, quo rem possidet, si hæc fuerit conventio; vel si res vendita, ac tradita sit frugifera; aut si pretii solutio sit indicta; vel emptor sit in mora culpabili a die quo rem possidet; nisi venditor dilationem concesserit; sane æquum non est, ut emptor rem simul habeat ac pretium. Secus ad fenus non tenetur. (*Gury*, *ibid.*—Ley 5, *tit.* 49, *lib.* 4, *Cod.*)

3.° Solvere tenetur expensas scripturæ, asportationis, ac conservationis rei, cæterosque sumptus sequentes a die venditionis, nisi aliter sit conventum. (*Gury*, *Scavini*, L. 13, *tit.* 1, *lib.* 19, *Dig.*) Llegado el dia en que el comprador debia hacerse cargo de la cosa comprada, si no la recoge, puede el vendedor requirirle delante de testigos qne si no la estrae, la abandonará; y si aun no la recogiese, podrá echarla ó alquilar, ó hacerle pagar el inquilino, ó venderla al precio corriente, y todo á cargo del comprador, como tambien los daños ocurridos. L. 24, *tit.* 5, *p.* 5.ª, L. 9 *y* 31, *Dig.* (Ita in Hispania).

---

# CAPUT V.

## De retroventitione, mohatra, et proxeneta.

235. **Retrovenditionis pactum** (venta á carta de gracia ó al quitar y luir) *est contractus, quo venditor sibi reservat jus rem suam redimendi, sub conditione quod sumptus, meliorationem, pretium, et similia resarciat.*

—Ad hoc sequentes requiruntur conditiones, ut palliata usura non intercedat: 1.ª ut pretium minuatur juxta gravaminis æstimationem, quod emptori imponitur, etsi accurata regula determinari nequeat: alii dicunt pretium decrescere usque ad quartam partem; alii usque ad tertiam; alii melius ad prudentium arbitrium. (Ita *Gury*, *n.* 904, *S.* L*ig.*, *n.* 812, *cum communi):*—2.ª ut non sit pactum de retrovenditione pretio majori, vel minori facienda; licitum erit pactum retrovendendi eodem pretio, licet res pretio augeatur:—3.ª ne pacto exigatur, ut rei venditæ periculum cedat in damnum venditoris, cum illud *per se* ad emptorem spectet; nisi pretium juxta periculi æstimationem augeatur:—4.ª ut res retrovendatur, sicut traditur, vacua, vel cum fructibus. *(Gury*, *n.* 903, *S.* L*ig*,, *n.* 812).

—Tamen probabilius et communius licet pactum reemendi ad emptoris arbitrium, dummodo 1.° adsit verus animus emendi, et vendendi;—2.° emptorque majus solvat pretium juxta hujus oneris æstimationem, quod imponit venditori, reemendi rem quando ipsi emptori placuerit: hoc autem onus putant aliqui æstimari usque ad tertiam pretii partem; -3.° ut non obligetur venditor re emere eodem pretio majori, quod ratione hujus gravaminis impositi recepit; excessus enim justi pretii ad venditorem spectat ratione dicti oneris. (L*ugo*, *d.* 26, *n.* 200, L*ess.*, *n.* 118, *S.* L*ig.*, *n.* 813).

Esta accion solo se da al vendedor y á sus herederos contra el comprador y los suyos. No designándose plazo, se extinguirá a los 20 años como accion personal, que es segun la *L.* 63 *de Toro*, *S. de* 17 *marzo de* 1863 *y* 12 *mayo de* 1875.

En Cataluña se controvierte. El señor *Elías*, t. 2.°, pag. 255 y t. 3.°, pag. 95, sostiene que la facultad de pedir la reventa (traurer lo empeñament), prescribe á los 30 años, pues segun el *usatje* 2.°, *tit.* 2 *de præscrip.*, *l.* 7 *de las Const. de Cat.*, *omnes causæ sive bonæ, sive malæ, todas las causas y acciones, de cualquiera naturaleza que sean, se prescriben por* 30 *años, con la excepcion respecto de los impúberes.* Confirman

esta doctrina las *SS. de* 4 *oct. de* 1862, 13 *febrero de* 1863, 23 *abril*, 18 *jun.*, 23 *set. de* 1864, 3 *y* 4 *de mayo*, 10 *julio y* 12 *dic. de* 1875, 26 *de enero y* 6 *marzo de* 1876.—Sin embargo, el *S. Falguera* defiende que si es verdad el principio de prescriptibilidad de este pacto y que la prescripcion no puede renunciarse, no obstante dicha prescripcion solo puede empezar despues de vendida como libre la finca, y por lo tanto debe redactarse de esta manera dicho principio:

*La facultad de pedir la retroventa prescribe á los* 30 *años desde que se vendió la finca como libre.* Añade ser esta la sentencia de los autores catalanes, sin citar alguno; que las sentencias del Tribunal Supremo deben entenderse en este sentido, cargando la consideracion sobre una que poco prueba, pues solo dice: «que vendido en un principio con el pacto de retro... se vendió ya libre de aquella carga y en pública subasta en 12 de dic. de 1812,... y que por no haberse inquietado á los vendedores... no puede dudarse... que concurren en este caso las condiciones que el derecho exige para la prescripcion.» *S.* 30 *dic. de* 1867. Mas esta afirmacion de la 2.ª parte del caso no dice (como convendria) que la 1.ª no puede prescribir. Aduce otra *S. de* 15 *enero de* 1867, la que tampoco sirve, pues niega la prescripcion á una venta á carta de gracia bajo condicion de que para pasar á perpétua debia el comprador pagar 150 libras como aumento de precio, y que por no haber cumplido el comprador con esta condicion, declaró el Tribunal subsistente el derecho de redencion á pesar de haber pasado mas de 30 años. Mas esto solo dice que las ventas condicionales no quedan consumadas cuando la otra parte deja de cumplir la condicion, ó sea la entrega del precio. He consultado á distinguidos abogados catalanes, y los he encontrado de la primera opinion. (V. n. 65).

Como no se prueba lo contrario, parece deber seguirse la regla general de las acciones personales y mixtas segun *S. de* 30 *dic. de* 1864.—En virtud de este pacto podrá el vendedor deshacer la venta aunque la cosa hubiese tenido ulteriores traspasos. *L.* 42, *tít.* 5, *p.* 5.ª—Deshecha la venta quedará libre de las cargas que sobre ella hubiese impuesto el comprador. *L.* 31 *de pig.*, *tít.* 1, *l.* 20.—Este deberá reintegrar los deterioros que por sus hechos ó culpa hubiese tenido la cosa vendida.

—Podrá sí recobrar los gastos necesarios que no sean de pura conservacion, y tambien los útiles, á menos que por ser muy excesivos impidiesen al vendedor usar del derecho de redencion, pudiendo en este caso llevárselos sin detrimento de la cosa. L. 18 *de pig.*, *L.* 5, 37 *y* 38 *Cod. de rei vind...*

236. **Mohatra** est species retrovenditionis, seu *contractus, quo quis rem majori pretio credito vendit, cum pacto, ut emptor ipsi minori pretio, numerata pecunia, retrovendat.*—Est contractus *per se* usurarius, et injustus; nam venditor dat 90, ut statim 100 recipiat, absque ulla compensatione. Hinc Innocent. XI damnavit hanc sub n. 40 prop.: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri. (S.* Lig., *n.* 813).

Si tamen res sine prævio pacto retrovendatur, etiam minoris, et eidem venditori, modo absit omnis usurarius animus, et titulus, contractus de se licitus est; nulla enim est conventio, quæ æquitatem lædat.

—En España las leyes 5.ª, *tít.* 22, *lib.* 12, *y* 3.ª, *tít.* 8 *de la Nov. Rec.*, castigan á los mercaderes que hicieren tales contratos directa ó indirectamente, por sí ó por otras personas, á la pérdida de sus oficios y del dinero prestado, imponiéndoles además la multa de 50,000 maravedises, y con aplicacion al fisco, juez y denunciador.

Occurrit quædam mercatoria operatio, quæ ad retrovenditionem refertur, et dicitur *relatio.* Consistit hujusmodi negotiandi modus in juribus, seu *actionibus* ad pecuniam apud mercatorias societates collocatam, vendendis et reemendis. Illud commercii genus a viris etiam probis passim exercetur, nec ut usurarium apprehendunt; quia est vera negotiatio, cui leges non adversantur; imo, cui publica auctoritas patroci-

natur. Proinde hæc retrovenditionis species *per se* damnanda non videtur. Facile tamen usuræ labem saperet, atque mohatram redoleret, justis nisi constringeretur limitibus. (*Gury, n.* 906).

237. **Proxeneta** est qui *ex commissione vendit, vel emit.*—Potest esse tantum amicus, vel mercede conductus ad hoc, vel ad diversa opera annuo pretio locatus. Proxeneta, qui emit infra, aut vendit supra pretium sibi designatum, retinere sibi non potest pretii excessum; cum nullum habeat titulum aliquid retinendi. Nam 1.º non ratione rei, quæ domini est, et domino fructificat:—2.º nec ratione laboris; quia si stipendio conductus est, uti ad famulandum, vel ad vendendum, ad nihil aliud jus habet: si vero ex amicitia, et gratitudine agat, jam mercedi, saltem stricto justitiæ titulo, renuntiavit. (*Gury, n.* 915, *S. Lig., n.* 825, *cum communi*). Consignatio pretii intelligi debet, ne supra ematur, aut infra vendatur; non vero quod rem utilem domino agere non debeat.

—Excipe: 1.º Si per laborem ac industriam specialem, et non debitam rem meliorem fecerit, et ob id pluris vendiderit: —2.º Si adhibita communi diligentia, et majori pretio non invento, rem sibimet vere emat, ita ut ejus periculum subeat, ac dein pluris vendat; quippe tunc rem propriam venderet. Caveat a fraudibus, nempe ne res exponat ex industria, cum pauci sint emptores; vel ut sic amicis faveat, vel sibi ipsi:—3.º Si expressum, vel tacitum pactum cum domino intercesserit, se nihil ultra pretium designatum daturum, vel exacturum esse; vel si nullum dominus venditori stipendium consignaverit pro ejus labore:—4.º Si dominus modum agendi proxenetæ noverit, ac ratum habeat: item si in ipsius gratiam venditor pretium imminuerit, vel emptor majorem summam obtulerit. (*Gury, Scavini, n.* 401, *S. Lig., ibid., cum communi*).—Quod si gratis se ei obtulerit ad vendendum, vel emendum, probabilius retinere aliquid potest, si revera nemo alius omnino gratis id faceret, nisi fieret titulo amicitiæ; sic enim dicunt *Sporer, Ronc., Tamb., S. Lig., n.* 825, *Scavini, n.* 401 contra *Less.: fuisti quidem mendax, et non fidelis, sed non fuisti injustus;* cum tuus labor jam pretio dignus erat.

Q. *Quid de famulis, sartoribus, et aliis artificibus, qui pro dominis ementes aliquid a mercatoribus gratis accipiunt?*

R. Si famuli, et artifices minoris revera emerint, utpote parochiani mercatorum, et ex alia parte mercatores aliquid eis omnino gratis ad alliciendum, vel compensandum eis dederint, licite sibi datum retinere valent. (Ita *Fill., Dian., S. Ligor., n.* 825, *cum communi*).—Secus si esset simulatio, et major e pretio, vel a vili merce exactio. Confessarius non facile credat tales donationes omnino gratis fuisse factas. (*Gury, n.* 916, *S. Lig., n.* 826).

## CAPUT VI.

### De venditione sub hasta, et de monopolio.

238. **Venditio sub hasta** ea est, quæ *voce præconis fit, et ultimo licitanti res adscribitur.* Licita est, si absit fraus, et pretium non sit a lege taxatum; cum tam ementes quam vendentes in pari conditione lucri,

vel damni constituantur.—Res sic expositæ possunt quanti carius vendi, et quanti vilius emi; tunc enim magistratus, vel communis æstimatio pro justo pretio approbat illud, quod publice ab emptorum concursu probatur. (*Ita* Lugo, *S.* Lig., *n.* 808, *cum communi*). Idem dicitur de redditibus beneficiorum, commendarum, etc., quæ subhasta locantur. *S.* L*igor*.

239. **Fraus in subhasta aderit.** I *Si venditor occultum vitium rei celet; vel rem suam, incepta licitatione, retrahat,* si minus pretium offeratur; nam emptores publice convocati ad auctionem, quoddam jus acquirunt ad rem venalem, quatenus fit tacita stipulatio, ut cedat plus offerenti. Tamen, si vi contrariæ consuetudinis id fieret, consentientibus in hoc contrahentibus, durum videretur injustitiæ damnare praxim, quam docti etiam ac pii sine ullo scrupulo tenent. (*Ite Billuart, Gury, n.* 908 *aliique*).

II. *Si venditor fictos licitatores mittat*, ut crescat pretium; hoc siquidem ad sinceros decipiendos emptores fraudulenter tendit, et sic iis injuriam infert; nam pretium tunc ex fraude crescit, non vero ex emptorum concursu. (*S.* L*ig., n.* 808).—Si venditor minori pretio rem distrahere nolit, pretium desideratum expresse præstituat; secus ipsam sibi retineat, nec incertæ sorti committat. *Ballerini, n.* 908.—Tamen modo, quo fieri licitationes solent, non facile est damnandus venditor, qui per se, vel per alios licitatur; quia emptores de hoc jam suspicantur; et adhuc remanet libertas licitandi, ac sibi providere omnes possunt. (*Scavini, n.* 405).

III. *Si emptores dolo aut minis impediant ne alii plus offerant*; jus enim habet venditor, ut emptores perfecte liberi sint, ne impediatur pretii Incrementum. (L*ugo, n.* 45, *Gury, S.* L*ig., ibid, cum communi*).—Secus communius dicunt de precibus non importunis; nam emptor hoc casu utitur jure suo, ut sibi consulat. *S.* L*igor., ibid., Gury, n.* 911. Idem docent plures cum *Diana* de pacto cum aliis licitatoribus, ne plus offerant: quod non approbat *S.* L*igor*. cum aliis, saltem in casu coactæ per judicem subhastationis., quia tunc rei dominus retrahendi ipsam liber non manet.

Excipe: 1.° cum communi, si emptores sint societate conjuncti, vel quasi conjuncti; uti fratres, amici, qui secum una conveniant, ut unus eorum tantum licitetur, modo cum aliis tale pactum non ineant (*Ballerini*);—2.° Item probabiliter, si vigeat usus sic conveniendi, uti diximus de merce retrahenda, si pretium inferius concupito offeratur: ita æquitas suadet (*Bouvier, aliique*); —3.° *Ille cujus bona in gratiam creditorum venduntur, mittere amicos potest ad ea suo nomine emenda*, tam si licitatio sit *voluntaria*, quam *coacta* ab auctoritate publica; nam in *primo casu* non læditur ullius libertas; ac in *secundo* ipse proprie vendens non est, sed auctoritas; ergo deterioris conditionis præ aliis esse non debet. (*Gury, n.* 909.)

240. **Monopolium** duplex distinguitur, *legale, scilicet et privatum:* 1.m est quo *ab auctoritate civili uni, vel paucis conceditur, ut soli quasdam merces vendere possint*;—2m *vero* definiri solet: *Machinatio, qua unus, aut plures ex industria efficiunt, ut soli quasdam merces emant, statuto ab ipsis pretio.*

Unde: I. L*egale* licitum est, modo cum justo pretio fiat; nam ob justam boni publici causam princeps ad commercii prosperitatem, industriæ incrementum, laboris præmium, vel ad tributum a mercatoribus exigendum, ilud constituit. *S.* L*ig., n.* 815.

II. Monopolium *privatum* injustum est in sequentibus casibus: 1.º Si mercator impediat quominus aliæ merces advehantur, ut solus ipse suas vendat supra pretium:—2.º Si unus, vel pauci conspirant, ut omnes merces emant infra pretium infimum, ac dein soli eas carius ad suum libitum revendant:—3.º Si artifices, vel mercatores conveniant, ut nonnisi supra summum artem suam alios doceant, aut laborent, vel merces suas vendant, vel ut nullus perficiat opus ab illis inceptum. Ratio est, quia omnes isti contra libertatem commercii, reipublicæ bonum atque extraneorum conspirant, ac tenentur restituere cæteris damnificatis, et reipublicæ juxta prudens judicium. (*Gury*, *Scavini*, *S. Lig.*, *n.* 815 *et* 817).

Excipe: 1.º nisi res emerint, quæ ad sustentationem necessariæ non sint, uti gemmæ; nullus enim tunc damnificatur:—2.º probabilius etiam, si non venderent, nisi pretio summo, quo, secluso monopolio, merces illæ venderentur; nam adhuc justum est; et aliunde illi jus suum prosequuntur; et si alii coguntur ad emendum pretio summo, non a venditoribus, sed a suâ necessitate coguntur. (*S. Lig.*, *n.* 817, *Gury*, *n.* 913, *Lugo*, *Disp.* 26, *n.* 172, *aliique communiter* contra *alios*).—Aliter dicendum cum *Lugo*, *ibid.*, *D. Lig.*, *aliisque*, si quis ex illis mercatoribus ab aliis per vim, dolum, mendacium, metumve impediatur, ne merces viliori vendat pretio: fit enim injuria emptoribus, cum alii venditores injuste impediantur, ne viliori pretio vendant. Non dubitandum quin præfati venditores sic conspirantes graviter peccent contra charitatem; nam charitas obligat ad non dissuadendum aliis, ne mitiori pretio vendant. Ita *Less.*, *Salm.*, *n.* 56, *Lugo*, *n.* 175, *S. Lig.*, *n.* 817.

—Unde probabilius deducitur, neque contra justitiam, neque contra charitatem peccare mercatores, qui messis tempore, aut vindemiæ vili pretio omne regionis triticum, aut vinum emunt, ut postea carius vendant, modo non vendant supra pretium summum, quod, secluso monopolio, curreret; quia jure suo utuntur, et nullius jus violant; sane nemo proprium commodum negligere tenetur, ut damnum alienum vitet, cum illud evitare non obligetur. (*Lugo*, *n.* 176, *Gury*, *n.* 914, *S. Lig.*, *n.* 816, *aliique* contra *Lay.*, *n.* 43, *Spor.*, et *alios*. Ita Joseph in Ægypto emit triticum, ut cum lucro dein ipsum venderet.

241. Q. *An facto monopolio cum pretio injusto ab aliquibus mercatoribus, liceat aliis merces proprias eodem pretio vendere?*

R. *Affirmant Salm.*, *Bon.*, *Trull.*, *Reg.*, *Med.*, *et Dian.*; quia illud pretium jam est commune et currens, ac per accidens se habet quod ex aliorum injustitia adauctum sit. *Negant* vero *Tapia*, *Reb.*, *Dic.*, *Gury*, *Scavini*, *ac mihi omnino melius videtur*, ait *S. Lig.*, *n.* 817, *semper ac (intelligo) pretium sit supra summum; quia pretium illud per injustitiam adauctum, semper et per se injustum est, et ad justitiam reducendum.* Illa autem ex injustitia orta, minime æstimatio dici debet, sed potius deceptio et fraus. *Ita recte Concina*, ait *D. Lig.*

En España la *ley* 2.ª, *tít*, 7.º, *part.* 5.ª, castiga fuertemente el monopolio de que se ha hablado arriba y otras especies semejantes, como 1.º cuando los artífices ó artesanos se convienen en no enseñar á nadie su arte ú oficio sino á los suyos, ó á determinadas personas, ó fijan por su enseñanza un precio sumamente excesivo;—2.º á los vecinos y dueños de las casas que se convienen para subir el precio de los alquileres y arreglarse todos á esta subida;—3.º cuando la mayor parte de los postores en alguna almoneda ó subasta pública se convienen, sacando uno solo el remate, para dar parte á los demás confederados, etc.

# CAPUT VI.

## De permutatione, et rescissione venditionis.

242. **Permutatio** est *contractus, quo partes contrahentes rem aliquam sibi vicissim dant ad aliam habendam.* Hæc communiter iisdem regulis regitur, quibus venditio; cum considerari possit ut dupla venditio, in qua unaquæque res est simul res vendita, et pretium alterius; et unusquisque contrahentium pariter est simul emptor, et venditor. *(Proemio y ley* 1, *tit.* 6, *part.* 6.ª; *Ley* 4, *tit.* 6, *part.* 5.ª, *etc.)*

En España el contrayente que no quisiere cumplir el convenio, antiguamente sólo estaba obligado á pagar al otro los perjuicios que por esta razon se le siguiesen; pero ahora puede tambien ser apremiado al cumplimiento del contrato, como en la venta. (*Ley* 3, *tit.* 6, *p.* 5,—*y ley* 1, *tit.* 1, *lib.* 10 *Nov. Recop.*) Lo mismo se dispone en el caso de que cumplido el contrato por ambas partes tuviese lugar la eviccion de alguna de ellas. *L.* 1, *Cod. de rer. perm.*, *tit.* 64, *l.* 4.

243. **Rescissio emptio-venditionis**: ex lege generatim hæc iis efficitur modis, quibus cæteræ conventiones; præcipue autem: 1.° *Mutuo consensu*, sive antea, sive de novo convento; modo aliqua pars contractum nondum adimpleverit neque in parte; in hoc casu nova requiritur venditio. *L.* 1, *Cod. tit.* 45, *l.* 13.—2.° *Ipso jure;* quod tunc locum habet circa res mobiles in venditoris gratiam, cum emptor, præfinito tempore, non se obtulerit ad rem accipiendam, vel ad pretium solvendum, quod debebat. Por falta de pago del precio no podrá el vendedor pedir la rescision de la venta, ni la restitucion de la cosa, y sí sólo instar el cumplimiento del contrato. *(L. 6 y 7 Cod. de contr. empt.)*—3.° *Judicis sententia*, quam quidem, justa interveniente causa, tum venditor, tum emptor invocare utiliter potest.

**Læsionis causa venditor** rescissionem in judicio petere potest, licet huic beneficio renuntiaverit: 1.° si agatur de immobilibus quoad majores, vel de mobilibus etiam quoad minores, quamvis res illæ sint venditæ publica subhasta, auctoritate judicis, si etiam in hoc casu intercesserit læsio. *(L.* 2, *tit.* 1, *lib.* 10 *Nov. Rec.):*—2.° si læsio sit ultra dimidium justi pretii, tam ex parte emptoris, quam venditoris: *L.* 56, *tit.* 5, *p.* 5.ª, vel dolus intercesserit. *L.* 2 *et* 3, *tit.* 10 *Nov. Rec.*, *S.* 26 *apr.* 1875:—3.° si intra quatuor annos rescissio petatur, nisi jurasset emptor, aut venditor rem plus, vel minus valere, vel scriptura emptio-venditionis intra annum insinuata non fuerit. *L. hypot. art.* 37, *S.* 29 *apr.* 1871. Emptor tamen poterit interim rem sic emptam retinere, nondum devoluto pretio. *(Scavini.—L.* 56, *tit.* 5, *p.* 5.ª, *et* 2.ª, *tit.* 1, *lib.* 10, *S.* 12 *febr.* 1875).

244. **Emptor rescissionem contractus urgere poterit**: 1.° Si venditor mercem non tradat statuto tempore:—2.° Si immobile excedat vigesimam partem quantitatis in contractum deductæ; modo intra annum rescissio petatur:—3.° In casu evictionis, licet una tantum rei pars sit evicta: —4.° Si agatur de fundo servitutibus onusto, quæ non fuerint declaratæ, neque apparentes sint:—5.° Si res vitiosa sit, dummodo vitium parvi momenti non sit, nec de re agatur judicialiter vendita; vel in publica judiciali subhasta *(S. T. S. J.* 12 *jun.* 1863); ac modo actio redhibitoria, id est, jus rescissionem in judicio petendi, fuerit proposita intra 40 dies a traditione, si sermo sit de animalibus; vel intra quatuor menses, si

de mobilibus agatur. *(Scavini. Tract. VI, disp. II, dissert. II, caput II, V. Leg. 16, Cod. Resc. vend.)*

—Unde si contractus dissolvitur per mutuum consensum, vel per pactum retrovenditionis, fructus ad emptorem spectant; item fructus ad emptorem spectabunt, si contractus sit celebratus verbis *obliquis;* nempe, quando dicitur *tunc pro nunc*, in quo casu venditio valida est, sed rescindibilis; secus ad venditorem, si contractus sit celebratus verbis *directis*. Dicitur *verbis directis,* si res sit empta *nunc pro tunc;* in primo casu venditio nulla est a principio, in secundo autem est valida, sed rescindibilis. *(Varceno, p.* 562).

---

# CAPUT VII.

## De contractu societatis, et trino.

245. **Societatis contractus** est, *quo duo, vel plures rem, pecuniam, vel artem, aut laborem ad commune lucrum pro rata conferunt.—Divisio:* 1.° Est *universalis,* qui *respicit omnia sociorum bona præsentia. Generalis, si omnia lucra inde provenientia.* Si lucra pereunt, sociis pereunt; si vero bona, eorum proprietario pereunt.—2.ª Est *particularis,* qui *tantum res determinatas, aut earum usum, vel fructus respicit.*

Hic subdividitur in *civilem,* et *commercialem,* prout privatorum contractus *civiles,* vel *commerciales* respicit, v. gr., societatem viæ ferreæ, et fodinarum.

I. En España las leyes no exigen que este contrato se reduzca á escritura pública. *S.* 14 *febr. de* 1870. En la sociedad *universal* se comunican desde luego los bienes que son de los socios al tiempo del contrato y las ganancias provenientes de los mismos, y cualesquiera otros bienes que los socios adquieran posteriormente con su trabajo, industria, donacion, legado, herencia, ó de cualquier otro modo licito. Corren á cargo de la sociedad los gastos y pérdidas de cada uno de los socios por motivos licitos; pero no las pérdidas en los juegos ó en disipaciones, ó las condenas justas contra de alguno por su culpa, ó por no haberse defendido. *L.* 1 *y* 6, *tít.* 10, *part.* 5.ª, *L.* 52, 57 *y* 81, *D. pro. soc., tít.* 2, *lib.* 17.

II. En la sociedad *general de ganancias* solo se hacen comunes entre los socios todos los bienes que estos adquirieren despues de su celebracion por medio de un trabajo, negociacion ó industria: pero no los que provengan de donacion, legado, herencia ú otro cualquier titulo lucrativo. Solo vienen á cargo de esta las deudas contraidas en comun y las provenientes del trabajo ó industria de los socios. (*L.* 5, 7, 8, 9, 10, 11 *y* 12, *Dig. pro. soc.)* En cuanto á lucros ilicitos y condenas, como en la sociedad anterior.

III. La sociedad *particular* es la que tiene por objeto la comunicacion de las ganancias ó pérdidas resultantes de alguna cosa, operacion ó empresa determinada. Esta es la mas frecuente. (*L.* 2 *Cod., L.* 6 *y* 7, *tít.* 10, *part.* 5.ª, L. 63, § 9, *d. pro. soc.*)

246. **Conditiones contractus societatis requisitæ** sunt: 1.ª ut servetur æqualitas in lucri divisione pro rei, industriæ, majoris intelligentiæ, laboris, ac commoditatis rata; et in damnis, ac expensis, quæ societatis intuitu sociis adveniant, uti sumptus itineris, vectigalium, vulneris, diripientium; vel quæ fiunt ad merces comparandas, conservandas, et expendendas; secus dicendum de damnis, quæ intuitu ipsius propriæ per-

sonæ socio obveniunt. *S. Lig., n.* 905;—2.ª ut damnum sortis ad dominum tantum spectet, nisi ratione circumstantiarum aliter juste sit conventum; nam in hoc contractu sors non alienatur, ut in mutuo;—3.ª ut quisque eamdem adhibeat diligentiam in societatis bonum ac in privata negotiatione; et ante tempus non repetatur sors, nec lucri divisio; secus deest æquitas;—4.ª ut societas fiat in honesta ac legali negotiatione; nam delictorum turpis atque fœda communio est;—5.ª ut nullus socius de communibus bonis disponat, neque alium tertium ad societatem admittat sine aliorum nutu;—6.ª ut omnes per se lucra percepta in societatem conferant, quin substitutum assumant. *S. Lig., n.* 905, *L.* 4, *tit.* 10, *p.* 5.ª

147. Q. *Quid de pacto quod, empta merce, ante omnia capitale domino restituatur, ac deinde quod superest æqualiter dividatur; vel quod, sorte pereunte, commune sit damnum?*

R. Evidenter injustum est pactum, semper ac non adsit sortis communio; nam deest æqualitas justæ compensationis; sane ponenti capitale minuitur suum periculum, dum ab initio sic illud salvat; at non ita ponenti operam evenit; cum iste, si postea pereat merx, subjaceat sine compensatione capitalis periculo, id est sui laboris, ac lucri.—Secus si pactum etiam communionem sortis importat; sicut enim ponens operam habet commodum mediæ sortis partis, quamvis de jure tota ad dominum spectaret; ita et æquum est, ut, sorte pereunte, ipse partem damni subeat, quamvis sortis damnum de jure ad illum non pertineat. Si unus confert 100 aureos, et alter operam, salvo capitali domino, lucrum pro rata valoris, industriæ, et commoditatis pecuniæ juxta communem æstimationem erit inter socios dividendum. *Ronc., Pal., S. Lig., n.* 907. Finita societate, sors semper primo loco domino deducenda est, quamvis nullum supersit lucrum. *Lugo, n.* 24, *S. Ligor., n.* 907.

248. **Finitur contractus societatis**: 1.° Lapso tempore statuto;—2.° Mutuo sociorum consensu. Unde si quis, invito socio, ante tempus a societate recedat, ex justitia solvere tenetur lucrum cessans pecuniæ ab ipso præstandæ, aut reddere lucra suæ industriæ;—3.° Morte naturali, vel civili unius sociorum ex parte ejus, uti per solemnem religionis professionem, vel carcerationem, interdictum civile, decoctionem, exilium; nam cum eligitur industria personalis, ad hæredes minime transit;—4.° Interitu rei, vel fine negotiationis, aut impossibilitate rem promissam præstandi, ratione infirmitatis, egestatis, seu bonorum subversionis, aut detentionis;—5.° Si res ita sit mutata, ut societas non amplius idonea esse possit; sed tunc requiritur mutuus consensus, aut judicis auctoritas; sicut si unus socius intempestive renuntiare velit. *(Gury, Scavini, p.* 800, *S. Lig., n.* 907). Ita jus hispanum etiam.

—En España el socio que hace la renuncia intempestiva, ó dolosa, no notificada á los demás, está obligado á indemnizarles todos los perjuicios que se les siguiesen, á no ser que tuviere justa causa para renunciar, como: 1.° si alguno de los socios falta á sus empeños;—2.° si se ausenta en comision Real;—3.° si es tan bravo que no se le puede sufrir. *(Leyes* 11 *y* 12, *tít.* 10, *p.* 1.ª *y* 5.ª)

—Si el socio renunciase fraudulentamente, esto es, para apropiarse á sí solo la utilidad que se habian propuesto sacar todos en comun, tiene la pena de hacerse partícipe de las pérdidas y no de las ganancias que los demás socios tuvieren en lo sucesivo, y la de darles la parte respectiva de las ganancias que él hiciere. *(Ley* 12, *tít.* 10, *p.* 5.ª*)* Si intempestivamente, queda sujeto á las pérdidas posteriores, y no á los beneficios. *L.* 11, *tít.* 10, *p.* 5.ª

Las ganancias y pérdidas resultantes de los negocios empezados antes del fallecimiento de algun socio y de los posteriores practicados por los sobrevivientes antes de saberlo, son comunes entre los socios, y los herederos del premuerto, y estos están obligados á llevar á cabo los negocios empezados, siendo responsables por los perjuicios ocasionados por su dolo ó grave negligencia. *L.* 65, *D. pro. soc., tit.* 2, *lib.* 17.

249. Q. *An licite instituatur societas in pecoribus?*

R. 1.º Si pecora alteri pascenda, et nutrienda tradantur, eorumque periculum fortuitum ad solum dantem spectet, emolumenta vero fructuum ad utrumque, juxta omnes licita evadit societas.—2.º Si autem emolumenta et damna utrique sint communia, illicita omnino et injusta est; nam sors stare debet periculo apponentis. Ita *Ronc., Viva, Azor., S. Ligor., l.* 3, *n.* 909, *et alii.* Tamen ad custodem pertinet casum fortuitum probare. Probabiliter licita fieri potest, si adjiciatur contractus assecurationis, pastori compensando per majorem fructuum partem onus talis periculi sortis in se suscepti. Ita *Azor.*, Less., *Viva, n.* 8, *cum communi.*—3.º Probabilius illicitum est pactum, quod si ex grege aliquæ oves pereant, ex fœtibus suppleri debeant, et interim cæteri fœtus, lana, et casei æque dividantur; nam fœtus, qui substituantur, æque dividendi essent; et sic dominus tantum salvam sibi servat sortem; ideoque non servatur æqualitas. Ita *Tamb., Silv., S. Lig., n.* 909, *et alii* contra *Azor., Fil., Pal., etc.: Fil., n.* 101 ait in hoc standum esse locorum consuetudini.

—Non censetur contracta societas inter fratres, nisi expresse, vel tacite habeatur; uti si omnes in aliquo negotio se exerceant; vel uno negotiante, alii bona sua propria conferant: si vero unus sua bona propria conferat, et alii sola bona communia, non habetur societas, et ille sibi compensare potest. *S. Lig., n.* 907. Ita pariter si unus majorem laborem conferat. *Bonacina, n.* 3, contra *Mol.*—Si filius nomine proprio negotietur, patre pecuniam ponente, et ipso industriam, accipere potest partem lucri suo labori et industriæ correspondentem; secus si negotietur nomine patris; tunc enim accipere tantum potest id, quod pater pro tali labore alteri daret. Ita *Ronc., Bus., Dian.,* Laym., (V. n. 25).

250. **Contractus trinus** est *ille, in quo simul concurrunt contractus societatis, assecuratio sortis, ac lucri emptio, vel assecuratio.* Sic v. g. Titus mille aureos confert in societate cum Pio: en primus *societatis* contractus.—Cum vero ex ea 15 pro singulis 100 speret, veritus ne sua pecunia pereat, 5 ex iis Pio cedit, ut sortem sibi assecuret: en secundus contractus *assecurationis.*—Verum sciens melius esse modicum certum, quam majus incertum, 5 alios sic speratos ipsi Pio cedit, ut 5 certos, quidquid eveniat, sibi solvat: en tertius contractus, nempe *lucri emptio, vel assecuratio.* Unde hic duo Tito certa sunt: *capitale,* et *lucrum pactum.*—Probabilius licitus est hic contractus; nam hi singuli contractus separatim, et cum diversis personis, sunt de se liciti; ergo etiam si simul et cum eadem fiunt; neque in contractibus attenditur diversitas personæ, sed æqualitas rei ad rem, quæ bene hic adest, cum pro majori periculo, major adsit spes lucri.—Neque obstat Bulla *Detestabilis* Sixti V; ut enim declarat Benedict. XIV, *De Synod. Diœc., lib.* 10, contractus trinus a Sixto V non est damnatus, nec illum damnare intendit. Et in Encyclica *Vix pervenit...* dicit, se nolle damnare contractus, de quibus inter theologos disputatur. *(Ita Gury, n.* 919, *Lugo, D.* 30, *n.* 40, *et S. Lig., n.* 908, *communiorem dicit hanc opinionem cum aliis plurimis* contra *alios).*

# CAPUT VIII.

## De locatione.

251. **Locatio** (alquiler) est contractus, *quo quis temporalem usum rei, aut personæ opera, ad tempus alteri concedit, pacta mercede. Conductio* (arrendamiento) est *contractus, quo res aliqua ad usum, vel fructus pro pretio comparatur.*—Qui rem, vel operam confert, *locator* (arrendador) dicitur; qui ea fruitur, *locatarius* (inquilino), vel *conductor* (arrendatario).—Substantialia locationis consistunt in re usu non consumptibili, ac in mercede. *Locatio* fieri potest *scripto*, aut *verbo, pure* et *conditionate.*—Variæ numerantur locationis species: 1.° locatio ædificiorum;—2.° agrorum;—3.° animalium;—4.° laboris;—5.° famulatus, quæ in duas reducuntur species, nempe; *rerum*, et *operum.* Sunt objectum hujus contractus omnia, quæ in humano commercio inveniuntur, et usu non consumuntur, servitutibus exceptis.—Hunc contractum celebrare queunt omnes personæ contrahendi, ac se obligandi capaces. L. 30, 31 *et* 44, *D. locat.. tit.* 2, *lib.* 19, *etc.*

En España los arriendos de bienes públicos deben verificarse en pública subasta; y los contratos de bienes raíces, los subarriendos, subrogaciones, lesiones y retrocesiones de arrendamientos se inscribirán en el Registro, si se hacen por mas de 6 años ó se anticipa la renta de 3 ó mas. *Art.* 2. *Ley hipot. y* 5 *del Regl.* Y siempre para que pueda perjudicar á tercero. *S.* 11 *febr. de* 1871.

252. **Locatoris obligationes**, alia seclusa conventione, sunt: 1.° Aperire vitia noxia rei locandæ, v. g. si domus sit ruinosa:—2.° Conductorem tueri, ut re pacifice fruatur; et non locare rem ei, qui ea ad malum usurus sit:—3.° Formam rei locatæ absque locatarii consensu non mutare; si vero, urgente causa, reparari contingat, id pati debet conductor, quin conductionis pretium minuatur:—4.° Solvere expensas extraordinarias ad rei locatæ conservationem necessarias, item publica tributa, nisi alia sit consuetudo, vel conventio:—5.° Rem ante tempus constitutum non repetere, nisi conductor suo tempore pensionem non solverit, vel re locata abutatur. L. 54, § 1, *tit.* 2, *lib.* 19, *D. locat.*

Q. *Quodnam tempus pro locatione sit determinatum?*

Las hipotecas legales existentes cuya inscripcion como hipotecas especiales podrá exigirse en el término de 90 dias son las que á la publicacion de la ley reformada existian con el carácter de tácitas: 1.° En favor de la hacienda pública sobre los bienes de los que manejen fondos de la misma ó contraten con ella, y sobre los bienes de los contribuyentes que deban mas de una anualidad de los impuestos que graven los mismos inmuebles.—2.° En favor de las mujeres sobre los bienes de un tercero que haya ofrecido dotarlas.—3.° En favor del marido sobre los bienes de la mujer que haya ofrecido aportar dote, ó sobre los bienes de un tercero que hubiere hecho igual ofrecimiento.—4.° En favor de los menores ó incapacitados sobre los bienes de sus tutores ó curadores, ó de los herederos de estos si sus causantes hubieren fallecido sin tener aprobadas las cuentas; y sobre los bienes de su propiedad vendidos, cuyo precio no haya sido pagado por completo.—5.° En favor de los hijos sobre los bienes de su madre y los de su padrastro, si aquella hubiere sido su tutora ó curadora, y no tuviere aprobadas sus cuentas.—6.° En favor del legatario sobre los bienes del testador, si el legado no estuviere pagado por completo.—7.° En favor de los acreedores refaccionarios sobre las fincas refaccionadas, por las cantidades ó efectos anticipados y no satisfechos para la edificacion ó reparacion.—8.° En favor de los vendedores sobre la cosa vendida por el precio de la misma, cuyo pago no haya sido aplazado. *Art.* 353.—No podrán exigir la inscripcion de hipoteca especial los que á la publicacion de la ley hipotecaria reformada se hallaban disfrutando alguna de las hipotecas generales que establecia la anterior á 1.° de enero de 1863; (salvo lo prescrito en los art. 355 y 366 de dicha ley), y son: 1.° *En favor de las mujeres casadas* sobre los bienes de sus maridos por las dotes entregadas solemnemente bajo fé de notario;—por las arras ó donaciones que los mismos maridos les hayan ofrecido dentro de los límites de la ley; por los parafernales y cualesquiera otros bienes que con la predicha solemnidad han entregado á sus maridos.—2.° *En favor de los hijos* sobre los bienes de sus padres, por los que estos deben reservarles segun las leyes, y por los de su peculio que estos usufructuen y administren, etc.

274. Para que las hipotecas legales se entiendan constituidas, se necesita la inscripcion del título en cuya virtud se constituyen, esto es: 1.° que el que tenga derecho á exigirla, presente un escrito en el juzgado del domicilio del obligado á prestarla, pidiendo su constitucion, señalando la cantidad por que deba constituirse y los bienes que pueden ser gravados con ella;—2.° el título que produzca el derecho de hipoteca legal;—3.° el juez en su vista mandará comparecer á su presencia los interesados para el efecto. *Art.* 159.—Las hipotecas especiales cualesquiera que sea su origen y especie no surten efecto en cuanto á tercero sino desde la fecha de la inscripcion. *Art.* 352, *S.* 4 *mayo de* 1874.

—Mientras la inscripcion de los bienes dotales inmuebles no se verifique, el marido no podrá ejercer respecto de ellos ningun acto de dominio ni de administracion. (*Art.* 122 *del reglamento*). La inscripcion se hace expresando su cualidad de dotales ó parafernales, cuando ya no estén inscritos en nombre de la mujer, en cuyo caso no hay que constituir hipoteca en seguridad de los mismos, porque la inscripcion les sirve de garantía. (*Art.* 173).

—Segun Real decreto 23 de mayo de 1845, y la circular de 28 agosto de 1845, todos los documentos sujetos al registro, que aparezcan sin la nota que acredite estar registrados, serán nulos en juicio y fuera de él. Y en 29 de junio de 1867 se establece que los registradores de la propiedad no admitirán documento alguno á inscripcion, sin que conste en aquel, extendida por la oficina de la liquidacion, la nota de haber satisfecho el impuesto, ó la de que está exento de su exaccion. *Art.* 245. No habiendo pagado los derechos correspondientes en el plazo establecido, se exigirá la multa de un 25 por 100 del impuesto si los satisfacen dentro de un término igual al de ese plazo ya transcurrido, y de un 50 por 100 si no los pagasen hasta despues de haber pasado este doble término, además de satisfacer en ambos casos las costas de los apremios.

275. **En España** podrá pedirse ó deberá ordenarse la cancelacion total de las anotaciones preventivas: 1.° Cuando se extinga por completo el inmueble objeto de la inscripcion, por cualquier accidente natural ordinario ó extraordinario, como la ruina del edificio, inundacion de la finca, etc.—2.° Cuando se extinga por completo el derecho inscrito sobre un inmueble, ó porque deje este de existir, ó por renuncia del que tenga tal derecho á su favor, ó por el mútuo convenio entre los interesados. —3.° Cuando se declare la nulidad del título en cuya virtud se hizo la inscripcion, ó la nulidad de la misma inscripcion por falta de requisitos esenciales. *Art.* 79, *S.* 9 *mayo de* 1873.

Tendrá lugar la cancelacion parcial: 1.° por la reduccion del inmueble objeto de la anotacion, siempre que materialmente disminuya su cabida ó proporciones. *Regl., art.* 69.—2.° Cuando se reduzca el derecho inscrito á favor del dueño de la finca gravada, ya sea por renuncia del interesado ó convenio de las partes, ó ya por efecto natural del contrato, como por el pago ó redencion de una parte del censo ó capital, y ya tambien por sentencia judicial. *Art.* 80, *Regl., art.* 70. La accion hipotecaria prescribe á los veinte años, contados desde que pueda ejercitarse con arreglo al título inscrito. *Art.* 134. — Las anotaciones preventivas, hechas con escritura pública, no se cancelarán sino por providencia ejecutoria, ó por otra escritura pública, en la cual se esprese el consentimiento de la persona á cuyo favor se hubiera hecho. *Art.* 82.

—La razon principal de los registros de hipotecas es impedir los fraudes que la mala fe puede sugerir á los deudores, dando en garantía bienes ajenos y ya hipotecados —Están establecidos en las cabezas de partido, y en ellos debe tomarse razon de todas las escrituras de enajenacion, grávamen ó hipoteca, que afecta á bienes raíces, situados en los términos pertenecientes á cada partido judicial respectivamente, y á los oficios ó derechos perpétuos, que son susceptibles de iguales imposiciones, y del mismo modo de la libertad de las cargas que tenian. Los registros serán públicos para los que tengan interés conocido en averiguar el estado de los bienes inmuebles ó derechos reales inscritos. *Art.* 279.

276. **Obligacion de presentar los documentos al registro bajo**

pena de nulidad en el plazo marcado por la ley. *(Circular de 28 julio de 1876)*. 1.° Todo escribano que autorice un documento sujeto al registro de hipotecas por contener trasmision ú obligacion de bienes inmuebles, debe expresar no solo la cláusula de nulidad, si no se presenta en copia auténtica al registro, sino tambien el plazo en que debe cumplirse, y la circunstancia de haberlo hecho entender así á los interesados. (*Real D.* 26 *nov.* 1852.)—2.° En cuanto á los testamentos, los escribanos deben llenar esta formalidad en las copias que de ellos extraen despues de la muerte del testador. (*Real O.* 23 *feb.* 1858).

—*Los plazos para la presentacion al registro* son: 1.° de treinta dias contados desde el siguiente al de la otorgacion del documento, si la escritura es de contratos, ó de particiones de herencias y legados, y fuese en la demarcacion del partido.—2.° De ochenta dias, si la otorgacion se hubiese verificado en otro pueblo de la península é islas adyacentes.—3.° De seis meses, si no se formalizan particiones, á contar desde el fallecimiento del causante, ó si no se hace constar oficialmente, aunque se formalicen.—Dejamos de consignar otros plazos por la compleja variacion y continua mutabilidad que sufren esas leyes en España; basta saber que la ley señala varios plazos, y que es preciso atenerse á ellos para la validez civil de los documentos, y evadir las multas. Consúltese á los abogados, cuando urge el caso. Lo mismo debe tenerse presente en cuanto al impuesto hipotecario y al de liquidacion.

Los liquidadores tienen señalados sus derechos.

277. **Por el retardo de esas formalidades se incurre en las penas siguientes:**

1.° En la nulidad del documento; mas esa nulidad puede ser enmendada haciéndolo registrar, aunque sea fuera de su propio tiempo, sujetándose el interesado á las multas.—2.° En cuanto á los documentos antiguos que no devengaban derechos, son y serán tambien admitidos al registro, satisfaciendo solo el derecho de su inscripcion, si todavía está vigente la Real órden de 18 octubre de 1855, que así lo dispuso y viene prolongándose.

| | |
|---|---|
| *Heredamientos* de bienes en pleno dominio entre ascendientes y descendientes segun la ley de 6 de agosto de 1873 y 21 de julio de 1876 hoy vigentes en toda España, pagan. . . . . . | 1 por 100 |
| Entre cónyuges y ascendientes y descendientes naturales legalmente declarados. . . . . . . . . . . . . . . . . . | 1'75 |
| Entre colaterales de segundo grado y ascendientes y descendientes naturales no declarados legalmente. . . . . . . . | 3 |
| Entre colaterales de tercer grado. . . . . . . . . . . . . | 4'25 |
| Entre colaterales de cuarto grado. . . . . . . . . . . . . | 5'50 |
| Entre colaterales mas distantes.. . . . . . . . . . . . . | 6'75 |
| Entre extraños. . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 8 |
| En favor del alma del testador ó de otras. . . . . . . . . | 10 |

*Legados* en pleno dominio en los mismos grados referidos y por su órden es el 1'50—2'50—4—5'50—7—8'50—10.—Herencias y legados en nuda propiedad es el 25 por 100.—Eso tambien sufre frecuentes variaciones.

# CAPUT XII.

## De assecuratione, sponsione, loteria, et ludo.

278. **Assecuratio** est contractus, *quo unus periculum rei alienæ in se suscipit sub certo pretio, et aliquando etiam gratis, cum obligatione illud compensandi, si forte res perierit.* Sic assecurantur domus contra

incendium, navigia contra naufragium, etc. Hic contractus licitus est, si serventur ejus conditiones; adest siquidem æqualitas in spe, ac in periculo. Id confirmant sensus theologorum, quotidiana praxis, et leges civiles. *S. Lig., n.* 911.— *Conditiones ad assecurationem requisitæ sunt:* 1.ª ut pretium sit periculo proportionatum;—2.ª ut periculum sit verum, et utrique parti æqualiter notum; vel res nondum in tuto posita;—3.ª ut assecuratus servet omnes contractus conditiones;—4.ª ut habeat assecurator unde solvere possit. *(Gury, S. Lig., n.* 911, *L.* 3, *Cod. de naut. fen., tit.* 33, *lib.* 4).

279. Sponsio (apuesta) est contractus, *quo duo, vel plures de veritate, et eventu alicujus rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui verum fuerit assecutus.—Est contractus fortunæ* nulla lege prohibitus, si debitis præditus sit conditionibus; uterque enim spondens sese periculo æqualiter exponit. Imo aliquando est honesta recreatio inter amicos, vel stimulus ad aliquid citius perficiendum. Regulariter censeo hujusmodi sponsiones non excusari a peccato veniali; quia deest in eis motivum cohonestans licitæ recreationis, ait *S. Lig., n.* 869.

—*Conditiones, ut sponsio sit licita,* sunt: 1.ª ut res eodem sensu ab utraque parte intelligatur; secus nunquam in unum convenirent;—2.ª ut adsit animus se obligandi, et solvendi quod spondetur;—3.ª ut fiat super re dubia, et eventus sit utrique incertus; alias non esset æqualitas in re;—4.ª ut non sit circa illicita; neque enim tenet obligatio contra bonos mores; uti esset sponsio circa ingluviem, et potum præcipue inebriantem, vel circa Pontificis electionem, aut super ejusdem vitam, vel mortem; nam id expresse prohibuit S. Pius V, Bulla *In eligendis.*—Et addit *Roncaglia,* Gregorium XIV, Bulla *Cogit nos,* id extendisse ad electionem Cardinalium. Quæcumque sponsio ad peccatum inducens, vel cum exinde illud exoptetur, illicita est. *S. Lig., n.* 869.

Probabilius tenent sponsionem invalidam esse, quum unus manifestat se certo rem scire, et alter adhuc perseverat in sponsione; quia deest æqualitas, et sponsor ut insanus habetur; sicuti qui pertinaciter emere vellet gemmam tamquam veram, cum certior sit factus esse falsam.—Nec refert quod ille jure suo cedat; ex errore enim cedit. Excipe si ille, qui prius certus videbatur de aliqua re, postea, altero contradicente, incipiat, et ipse dubitare, advertens jam alias errasse in iis, quæ sibi certa videbantur. *(Scavini, p.* 831, *S. Lig., n.* 879 *aliique,* contra *Salm., n.* 64, *et plures alios.)*

Las apuestas ó traviesas hechas en juegos son prohibidas. *Pragm., c.* 6. Solo son exigibles cuando versan sobre certámenes para el ejercicio de las fuerzas ó de alguna habilidad. *L.* 9, *tit.* 7, *lib.* 8, *Recop.* Si el premio de la apuesta se hubiese depositado en poder de un tercero, podrá reclamarlo de este el vencedor, á menos que aquella versase sobre objeto ilícito. *L.* 17, § 5 *D. præs. verb., tit.* 5, *l.* 19.

280. **Loteria,** seu *sortitio* est contractus, *quo plures aliquid deponunt in commune, ut jus sortiendi habeant rem in medio exhibitam.* Quidam totum, quidam partem, quidam demum nihil habent.—Licita est *loteria* modo adsint requisitæ conditiones; est enim veluti emptio rei incertæ, et pretium exponitur juxta quantitatem, et spem; aliunde adest liber partium consensus. — *Conditiones requisitæ sunt:* 1.ª ut nulla in schedulis educendis sit fraus, nec in solvendo præmio, quod obtigerit;—2.ª ut dominus *loteriæ* in lucro non excedat, nec plus moraliter lucretur,

quam si in alio contractu licito pecuniam suam exponeret, vel merces suas distribueret. Tamen majus esse potest lucrum, si in bonum opus publicum, vel sacrum sit instituta *loteria*. *(Ita communiter cum Gury, n.* 943).

Las rifas solo pueden verificarse con el permiso de la autoridad. *L.* 1 *y* 2, *tít.* 24, *lib.* 12 *Nov. Rec.*

281. **Ludus**, in ordine ad justitiam, *est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori pretium, quod exposuerunt, cedatur.*

— *Triplicis generis est*: nempe, 1.° *industrialis*, qui industria ludentium potissimum regitur, ut ludus discorum, pilæ; — 2.° *aleatorius*, qui a casu præcipue pendet; — 3.° *mixtus*, qui partim ab industria, partim a casu etiam pendet, uti plerumque chartarum ludus. Licitæ sunt hæ ludi species, si debitæ adsint conditiones; nam ludus per se moribus non repugnat, cum sit honestum oblectamentum; neque justitiæ; quivis enim ex se bonorum suorum dominium transferre potest, cui, et quomodo voluerit. *S. Lig.*, *n.* 871. Olim jure canonico ludi aleatorii omnibus, præsertim clericis, prohibebantur; sed hæ leges quoad omnes in desuetudinem fere abierunt, ait *Gury, n.* 945; et lex civilis tantum pœnalis est, dicit *Scavini, p.* 832.

—En España, segun la *ley* 15, *tít.* 23, *lib.* 12 *de la Nov. Rec*, y otros diferentes decretos y órdenes Reales, y sobre todo la pragmática real de Cárlos III, mandada publicar en 6 de octubre de 1771, se prohibe bajo graves penas á todas las personas estantes en España, de cualquier clase y condicion que sean, el jugar ó permitir jugar en sus casas los juegos de *banca* ó *faraon*, *baceta*, *carteta*, *banca fallida*, *sacanete*, *parar*, *treinta y una envidada*, y otros cualesquiera de naipes, que sean de suerte y azar, ó que se juegan á envite, aunque sean de otra clase, como tambien los juegos de *birbis*, *oca* ó *auca*, *dados*, *tablas*, *azares* y *chuecas*, *bolillo*, *trompico*, palo ó instrumento de hueso, madera ó metal, ó de otra manera alguna que tenga encuentros, azares ó reparos, como tambien el de *taba*, *cubiletes*, *dedales*, *nueces*, *corregüela*, y otros cualesquiera de suerte y azar.

—Finalmente, declara la propia ley *prag.*, *c.* 7.° *y* 8.°: 1.° que los que perdieren cualquiera cantidad en los juegos prohibidos, ó la que excediese del tanto ó suma señalada en los permitidos, y los que jugaren prendas, bienes ó alhajas, cantidades al fiado, á crédito, sobre palabra, con tantos ó señales, no están obligados al pago, ni los que ganaron pueden hacer suya la ganancia. Los que hubiesen satisfecho las pérdidas sufridas ilícitamente pueden repetir del ganancioso las cosas que hubiesen entregado en pago; — 2.° Que son nulos y de ningun valor ni efecto los pagos, contratos, vales, empeños, deudas, escrituras y otros cualesquiera resguardos y arbitrios de que se usare para cobrar las pérdidas; — 3.° Que todos los que se ocuparen en los referidos juegos ó los consintieren en sus casas en contravencion ó con exceso á lo ordenado y dispuesto en la propia ley, quedan sujetos para todo lo contenido en ella á la jurisdiccion real ordinaria, aunque sean militares ó de cualquier otro fuero, por privilegiado que sea; y que en el caso de ser personas eclesiásticas los contraventores, despues de haberse hecho efectivas las penas y restituciones en sus temporalidades, se pase testimonio de lo que resulte contra ellas á sus respectivos prelados, para que los corrijan conforme á los sagrados cánones.

Además está prevenido en el *cap.* 6.° que ni en los juegos permitidos la cantidad que se juegue no exceda de un real de vellon, y de 30 ducados toda la cantidad, aunque sea en muchas partidas, siempre que intervenga en ellas alguno de los mismos jugadores.—Véanse los artículos 267 y 268 *del Código penal vigente*, *el Real decreto de* 7 *de junio de* 1850, segun los cuales, los banqueros y dueños de casas de juego de suerte, envite ó azar, y los empresarios y expendedores de billetes de rifas no autorizadas, serán castigados con la pena de arresto mayor y multa de 20 á 200 duros, y en el caso de reincidencia, con la de prision correccional en su grado mínimo, al medio y doble multa.—Los jugadores que concurren á las casas referidas, con la de arresto

mayor en su grado mínimo ó multa de 10 á 100 duros; y en caso de reincidencia, con la de arresto mayor y doble multa.—El dinero y efectos puestos en juegos, los muebles de la habitacion y los instrumentos, objetos y útiles destinados al juego ó rifa, caerán en comiso.—Por último, los que en el juego usaren de medios fraudulentos para asegurar la suerte, serán castigados como estafadores.

282. **Conditiones ad licitum ludum.** 1.ª Ut ludi finis principalis non sit lucrum, sed animi oblectatio et levamen; secus a veniali probabilius non excusari ludentem, docent cum *Angelico,* 2. 2, *q.* 168, *a.* 3, *Scavini, p.* 832, *aliique.*—2.ª Ne ludo aliquid turpe misceatur; aut ne sit peccandi occasio, vel scandali, vel damni alterius, aut proprii. Unde a mortali non excusaretur qui sciat, se in blasphemias, aut inhonesta, et similia in illo prolabi; vel impotentem fieri ad sua onera implenda, vel debita solvenda. *S. Lig., n.* 882.—3.ª Ut quæ ludo exponuntur sint propria ludentium, ac liberæ dispositionis; et summa, quæ in ludo exponitur, sit modica juxta cujusque facultatem. *S. Lig., n.* 871.—4.ª Ut absit fraus, et injuria. Hinc oportet ut adsit moralis æqualitas quoad ludentes in spe lucrandi, et in periculo amittendi; secus non deficiet injustitia.

Q. *Quid de iis, qui fraudibus utuntur in ludo?*

R. Vel fraudes adversantur consuetudini, ac ludi regulis, vel non. Si 1.ᵐ, restituere tenetur victor etiam id, quod retulisset alter, si abfuissent fraudes; injuriam quidem damnosam socio intulit; uti 1.° si ita se malitiose collocat, ut chartas alterius perspiciat:—2.° si alium constituat, a quo de iisdem monetur:—3.° si chartas ipsas furetur; vel clam eas a tergo signo aliquo notet.—Si 2.ᵐ, non peccat iis utens; scit enim uterque ludens hujusmodi fraudes esse solitas, ac sic in illas libere consentit; uti 1.° si quis simulat timorem, aut valorem, unde sic alter impellatur ad augendam, vel minuendam sponsionem:—2.° si ex alterius negligentia chartas ipsius sine dolo inspiceret:—3.° si socius erraret in numerando; cum nemo teneatur alterius partes agere. (*Scavini, S. Lig. n.* 882).

283. Q. *Quid si quis ad ludendum fuerit coactus?*

R. Vel cogens peritior erat altero, vel non. Si 1.ᵐ, retinere non potest quod lucratus est, sed restituere debet, saltem juxta mensuram peritiæ, qua alteri præcellebat; deerat siquidem æqualitas periculi et spei.—Si 2.ᵐ, *probabilius* ad nihil tenetur; nam non coactio, sed casus, ac diligentia fuit lucri causa et damni; æquale erat periculum et etiam spes: aliunde, non obstante coactione, fuit utrinque satis voluntarius, ac validus contractus juxta communem sententiam; ergo effectum suum producere debet: si cogens perderet, solvere teneretur; ergo a pari, si lucretur, retinere poterit. *(Ita Scavini, p.* 833, *S. Ligor., n.* 880).—Tamen metum passus rescissionem contractus petere potest, et tunc cogens restituere adstringitur.

Q. *An restituere teneatur victor, qui multo peritior est in ludo, ita ut fere certo prævideat se victorem fore?*

R. Affirma multo probabilius, cum desit inter ludentes æqualitas requisita; proindeque læditur justitia. Unde notabiliter peritior id advertens recedere a ludo debet, vel aliquid proportionatum commodi adversario concedere. *(Ita communiter cum Gury, n.* 947, contra *Tol., Sa, et alios).*—Tamen in praxi non erit urgenda restitutio, si sufficienter monitus adversarius pertinaciter ludere voluisset, vel de re minoris mo-

menti agatur; quia tunc nulla, vel parva injuria interest, et plerumque nil boni consequeretur. *(Gury, ibid.)*

284. Q. *An lucrum ex ludis lege prohibitis tuta conscientia retineri possit?*

R. Affirma probabilius, ante judicis sententiam, etsi de summa agatur; nam libera conventio est observanda, cum sine peccato potest; ludentes etsi peccassent ludendo, non peccant solvendo, modo liberam habeant bonorum administrationem; ergo... *Ita Silv., Billuart, Lugo, Croix, Bouvier, Scavini, n.* 833, *S. Ligor., n.* 887, *aliique* contra *alios.* Probabilius victus solvere non tenetur; nam lex, dando jus victo ad se defendendum exceptione, vel repetitione soluti coram judice, dat etiam jus absolutum ad non solvendum, cum statim possit solutum repetere, nisi cum juramento renuntiaverit uterque beneficio legis. Unde qui jam solverit, occulte sibi compensare non potest. *(S. Ligor., n.* 890).

Excipe, si quis summam a filiisfamilias in ludo, etsi de se licito, lucratus fuerit, ipsis est restituenda; quia rei administratores non sunt, aut eam alienare nequeunt; quod valet etiam de uxoribus, religiosis, aliisque bonorum suorum administratione carentibus. Eo in casu, ut *verius* dicunt AA., tam filiifamilias, quam cum illis ludens lucrum restituere tenentur collusori; secus æqualitas deesset; nisi tamen summa filiofamilias victa sit de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, seu liberæ administrationis, aut summa parvi momenti; nam præsumitur patris consensus; aut sit aliqua pars moderata ab alimentis, quæ ei pater subministrat, deducta, v. gr. 5 in 100. *(Scavini, ibid., Lugo, Salm., n.* 34 *et* 54). Idem dic de uxore.

Validus tamen est ludus, etsi magna pecuniæ quantitas una vice exponatur, si requisitæ conditiones serventur; etenim ludentes æque periculum subeunt scientes et volentes. Tamen cum hæc opinio non sit certa, imo legi hispanæ officiat, non videntur inquietandi in tribunali pœnitentiæ illi, qui solvere nolunt magnam summam, quam amiserunt. *(Ita Gousset, n.* 889, *Gury, n.* 949). Confessarius per modum satisfactionis, si opportunum videatur, injungere (non cogere) victori pœnitenti posset, ut partem aliquam lucri in usus pios impendat. *(Antoine, Bouvier, Gousset, ibid.)* — Item licet ludere preces pro victore fundendas; nam malum est adhibere spiritualia propter profana; non viceversa. *S. Lig., n.* 882.

*Conclusio.*—Licet plerumque ludus sit in se licitus, et honestæ recreationi inserviat, debita moderatio in ejus usu quam maxime est commendanda, ne facile in detestandos abusus deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobat lugenda nimis experientia! Quot enim heu! cernuntur miserrimi juvenes, nec non cujuslibet conditionis homines, qui ludo dediti integræ fortunæ paucis diebus, vel horis jacturam faciunt, familiam ærumnis immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur! Satagant igitur pro viribus parochi, et confessarii, ut subditos, et pœnitentes ab hujusmodi ludendi furore avertant, atque solliciti sint, ne obtemperare renuentes ad sacramenta admittant. Sic *recte concludit Gousset, n.* 891, ait *Gury, n.* 950.

# TRACTATUS DECIMUS.

# DE JUSTITIÆ ET JURIS VIOLATIONE.

## CAPUT I.

### De furto.

285. **Furtum** est *occulta et injusta rei alienæ ablatio, vel detentio, domino rationabiliter invito.* Unde qui alienum accipit per jocum, vel ob bonum illius, a quo accipit, non furatur; v. gr., si uxor auferat a marito pecunias, ne ludis, aut ingluviebus eas prodigat; aut vinum, ne inebrietur; aut librum immoralem, ne legat. *S. Lig.*, *n.* 519. Et sic furtum distinguitur: 1.° a *damnificatione*, qua nil *aufertur*;—2.° a *rapina*; quæ est *aperta rei alienæ injusta ablatio cum violentia.*—Furtum aliud est *simplex*, aliud *qualificatum:* 1.ᵐ est quod aliam *non habet malitiam specie distinctam;*—2.ᵐ vero est *quod peculiarem sibi adjunctam malitiam habet;* v. gr. sacrilegium, si fiat circa rem sacram; et rapina, ob vim domino illatam; cæteri modi speciem non mutant. *S. Lig.*, *n.* 518. Unde:

I. Furtum ex genere suo grave peccatum est. Probatur 1.°, quia graviter juri naturali adversatur, ut patet ex dictis de dominio;—2.° quia juxta S. Scripturam *Neque fures,... neque rapaces, regnum Dei possidebunt* (1 Cor. VI);—3.° quia per furtum maxime subvertitur pax et publica tranquillitas. Unde *S. Thomas* ait, quod *si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas.* (2. 2, *q.* 66, *a.* 6).

II. Imo etiam furti desiderium graviter prohibetur in decimo Decalogi præcepto, ut in sua radice destruatur peccatum; nam omnium fere peccatorum fons est prava cupiditas. Hinc peccant: 1.° mercatores, qui rerum penuriam exoptant, ut de aliorum inopia ditescant;—2.° milites, qui bellum desiderant, ut impune aliena diripiant;—3.° medici, qui ideo morbos; judices, qui lites; advocati, qui contentiones concupiscunt, ut ditescant; est enim alienum sine justa causa concupiscere. *(Scavini).*

286. Q. *Quænam materia erit gravis in furto?*

R. I. Materia furti alia dicitur gravis *absolute*, alia *respective:* 1.ª respectu omnium et semper gravis censetur; ne quis ditescat de alieno;—2.ª vero gravis est respectu quorumdam tantum; quippe quæ desumitur ex quantitate rei ablatæ cum proportione ad bona injuriam patientis; nam gravitas cujuslibet injuriæ pendet præsertim a majori vel minori privatione, damno, et reluctantia voluntatis, quam patitur is, cui aliquid surripitur; non quidem a majori vel minori amore pecuniæ, sed prout dominus, a quo aufertur, dives est, vel pauper. (Ita *Lugo*, *n.* 27, *Gury*, *n.* 606; *S. Ligor.*, *n.* 527).

II. Aliqua tamen requiritur materiæ *relative* gravis in furto determinatio. Attentis præcipue Europæ locis, et temporum nostrorum adjunctis; requiri videtur: 1.° circiter valor unius franci relative ad pauperes, et aliquando minus in casu raro magnæ inopiæ, vel damni. Si quis acum sartori surripiat, sine quo laborare nequeat, gravis erit damnificatio, non vero grave furtum (*Ballerini, n.* 605, *Gousset); —* 2.° duo, vel tres franci relative ad operarios, qui diuturno labore victum sibi comparant; — 3.° quatuor, vel quinque franci relative ad homines mediocriter divites; — 4.° sex, vel septem franci quoad divites ordinarios. (*Scavini, Gury, n.* 607).—Quod spectat vero ad materiam *absolute* gravem, est communis sententia apud *D. Ligor., l.* 3, *n.* 527, duos, aut tres aureos, scilicet decem, vel quindecim francos, materiam gravem existimari. *(Gury, ibid).* Ita etiam quoad ditissimos, vel principes, aut communitates.

Attamen merito ait Lugo, n. 25: *Nec etiam designari potest valor redactus ad tantam pecuniam pro materia gravi; quia valor ipse pecuniæ, seu ejus æstimabilitas, non est æqualis in omni loco et tempore;* et hoc præ oculis habere debent confessarii. Nam diurnus operarii labor alicubi tres francos affert, dum alibi idem labor vix unum francum fert. Unde etiam quoad AA. determinationem est attendendum ubi scripserunt. Magna certo adest diversitas inter Galliam, Hispaniam, Angliam et Italiam quoad pecuniæ penuriam. In mentem etiam revocare velis pecuniam antiquitus utpote rariorem, fuisse etiam pretiosiorem. *(Ita Gury, Gousset, Ballerini, n.* 607).

287. **Furta famulorum, filiorum, et uxorum.** I. *Pro famulis* pendet a majori, vel minori dominorum liberalitate, ex qualitate, et situ rei ablatæ. Hinc si agatur de furtis minutis, v. g. alicujus oboli ancillis haud infrequentibus, dum quotidianum victum pro heris emunt; vel de cibis, et esculentis, quæ non solent caute servari, et domi consumant, facilius excusantur, saltem a gravi peccato; in iis equidem magis inviti esse solent domini quoad modum, quam circa substantiam; nam quis bovi trituranti os alligabit? (*Gury, n.* 608, *Scavini, S. Ligor., l.* 3, *n.* 545). –Imo *Laym., Escob., Less., Caj., Nov., Sanch., aliique* docent, furta minima famulorum ex comestibilibus, quæ claudi non solent, non coalescere, si ad comedendum tantum accipiantur: sed hoc non admittunt *Spor.*, et *alii*, si magna esset quantitas. Quoad alia furta v. t. I, n. 857, et sicut de aliis latronibus tene. *Gury, n.* 608, *S. Lig., Hom. Ap., n.* 34.

II. *Filius* graviter peccat, invitis parentibus, notabilem summam accipiens; cum nondum bonorum illorum dominus sit. Hinc: *Qui subtrahit aliquid a patre suo, et matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* (Prov. XXVIII). Dicunt *Less., Nav., Fil.*, non graviter peccare filium furantem 2, vel 3 aureos, seu 10, aut 15 francos a patre divite.—Secundum *Sanch.*, etsi 5, vel 6 aureos furetur.—*Holzm.* dicit non esse grave accipere a patre prædivite 10 aureos;—et *Bannez* requirit tunc saltem 50 aureos;—sed hoc merito rejiciunt *Lugo* et *Croix*, nisi forte esset filius principis.—*Nav., Sot., Laym., S. Lig., n.* 876, et *alii* admittunt, quod si pater mittat 100 aureos filio in studiis versanti, poterit filius insumere 5 in honestas recreationes. Ratio horum est, quia parens censetur minus invitus, et filius est aliquid patris. Unde, etsi alias lethaliter peccet, non tenetur ad restitutionem, nisi forte cohæredibus graviter noceat. *(S. Ligor., n.* 543). Item si summam expendat in res turpes, aut

vanas, contra parentum voluntatem: etsi mortaliter peccet, a restitutione eum excusat *Less.*, si pater rogatus facile condonaturus putetur; intellige, si pater condonare potuisset. *(Scavini).* (Quoad uxores v. n. 55).

Cum a gravi peccato furtum domesticum excusari non potest, tunc uxor restituere adigitur ex paraphernalibus; filius ex castrensibus, vel quasi, vel si ea non habet, post mortem patris afferre debet in hæreditatis divisionem, si quantitas rei ablatæ sit valde magna, nec pater expresse, vel tacite restitutionem dimiserit. Famuli vero, si absque magna difficultate restituere non valent, jubeantur compensare officiis, et obsequiis extraordinariis, quantum possint. *S. Lig., n.* 546. Cæterum circa furta filiorum, et uxorum plus requiritur ad gravem materiam constituendam quam in furtis extraneorum; cum pater, vel maritus saltem sit minus rationabiliter invitus, etiam quoad substantiam. *S. Lig., n.* 539. Probabilius pro illis requiri summam duplo majorem quam pro extraneis, ait *Gury, n.* 608; intellige quando pater sit rationabiliter invitus, addit *Ballerini*, quoad substantiam. Alii ob circumstantias multo latius eam materiæ quantitatem extendunt. Confessarius autem in concedenda uxoribus, et filiis licentia cautus sit; nam propensi sunt plus æquo facultates extendere.

288. **Minuta furta** *aliquando grave peccatum constituunt:* I. cum unus pluries uni furatur; vel multis parum una, vel pluribus vicibus, vel semper ac animum ad notabilem quantitatem perveniendi habeat; vel si furtula simul sumpta jam gravem constituant materiam, tum ratione gravis damni, tum de alieno ditescendi; nam tunc illa furtula simul coalescunt, licet ea singulis vicibus consumpserit fur; ideoque ad restitutionem sub gravi adigitur.—Ita tenendum etiam quoad famulos aliquid domini surripientes, mercatores ponderibus falsis utentes, sartores aliquid panni retinentes. (*Scavini*, *Gury, n.* 610, *S. Ligor.*, *n.* 533).

Secus si fur præfato animo careat, et notabile intercesserit intervallum, puta saltem duorum mensium inter illa furtula; tunc probabilius ex communi hominum æstimatione moraliter non coalescunt. (*Gury, Scavini, S. Ligor.*, *n.* 530). Alii cum *Fil.*, *Dian.*, *Tol.*, excusant, intervallo 15 dierum intercedente. -Tamen graviter contra charitatem, etsi leviter contra justitiam, peccaret qui exiguam rem auferret, puta rarum florem, vel primos arboris fructus ad aliquem præcipuum virum honorandum destinatos, si prævideat dominum graviter exinde offendendum. (*Gury, n.* 615, *S. Lig.*, *n.* 526).

II. Qui personis diversis eodem tempore multum in globo furatur, graviter peccat, et sub gravi restituere tenetur; dolose quidem ac injuste de aliena re ditescit. Ita *omnes. Non habebis in sacculo diversa pondera.—Statera dolosa abominatio est apud Dominum.* (Deut. XXV; Prov. XI).

III. Si plures ex condicto multum uni furentur, sed singuli parum, singuli graviter peccant; omnes quippe mutuo consilio moraliter ad totum proximi damnum cooperantur; ideoque singuli ad restitutionem in solidum tenentur. *(Scavini, S. Lig., n.* 535, *cum communi*).- Secus si independenter alii ab aliis agant, quamvis mutuo sciant grave damnum irrogari domino; nam per accidens se habet, cum quisque leviter tantum in illud influat. Graviter tamen contra charitatem peccare poterunt ratione injuriæ, ac etiam si quis pravo suo exemplo alios ad furandum moveat, ratione scandali, quod ex se ad restitutionem non obligat. *(Gury,*

*n.* 614, *Scavini, S. Lig., n.* 536). Idem dic de eo, qui levi furto complet materiam gravem ab aliis apud ipsam personam inchoatam, eadem ratione. (*Lugo, d.* 15, *n.* 53).

289. Q. *Quænam quantitas requiritur ad gravem materiam in furtulis?*

R. I. Si minuta furta fiant eidem personæ diversis vicibus, aut personis diversis eodem tempore, ad materiam gravem requiritur unum simplex cum dimidio, dicit *S. Lig., n.* 530; vel duplo plus quam sufficeret, si simul auferretur, ut ait *Ballerini cum Cardenas, Croix, Less., Holz., Trull., etc.*

II. Si vero fiant diversis personis, et vicibus item diversis, duplum requiritur; nam in minutis furtis domini non sunt certo tantum inviti; et tunc gravitas non tam exurgit ex damno illato, quam e facto ex alieno ditescendi. (*Ita* Less., *Lugo, d.* 16, *n.* 51, *Gury, n.* 611, *Scavini, S.* Ligor., *l.* 3, *n.* 530).—Idem dicunt de furtis rerum, quæ sunt valde expositæ, uti fructus secus vias, ligna in sylvis. (*Scavini, S. Ligor., n.* 529). Imo communis furti gravis mensura desumi heic non potest ex gravitate relativa; quia læsio non uni infertur personæ, sed pluribus, quarum tamen nulli damnum relative grave illatum supponimus; ergo ex absoluta gravitate desumi oportet, quæ nimirum adhibetur, cum furta cedunt in damnum communitatis, ut recte ait *Ballerini, n.* 611; nempe 10, vel 15 fr.: et cum requiratur in furtulis unum simplex cum dimidio, vel duplo majus, ut modo diximus, ad grave damnum requiritur 15, vel 21 $^1/_2$ fr. in primo casu, et 20, vel 30 in secundo.

290. Q. *An retractatio voluntatis impediat, quominus furtula sequentia cum præcedentibus uniantur?*

R. I. Affirma, si de facto prius ablata fuerint restituta; quia, semel restituta, hic et nunc furta non amplius existunt. (*Ita Gury, n.* 611, *cum communi*).—Item si subsequens furtum ex aliquo speciali motivo fieret; tunc enim non videtur efficaciter destruere præcedentem restituendi voluntatem; vel etiam si fur serio iterum simul proponat prius ablata restituere; quod vix in praxi eveniet.

II. Nega, ubi retractatio revocari videatur per novum furtum; nam tunc nihil obstat quominus furta in unum coalescant. (*Gury*).

III. Non est mortale *per se loquendo* surripere quamcumque summam cum animo statim restituendi, puta intra quadrantem.—Item, si intra illud breve tempus quis restituere vult illam tantum ultimam partem, gravem materiam complentem, aut si ad breve tempus restitutionem differat; cum brevis illa detentio grave detrimentum domino non afferat, nisi in aliquo casu raro. (*Croix, Lugo, Sanch., S. Ligor., n.* 531).

Q. *An graviter peccet, qui post gravem materiam completam leve quid adhuc surripiat?*

R. Nega valde probabiliter, seclusa intentione ad novam gravem summam perveniendi; nam si referatur ad primam summam, non erit nisi materia aggravans; quæ cum in se et relative ad illam levis sit, leve erit peccatum.—Si vero ad eam non referatur, erit nova inchoatio, quæ ex se levis est. (*Less., Salm., S. Ligor., n.* 538, et *alii,* contra *Lugo, Croix*, etc.)

291. **Ligna in sylva communitatis cædere.** I. Si essent sylvæ privatorum, utique ligna in ipsis cædentes peccarent, et ad restitutionem

tenerentur; jus quippe illorum læderent. Idem dic de sylva communitatis, si omnia ligna illius emerint, vel conduxerint aliqui privati; nam hi jus strictum ad sylvam illam habent, ita ut libere vendere, aut locare arborum cæsionem valeant; et nihil refert quod cædentes sint illius communitatis partes; nam jus suum in emptorem jam transtulerunt. Idem de pascuis dicendum. Ita probabilius et communius *Mol.*, *Bon.*, *Croix*, *Sanch.*, *Lugo, n.* 88, *S. Ligor., l.* 3, *n.* 529, contra *alios*, qui dicunt esse probabile, quod cædentes non tenentur nisi ad pœnam. Idem docent aliqui AA. de sylva communitatis non propinquæ; tunc enim nullum jus ad eam habent extranei.

II. Si agitur de sylva communitatis (vulgo *comunes*) oppidani commode ligna asportare possunt, nec peccant cædentes unam sarcinam singulis diebus pro usu proprio, et duas singulis hebdomadis ad vendendum; quod enim accipit dives ad usum proprium, accipit pauper ad vendendum unde vivat. *Sanch.*, *Henr.*, *Salm.*, *Lugo, n.* 89. Idem dicunt *Sanch.*, *n.* 20, *Less.*, *Lop.*, *Salm.*, *Soto*, *Mol.*, si adsint duo oppida propinqua, et oppidani soleant ligna cædere ex sylva alterius.

Excipe, si magnam faciant stragem respectu communitatis; tunc enim restituere adstringuntur. *Angles*, *Corduba*, *Soto*, *Sanch.*, *n.* 22, *et alii.* Secus tenentur tantum ad pœnam post sententiam; talis siquidem prohibitio, si adsit, censetur pœnalis. (*S. Ligor.*, *ibid.*)

292. III. Pauperes qui in alienis sylvis ligna ad usus proprios colligunt non peccant: 1.° ubi talis adsit consuetudo, vel dominorum consensus expressus, aut tacitus, uti si tacent, etsi id sciant; non enim sunt inviti;—2.° Item si domini absque immani quadam duritie illud impedire nequeant; cum alioquin pauperes hiberno tempore *sine igne et calidis alimentis transigere deberent; licitum esse minuta, quæ humi jacent, ligna, vipreta, genistaque colligere,* ait Sylvius; *quia vel domini tunc inviti non sunt, vel non rationabiliter.* Idem dic de aridis lignis; secus de viridibus, nisi vix aliter pauper subvenire sibi valeat. Ita *Collet*, *Pontas*, *Sylv.*; *et alii.*—3.° *Si quis inopia, vel necessitate pressus, ligna cædat suæ vitæ, vel inopiæ necessaria, non peccat.* Ita *Azor.*: neque peccant sylvarum et agrorum custodes id tolerantes.—4.° Non est sermo de extrema necessitate, sed de casu, in quo pauperes ligna emere non valeant. De hoc confessarii moneant pauperes, ne ob erroneam conscientiam graviter peccent, ac etiam ne damnum irrationabiliter dominis inferant, et ut licentiam, si fieri possit, ab ipsis pauperes prius obtineant.

Item satis probabiliter comedere licet in aliena vinea uvas, poma, spicas, aliosque fructus, dummodo comedens illos foras non asportet. Ita *S. Lig.*, *n.* 529, *Covar.*, *Valer.*, etc., ex Deut. XXIII, 24, 25, et ex Luc. VI, 1, contra *Lugo*, et *Holzm.*, de solis hebræis, aut vinitoribus illud Domini intelligentes, quod in praxi tenendum videtur; nam domini talia furta ægre semper ferunt.

293. Q. *Quomodo sunt restituenda bona per minuta furta ablata?*

R. 1.° Sub gravi sunt restituenda, si ad notabilem pervenerint quantitatem, ne quis ditescat de alieno; et etiam patet ex prop., n. 38 ab Innocent. XI damnata: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*—2.° Si domini certi sint, tunc singulis sub gravi sua portio est tribuenda, si portio singulis ablata per se gravem materiam cons-

tituat.—Si vero incerti sint, pauperibus, aut locis piis juxta præsumptam dominorum voluntatem. —3.° Si denique singuli domini non sint graviter damnificati, licet de jure ipsis esset restituendum sub levi; at cum sic grave damnum reipublicæ intulerit fur, huic sub gravi restituere debet; hæc merito non graviter invita censetur, si partibus indigentioribus restituatur. Unde concludit *S. Alph., cum communi*, quod licet communissimum sit quod tabernarii pro minutis furtis generatim restituere debeant civibus, qui minutas merces emunt, a gravi excusarentur, imo etiam a levi, accedente aliqua causa, v. g. aliquo notabili incommodo, pauperum necessitate, infamiæ periculo, si pauperibus, aut locis piis restituant. (Ita probabilius *Scavini, S. Ligor., n.* 534 *et* 595).

---

# CAPUT II.

## De causis a furto excusantibus.

Duo a furto excusant; nempe necessitas, et compensatio.

294. **Necessitas**: 1.° *Extrema;* scilicet cum vita ipsa periclitatur; in extremis equidem omnia sunt communia ex naturali jure, quod derogare non valet jus gentium.—2.° *Proxima extremæ,* vel illi æquivalens; v. gr. quum quis est in probabili periculo mortem incurrendi, puta si equum non surripiat ad se liberandum a latronibus; vel est in vero periculo amittendi membrum aliquod principale, aut aliquem sensum, puta oculum; vel est in proximo periculo in perpetuam captivitatem incidendi, seu pœnam triremium, vel gravissimum aut perpetuum morbum, aut infamiam: et sufficit quod hujusmodi mala proxime, et moraliter certo immineant, et ex *Holzm.*, quod de eis adsit periculum certo probabile. Ita probabilius, et comunius *Lugo, n.* 154, *S. Ligor., n.* 520. —3.° *In extremis potest quis auferre bona magni momenti,* puta 4000 aureos, ut ait *Lugo, n.* 146, vel aliam rem, si ea in particulari indiget pauper ad se liberandum ab illa necessitate, et occulte, vel quin eam petat, nisi dominus exinde in æquali necessitate esset conjiciendus, et deinde restituat quod superfuerit; alias graviter peccaret. *Gury, n.* 619, *S. Lig.* Saltem liberare se valet per media ordinaria, seu non exquisita, et extraordinaria. Ita *S. Lig., n.* 620, *Lugo, n.* 159 *cum communi.* —4.° *In casu similis necessitatis etiam potest quis occulte rem alienam accipere, ut subveniat proximo sic indigenti. S. Thom., Gury, n.* 618. —5.° *Non licet in communi neque in gravi necessitate* alienum arripere, v. gr. in gravi infamia, dedecore, periculo e proprio statu decidendi; in his enim adjunctis domini sunt rationabiliter inviti, et alias hallucinationibus, direptionibusque facilis aditus patesceret. *Gury, n.* 616, *S. Lig., n.* 520.—Si aliquem virum honoratum valde puderet mendicare, vel laborare, probabilius posset ex alienis sibi providere, si pudor esset tantus, ut potius ille mortem subire vellet, quam mendicare. Ita S. *Ligor., n.* 520, cum Less., *Dic., Viva, Ron.*, etc.—6.° *Si vero dives pauperem vi impediat, ne bona sua in extremis accipiat, graviter contra justitiam*

*peccat*, atque de damnis tenetur; cum enim pauper habet jus utendi alienis rebus, habet quoque jus, ne ab eis privetur. Secus si dare solum neglexerit dives; ad hoc siquidem tantum obligat charitas. *Lugo, n.* 143, S. *Lig., n.* 520. (V. t. I, n. 520).—7.° *Licet rem alienam accipere ac retinere ex præsumpta domini voluntate;* scilicet, cum rationabiliter præsumi queat, quod si peteres, libenter ille donaret. Ita communiter *Lugo, n.* 54 et 63, S. *Lig., n.* 700.

295. Compensatio duplex est; *legalis*, et *extra-legalis*. *Prior* definitur: *Debiti et crediti inter se invicem contributio*, quæ locum habet in contractibus; v. gr. cum duo sibi invicem debitores, alter rem alteri debitam sibi reservat; uti si tibi debeam 10 pro vino, et tu 10 pro panno mihi debeas, utrumque debitum compensatione extinguitur. Hæc compensatio omnibus licet, ac expedit ad circulos vitandos in rerum translatione.—*Posterior* vero est: *Acceptio rei alienæ sibi debitæ, inscio debitore.* Hæc licita etiam est sub debitis conditionibus: 1.ª ut *debitum sit moraliter certum;* nam in dubio non licet in rei possessionem introire, nec possessorem spoliare;—2.ª ut *debitum sit ex justitia;* secus non esset stricte debitum;—3.ª ut *aliter recuperari nequeat*, saltem sine gravi incommodo, damno, offensione, vel inimicitia; alias publicæ potestati ac ordini injuria *ex se* levis fieret;—4.ª ut *compensatio in eadem specie*, si fieri possit, vel saltem in re debitoris, ac in eadem quantitate debiti fiat; secus esset cum damno tertii; uti si fieret in re alterius deposita, vel commodata;—5.ª ut *debitor moneatur de debiti extinctione*, si vivit in mala fide, vel si adsit periculum, ne bis solvat, nisi gravia incommoda ex monitione timeantur; nam creditor utitur jure suo, et si inde aliquod damnum alteri accidat, suæ iniquitati imputet. (*Ballerini, n.* 622, *Scavini*, S. *Ligor., n.* 521). In praxi bonum erit, ut sine confessarii consilio non fiat compensatio, ad hallucinationis pericula declinanda; et confessarii cautissimi esse debent; ita ut eam vix consulere, et raro permittere expediat. At post recte factum, pœnitentes in bona conscientia relinquantur. (*Stapf.* § 449).

—Item occulta compensatione uti valet qui damnatur a judice ad aliquid solvendum, quod certo non debet, vel certo jam satisfecit; sententia siquidem in falsa præsumptione facti fundatur, ac proinde in conscientia obligare nequit. (*Gury, n.* 624).

# TRACTATUS UNDECIMUS.

# DE RESTITUTIONE.

## PARS PRIMA.

### DE RESTITUTIONE IN GENERE.

## CAPUT I.

### De obligatione restitutionis.

296. Restitutio *in genere* definitur: *Rei positio in pristinum statum*. In sensu autem *stricto* est: *Actus justitiæ commutativæ, quo res alterius redditur, vel damnum injuste illatum, aut injuria compensatur.* Quod damnum variis modis fieri potest: v. g. furando, defraudando, destruendo, rem alterius negligenter custodiendo, occidendo, mutilando, detrahendo honorem, conviciando, et similibus. *S. Lig., n.* 547.

Absolute necessaria est ad salutem in re, vel in voto restitutio iis, qui alienum jus læserunt. Constat 1.° Ex S. Scriptura: *Reddite ergo omnibus debita.* (Rom. XIII). Et Ezech. XXXIII: *Si autem dixeris impio: Morte morieris: et egerit pœnitentiam... Et pignus restituerit... rapinamque reddiderit... vita vivet, et non morietur.*—2.° Ex SS. *Patribus*, inter quos *D. Augustinus Epist.* 153 proferens ea notissima verba juri canonico inserta, ait: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.* C. 1. Si res aliena causa 14, qu. 6.—3.° Ex *ratione:* nam ut cesset peccatum, injustitiam cessare oportet: ut cesset injustitia, cessare debet juris alieni violatio; atqui juris alieni violatio cessare nequit nisi per restitutionem: ergo restitutio necessaria est ad salutem in re, vel in voto.

Diximus in *re, vel in voto;* nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media; unde qui restituere nequit effective, saltem adigitur affective; secus affectum ad alienam rem retineret, sicque in habituali peccato versaretur. *Ita omnes.*—Hinc peccat qui superfluas impensas in ludis, mensa, vestibus, liberis, itineribus, pretiosa supellectili, et aliis resecare non curat, ut debitis suis satisfaciat. *(Scavini, p.* 862). *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere*, ait *Angelicus*, 2. 2, q. 62, art. 8; ideoque *semper et pro semper* urget; secus violatur jus strictum alterius.

297. **Radices restitutionis** quinque sunt: 1.ª est res accepta:—

2.ª injusta acceptio:—3.ª injusta detentio:—4.ª injusta damnificatio:—5.ª ratio contractus, vel officii; nam quidquid contra justitiam commutativam fit, restitutionis reatum inducit. Ad duas tamen reduci possent: nempe, ex rei alienæ acceptione, et ex injusta damnificatione. Unde non oritur hoc onus ex actione affective tantum injusta; quia præfatam justitiam non lædit. Sic ille, qui rem propriam accipit, alienam esse putans, et judex sententiam justam proferens, falso credens esse injustam, ad pœnitentiam tantum tenentur.

*An animæ justæ in purgatorio detineantur, donec ab earum hæredibus fiat restitutio?* Nega; nemo sane in altera vita punitur, nisi pro personali culpa in præsenti vita commissa, minime vero ex hæredum incuria. Tamen, ratione satisfactionis pro anima debitoris, credi potest restitutionem, aliaque pia opera animæ purganti prodesse.

Q. *An multiplicentur peccata restitutionis dilatione?*

R. Nega probabilius: 1.° si habitualiter perseverat mala voluntas non restituendi, vel impotentia una cum restituendi voluntate; cum sic non multiplicentur voluntatis actus.—Secus si actus voluntatis affirmativi et negativi multiplicentur. (*Gury, n.* 629, *S. Lig., l.* 5, *n.* 40). (V. T. I, n. 307).

298. **Restituere renuens**: I. Absolvi *per se* nequit, si restitutionem promittere nolit, aut si per futiles prætextus ipsam differre velit, vel eam perficere nonnisi per partes, cum una vice possit; siquidem perseverat injuria, et saltem affective ipsum peccatum. Unde absolutione indigni sunt illi, qui dicunt: *Statuam in testamento, vel præcipiam filiis, aut amicis meis, ut cito ipsi post mortem restituant.– Non afferam bona mea in tumulum.—Restituant hæredes.—Forsan his bonis indigebo,* et similia. S. *Lig., n.* 681.—Excipe: 1.° Si ille in bona fide sit, etiamsi in mortis articulo reperiatur, quum non supersit tempus eum monendi, aut monitio non profutura cognoscatur.—2.° Si intercedat justa causa restitutionem differendi; nimirum scandalum vitare, vel infamiam, ut si Communionem non accipiat pœnitens, vel si urget Communionis præceptum; vel adsit actualis impossibilitas restituendi, dummodo restitutionem se facturum statim ac valeat serio promittat. *Salm., n.* 256, *S. Lig., n.* 681, *cum communi.*

II. Tamen si fructus monitionis speretur, aut si pœnitens in bona fide non sit, fortiter ac suaviter de suo onere est admonendus, et ad illud citius adimplendum, nisi aliud circumstantiæ suadeant, compellendus, ut a periculo, quod ab inconstantia ipsius timeri potest, eripiatur; et, quamvis aliunde paratus prorsus inveniatur, antequam restituat, quando ipsi restitutio est moraliter possibilis, minime absolvatur; secus difficile et rarissime restituet, ut luctuosa docet experientia. *Concina, S. Ligor., n.* 682: et S. Thom. de Villanova consulte monet: *Prius ergo vadat, et concubinam e domo pellat, pecuniam alienam restituat... et tunc ad confessarium redeat, ut absolvatur.* Ast si confessarius revera intelligat debitorem sincere paratum esse restituere, cum primum poterit, et restitutio cito fieri non possit, *recte poterit eum absolvere pro prima vice; imo probabilissime id admittunt Salm., n.* 258, *et Lugo, n.* 213, *etiam pro secunda et tertia vice, si tales concurrant circumstantiæ, quod confessarius solo proposito restitutionis contentus esse debeat,* ait *S. Lig., n.* 682, quod raro eveniet, addit *Scavini.*

III. Cæterum in mortis articulo, *si restitutionis obligatio sit publica,*

statim adimpleatur; si vero ita fieri nequeat, efficiat confessarius, ut infirmus testetur, ac per hæredes, statim ac eis sit possibile, fieri disponat. Si vero testari nequeat, aut nolit, schedulam saltem subscribat creditori tradendam...—*Si vero obligatio occulta sit,* statim fiat per se, vel per alium, aut per ipsum confessarium.—Si ita fieri nequeat, erit infirmus inducendus ad summam pecuniæ ipsi confessario, aut melius alii viro prudenti, si hic adsit, relinquendam, ut postea clam créditori tradatur; vel ad eam summam in testamento ei relinquendum, omissa restitutionis monitione. *(Gury, n.* 632).

# CAPUT II.

## De possessore rei alienæ bona, dubia, et mala fide.

299. **Possessor bonæ fidei** ille est, qui *invincibiliter rem a se possessam alienam esse ignorat, vel titulum habet sive depositi, sive commodati, sive emptionis, aut donationis eam retinendi.* Possessor bonæ fidei statim ac novit rem a se possessam esse alienam, tenetur: I. eam adhuc existentem in toto, vel in parte, vel in æquivalenti, suo tempore domino restituere; nisi legitime ipsam præscripserit; secus tunc iniquus detentor fieret, ac culpabiliter jus strictum alterius violaret; nam res semper clamat ad dominum. (*Ita omnes*).

II. Si rem alienam amiserit, consumpserit, dederit, destruxerit, alius eam sibi rapuerit, modo ditior inde ille non evaserit, nec alteri rei ex ea pepercit, ad nihil tenetur: non ratione acceptionis, aut consumptionis; quia rem bona fide possidebat, et sola formalis damnïficatio punitur; neque ratione detentionis; eam siquidem nec in se, nec in æquivalenti retinet. Si inde ditior evaserit, puta si cum alia commutaverit, vel ideo rebus suis pepercerit, v. gr., si bona fide vestem alienam, credens esse suam, portavit et attrivit, si alias vestem æqualis valoris attrivisset; in se, vel in æquivalenti eam restituere tenetur, juxta valorem, quem habebat, cum ipsam accepit. Sic de aliis resolve.—In dubio an sit ditior factus, post diligentem inquisitionem, adhuc eo perseverante, ad nihil adigitur; possessio enim stat pro libertate. (*Gury, n.* 635, *Scavini, p.* 864, *S. Ligor., l.* 3, *n.* 707).

300. **Jura possessoris bonæ fidei.** I. Possessor bonæ fidei nulla ratione restituere tenetur fructus mere industriales, naturales, civiles, et mixtos, qua parte industriæ ac labori debentur; nam fructus illi hominis sunt occasione rei, non ipsius rei. Alios fructus, qua parte *naturales, civiles*, aut *mixtos,* expensis tamen ac laboribus deductis, et dicta hominis industria, domino restituere debet, cum ex jure naturali *res fructificet domino.* (Ita *communiter Gury, Ballerini, n.* 636, *S.* Ligor., *n.* 610 *et* 825). (V. n. 72).

III. Tamen ex lege civili plurimi docent possessorem bonæ fidei omnes fructus perceptos tam industriales, quam naturales, civiles et mixtos, etiam qua parte naturales et civiles sunt, facere suos; neque restituere tenetur nisi fructus perceptos seu collectos, et quos percipere valebat a

die judicialis petitionis a domino factæ; vel cognitionis vitii suæ possessionis; etenim ob commune commercii bonum, publicam utilitatem, ac possessorum tranquillitatem, æquitati consona videtur talis lex. *L.* 29, *tit.* 28, *part.* 3.ª, *L.* 22, *Cod. de rei vindicat.*, *S.* 26 *jan.* 1866, *et* 18 *jun.* 1869, *et aliæ.* Ideo etiam in conscientia probabilius valet, ait *Scavini*, *n.* 864, *cum Bouvier, Carriere, n.* 1054, *Vernier*, *n.* 564, *Gousset, n.* 931, *Gury, n.* 636, *aliisque* contra *Ballerini*, *et alios.*

IV. Item ex civili lege docent possessorem bonæ fidei, qui rem furtivam aut perditam emit in publicis nundinis, mercatu, vel subhasta, restituere eam proprio domino non teneri, nisi hic pretium solutum sibi restituat. Hæ leges etsi in jus naturale pugnantes videantur; tamen in rei veritate non sunt nisi codicilla juri præscriptionis universim admisso adjecta; et tunc lex bonam fidem supponit.

El poseedor de buena fe hace suyos los frutos de la cosa poseida, y por tanto la sentencia que le manda devolver los anteriores á la contestacion de la demanda, infringe la *ley* 39, *tít.* 28, *part.* 3.ª, *S. de* 22 *abril de* 1869. El poseedor de buena fe vencido en juicio debe abonar al vencedor los frutos que percibió y pudo percibir procedentes de los bienes litigiosos, desde la contestacion á la demanda. *L.* 1, *lib.* 3, *tít.* 31 *Cod. de Justiniano, L.* 40, *lib.* 5, *tít.* 3 *Dig.*, *S.* 5 *marzo de* 1874.—No obsta al heredero la mala fe de su causante para el efecto de hacer suyos los frutos de la cosa heredada. *S.* 21 *set. de* 1862.—Se entiende por frutos todo lo que ha producido la cosa reclamada, deducidos los gastos necesarios para obtener, recoger y conservar dichos frutos. *L.* 4, 39 *y* 42, *tít.* 28, *part.* 3.ª, *L.* 36, § *ult. de hæred. pet.* No es responsable de los deterioros causados aun por su negligencia, ni de las desmembraciones hechas por él, creyendo disponer de lo suyo.—Cumple restituyendo la cosa mueble en el lugar de la cuestion, si allí se halla; y en caso contrario, en el en que se encuentra, ó en el del juicio á costas del demandante, excepto los gastos de manutencion, que corren á cargo de aquel. *Lib.* 10, *de rei vindicat. y Const. de Cat.*, *tít.* 6, *lib.* 8, *vol.* 1.

301. Q. *An possessor bonæ fidei repetere possit expensas in aliena re augenda, vel conservanda factas?*

R. I. Expensæ aliæ sunt *necessariæ*, sine quibus res conservari nequit; aliæ *utiles*, quæ rem meliorem faciunt; aliæ *voluptuariæ*, quæ rem exornant. Hinc 1.° Tam possessor bonæ quam malæ fidei repetere valent expensas *necessarias*. *L.* 44, *tit.* 28, *part.* 3.ª, *L.* 5, *Cod. de rei vend.*, *S.* 30 *set. de* 1867.—2.° Possessor bonæ fidei jus habet ad expensarum valorem, vel ad hujus incrementum, quoad *utiles expensas*. *L.* 38, *D. de rei vindicat.*, *tit.* 1, *lib.* 5, *S.* 18 *nov.* 1868. Item privari nequit ea re usquedum solutæ ipsi fuerint hujusmodi expensæ. *L.* 44, *tit.* 28, *part.* 3.ª, *S.* 14 *sept.* 1866. Excipe si utiles expensæ tam excessivæ forent, ut dominus ad eas solvendas rei proprietate se privare deberet: tunc domini obligatio erit permittere, ut talis possessor secum ferat rei incrementa. *L.* 38 *D. rei vindicat.*— 3.° Quoad *voluptuarias* jus tantum habet possessor bonæ fidei eas auferendi, si fieri queat absque proprietatis deterioratione, uti essent statuæ, et similia. L. 38 *D. rei vindicat.* Inter expensas non sunt computandi casus fortuiti, v. gr. si in colendo alieno agro equi perierint; deducere licet laboris æstimationem, ast non equorum valorem. *Gury, n.* 643.

302. Qui rem furtivam bona fide quovis loco emat: I. *Pretium solutum* licite a domino exigere nequit, antequam eam restituat, si compareat dominus rem suam ab illo repetens, vel cognoscatur ipse domi-

nus; nam res clamat ad dominum: nec jure pretium solutum repetere potest; sane non est cogendus dominus rem suam emere; et lex malam fidem supponit in privatim contrahentibus quovis loco. Ita *Scavini, p.* 865, *cum communi*, teste Benedict. XIV Epist. *Urbem* 19 martii 1752; sed in venditorem revera actionem habet deceptus emptor.—Excipe si eo fine rem furtivam emerit, ut eam, invento domino, restituat; nam æquum non est, ut qui utiliter negotium domini gessit, damnum exinde patiatur, modo pretium non sit fere æquale rei; tunc enim dominus emeret rem suam: sufficiet ergo designare ad arbitrium viri prudentis tantum quantum meruisse videtur emptor, rem domini utiliter redimendo. *(Scavini, ibid., S.* Lig., *n.* 600.)

II. Neque *illam furi restituere potest*, etsi *solutum pretium aliter recuperare nequeat,* si dominus rem suam petat; quia de jure naturali dominus rem suam occupare potest, in quocumque loco eam inveniat; et tunc etiam cum pretii jactura (quia fur, vel alius venditor non apparet, aut pretium reddere nolit) emptor eam domino cognito reddere tenetur. Emptor in furem habet actionem. (*Gury, n.* 644).—Si dominus sit quidem notus, sed rei inscius, vel eam non petat, probabilius emptor rem furi remittere potest, ut pretium recuperet; hoc enim modo nullum domino damnum infert, cum res in priori suo statu collocetur; vel si in deteriorem statum reddatur, merito fit; nam emptor non tenetur rem domino servare cum proprio damno; et aliunde utitur jure suo ad bona propria recuperanda, licet per accidens alteri damnum sequatur. Ita *Less.,* L*ugo, n.* 29, *S. Anton., Gury, Scavini, S.* L*igor., n.* 569 *cum communi* contra *alios* dicentes rem ad dominum clamare, et non ad furem; et sic deterioris conditionis fieri.

El dueño puede siempre impedir que el poseedor se lleve consigo las mejoras, ofreciéndole por precio lo que de ellas sacaria este. *L.* 41, *tít.* 28, *part.* 3.ª No es permitido al poseedor el destruir maliciosamente las mejoras que no puede llevar consigo. *L.* 38 *D. rei vindicat., tit.* 1, *lib.* 6.

III. *Si possessor bonæ fidei rem a fure emptam alteri vendiderit;* 1.º *in casu evictionis* a domino factæ, seu spontaneæ restitutionis, venditor emptori pretium suum reddere adigitur, saltem in quo factus est ditior; nam in tali casu venditio est omnino irrita ex omni jure; tum quia vendidit rem vitiosam; tum quia tenetur de evictione emptoris: et secundus venditor, ipso facto, jus in priorem venditorem habet. *(Salm., n.* 89, Less., *Gury, n.* 638, *Scavini, p.* 866, *S. Ligor., n.* 601, contra *Navar., Dian.).* Idem dic si res in manus variorum possessorum titulo oneroso transierit, etsi aliquis eorum sit in mala fide; quia hanc in alios non refundit; ultimus possessor rem domino reddere sponte, vel coacte debet, et ipse ac singuli emptores jus habent in venditorem suum, ut pretium solutum recuperent. *(Gury, n.* 642).

2.º *Extra casum evictionis, vel spontaneæ restitutionis,* ex jure romano ad nihil tenetur venditor, si inde ditior factus non sit, et aliter pretium datum recuperare non possit; quia venditio rei alienæ, bona fide peracta, licet non transferat rei dominium in emptorem, transfert tamen pretii dominium in venditorem: et aliunde rem alienam non habet in se, neque in æquivalenti; tantum, vendendo, pretium prius solutum recuperavit; neque causa est cur dominus re sua privetur; jam enim privatus antea erat. Ita *communius Salm., n.* 88, *Lugo, n.* 106, *Gury, n.* 638, *Sca-*

*vini, ibid.*, S. *Ligor.*, *n.* 611, *et* 800, contra *alios.*—Nec tenetur venditor dominum monere, ut rem suam recuperare possit; nec emptori indicare alienam esse rem, si id post venditionem detegat bona fide peractam, et eum admonendo, pretii accepti amittendi periculum subiret, præfata ratione. *(Ita Lessius, Salm.*, S. *Lig.*, *n.* 601). Secus si possessor bonæ fidei rem alienam gratuito acceptam alteri vendiderit; in hoc enim casu possessor ditior factus est, et in æquivalenti rem possidet. *(Gury, n.* 639 *et* 640, *Bouvier*, S. *Lig.*, *n.* 608, *cum communi).* Idem dic si quis mediocri pretio rem alienam bona fide emerit, ac majori eam vendiderit, quod incrementum, non ex industria, sed ex ipso rei valore provenit. E contrario si ex industria possessoris creverit pretium. *(Ita communiter cum* Lugo, *n.* 20, *Gury, n.* 640). Si possessor bonæ fidei detegat quidem rem a se possessam esse alienam, sed dominus non compareat, idem statuendum quod de re amissa, et ab alio inventa. (V. n. 52).

303. **Possessor dubiæ fidei** est ille, *qui aut ab initio possessionis, vel in ejusdem decursu de legitimo jure rei dubitat.* Hinc:

I. Qui in mala fide, vel dubia, rem quovis titulo possidere incipit, peccat; cum evidenter periculo rem alienam usurpandi se exponat: ideoque diligenter juxta rei valorem dominum illico inquirere tenetur, ac illi cedere, cui favet certitudo, vel multo major probabilitas; sane ei, qui in dubio possessionem inchoat, nequit favere possessionis titulus. — Si dubium sit fere æquale, dividatur res, si dividi possit; secus valor inter utrumque juxta dubii rationem; nam par est utriusque conditio, ut probabilius docent Lugo, *n.* 80, *Scavini*, *Gury*, *n.* 652, *S.* Ligor., *n.* 625.—Si dominus inveniri nequeat, habeatur ut res derelicta, et pauperibus distribuatur in toto, vel in parte juxta probabilitatis gradum, ut dicunt *Gury*, *Scavini*, *S.* Lig., *ibid.* (V. n. 51).

II. Qui autem in dubio possidere incipit, alium a possessione spoliando, priori possessori restituere tenetur, si dubium, adhibita diligentia, perseveret, quando non constet hunc mala fide rem possidere incepisse; in pari enim causa melior est conditio prioris possidentis. (L*ugo*, *n.* 80, *Carriere, n.* 1100, *Gury*, *n.* 652).

III. Si, possessione incepta, superveniat dubium, et hoc, inquisitione facta, perseverat, rem totam retinere potest, et ad præscriptionem pergere. L*ugo*, *n.* 17, *S.* Lig., *n.* 511, *cum communi.* Imo etsi contra possessorem adsit ratio probabilis, aut etiam probabilior, et nulla in ejus favorem; cum semper adsit pro eo præsumptio orta ab ipsa possessione, quæ secum importat jus moraliter certum, quod superari nequit, nisi ab alio jure item certo. Ita *probabilius et communius Lugo*, *n.* 86, *Gury*, *n.* 652, *Scavini, pag.* 868, *S. Ligor.*, *l.* 1, *n.* 34; item Jus Canonicum, *Can. Si Virgo*, *q.* 1.

**Resolves**: 1.° Milites bona fide militantes, intellecta postea belli injustitia, id tantum restituere debent, quod adhuc de præda habent, ex quo facti sunt ditiores;—2.° qui, celebrato contractu bona fide, postea usurarium esse cognoscat, non ad plus tenetur, quam in quo factus est ditior;—3.° accipiens bona fide rem ab alio usurpatam, ac cum sua propria miscens, ita ut amplius separari, vel distingui non possit, ad ejus valorem tantum tenetur, seu in quo factus est ditior. *S. Lig.*, *n.* 608.

304. Q. *Quid si talis possessor ab initio inquirere neglexerit, et dein non amplius dominus rei inveniri queat?*

I. Aliqui putant graviter peccare possessorem illum, sed ad nil adhuc teneri; quia damnum est dubium, jus vero possessoris est certum. —Alii docent esse restituendum aliquid pauperibus pro rata spei, quam habere potuisset dominus rem illam recuperandi. Generatim spes illa multo minoris est valoris medietate pretii; etsi enim possessor iste culpabiliter dominum privaverit spe, pretio æstimabili, tamen rei detentor est in meliori conditione. (*Gury, n.* 653, *Scavini, p.* 869).

II. *Si inquisitione neglecta, dominus compareat*, post dubii initium tractandus est uti possessor malæ fidei, ut n. 306.—Secus si bona fide possessionem quis inceperit, et dein, oborto dubio, inquirere neglexit, putans difficilius dominum inveniri posse; hic enim possessori bonæ fidei foret æquiparandus. (*Pal., Gury, n.* 654).

III. *Possessor dubiæ fidei, facta inquisitione debita, probabilius præscribere potest, dubio perseverante,* si bona fide possidere incepit; nam dubium illud invincibile est, et, illo manente, conscientia efformare licet ex illo principio: *Melior est conditio possidentis.*—Secus si in dubio possidere cœpit; bona siquidem fide ad præscribendum caret. (*Gury, n.* 655, *S. Ligor., n.* 504).

305. **Possessor malæ fidei** ille est, *qui sciens et volens rem alienam injuste possidet.*

**Jura possessoris malæ fidei** sunt: 1.° deducendi expensas *necessarias;*—2.° ferendi rei incrementum quoad *utiles,* si id fieri possit; absque detrimento rei vindicatæ. (*L.* 5, *Cod. de rei vindicat. L.* 44, *tit.* 28, *p.* 3.ª *S.* 5 *dic. de* 1866. *Expensæ voluptuariæ* possessori malæ fidei non probantur, neque sunt solvendæ. *L.* 38, *D. de rei vindicat.*—Tamen juxta *Gury, Scavini, D. Alph., Hom. Ap., n.* 74-77, possessor malæ fidei ex jure communi deducere valet expensas tum *necessarias,* tum *utiles*, tum *voluptuarias,* ubi intacta re, valorem augent, nisi in delicti pœnam ad expensas amittendas fuerit damnatus; porro dominus ex se jus non habet ad ditescendum cum alterius, etsi furis, detrimento, licet jus habeat ad integram rem suam cum fructibus debitis.—Jus vero habet ad fructus mere *industriales*, uti quæsitoris, telonarii, thesaurarii, et similium, qui ex alienis pecuniis lucrum faciunt; aut vinum in alium locum, ubi pluris venditur, transferendo, frumentum alienum in proprio fundo seminando; nam licet contra fidelitatem peccet, invito domino, hæc faciendo, non peccat contra justitiam commutativam, industriam exercendo. (*Antoine, Bouvier, Gousset, Scavini, p.* 869, *Gury, n.* 637). Sic v. gr. qui aliena ova supponat gallinæ incubanda, ad ovorum valorem tenetur tantum.

306. **Onera possessoris malæ fidei** sunt: 1.° Rem existentem restituere, vel æquivalentem, si ipsa non existit, cum fructibus extantibus et etiam consumptis, et id omne, in quo factus est ditior; nam res domino suo fructificat.—2.° Item restituere debet lucrum cessans et omne damnum proprietario emergens a die possessionis, vel subortæ malæ fidei, nempe, quidquid possessor percepit, vel percipere potuisset, si ut bonus paterfamilias rem administrasset; etsi dominus non percepisset; secus illata injuria non plene compensatur.—3.° Expensis suis restituere debet rem in loco judicii, vel propietarii, si illinc eam abstulerit, una cum rei detrimentis. (*L.* 10 *et* 21, *D. de rei vindicat., L.* 29, *tit.* 28, *p.* 3.ª, *Const. de Cat., tit.* 6, *lib.* 8).

**Resolves.** I. Si res aliena, dum injuste detinetur, fiat deterior, vel

casu pereat, aut naturaliter, vel sine culpa possessoris, nec alterius, et aliunde certum sit apud dominum æque perituram esse, puta in eodem incendio, naufragio, hostili invasione, restituere non tenetur possessor; etenim per subsequentem casum verificatur, quod detentor non fuit, nec est efficax causa damni, sed commune periculum. *(Ita S. Ligor., l. 3, n.* 620, *cum communi).* —Secus si apud dominum res non esset peritura, aut deterioranda; etsi per alterius injuriam res pereat, vel deterior apud possessorem fiat; semper hic tunc est prima et efficax causa damni. *(Laym., S. Ligor., ibid., aliique).*

Esta doctrina es conforme al derecho español, pues ordena que si la cosa hubiese perecido por efecto de un caso fortuito, será condenado á la indemnizacion el poseedor de mala fé, si el dueño prueba que la hubiera enajenado. (*L.* 15 *et* 16, *D. de rei vindicat.*, L. 40, *D. de hæred. petit.)*

II. Si autem res pereat ex culpabili negligentia, vel eam consumat injustus detentor antequam periculum illud eveniat, a restitutione eum liberant, si rem ipse consumpsit, vel ipsa pereat eodem loco, et intra idem tempus, quo jam præviderit apud dominum esse æque perituram; neque enim eo in casu fur, aut detentor est efficax causa damni, sed commune periculum. (Ita contra *plures alios Spor., n.* 168, *Less., n.* 93, *Vazq., et alii, quod probabile recte putant Laym., n.* 2, *ac Lugo, d.* 18, *n.* 77, ait *S. Lig., ibidem).*—Idem dicunt plures auctores pro utraque parte, si, transacto periculo communi, fur non restituat, et postea res pereat in secundo communi periculo: *sed adhuc probabiliter Croix, n.* 218, *excusat furem a restitutione,* ait *S. Lig., n.* 620; quia non mora, sed periculum est efficax causa damni. Ast tenetur quidem restituere fructus ratione moræ, quos dominus esset percepturus. *Croix., S. Ligor., l. c.*

III. Si dominus consumpturus esset rem tempore minoris pretii, fur vero consumpsit, vel alienat tempore incrementi, verius tenetur restituere juxta valorem temporis incrementi; cum res domino suo crescat ac fructificet: fructus ille non est industriæ, sed rei; unde, deductis expensis, totus domino debetur. *Ita Lugo, n.* 126, *Salm., n.* 59, *Silv., Gury, n.* 648, *S.* Lig.. *l.* 3, *n.* 621, *aliique,* contra *Mol., Vazq.,* Lay., Less., *et alii,* sustinentes non teneri nisi ad pretium vilius; quia restitutio non est facienda nisi juxta quantitatem damni domino illati; et aliunde incrementum tunc est fructus industriæ, quæ domino non debetur.

Si vero rem non alienat, et apud ipsum furem postea ad pristinum pretium decrescit, *penitus improbabile mihi videtur,* ait *D. Alph., n.* 621, quod restitui non teneatur res juxta incrementum habitum; culpabiliter etenim rem eo tunc non restituens, ut tenebatur, detentor injustus, juxta illum valorem intulit damnum. Ita *Antoine, Bill.*, et *alii,* contra *P. Conc., Lugo, n.* 132, *Croix, n.* 233, *Carriere, Reuter, n.* 330, *Gury, n.* 648, *aliosque:* horum ratio non contemptibilis est; nam fur ad majorem valorem non tenetur ratione rei acceptæ, neque ratione damni illati; siquidem dominum reponit in eodem statu, in quo versatus fuisset, si injuria non fuisset commissa. —In hac et similibus satis probabilibus sententiis non erit urgenda valoris compensatio, nisi ad minimum.—Hinc siquis occidat, vel consumat alienum agnum, qui nunc valet quinque denarios, sed postea valiturus erat decem; probabilius restituere tenetur tantum quinque; nisi dominus pretio illo emere non possit similem, vel quia pecunia caret, vel opportunitate; et dominus reservaturus eum esset ad tempus incremen-

ti; non enim ditescit ex re aliena, nec injuriam domino infert. Ita *Lugo, Croix, S. Lig., n.* 621, *Gury, n.* 648, contra *alios*, qui semper ad decem obligant. Tamen in foro externo quocumque modo et tempore res furtiva pereat, semper obligatus remanet malæ fidei possessor. Ita *jus romanum et hispanum.*

307. **Qui pauperem se fingens**, vel alium quam est, eleemosynam extorsit, restituere non tenetur, si illa parva fuit, qualis ostiatim mendicantibus datur. -Secus si fuit magna; nam subintelligitur conditio hæc: *si pauper es:* secundum *Mol.*, danti restituendum; secundum *Palaum*, vel danti, vel aliis pauperibus. Qui solum probitatem fingit, restituere non adigitur, ait *Gury, n.* 649; porro solam indigentiam sublevare intendit dator.—Hinc qui paupertatem simulando, pensiones solum pauperibus relictas obtinet, ut propriis parcat; vel qui nullum clericandi animum habet; vel ob pravos mores se indignum reddat tali statu; pensione tamen gaudeat clericis, vel scholaribus ad clericandum aperte relicta, ad restitutionem tenetur.—Secus si maturiore ætate, vel examine se vocatum non sentiat, et statim discedat; in bona enim erat fide; et ita præsumitur etiam de fundatoris intentione. *(Scavini, p.* 872).

---

# CAPUT III.

## De injusta damnificatione.

308. **Damnificator injustus** ille est, *qui alienum jus lædit, quin inde ditior evadat.*—Ut damnificator restituere teneatur, requiritur quod fuerit causa *culpabilis, injusta*, et *efficax* damni: 1.° *Culpabilis;* nam ubi deest culpa, locum non habet pœna; quæ extendi nequit ultra prævisam culpam simul ac damnum, saltem in confuso: sic qui projicit in mare alienam gemmam 10 æstimatam, si 100 valet, probabilius, et communius ad 10 tantum tenetur; nam onus restitutionis culpæ respondet. *(Scavini, p.* 874, *S. Lig., n.* 613).—2.° *Injusta;* restitutionis siquidem onus necessario supponit jus strictum alterius violatum, quod violari nequit, nisi per actionem injustam.—3.° *Efficax causa damni;* nempe, ut sive physice, sive moraliter illud determinet, vel in ipsum influat, ita ut exinde sequi censeatur.—Hoc autem fit cum ponitur actio, quæ ex propria vi, et ex natura sua, vel ex circumstantiis cum damno connexionem habet, saltem probabilem. Unde ad restitutionis onus non sufficit causa occasionalis, vel accidentalis damni, ita ut in se spectata, attentisve circumstantiis, connexionem non habeat cum eventu; v. g. si gladium Cajo tradas, absque abusus prævisione, et ille fratrem cum eo gladio occidat, reus non eris damni. Idem dic de solo pravo exemplo.

309. **Culpa distinguitur** in *theologicam*, et *juridicam:* 1.ª est ea, quæ *offensam Dei mortalem aut venialem includit;*—2.ª vero est *omissio diligentiæ jure debitæ, ex qua damnum alteri provenit, sive formale sit peccatum, sive non.*

**Culpa juridica triplex distinguitur**, scilicet, *lata*, *levis*, et *levissima.* 1.ª est *actio mala*, vel *omissio diligentiæ, quam adhibere solent homi-*

*nes prudentes ejusdem conditionis in similibus negotiis;* v. g. si quis vestem sibi commodatam absque ulla custodia relinquat ante domus suæ ostium;—2.ª est *actio*, vel *omissio diligentiæ, quam adhibere solent prudentiores homines ac diligentiores;* uti siquis dictam vestem domi quidem reponat, sed ostium cum clave minime claudat;—3.ª vero est *actio*, vel *omissio diligentiæ, quæ adhiberi solet a diligentissimis;* v. g. si quis vestem domi reponat ac ostium claudat, sed manu non probat, an clausum bene sit necne. *S. Lig., n.* 549 *et* 749.

Q. *Quænam culpa restitutionis onus inducit?*

R. I. Ex se oritur tantum ex culpa *lata* conjuncta cum culpa *theologica;* nam dari nequit restituendi obligatio in foro conscientiæ, nisi in eodem foro injuria committatur; secus etiam amentes de damnis tenerentur, quod absurdum est: in tali foro injuria non committitur nisi adsit voluntas injuste nocendi, saltem indirecta, seu in confuso prævisa; ergo... (*Gury, n.* 659, *S. Ligor., n.* 551).

II. *Per accidens* datur etiam obligatio restituendi in conscientia ex culpa *juridica* sive *levi*, sive *levissima;* nempe: 1.º Si quis se expresse obligare ita voluerit; aut si officium de se illam magnam diligentiam exigat; sed semper intelligitur, quod culpa juridica conjuncta sit cum gravi peccato, ut graviter obliget. *S. Ligor., n.* 555.—2.º Post judicis sententiam; nam tali justæ sententiæ est obediendum; pro bono communi equidem fertur; utpote quæ tendit ad homines cautiores reddendos, ad privatorum securitatem, atque status pacem servandam, et ante eventum omnibus æque favet. (*Billuart, Gury, S. Lig., n.* 554, *cum communi).* Excipe, si lex in falsa nitatur præsumptione; nam lex culpam juridicam præsumit, licet in foro interno culpa careat actus; si ergo factum ipsum desit, judicis sententia in falsa fundatur præsumptione; injusta ergo evadit, nec obligationem inducit.

—Hinc si aperuisti foveam, v. g. ad feram capiendam, et inculpabiliter es oblitus, quod periclitari ibi poterat homo; vel communem adhibuisti diligentiam, ne periclitaretur, tamen non diligentiorem, et diligentissimam, si labatur homo in foveam, nec graviter peccasti, nec ad restitutionem teneris; nam etsi reus sis de culpa juridica, non es tamen de culpa theologica. Nihilominus si accedat judicis sententia, restituere teneris ratione obedientiæ.—Si autem homo ille revera non fuerit lapsus; vel fovea non aperta, sed clausa, neque post judicis sententiam *ex se* restituere teneris; adest siquidem falsa facti præsumptio; et lex injusta non obligat.

310. Q. *An obligatio restitutionis culpæ proportionata esse debeat?*

R. Affirma, *per se;* tale quippe onus non oritur immediate a damno illato, sed a damno præviso, et volito; unde, juxta culpam ac damnum volitum secutum, esse debet onus restitutionis; nempe, qui graviter reus est damni gravis, ad restitutionem tenetur sub gravi; qui vero reus est damni levis, sub levi. *S. Lig., n.* 552.—Diximus *per se;* nam *per accidens* ex culpa levi sive in se, sive ob imperfectionem actus oriri potest grave restitutionis onus: 1.º si quis ita se obligaverit ex contractu;—2.º ob furta, vel damna parva, quæ coalescunt; tunc completa materia gravi oritur gravis obligatio restitutionis, etsi ultimum furtum, ad furta præterita non advertens, patraverit. (V. n. 286).

311. **Resolves.** I. *Nulla adest restitutionis obligatio ex levi culpa theologica ob actus imperfectionem in gravi damno:* non sub gravi; nam

tale onus proportionem non habet cum levi culpa: neque sub levi; obligatio nimirum levis proportione caret cum materia gravi, in qua culpa est commissa. Aliunde venialis culpa ex imperfectione deliberationis non est simpliciter injuria, sed fragilitatis effectus, facillime cuique occurrens: ergo fortuito casui est accensendus quoad onus restitutionis: secus latissima aperiretur via scrupulis, et angoribus. Ita probabilius, et communius Less., *Lugo, n.* 58 *et* 60, *Gury, n.* 665, *S.* Lig. *n.* 552 contra *Vazq. et Turr.* ad totum damnum obligantes, et adversus *Lay., Mol., et alios* obligare contendentes pro culpæ rata. Exemplum habetur in voto: qui rem parvam cum perfecta deliberatione vovet, sub levi quidem adimplere tenetur: qui vero rem magnam, sed absque plena advertentia, ad nihil obstringitur; quia non datur plena voluntas ad illam obligationem. *Lugo.*

II. *In contractibus, et officiis gravis item requiritur theologica culpa ad urgendam restitutionem,* si aliter non sit expresse conventum; æquum profecto non est ad gravem pœnam adstringere absque gravi culpa sine pacto. Et cum sæpe sapientissimis, et accuratissimis, v. gr. advocatis, medicis, confessariis, contrahentibus ob naturalem inadvertentiam contingat aliis damnum afferre, ratione inconsultæ solutionis, si ideo restituere devincirentur, a publicis officiis optimi arcerentur, ac discoli societatem pro lubitu vexarent; proinde talis obligatio etiam bono publico officeret. *Gury, n.* 661 *et* 662, *Scavini, n.* 598, S. *Lig. n.* 554, *Lugo, n.* 106, *et communiter* contra *alios.* Unde argumenta in contrarium adducta, vel supponunt culpam theologicam, vel ad forum externum referuntur, aut post judicis sententiam, vel ob specialem contractum sunt intelligenda: quocirca in praxi restitutio non est urgenda.

III. *Culpa gravis, sed non in ordine ad illatum damnum,* nunquam a lethali peccato excusat, neque a restitutionis onere, *si de furto* sermo sit; cum in hoc non præcipue attendatur persona, quæ læditur, sed res furtiva, cujuscumque sit. *S.* Lig., *n.* 629, *Sanch., n.* 157 contra *alios.*—Si vero *de simplici læsione* agatur, ubi unice attenditur persona, cui damnum inferre optatur, et ex invincibili errore alteri lædatur; v. gr. aliquis domum Titii incendit, vel ipsum occidit, incendere tantum volens domum Caji, aut hunc occidere, *plurimi cum Spor., Croix, n.* 200, *Lugo, n.* 75, S. *Lig., n.* 629 eum a restitutione excusant; nam actio erga illatum damnum non fuit formaliter injuriosa, et voluntaria, sed solum materialiter; atqui ad restitutionem opus omnino est, ut damnum sit prævisum atque voluntarium; iste unice lædere intendebat Cajum, non vero Titum; ergo formaliter neminem lædit; ergo restituere non tenetur. Affirmant alii cum *Sanch., Bon., Bus., Volger, n.* 202, *Gury et Ballerini, n.* 664; adsunt quippe eo in casu omnes requisitæ conditiones ad urgendam restitutionem; scilicet, *actio injusta, causa damni efficax, et culpa theologica* adversus læsum: rem porro talem omnino determinatam destruere intendebat occisor, apprime sciens alienam esse, eamque destruxit; onus ergo suscepit ipsam reparandi cujuscumque sit; nam quæstio hic non est de nomine, sed de re aliena culpabiliter læsa: quocirca error substantiam actus non afficit, sed quid mere accidentale. Attamen communiter dicunt hunc censuras incurrere, si occisus esset clericus, ob status læsionem. *S. Ligor., n.* 628 *et alii* contra *Dian., Suar., n.* 54, *aliosque.* Qui autem domum assecuratam incenderet, certo societati assecurationis totum

refundere deberet, quod illa domino solvit; imo et alia damna ipsi domino exinde ab incendiario illata.

IV. *Reparare non adstringitur damnum per accidens illatum,* qui, vacans operi licito aut illicito, alteri intulit, cum ne in confuso quidem fuerit prævisum. Secus si connexionem, et proximum periculum præcognitum alterius damni includat actio illa. *Lugo, n.* 72, *et* 82, *Gury, n.* 663. (V. T. I, n. 869.)—*Item restituere obstringitur qui inculpabiliter damni causam posuit* (v. gr. domum, aut silvam alienam incendit, venenum pro medicina præbuit, ex errore aliquid infamatorium in alterum sparsit), si postea illud non impedierit, cum cognoverit, ac impedire potuerit; quisque enim ex justitia impedire tenetur, ne actio sua alteri noceat; ergo etiam impedire devincitur, cum possit absque magno incommodo, ne malum ex sua actione perseveret; alias ex illo tunc culpabilis fit, et ad reparationem omnium damnorum sequentium adstringitur. Secus, si quum advertit, damnum jam sit consummatum. *Gury, n.* 662, *Scavini, p.* 878, *S. Lig., n.* 564, *cum communi.*

V. *Item restituere devincitur qui damni causam libere posuit, licet ante illius consummationem se retractaverit,* saltem si damnum illud determinatum fuerit, ac in specie præcognitum; sane qui talem posuit damni causam, semper pergit efficaciter in illud influere. Ita fere *omnes cum Baller., Gury, S. Lig.*

312. **Impedire alium a consecutione alicujus boni.** I. Qui voluntarie et efficaciter, sive vi, sive precibus, sive consilio alium impedivit a consecutione alicujus boni *ex justitia ipsi debiti*, ad restitutionem tenetur, utpote causa injusta, et efficax damni. Hinc qui servo suadet, ne laboret in domini damnum; vel qui consilio impedivit, ne electus et confirmatus ad beneficium illius possessionem adipiscatur, ad restitutionem tenetur erga damnificatos.—Idem dic de eo, qui alium impedit a damno illato compensando; suasor restituere tenetur, fure, vel damificante non restituente. *S. Ligor., n.* 584, *cum communi.*

II. Si vero alium impedivit a bono *ex justitia ei non debito* per vim, dolum, fraudem, calumniam, aliosve similes modos injustos, ac impellentes, ei compensare damnum tenetur, juxta probabilitatem, vel certitudinem illud adipiscendi; licet enim iste non habeat jus strictum ad rem, illud utique habet, ne dolo, ac inique ab ipsa impediatur. Hinc qui vi, fraude, detractione alium a testamento, vel legato condendo, aut conditum mutare impedivit, omnia damna, quæ patiuntur hæredes, vel alii, compensare adigitur, utpote causa efficax eorum damnorum.—(*Reuter, n.* 320, *Gury, S. Lig., n.* 587, *cum communi).* Excipe si persona illa esset indigna, et bonum illud sine injustitia consequi non posset; sane tunc impediens nullum violavit jus; et ad famæ restitutionem solum teneretur, si eam læsisset. *(Scavini, S. Lig., ibid.)*

III. Si denique alium impedivit a *tali bono non debito*, etsi per testamentum, vel legatum in sui favorem jam conditum assignato, scilicet, curando ut donator, vel testator voluntatem, aut testamentum revocet in alterius favorem, seclusis dolo, fraude, vi et metu, sed tantum precibus et consilio utendo, licet id egerit ex odio, aut vindicta, ad restitutionem non tenetur; nullum quippe jus strictum alterius violatur, nec in se, nec in mediis; ergo non fuit injusta simul et efficax damni causa externa; nam intentio mala sine opere externo vere et positive in damnum influente, *non te onere*

*restitutionis gravat* juxta *Sotum*, verba *Angelici* explicantem.—Ita *probabilius et communius, Scavini, p.* 877, *Gury, n.* 671-672, *S. Ligor., n.* 572 *et* 585. Qui vero dignum a consecutione boni, vel beneficii impedit, ex justitia ei minime debiti, ut digniori conferatur, bonum opus operatur. (*Scavini*).

IV. *Qui pravo suo exemplo alios ad inferendum damnum induxit,* licet hoc præviderit, probabilius restituere illud non tenetur; cum in id positive, et efficaciter non influxerit, sed mere permiserit: sua ergo cupidine alter determinatur. *Lugo, Gury, n.* 667, S. *Lig., n.* 537 *et alii* contra *Billuart, aliosque* in prævisione contagionis efficacem damni causam videntes. Idem dicunt de imputatione damni, ut si furatus fueris, et furtum alteri imputetur, eadem ratione. *S. Lig., n.* 635.—Imo probabiliter ad nihil teneris, etsi de industria egeris, ut actio tua illi imputetur, dummodo mediis non utaris directe in alterius imputationem influentibus; v. g. si vestibus ejus te induas ad perpetrandum homicidium, ac eas sanguine fœdas, vel si eum illius damni calumnieris; alias aderit quidem mala intentio, quæ actionis naturam non mutat, neque efficaciter in damnum influit, sed per accidens. Ita *Less., Gury, S. Ligor., n.* 636, *et alii* contra *alios*.

V. *Iniquus officiorum distributor erga societatem* tenetur de damnis exinde provenientibus, si indignos eligat; adest enim quasi contractus inter societatem et electores, quo isti ad eligendos dignos adstringuntur; ideo honorem, ac stipendium accipiunt. *Gury, n.* 670, *S. Lig., Hom. Ap., t.* 13, *n.* 39. (V. n. 2, et t. I, n. 771).

313. Q. *An dominus reparare teneatur damna a suis bestiis proximo illata?*

R. Affirma, si ex culpabili incuria damnificaverint; quisque enim ex jure naturali præcavere devincitur, ne ex actibus, vel animalibus suis alteri detrimentum obveniat; et juris alieni violatio eodem modo adest tam si exinde ditescat quam non. Seclusa culpa theologica non tenetur ante judicis sententiam. En España cuando una bestia ha ocasionado algun daño por vicio ú otra causa que no provenga de su ferocidad natural ó de instigacion, el dueño de la misma está obligado á indemnizar el daño, ó á entregarla viva al perjudicado. *L.* 22 *y* 24, *tit.* 15, *p.* 7.ª Si el daño es causado por culpa ó intencion dolosa, será el dueño responsable sin poderse librar con la entrega del animal. *L.* 22, 23 *y* 24. —Cuando fuere por excitacion de otra bestia, el dueño de esta está sujeto á la responsabilidad.—Si riñendo dos animales muere el agresor, nada puede reclamarse; pero si en caso de morir el acometido.—No hay responsabilidad por el daño ocasionado por un animal salvaje escapado de su dueño; pero el que mata al animal, lo hace suyo.—Tampoco está prohibido montar á caballo, y si la caballería se escapa desbocada y atropella á una persona en una curva, se toma por accidente ajeno á la voluntad del dueño. *S.* 9 *julio de* 1874.—Está sujeto á la responsabilidad el últimamente dueño, aunque el daño hubiera sido causado estando el animal en poder de otra persona.—Los daños causados por los animales feroces, por no tenerlos debidamente guardados, deben ser indemnizados por el dueño. La indemnizacion debe estimarse segun el perjuicio real, gastos de curacion y jornales perdidos. *L.* 3, *D. si quadr. paup.*

314. Q. *Utrum ad restitutionem teneatur qui dubitat, an causa damni ipse fuerit?*

R. 1.º Si dubitet, an actio sit posita, vel an damnum evenerit, non est urgenda restitutio; quia *factum non præsumitur, sed probari debet:*

et factum incertum producere nequit onus certum. Ita *probabilius S. Lig., n.* 562.—2.° Si factum et damnum sint certa, sed de influxu in id dubitetur inter plures, quisnam fuerit damnificator, qui eodem modo actionem damnificam posuerunt, certo ad restitutionem tenentur, si ex condicto egerint.—In aliis quibusvis casibus alii valde probabiliter item affirmant; cum enim actio posita sit apta ad damnum sequutum, ex ea præsumitur esse sequutum. Ita *S. Lig., n.* 562, *Ron.*, Lugo, *n.* 21, *aliique plurimi.*—*Alii* satis probabiliter negant; nam influxus non præsumitur, nisi probetur; cum non semper causa in damnum influat. (Ita L*ess.*, *Salm.*, *Scavini, n.* 608, *S.* L*ig.*, *ibid.*, *aliique*).

315. Q. *Adigiturne quis in periculo constitutus rem alienam suæ præferre, ita ut aliter de damnis teneatur?*

R. 1.° Si contractus, ob quem habet alienam rem, in sui utilitatem solum cedit, rem illam suæ præferre tenetur, quin compensationem petere queat, dummodo sua pretiosior non sit; quo in casu suam præferre quidem valet, domino compensato ab ipso.—2.° Si in alterius utilitatem solummodo cedit, non adstringitur rem alienam suæ præferre, si illa pretiosior sua non sit; æquum enim non est, ut in alterius utilitate servanda damnum sentiat.—3.° Si vero res aliena pretiosior sit, tunc eam præferre tenetur; quia illi prudentem debet custodiam; at compensationem totius damni sibi illati in ea servanda exigere potest; nam servare ipsam non devincitur cum suo damno. (*S.* L*ig.*, *n.* 752, *cum communi*).

---

# CAPUT IV.

## De injusta cooperatione.

316. **Cooperator** hic ille dicitur, *qui mediate, indirecte,* et *per alios damnum proximo infert.*—Hic cooperator peccat, et ad restitutionem tenetur. *Digni sunt morte:... non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* (Rom. I). Unde Greg. IX scribit: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet.* (Decr. Gr. l. V, t. XXXVI, c. ult. de Injur.)

Dupliciter potest quis in alterius damnum cooperari, *positive* scilicet, et *negative.* 1.° *Cum quis physice, vel moraliter in proximi damnum influit.*—*Physice,* nempe in quavis actione damnifica active participando. *Moraliter,* scilicet, damnum inferendum suadendo, dirigendo, ad illud inducendo; v. gr. ad viatorem spoliandum.—Ut causa positiva de damno teneatur, requiritur, ut sit causa *injusta*, *efficax*, et *theologice culpabilis*, ut supra.

2.° *Cum quis alterius damnum non impedit, cum possit, ac illud impedire debeat.*—De jure naturali, vel ex charitate nulla causa negativa ad restitutionem tenetur; non interjacet quippe justitiæ violatio: sed de damno tenetur omnis causa negativa ratione contractus, vel quasi-contractus, si proximi personam, aut bona sibi commissa non tuetur, cum possit, contraria ratione. (V. t. I, n. 10 et 540).

317. Novem modis in alterius damnum cooperari possunt causæ tum *positivæ*, tum *negativæ*, hisce versiculis ab *Angelico* enumeratis, quorum sex primi sunt *positivi*, tres autem postremi *negativi:*

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

318. Mandans: I. Dicitur ille, *qui alterum inducit suo nomine ad damnum proximo inferendum.*—Duplici modo inducere potest: *expresse*, nempe, vel *tacite;* prout fiat *verbo, scripto*, vel *nuntio;* aut *nutu, signo*, vel *alio facto;* uti si dominus servo suo, vel pater filio significet gratam sibi fore certæ personæ occisionem; aut cum eodem conqueratur, quod nemo injuriam sibi factam ulciscatur. Sic refert historia contigisse mortem S. Thomæ Cant. ab Henrico II, Angliæ rege, qui cum suis sæpe conquerebatur, se cum uno regni sui sacerdote pacem habere non posse. *S. Lig.*, *n.* 558.—Idem dic, si quis sit paratus tuo nomine damnum inferre, et tu facile resistere valens, non impedis; nam censeris tacite mandare. *(Scavini).*

II. *Ille qui jubet, est principaliter movens; unde ipse principaliter tenetur ad restituendum* (ait *Angelicus*, 2. 2, *Q.* 62, *a.* 7) omne damnum imperatum, et ex vi mandati illatum; modo fuerit prævisum, saltem in confuso, aut culpabiliter ignoratum; aut si actio de se periculosa sit; quippe tunc efficaciter ac primario influit. *(Scavini, n.* 611). Hinc Bonifacius VIII: *Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat; cum, mandando, in culpa fuerit; et hoc evenire posse debuerit cogitare.* (Sext. Decr., l. V, t. IV, de hom. c. ult.)—Non requiritur ut jubens superior sit, vel auctoritative mandet; nam hic sufficit, ut sit prima causa damnum committens: unde sicarii ad alium occidendum conducti a quocumque scelesto homine, hoc etiam mandante agere intelliguntur. *(Ballerini, n.* 673).

III. *Mandans non tenetur de damnis, quæ mandatarius ipse, mandato obtemperans, passus sit;* si libere, vel mercede conductus mandati executionem suscepit; tunc enim pericula omnia in se suscepisse censetur. Secus vero si vi, vel metu gravi (ut in inferioribus evenire solet), coactus illam accepit, v. gr., si in facinore sic mandato deprehendatur servus, et ad mulctam et triremes damnetur; tunc mandans non solum damna facta a mandatario resarcire debet, sed etiam quæ passus est ipse mandatarius, et ejus familia. (Ita *Roncagl.*, *Scavini*, *p.* 886, *Gury*, *n.* 679). Excipe: 1.° Damna casualia; uti si servus in via fulmine percutiatur, vel equo delapsus intereat; nam hæc non erant prævisa:—2.° Damnum, quod executor ex errore invincibili alteri intulit; vel si in mandatarii potestate fuit limites mandati servare; porro tunc damni causa est error mandatarii, et sic damnum est casuale: nec tunc *mandans irregularitatem incurrit, ut declaravit S. C. C.* (ait *Scavini).* Ita probabilius *Lyonnet, Volger, n.* 270, *Gury, n.* 674, *aliique.*—Secus si nimis difficile fuerit errorem cavere; nam tunc mandanti imputari debet. *(Ballerini).*

IV. *Mandans revocans mandatum antequam damnum sequatur, restituere non tenetur*, si revocatio mandatario innotuit ante mandati executionem; siquidem non amplius mandantem jam repræsentat, aut ejus nomine operatur.—Secus vero, si nullatenus, aut tardius inno-

tescat; etsi ex culpa, vel oblivione nuntii; vel quia non audivit, aut bene intellexit retractationem, vel alia de causa evenerit; cum in hoc casu semper nomine mandantis damnum sequatur. *(Lugo, Scavini, Gury, n. 674, cum aliis pluribus).*

319. **Consulens.** I. Ille est *qui consiliis, precibus, blanditiis alium movet ad damnum proximo inferendum, in commodum agentis.*

*Consulens* ergo contra justitiam peccat, atque de damnis tenetur, quoties sciens, et volens iniquum præbet consilium, quo alter efficaciter ad damnum injuste inferendum inducatur; nam est prima, ac efficax causa damni. Constat ex jure canonico, *Cap. si quis viduam*, etc.; et ex prop. 39 ab Innoc. XI damnata, quæ sic jacet: *Qui alium movet... ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

II. Item qui injustum consilium ex malitia, vel ignorantia gravi, vel crassa dedit ratione status, professionis, vel muneris, totum damnum ex tali consilio secutum reparare adstringitur; uti contingere poterit parochis, confessariis, advocatis, et similibus alios devincientibus, vel non ad restitutionem contra justitiam. *S. Ligor., n.* 564.—Quod etiam valet de illis, qui licet ex officio consilium dare non teneantur, se tamen pro idoneis consiliariis jactitant, et in re peritos. Isti jam peccant ex eo quod inepti hoc officium suscipiunt, uti etiam confessarii imperiti.

III. Qui autem nec consiliarii sunt ratione status, nec peritiam jactant, ut rusticani, mulieres, et alii, quorum ineptitudo omnibus nota est, de damnosis consiliis ob suam ignorantiam datis non tenentur erga petentes; quia potius ipsorum imprudentiæ sunt imputanda: sed obstringuntur erga alterum inde damnum patientem, si propriam imperitiam noverint consulentes, damnumque saltem in confuso præviderint; cum sint illius damni causa injusta, proxima, et efficax. Item in omni casu si una cum consilio adsit dolus. *S. Lig., n.* 564, *cum communi.* (V. n. 92).

IV. Si consulens non absolute loquitur, sed ostendit, vel *dubitare*, aut *nescire*, vel simpliciter dicat *ita sibi videri*, aut *ita se credere*, de damnis non tenetur; agenti siquidem totum esset imputandum, damni periculo se ultro exponenti.

320. **Resolves.** I. *Consulens ad restitutionem non tenetur, cum sine suo consilio alter damnum certo intulisset;* vel quia jam erat determinatus, vel quia etiam opera consulentis motus non fuit ad damnum inferendum; tunc enim consulens non est causa efficax damni. — Secus vero si et alterius consilio motus sit; nam et ipse consulens est vera injusta et efficax causa damni; sicut currus, licet uno equo trahi possit, si duo uniantur, duobus trahi equis dicendus est. *S. Ligor., n.* 561 *et* 562.

Item *si quis sit certo determinatus ad damnum proximo inferendum, et alius tantum locum, tempus, medium, et modum ei suadeat,* probabilius ad nihil hic tenetur, modo omnino certum sit, quod alter pravum animum non sit mutaturus; etenim modus hic est quid accidentale, cum adsit jam vera damni determinatio: aliunde influxus consulentis saltem manet incertus, et possessio stat pro determinatione executoris. Secus si modus aliquatenus in substantiam redundet. *(Ita Lugo, Scavini, Gury, n.* 678, S. *Ligor., n.* 576 *et* 963). Et sic etiam probabilissime excusant a restitutione eum, qui materialiter ad damnum domini cooperatur, quando alter sine sua cooperatione adhuc certe damnum intulisset; v. gr. si

quis tenet scalam ei, qui etiam ascenderet sine suo auxilio. Ita S. *Lig.*, *n.* 563 *cum* Lay., *Silv.*, S. *Anton.*, *aliisque.*

II. *Ad nihil tenetur qui minus malum consulit*, si agatur de eadem persona, et nulla alia ratione posset quis retrahi a majori illo peccato committendo; v. gr. volenti occidere aliquem suadere, ut solum eum percutiat; siquidem consulere minus malum in hoc casu necdum nocet, sed potius utrisque favet. *(Ita Vazquez, n.* 14, *Gury, Ballerini, n.* 677, S. *Ligor.*, *n.* 565, *et* 577 *cum communi*). Secus autem si agatur de alia persona, de qua damnificator non cogitabat; nam hæc rationabiliter invita merito censetur, nisi ratione charitatis, aut boni communis hoc pati debeat. S. *Lig.*, *ibid.*

III. *Si consulens revocaverit consilium, et damnum adhuc sequatur*, ad restitutionem tenetur, casu quo revocatio damnificatori non innotuerit tempore habili, quacumque ex causa; nam damnificator semper virtute consilii agit, idemque est ac si talis revocatio non evenisset. — Secus, saltem satis probabiliter in praxi, si revocatio damnificatori bene innotuerit, casu quo consulens omni meliori modo curaverit damnum dissuadere, maxime rationes fidei, et salutis æternæ adducendo, quibus, si alter nihil deferat, in se totam damni causam retorquet; quia tunc agens non amplius consulentis impulsu progreditur ad malum, sed propria malitia ductus. Ita *Salm.*, *n.* 117, S. *Antonin.*, S. *Ligor.*, *n.* 559, *Ballerini, n.* 677, *aliique plurimi* contra *Less.*, *Lugo, multosque alios.*

321. **Consentiens:** I. Huc venit, *qui externa sua approbatione, calculo, vel suffragio alium efficaciter ad damnum inferendum movet.*— Duplici modo id fieri potest: consensu *efficaci*, nempe, vel *inefficaci;* prout malum proximo inferendum determinatur a suo consensu, vel non. —Qui suo consensu, aut suffragio concurrit ad legem, vel sententiam, aut actionem injustam, dicitur consentire consensu *efficaci*: — Qui vero videns malum proximo inferendum plaudet, gaudetque, *inefficaci.*

II. *Consentiens ad restitutionem tenetur*, et in solidum, quotiescumque scienter, et libere in damnum alterius consentit *consensu efficaci;* nam positive, injuste, ac efficaciter in illud influit; cum suum suffragium sit velut causa necessaria ad injustitiam struendam. Secus dic de *consensu inefficaci*, etsi ex odio in damnificatum præbeatur; nulla est enim effectiva influxio, sed solum affectiva. — Neque tenetur restituere qui suffragium, aut sententiam prius datam authentice revocat ante nequitiæ executionem.—Neque bona fide suffragans, licet, detecto errore, ex charitate, et justitia votum revocare teneatur, si tempus habile sit. *(Gury*, n. 681 ).

322. **Resolves.** I. *Ad restitutionem in solidum tenentur omnes, qui ad injustam actionem dant suum suffragium :* 1.° Si ex condicto consentientes egerint, cum omnium una sit moralis actio. — 2.° Si eodem tempore suffragium omnes tulerint; nam tunc nullus prior nec posterior est, et sententia inde sequens singulis merito tribuitur. — 3.° Qui primi dant suffragium, antequam numerus compleatur, licet prævideant non defuturos alios consentientes ad damnum inferendum, et consummandum sine illis; siquidem per illos, quantum in ipsis est, de facto infertur. (Ita *communiter Scavini, Lugo, n.* 17, *Gury, n.* 682, *S. Ligor.*, 566,579).

II. *Si vero suffragia jam irrevocabiliter votorum numerum expleverint*, ad nihil tenentur ultimi suffragantes; quia positive, efficaciterque in

damnum haud influunt, sed tantum affective. (Ita *plures cum Scavini, Lugo, n. 22, S. Ligor., n.* 574, contra *alios.)* Tamen confessarius in hac, et similibus controversiis onus restitutionis utpote incertum, pœnitenti imponere nequit. *(Ballerini, n.* 682).

III. *In dubio an quis dederit suffragium suum, cum cætera jam erant sufficientia*, sive secreto ferantur suffragia, sive non, *vera sententia*, ait S. Alphonsus, n. 566, *docet singulos teneri pro rata ad totum damnum reparandum, et non in solidum.* Ratio hujus est, quia in tali dubio, an quis illorum fuerit causa damni, nemo tenetur ad restitutionem certam.— *Ratio autem quod singuli teneantur pro rata est, quia quisque saltem suo suffragio deterioravit jus, quod damnificatus habebat ad exigendam restitutionem damni etiam ab aliis suffragium præbentibus.* Ita etiam *Lugo, n.* 22, *Spor., n.* 35, *Mol., n.* 6, contra *alios*, ex quibus *alii* in solidum obligant, *alii* ad nihil omnino, uti *Reb., Henr., Diana*, etc. (V. n. 463.)

*Obligationem restituendi non contrahit ille, qui non fert suffragium, cum ferre illud possit*, si jus ferendi suffragii cuipiam concessum sit in meram ipsius gratiam, vel ex privilegio, aut mero favore; quia nullam hic injuriam alteri infert. (*Ballerini*). Secus si ex officio dandum foret, et ipsius omissio causa injusta et efficax esset gravis damni, vel iniquæ electionis; uti siquis ex industria absque sufficienti ratione a senatu, vel Capitulo abesset, prævidens ex sui suffragii defectu damnum esse inferendum. *Scavini, p.* 890, *S. Lig., n.* 573, *Gury, n.* 683, *et Lugo, n.* 61, *cum communi.* Hoc sensu etiam intelligi videtur quod ait *P. Concina*, et sequitur *Scavini;* scilicet, *in solidum teneri ad restitutionem, qui post completum numerum suffragiorum dat suffragium ultimum pro sententia injusta, si prævideat alios suum revocaturos, quando ipse suffragium bonum præberet, vel cæteros ipse hortaretur.* (Recole dicta de pravo exemplo et causa negativa).

**Electio deputatorum.** I. In omni legitimo gubernio præceptum probos deputatos sive communales, sive politicos eligendi urget omnes electores; et ex se peccant non solum qui malis suffragium tribuunt, sed etiam qui non concurrendo in causa sunt, ut mali ab aliis eligantur: unusquisque enim tenetur sub gravi malum a republica avertere, cum spes sit. Quot mala ab improbis deputatis et municipiis tum religioni, tum civili societati obveniant, nemo ignorat. Unde non tantum eligere, sed eligi aliquando necesse est, si dotes habeantur ad hoc publicum munus aptæ, et spes sit; alias inanis erit opera nostra; quod prudentum est judicare. Expellatur ergo omnis socordia, admoneatur populus, ac præveniatur suo tempore præsertim quoad municipii electionem, a quo sæpius pendent cæteræ optimæ vel pessimæ electiones.—Hinc Episcopi provinciæ ecclesiasticæ Taurinensis clerum monent: *Ad electiones vero quod... attinet, quum omnium prorsus officiorum sacerdos sit commonstrator et vindex, nil certe vetat, imo necessarium est de hoc haud secus atque de aliis populum monere, eumque docere ad jus voti ferendi obligationem respondere, qua unusquisque non raro adstringi posset, proptereaque officio fallere qui absque legitima causa ad danda suffragia non convenerit.*—Et Episcopus Linciensis anno 1872 ait: Si catholici vivere debent constitutionali vita, uti debent Constitutionis jure, ut liberalismo opponantur, vim ejusdem frustrando atque Ecclesiæ libertatem salvando, nec non societatis ordinem. *Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 676.

II. In gubernio illegitimo ardua est quæstio, an liceat tuta conscientia concurrere ad deputatorum electiones, atque in legislatorum conventu sedere. Si affirmas, non sine gravi scandalo et legitimi principis potestatis usurpatione partim concurris ad invasionem consolidandam, firmandamque. Si negas, locum cedis pravis electoribus et electis, qui omnia, quæ sunt Ecclesiæ, legitimique principis vertunt, educationem, moralitatem, religionem, et omne publicum bonum ad interitum ducentes. Ideo ratio erit habenda locorum, temporum et circumstantiarum; aliquando erit licitum, aliquando non: in praxi id definiant prudentes. *Del Vecchio, l.* 4, *n.* 244. En autem decisio.

Quomodo sciscitanti, an oblatum deputati munus in nationali conventu (parlamento) excipi possit, respondendum sit? R. *Affirmative sub conditionibus:* 1.ª *ut deputati electi in emittendo juramento fidelitatis et obedientiæ a lege præscripto adjiciant limitationem:* salvis legibus divinis et ecclesiasticis:—2.ª *ut hujusmodi limitatio fiat, expresse in recitatione formulæ ipsius juramenti, audientibus saltem duobus testibus:*—3.ª *ut ipsi deputati electi animo comparati sint, et declarent se numquam legibus improbis et injustis favorem et suffragium esse laturos; imo hujusmodi leges quatenus proponantur, esse notorie reprobaturos.* Qua ratione se gerere possint Episcopi rogati, ut bonorum deputatorum electioni faveant? R. *Nihil obstare, quominus Episcopi et Ordinarii occasione electionum, quoties ad id requisiti fuerint, in mentem populi revocent quemque fidelium pro suis viribus teneri ad impedienda mala, et ad procuranda bona.* Ita S. Pœnitent., 1 dec. 1866.

Hodie tamen in Italia ex quo invasio R. Sedis consummata est, et juramentum illimitatum exigitur, res immutatæ sunt, neque recta intentio suffragatur; nam bonum ex integro. Unde Pius IX aperte declaravit die 18 jun. 1874: *Convenire ad urnas ad votum dandum pro electione eorum, qui sedeant deputati in legumlatorum conventu, minime potuerat esse ab Ipso probatum.*

323. **Palpo** dicitur qui *laude, adulatione, aut vituperio alium inducit ad damnum proximo inferendum.* Palpo habetur uti consulens; quocirca iisdem omnino obligationibus subjacet ac ille. Unde palpo, v. g., duellum laudando, patientiam irridendo, ignaviam increpando, homini injuria affecto ita hujus injuriæ magnitudinem repræsentando, ut ille commotus vindictam sumat, forsan magis quam consulens ad damnum incitat, et ad restitutionem tenetur damni sequuti, ac prævisi, etsi non intenti. (*Salm., n.* 128, *Gury, n.* 684).

324. **Ratihabitio** est *confirmare voluntate nostra damnum, quod nobis insciis actum est.* Cum hæc facinus jam commissum sequatur, in id influere nec positive, neque negative, et efficaciter valet. Quocirca ad restitutionem adigere nequit, nisi de præpositis agatur, qui ita ad damnum rebus, vel personis inferendum subditos suos, vel alios ipsis subditis, moverent et allicerent; vel siquis ad nova damna ita influat, vel causa sit, cur restitutio de patratis non fiat.

325. **Receptator** est *qui libere ac scienter alteri præbet securitatem, commoditatem, protectionemque ad damnum proximo inferendum, vel ne illatum compenset.* Unde receptator, nempe, qui fures, vel furta, vel instrumenta damni occultat, emit, defert; item caupones qui rapinas servorum, filiorumfamilias, vel aliorum emunt, de damnis inde illatis

tenentur; injuste quippe ac efficaciter cooperantur, seu determinant, aut firmiorem efficiunt furis voluntatem ad malum. – Secus vero 1.° si fures non recipiantur, qua fures, sed qua amici, propinqui, vel ratione officii, uti stabularii; – 2.° si eis ostendunt viam, qua fugere possint; vel domi recipiunt, ne capiantur, modo in damna futura non influat receptatio; nam tunc humanitatis officium præbetur, et non mala participatio. (*Gury, Scavini, S. Ligor., n.* 568).

326. **Participans** ille dicitur, *qui in præda, vel in ipsa actione damnifica socius fit quoad damnum proximo illatum.* —Est prædæ socius, *qui post furtum partem accipit de re furtiva.* —Est autem socius actionis damnificæ *qui in ipsam actionem alteri damnosam proxime concurrit, ac cooperatur*, v. gr. in ipso furto. Unde: 1.° Participans in præda ad partis restitutionem solum tenetur, quam accepit, uti possessor malæ fidei.— 2.° Participans vero in actione damnosa ad restitutionem tenetur pro modo concursus; in solidum, si ad totum damnum concurrerit, vel ad partem, ut infra n. 331.

327. Q. *An aliquando liceat cooperari proximi damno?*

R. I. Numquam licet immediate cooperari, nequedum cum propriæ vitæ periculo ad damnum vitæ, aut membrorum innocentis, nisi forsan ad mutilationem pro avertenda ipsius morte; quia nunquam licet innocentem directe interimere. (V. T. I, n. 868).

II. Quoad damnum in bonis fortunæ cooperari fas est ex gravi metu: 1.° Si damnum sit leve respectu proximi; v. gr. si furando parum de alieno, indemnem te serves in magno; nam ad leve alterius incommodum impediendum, non teneris grave subire; et dominus esset irrationabiliter invitus. –2.° Si cooperans possit, ac velit damnum reparare, quando forte ad id teneatur. Secus non licet, sed damnum potius subire debet.— 3.° Si grave damnum certo, æqualiterque ab alio agente illatum fuisset. *Laym., Mol., S. Anton., S. Lig., n.* 571, *Gury, n.* 687 *aliique.* - 4.° Si damnum times superioris ordinis quam bonorum, scilicet mortem, aut membri mutilationem, vel gravem infamiam; tunc equidem dominus esset irrationabiliter invitus. *Tour., S. Lig., n.* 571. Quocirca, secluso nocendi pravo fine, licet in hisce adjunctis excubias agere, scalas applicare, instrumenta parare, conficere litteras, in bello iniquo tormenta advehere, scalam tenere furi in domum ascendenti, tradere ipsi claves, sive instrumenta ad reserandam arcam, deferre prædam jam ablatam, et similia remote ad damnum concurrentia, ut tenent *Salm., n.* 129, *Spor., Holzm., Viva*, Less., *n.* 29 *et* 30, *aliique.*—Sic nonnulli cum *Varceno, p.* 379 docent, quod si quis tibi certam minetur mortem, nisi tu coopereris morti sui inimici, v. gr. ensem præbendo, amica voce vocando, ut aperiat, scalam sustinendo, etc., posse id permitti, et sic cooperari, cum res non sint instrinsece malæ; et aliunde certa sit mors tua, et alterius dubia.

Imo fas est eo in casu actiones proxime influentes ponere, uti fores effringere, domum incendere, claves falsas conficere, res furtivas per fenestram ejicere, pecora e stabulo abjicere, et similia; quia omnes præfatæ actiones tam primi quam secundi generis sunt revera indifferentes, cum juxta finem, quo fiunt, licitæ, vel illicitæ esse possint. Nec verum est quod formaliter cum ipsis concurratur ad peccatum furis; nam hoc verum esset, si positive in suam malam voluntatem influeretur; unde sola furis malitia præconcepta est quidem causa damni. Secus nec arcam

propriam confringere liceret, ut tradatur pecunia furi ad id cogenti. Ita *Tour.*, *Mol.*, *S. Thom.* 2. 2, *q.* 78, *art.* 4, *S. Lig.*, *n.* 571.

Ratio est, quia justa et proportionata adest cooperationis causa; nempe extrema necessitas, in qua omnia bona sunt communia: neque dominus est rationabiliter invitus; nam tunc ejus bona necessaria alteri evadunt ad se tuendum in superiori ordine. *Scavini*, *p.* 892. Quoad restitutionis onus dicimus cum *S. Ligor.*, quod si participans adjuvat furem ad inferendum damnum ob metum similis gravis damni in bonis propriis, ad restitutionem tenetur; quia nemo potest ad damnum alterius cooperari, ut proprium damnum bonorum vitet. Secus si is furem adjuvaret coactus metu mortis, vel gravis infamiæ; quia tunc iste non tenetur ad restitutionem neque ex re accepta, neque ex injusta actione; in nihilo enim ditior factus est, neque peccavit, ut jam probavimus.—Secus omnino dicendum censeo, ait *S. Lig.*, si quis cooperaretur ad confirmandam, aut augendam malam voluntatem furis, puta si furi terga servaret, vel si annuntiaret ei horam opportunam furando, et similia; vel si cooperationes illas præstaret occisuro, tradendo gladium, sive claves ad occidendum, et similia supra dicta ad hunc finem. Id tamen intelligitur, si ille posset negare suam cooperationem sine æquali periculo, vel æquali gravi damno. Ita *Salm.*, *n.* 204, *S. Lig.*, *n.* 571, *cum communi.* (V. t. I, n. 10 et 540).

328. **Cooperatores negativi** ii sunt, *qui proximi damnum non impediunt, cum ex contractu, officio, vel stipendio illud impedire teneantur,* qui dicuntur *mutus, non obstans, non manifestans. S. Lig.*, *n.* 573.

**Mutus** vocatur *qui ante factum tacet, non monet, cum ad damnum avertendum ex contractu, vel officio clamare, vel monere teneatur.*

**Non obstans** denominatur *qui dum damnum infertur, non obstat, cum ex justitia illud impedire adigatur.*

**Non manifestans** appellatur *qui post damnum non id denuntiat domino læso vel superiori, quando ex officio et justitia denuntiare debeat.*

Unde *mutus, non obstans, non manifestans contra justitiam peccant,* si ratione pacti, stipendii, vel officii, damnum illatum impedire tenentur; tunc sane jus strictum alterius violant, ad quod defendendum mercede conducti sunt.

Hinc peccant: 1.° Magistratus et belli duces, et ad restitutionem tenentur damnorum, quæ a latronibus, militibus, vel feris ob illorum culpabilem omissionem inferuntur.—2.° Item tutores, administratores bonorum, etc., damna pupillis, minoribus, vel ecclesiis provenientia non impedientes.—3.° Consiliarii, vel canonici iniquæ electioni, vel constitutioni non obstantes, vel se absentantes. (V. n. 332).—4.° Item famuli et similes locati ad bona dominorum custodienda, saltem si damna ab extraneis, vel circa res ipsis specialiter commissas non impediant. (V. t. I, n. 857).—5.° Item principes, si sciant vias publicas sui territorii prædonibus infestari, et cum possint non impediant, compensare tenentur damna viatoribus ab illis accepta.—6.° Item custodes montium, silvarum, agrorum, qui damna non impediunt, vel facta non manifestant. *Mol.*, *S. Ligor.*, *n.* 573. Excipe levia damna, vel a pueris facta, pro quibus sufficit, saltem pro una vel altera vice monitio, uti rationabiliter de voluntate dominorum præsumi potest.

**Resolves.** I. Custodes et fiscales legis, transgressores non denuntiantes, de vectigalium damnis tenentur, ast minime ad mulctas solvendas,

facta denuntiatione; nam lex pœnalis fiscum mulctis ditare non intendit, sed indemnem eum servare, ac transgressores punire: aliunde mulctæ non debentur nisi post judicis sententiam. Unde a restitutione eum excusant, qui ante sententiam impedit ne mulctæ fisco applicentur, et judicem mulctam punitoriam non exigentem, cui praxis et communis sensus concordat, ut ait *Gury, n.* 693. Ita probabilius et communius *Lugo, Less., Scavini, p.* 893. Attamen si penes judicem facta fuerit rei denuntiatio, ille ratione officii sui ad puniendum, et ad damni illati reparationem curandam obstringitur. *S. Lig., Hom., Ap., t.* 13, *n.* 73.

II. Qui pecuniam a fure accipit, ut taceat, probabilius restituere non tenetur; cum alias ex justitia clamare non adigatur, vel nisi pecuniam accipiat, ut vigilet, num quis veniat; tunc enim tacendo, aut vigilando positive furto cooperaretur. *Gury, n.* 693.

329. *Superior reparare tenetur damnum a suis subditis illatum;* quoad forum externum ex jure romano ac hispano; nisi parentes, præceptores, aut artifices planum faciant, non fuisse in sua potestate illud impedire factum, de quo alioquin pro conditione sua respondere tenentur. Quod speciatim ad parentes attinet, præter ea quæ generatim statuuntur, triplex casus in jure notatur, in quo illos hoc onus premit; scilicet: 1.º quando filius parentibus quidquam boni gesserit; — 2.º quoties gestum a filio negotium in eorum commodum cesserit; — 3.º cum filius non caret peculio adventitio, cujus ipsi usumfructum percipiunt. Idem dic, defuncto patre, de matre relative ad filios minores cum ipsa habitantes; — item de hero, vel alio superiore relative ad famulos; — item de artifice, et institutore circa alumnos. Tamen datur superiori recursus in damnificantem ad compensationem.

Item quoad forum internum, si patris, mariti, ducis, vel superioris, silentium positivo impulsui æquivalet. Sic ad damna tenentur domini non impedientes famulos damnificantes in confidentiam ipsorum. *S. Ligor., n.* 568, *Salm., n.* 125.—Sed non tenentur absque culpa theologica; nec probabiliter, si in damnum non influxerit suum silentium, licet graviter contra legalem justitiam peccent, modo ex justitia non sibi assumant damna aliorum, sive subditorum, sive non, impedienda, uti duces; nam qualitas superioris *per se* non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, uti est pater erga filios suos, nisi de speciali officio publico ea impedire debeat. (*Lugo, Gousset, Gury, Ballerini, n.* 692).

En España además: 1.º Los maestros de primera educacion y los artesanos que reciben en su casa discipulos pensionistas, aprendices ú otras personas para enseñarles alguna ciencia ó arte, son responsables de los hechos de estos. — Los daños que á consecuencia de su naturaleza ocasionaren los animales por omision de sus propietarios deben ser indemnizados por estos, y si por negligencia ó ignorancia de los conductores, como cocheros, carreteros, pastores, estos quedan obligados. Así contrae dicha responsabilidad el dueño del ganado que apacentare en terreno en que no tiene derecho para verificarlo.

2.º El propietario ó inquilino de una habitacion que tuviese arrendado algun cuarto de la misma y que haya admitido huéspedes, es responsable de los hechos de estos. Si apareciese el causante, podrá el perjudicado dirigirse contra el mismo ó contra el que tiene toda la habitacion, pero este tendrá accion contra el primero en caso de ser reconvenido.

3.º Todo jefe de familia es responsable de los daños ocasionados por lo arrojado ó derramado desde la casa que habite á la calle ó lugar en que puede causar daño.

Si son varias las familias que ocupan la habitacion, y no se puede saber el autor, todos los jefes de aquella serán responsables solidariamente por lo hecho.

4.° El que resultare perjudicado por las cosas que hubiesen caido de alguna habitacion, debe ser indemnizado del daño sufrido. (*L.* 1, 5, 6, 10, 25, 39 y *Ley* 24, 25, *tít.* 15, *part.* 7.ª, etc.)

En el *Cód. penal reform. en* 30 *junio de* 1850 se declara lo siguiente: *Art.* 11. Son responsables criminalmente de los delitos y faltas: 1.° los autores;—2.° los cómplices;—3.° los encubridores.

*Art.* 12. Se consideran como autores: 1.° los que inmediatamente toman parte en la ejecucion del hecho;—2.° los que fuerzan ó inducen directamente á otros á ejecutarlo;—3.° los que cooperen á la ejecucion del hecho por un acto sin el cual no se hubiera efectuado.

*Art.* 13. Son cómplices los que, no hallándose comprendidos en el artículo anterior, cooperen á la ejecucion del hecho por actos anteriores ó simultáneos.

*Art.* 14. Son encubridores los que con conocimiento de la perpetracion del delito, sin haber tenido participacion en él como autores ni como cómplices, intervienen con posterioridad á su ejecucion de alguno de los modos siguientes: 1.° Aprovechándose por sí mismos ó auxiliando á los delincuentes para que se aprovechen de los efectos del delito.—2.° Ocultando ó inutilizando el cuerpo, los efectos ó instrumentos del delito para encubrir su descubrimiento.—3.° Albergando, ocultando ó proporcionando la fuga al culpable, siempre que concurra alguna de las circunstancias siguientes: 1.ª La de intervenir abuso de funciones públicas de parte del encubridor.—2.ª La de ser el delincuente reo de regicidio, de parricidio ó de homicidio cometido con alguna de las circunstancias designadas en el número 1.° del art. 33, ó reo conocidamente habitual de otro delito. Están exentos de las penas impuestas á los encubridores los que lo sean de ascendientes, descendientes, cónyuges, hermanos ó afines en los mismos grados, con solo la excepcion de los que se hallan comprendidos en el número 1.° de este artículo.

Sic fere etiam ex jure romano. Tamen ut ante sententiam ad restitutionem quis teneatur, requiritur culpa theologica, ut supra; unde ait Augustinus: *Neque enim reus est christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo, aliquem occidat; aut ideo non debent christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis?* (Ep. 47, alias 154).—Cæterum ut *negative* cooperans ad restitutionem teneatur, requiritur, ut sine gravi incommodo damnum impedire potuerit; quia nec lex positiva, nec contractus cum gravi onere obligare solet. (*Gury, n.* 690, *S. Ligor, n.* 573).

---

# CAPUT VII.

## De ordine restitutionis inter cooperatores.

330. I. Restituere debet possessor; nempe qui rem in specie habet, vel in æquivalenti; vel qui eam injuste consumpsit; nam recte pro *possessore habetur qui dolo possidere desiit;* et res semper clamat ad dominum. (*Gury, n.* 702, *Scavini, p.* 897, *S. Lig., n.* 580).

II. *Mandans*, vel qui causa fuit primaria; nam ipse fuit primus movens et causa damni. *S. Ligor., n.* 580.

III. *Executor* primarius, uti in bello princeps, et dux; etsi mandantis nomine egerit; nam est principalis post mandantem. *S. Lig., ibid.*

IV. Cæteræ causæ positivæ: nempe *consulens* primo tenetur, si consilium ipsi utile sit; secus si soli executori; si autem utrique utile sit, uterque pro rata. *Idem puto*, ait S. Lig., n. 560, *si ex damno illato neutri utile evenerit*. In defectu autem alterius quisque in solidum tenetur. *Ballerini, n.* 703, *S. Lig., ibid. Consentiens, palpo,* etc., æqualiter in solidum tenentur conditionate, si eodem modo, vel ex condicto concurrerint, habita ratione cooperationis, et ante executorem, si fuerint primi motores.

V. *Causæ negativæ* in aliorum defectu; etenim causa positiva potior est in influxu, ideoque prima esse debet in restitutione. (*Volger, Gury, S. Lig., n.* 580). — Porro inter causas negativas primitus adstringuntur quæ damnum avertere magis tenebantur. Sic custos specialis alicujus rei probabilius ante generalem custodem tenetur; nam iste primario invigilare debet in speciales custodes potius quam in rem ipsam. Ordinarie tamen inter eas nullus adesse videtur ordo, et obligantur ad suam tantum partem, cum æqualiter de re teneantur, et neutra sit alterius motrix. —Aliis vero deficientibus, valde probabiliter unaquæque ad totum adigitur; revera unaquæque totum damnum avertere tenebatur. (*Scavini, p.* 898).—Hoc est observandum; quod causa, quæ primo tenetur, semper obstricta manet; licet aliæ secundariæ restituerint; id est, solutum in istas refundendo. Ratio est, quia secundariæ non tenentur nisi in defectu principalis. (*S. Lig., n.* 581).

331. Q. *An singulæ causæ tum positivæ, tum negativæ ad damnum simul concurrentes in solidum simul restituere teneantur?*

R. I. Si adsit principalis motor, iste ad totum adigitur, aliique cooperatores pro rata in ejus defectu; siquidem ille primario damnum infert aliorum opera. Excipe si res ablata penes unum fuerit in specie, aut æquivalenti; tunc iste semper primo in solidum adstringitur, velut injustus detentor. *S. Lig., n.* 580.

II. Si vero omnes se invicem ad inferendum damnum excitaverint, ita ut, singulis non cooperantibus, illud non evenisset, tunc singuli pro rata tenentur, et in aliorum defectu etiam ad totum, cum singuli sint totius damni causa injusta et efficax; veluti annuli ferrei inter se connexi; quilibet sane nititur confidentia, quam in alterius auxilio habet. Si aliter evenerit, singuli pro rata solum devinciuntur; unus quippe in alterius operam non influxit. *S. Lig., n.* 579.

III. Si objectum damni dividi nequeat, uti domus incensa, homo occisus, etc., atque omnes una simul non convenerint, in solidum tamen tenentur de damnis; nam singuli cooperatores unam actionem injustam constituerunt, et uniuscujusque actio natura sua efficax erat ad totum damnum producendum. Ita probabiliter *Sanch., Salm., n.* 151, *S. Ligor., n.* 579 et *alii.* Hoc certum est quoad illum, sine cujus opera damnum non eveniret. *S. Lig., ibid.* Si vero damnum sine ipsis etiam fieret, pro sua parte tantum teneri dicunt *Spor., n.* 76, *Lugo, n.* 82 *et* 83, *Volger, n.* 343, *aliique*, quorum sententia satis probabilis est, ait *S. Lig. ibid.;* quia obligatio restitutionis pendet ab influxu; atqui obligatio non debet esse major, quam est ipse influxus: ergo sicut partialiter quisque concurrit, ita partialiter obligatur. – Si dubitetur, an aliquis fuerit causa totius damni, ad partem solum tenetur; ex regula enim generali nemo ad restitutionem obligatur, quin revera constet causam damni fuisse. *S. Lig., ibid.*

332. Q. *Utrum cum plures in solidum tenentur, quisque ad totum devinciatur, si dubium sit, an socii restituerint?*

R. Negant *Ronc.*, *Salm.*, *n.* 152, *Gury*, *n.* 696, si, facta diligenti inquisitione, dubium perseverat; quia cooperator in solidum non tenetur nisi in defectu alterius; si dubium sit de illo defectu, dubium est de obligatione; dubia obligatio ad onus certum non obstringit: ergo... Aliunde charitas non cogitat malum; sic præsumi potest alios esse jam conversos, ac minime damnari velle: et si reverà jam restituerint, dominus duplum saltem acciperet. *Sed id mihi minime probatur*, ait *S. Lig.*, *n.* 579. —Ast rudes, licet in solidum teneantur, raro expedit eos ad totum obligare; cum difficulter sibi persuadent ad id teneri. Quinimo satis præsumi potest domini consensus; cum aliter valide sit timendum, quod neque partem restituent, si ad totum obligentur. *S. Lig.*, *n.* 579.

Q. *Utrum in dubio, an tuum consilium, sive mandatum, consensus, recursus, adulatio, taciturnitas, etc., fuerit causa damni, aut mortis alterius ad restitutionem tenearis?*

R. Nega satis probabiliter; tum quia influxus non præsumitur, nisi probetur; tum quia in dubio nemo suis bonis est spoliandus. Ita *Bus.*, *Less.*, *n.* 38, *Silv.*, *Salm.*, *n.* 113, *S. Ligor.*, *n.* 562, *aliique* contra *non paucos*, quorum sententiam *S. Lig.* vocat valde probabilem.

334. Q. *Quid si damnum passus illud condonet?*

R. Si causæ principali remittat, secundariæ etiam liberantur; accessorium enim sequitur principale. Secus si secundariis fiat remissio, tunc hæ solum liberantur, non vero principalis, contraria ratione: item si uni e secundariis remittat creditor, non ideo aliæ liberæ manent; nisi aliter præsumi possit e creditore. (*Lugo*, *S. Ligor.*, *Gury*, *n.* 703).

# CAPUT VIII.

## De eo, cui sit restituendum, et quo ordine.

335. **Restitutio, ex se, legitimo possessori certo est facienda,** etsi dominus rei non sit; uti esset locatarius, commodatarius, aliique jus habentes bona illa retinendi; vel cui damnum illatum est. —Tamen aliquando cessat ad tempus hæc obligatio; ut si in manu possessoris periclitentur bona; v. gr., si iisdem sit abusurus in sui, vel aliorum damnum, uti si quis bona accepisset a filiofamilias, vel ab uxore, aut a male dissipatore (nisi de illis bonis libere disponere valeant), restituenda sunt patri, aut marito, vel cui respondeat, alio non obstante. *S. Ligor.*, *n.* 596.

336. **Resolves:** I. *Si res accepta est mala fide, vel dubia*, diligentique inquisitione peracta, dominus incertus sit in particulari, et vertatur dubium inter tres, vel quatuor, ipsis pro rata est restituendum, vel ad compositionem inducendi erunt præsumpti domini, quin pauperibus tunc fieri possit restitutio: *Quia ego Dominus diligens judicium, et odium habens rapinam in holocausto.* (Isaiæ, LXI).

II. Si dominus sit plane ignotus; vel notus, ast neque mediate, neque immediate moraliter adiri queat, et dubia, vel mala fide res sit ac-

cepta, restitutio locis piis, vel pauperibus cujusvis loci (nisi læsi alicujus fuerint communitatis) fieri debet; nemo equidem commodum reportare valet ex propria iniquitate. *S. Lig., n.* 590, *Gury, n.* 699, *cum communi.*—Si autem bona fide fuerit accepta, est agendum uti in rebus nuper amissis, vel derelictis. *S. Lig., n.* 589. (V. n. 52).—Super iis bonis incertis fieri potest compositio per Bullam Cruciatæ. *S. Lig., n.* 591.—Denique si venditor in aliqua civitate plurimos in pondere, mensura, vel pretio defraudavit, sub levi tantum restitutio est facienda eodem modo pondus augendo, vel mensuram, aut pretium minuendo erga ordinarios emptores, qui præsumuntur læsi; si facile fieri queat: secus pauperibus fiat restitutio; a veniali enim quælibet rationabilis causa excusat. *Gury, n.* 699, *S. Lig., n.* 595 et *alii* contra *S. Thom.*, *aliosque*, indiscriminatim pauperibus tunc fieri posse concedentes.

III. Quum creditor ad cessionem bonorum coactus fuerit, restitutio tunc ad validitatem est facienda ei, penes quem eorumdem manet custodia et administratio; aliter solventi perit res tradita; non quippe legitimo possessori est restituta; et si creditori ipsi fiat restitutio, ejus fraudi cooperatur restituens: quocirca illicite ageret, nisi creditor ita probus sit, ut rationabiliter credi possit suis creditoribus esse restituturum; vel nisi in gravi necessitate versetur, eoque debito valde indigeat ad vitam ducendam. *Gury, n.* 700, *Gousset, n.* 772, *S. Lig., n.* 699. (V. n. 294).

En España hállase establecido en el *Cód. pen.*, 16 *de mayo de* 1848, *reform.* 30 *de junio de* 1850, lo siguiente: *Art.* 116. La restitucion deberá hacerse de la misma cosa siempre que sea posible, con abono de deterioros... á regulacion del tribunal. —Se hará la restitucion aunque la cosa se halle en poder de un tercero, y este la haya adquirido por medio legal, salva su repeticion contra quien le corresponda. Esta disposicion no es aplicable en el caso de que el tercero haya prescrito la cosa, con arreglo á lo establecido por las leyes civiles.—*Art.* 117. La reparacion se hará valorándose la entidad del daño á regulacion del tribunal, atendiendo el precio natural de la cosa, siempre que fuere posible, y el de la afeccion del agraviado.—*Art.* 118. La indemnizacion de perjuicios comprende no solo los que se causan al agraviado, sino tambien los que se hayan irrogado por razon de delito á su familia, ó á un tercero.—*Art.* 119. La obligacion de restituir, reparar el daño ó indemnizar los perjuicios, se trasmite á los herederos del responsable.

337. **Ordo restitutionis.** I. *Debita ex delicto, vel contractu, seu ex titulo oneroso,* prius solvenda sunt debitis ex titulo gratuito, nisi donatio consummata jam sit; nam tunc in absolutum dominium donatarii res transit: promissio enim gratuita semper hanc includit conditionem: *Si fortius vinculum non obsit;* et aliunde donatio de re obligata, vel non propria, *ex se* nulla est. (*Lugo*, *Gury, n.* 766, *S. Ligor., n.* 689).

II. Ex jure romano et communi res aliena apud debitorem existens sive ex furto, sive ex deposito, locato, vel quocumque titulo, ante omnia debita quantumvis privilegiata domino suo restitui debet; et eo deficiente, pauperibus; quia res domino suo clamat. *S. Lig., n.* 684.

III. Res vero empta ad creditum, non soluto pretio, si adhuc in specie existat, ante dominii translationem, v. gr. si venditor non acceperit ab emptore nec pignus, nec fidejussionem, neque fidem de pretio, ipse præferri debet; quia adhuc rei dominium retinet.—Si dominii translatio facta fuerit, uti si venditor acceperit pignus, aut fidejussionem, nullam habet prælationem; quippe tunc jam securus est de pretio. *Lugo, n.* 15, *S. Lig., n.* 685. Si autem venditor rem tradidit, et de pretio tantum fidem accepit,

probabilius nulla debetur venditori prælatio; quia cum dominium translatum jam sit, venditori tantum remanet creditum personale erga emptorem. *S. Ligor., ibid.* et *alii* contra *Salm., n.* 232, *aliosque.*—Hinc confessarius nec prohibere debet, ut venditor rem sibi vindicet, nec præcipere aliis, ut rem venditori cedant, seclusa lege speciali, vel judicis sententia; pro utraque enim parte probabiles rationes militant, nec confessarii est cogere quempiam ad alterutram opinionem sequendam. (*Ita Ballerini, n.* 705).

IV. Si omnibus creditoribus debitor satisfacere potest, nullus ordo est servandus, modo tempore suo omnibus solvat. Secus veniunt 1.° *privilegiati;*—2.° *hypothecarii;*—3.° *simplices creditores.*

338. **Privilegiati** *sunt qui ex legis positivæ privilegio jus habent suum debitum ante alios repetendi.*

**Hypothecarii** vero sunt *qui in bonis debitorum oppigneratis jure potiuntur solutionem obtinendi post privilegiatos.*

**Communes et simplices** sunt *qui nullo privilegio, vel hypotheca gaudent.* Quæ distinctio obtinet etiam in conscientia, cum sit in bonum commune. *S. Antonin., Scavini, n.* 622, *cum theologis universim.*—Quoad privilegiatos si eadem sit ratio privilegii, eadem et ratio erit concursus; secus videnda erit privilegiorum qualitas; nam privilegia non tempore æstimantur, sed ex causa.—Privilegia alia lege constituta sunt in quibusdam *mobilibus*, alia in *immobilibus*, alia in *omnibus defuncti bonis.*

339. **En España** se halla dispuesto lo siguiente:

I. En los concursos de acreedores deben formar los síndicos para la graduacion de créditos cinco estados. 1.° De los *acreedores por trabajo personal y por alimentos.* Si se trata de un *ab intestato* ó testamentaria concursada, tendrán derecho preferente á cualquier otro los acreedores por los gastos del funeral proporcionado á la fortuna y circunstancias del finado, y por los ocasionados por la ordenacion de su última voluntad, formacion de inventários y diligencias judiciales á que haya dado lugar la testamentaría ó *ab intestato. Escriche* despues de los gastos funerarios pone los de la última enfermedad en médicos, medicinas, alimentos, salarios de asistentes y otros semejantes.—2.° De los *hipotecarios legales* segun el órden establecido por el derecho.—3.° De los que sean *por contrato*, segun su antigüedad.—4.° De los *escriturarios.*—5.° De los *comunes. Ley de Enj. civil, art.* 592.

II. Cuando unos mismos bienes hayan sido hipotecados á muchos acreedores, cobrarán estos por el órden siguiente: 1.° El que prestó dinero para la conservacion y reparacion de la cosa hipotecada, y solo respecto de esta. *L.* 29, *tit.* 13, *p.* 5.ª—2.° El menor por la cosa comprada con su dinero, y el que tiene hipoteca especial, ó expresa sobre la cosa comprada con sus capitales, y solamente por la cosa así comprada. *L.* 30.—3.° Los acreedores que tienen hipoteca legal, y los que la tienen convencional con escritura pública. *L.* 31, *S.* 16 *marzo de* 1869.—4.° Los que tienen hipoteca convencional con escritura privada estendida en papel sellado. *L.* 5. *tit.* 24. *lib.* 10 *Nov. Rec.*—5.° Los demás acreedores hipotecarios sin escritura, ó cuyas escrituras estén constituidas en papel comun, sin preferencia alguna por este motivo entre ellos. *L.* 31, *tit.* 13. *p.* 5.ª, *L.* 5, *tit.* 24, *lib.* 10 *Nov. Rec. y L.* 11, *Cod. qui pot. in pign. habit.. tit.* 18, *lib.* 8.

III. Los comprendidos en el 1.° y 2.° números precedentes solo tienen el privilegio por el producto resultante de la venta de las cosas en que tienen constituida su especial hipoteca; en cuanto á las demás serán graduados como si no tuviesen tales privilegios. *L.* 5, 6 *y* 7 *Cod.* Además se establece: 1.° Si el producto de la venta no bastase para los acreedores de la primera clase, serán preferidos los que hubiesen empleado posteriormente su dinero para el reparo ó conservacion de la cosa hipote-

cada. *L.* 27, *tít.* 13, *p.* 5.ª *y L.* 4, *Cod.*—2.º En cuanto á las tres clases siguientes serán preferidos con respecto á los acreedores de cada una de ellas los que tuviesen la hipoteca anteriormente constituida. *L.* 27, *S.* 24 *set.* 1861. La hipoteca general debe ser pospuesta á la especial y espresa. S. 16 *marzo de* 1869.—3.º El derecho hipotecario se regula por la antigüedad de su hipoteca. S. 24 *set. de* 1861.—4.º Los hipotecarios de una misma clase y de un mismo tiempo tendrán el mismo derecho en la totalidad de sus respectivos créditos, sufriendo una disminucion proporcionada al valor de cada uno, en caso de no poderse satisfacer á todos por entero, á no ser que uno de ellos tenga en prenda la cosa hipotecada. L. 20, § 1 *D. de pign. act.*, *tit.* 7, *lib.* 13, *y Ley* 10 *D. de pign. et hipot.*, *tit.* 1, *lib.* 20.

IV. Exceptúanse de las reglas anteriores los casos siguientes: 1.º La mujer es preferida á todos los acreedores hipotecarios anteriores (que tienen hipoteca tácita ó legal) por la dote, arras y bienes extradotales, habiéndose constituido aquella antes de la celebracion del matrimonio, y constando su entrega en forma legal, y probando que el esposo la hizo promesa de arras, y que la mujer entregó al marido los parafernales durante el matrimonio señaladamente y con intencion de que los administrase como los demás, porque en otro caso continúa la mujer señora de ellos. *Ley* 23, *tít.* 13, *p.* 5.ª, *Ley* 17, *tít.* 14, *p.* 4.ª, S. 20 *mayo y* 3 *junio de* 1873, 28 *marzo de* 1874, *y* 12 *nov. de* 1875.—La falta de no hallarse inscritos en el Registro de comercio los créditos de la mujer por sus bienes parafernales y arras, no puede imputarse á la misma, y por consiguiente el tribunal reconoce dichos créditos. *L.* 18 *y* 29, *tít.* 34, *p.* 7.ª *Cod. de Com.*, *art.* 1114, 1116, *etc.* S. 20 *mayo de* 1873.—2.º La hacienda pública lo es á todos los acreedores por las contribuciones que acreditare la finca hipotecada y en los bienes del deudor *L.* 33, *tít* 13, *p.* 5.ª, S. 3 *jun. de* 1873 *y* 17 *jun. de* 1874.—3.º Los hijos son preferidos por razon del dote de su difunta madre á su madrastra, que reclama lo suyo. *L.* 23 *y* 33, *tít.* 13, *p.* 5.ª, *L.* 12, *Cod.*, *Nov.* 97, *c.* 3, etc.—4.º Si el concursado antes de haber hecho cesion de bienes voluntaria ó necesaria hubiese satisfecho por entero una deuda á alguno de los acreedores igualmente privilegiados, no puede ser rescindida esta paga, aunque los restantes bienes no basten á cubrir los otros.

II. *Prius petenti prius solvere licet*, si juridice petat; nam legitima judicis sententia privilegii vim habet. S. Lig., *n.* 692, *et omnes.*—Imo probabilius etsi extra judicium petat; quia creditor personalem actionem habet in debitorem; et totum debitum petendo, jus suum directe prosequitur; modo ei non tribuantur bona aliunde jam obligata, vel ratione privilegii aut hyphotecæ, et modo absit fraus; jura quidem favent vigilantibus absque distinctione judicii, vel extra. (L. *pupilla ff. quæ in fraud.*, S. Ligor., *Gury*, Scavini, *Salm.*, Less., *aliique* contra *alios).* Nequit ideo creditor non rogatus unum præ alio arbitrio suo præferre; id sane nullibi ei conceditur. (*Scavini*).

340. III. *Non licet debitori scienti statum suum labilem, etiam non petenti integre solvere;* sed omnibus pro rata reddere tenetur; nulla enim adest ratio prælationis; neque ratione juris; nam æquale est inter creditores; neque ratione petitionis; quia nemo petit: ergo contra naturalem æquitatem peccat debitor alicui integre solvens cum aliorum damno. (Less., *Gury*, S. Ligor., *n.* 692).—Imo verius *peccat creditor solutionem in hoc casu accipiens, et retinens;* nullum quippe jus habet, ut sibi integre cum aliorum damno solvatur. (Ita *Salm.*, S. Ligor. *ibid.*, *P. Concina).*—Alii probabiliter negant; nam creditor jus personale habens, solutionem debiti extra judicium urgendo, nemini facit injuriam, sed utitur jure suo; ergo a pari rem suam acceptando. (Less., *Dic.*, *Diana*, *aliique*). Huic sententiæ adstipulantur leges civiles, quod solutum non revocetur, ait *Ballerini*, *n.* 707. Tamen *notamus cum Billuart*, ait Scavini, *minime esse inquietan-*

*dos, qui exorta de fortuna debitoris suspicione, debitum repetunt ;* tum quia non constando de impotentia debitoris, jus suum legitime prosequuntur; tum quia jura favent vigilantibus.

341. IV. *Si publice jam sit declarata cessio bonorum debitoris;* injuste ac in creditorum fraudem ageret debitor ille, qui, cum sit impos ad debita solvenda, hæreditatem, vel usumfructum renuntiasset; vel renuntiare, aut vendere finxisset; et jus habent a lege civili creditores impugnandi omnes actus, quos in suorum fraudem agat debitor, et subingredi in debitoris jus pro quota proprii debiti possunt; tamen post cessionem omni actione expoliatus manet debitor. (*Scavini*).

342. V. *Probabilius, et communius debita ex delicto, uti furto, non sunt solvenda ante debita ex contractu ;* v. gr. emptione ; nam commutativa justitia non respicit nisi id quod debitum est: excipe si res in specie adsit, vel hypothecata : delictum equidem pœnitentia deletur, non vero restitutione. *Lugo, Gury, n.* 706, *Scavini, n.* 622, S. *Lig., n.* 688, contra *alios* debita ex delicto præferentes. — *Neque probabilius creditores pauperes sunt præferendi divitibus,* nisi in extrema necessitate versentur ; nulla porro gaudent prælatione, et jus ad qualitatem personarum minime respicit. *Lugo, n.* 161, *Scavini, Gury,* S. *Lig., n.* 691, contra *alios,* dicentes restitutionis obligationem dari ad reparandum proximi damnum, quod majus patitur pauper.

VI. *Quum domini alii noti, et certi sunt, ast alii ignoti, vel incerti,* et omnibus satisfieri nequit, omnia probabiliter debitor prorata debita solvere tenetur ; nam creditores incerti æquales sunt in jure suo cum creditoribus certis; et valde probabile est quod ex lege naturæ restitutio pauperibus tunc debetur; talis quidem præsumitur creditorum voluntas in hoc casu. *Lugo, n.* 5, *Scavini, n.* 622, S. *Lig., n.* 687.

Alii probabiliter sustinent certa incertis esse præferenda; quia lege naturæ certa creditoribus debentur; incerta nonnisi ex lege positiva pauperibus. (*Ita Buss.*, *Less.*, *Salm., n.* 230, *Croix, n.* 377, *etc.*).

344. VII. *Communes creditores personales tempore priores* probabilius, et communius aliis sunt præferendi in integrum; cum posteriores jam rem obligatam invenerunt; nam juxta illam regulam ab omnibus in jure canonico admissam, *qui prior est tempore, potior est jure,* debitor utpote obligata jam indirecte habens bona prioribus creditoribus, non potest hos lædere ad alios posteriores fovendos. *SS. Antonin., Thom., Lig., n.* 690, *Lugo, Scavini, n.* 622, *Ballerini, et alii.* Ast *alii* dicunt pro rata illis indiscriminatim omnibus esse satisfaciendum, cum singuli solum in debitoris personam jus habeant, non vero in hujus bona : secus primi creditores eorum dominium jam haberent, nec debitor ea vendere posset, quod verum non est. Ita *Less., Vazq., Volger, n.* 439, *Gury, n.* 706, etc. Ita videtur si posteriores rem obligatam nondum invenerunt; sed postea debitor impotens factus sit ad omnia solvenda. Tamen in praxi pro possessore resolvat confessarius. *Ballerini.*

345. *Utrum famuli accipere possint salarium, et filii, ac uxor alimenta a domino debitis gravato?*

R. I. Affirma, si bona fide famulatum præstiterunt.—Tamen alii cum *Nav.* docent eos discedere teneri, si advertunt, dominum ex tali famulatu impotentem reddi ad debita solvenda:—quod probabiliter negant alii cum *Molina, Lay., S. Lig., n.* 693; nam ipsi non peccant contra

justitiam, si rogati a domino famulantur, et mercedem accipiant; neque contra charitatem, si defuturi non sint alii ad famulandum.

II. Affirma quoad filios et uxorem, etiamsi alia debita contrahat ad eos alendos; cum ipse ex justitia ad eos alendos teneatur; modo isti aliunde sustentationem non habeant. Ita *Laym*, *Sanch.*, *Croix*, *n.* 387 contra *Henr.*, *aliosque.*—Imo uxor vivere potest ex bonis viri usurarii, qui non est solvendo, quamvis alere se possit ex bonis propriis, vel propinquorum; siquidem vir non minus uxorem alere tenetur, quam usuras restituere. Ita *Laym.*, *Vazq.*, *Nav.*, *Mol.* contra *Silv.*

Nequit autem uxor ad sustentationem familiæ uti pecuniis a viro datis ad solvenda debita, nisi in casu quo familia graviter egeat; tunc enim huic prius vir succurrere debet; ideoque tunc uxor utitur jure suo. Ita *Laym.*

---

# CAPUT X.

## De tempore, et modo restitutionis.

346. I. Omnia debita ordinarie sunt restituenda quamprimum sine gravi incommodo fieri potest; siquidem jus naturale exigit, ut nemo rem alienam, invito domino, retineat; secus rei suæ usu ipsum injuste privat. Si vero restitutio ex contractu sit facienda, eo tempore fieri debet, quo fuit conventum, etsi creditor eam non petat; sane conventio, vel dies pro homine interpellat, ut fert juris adagium.—Tamen debitor anticipare potest, si in sui favorem terminus sit assignatus, ut ordinarie evenit, v. gr. in mutuo sine usura: secus autem si in creditoris gratiam vergat, uti in mutuo cum usura. (*Antoine*, *Gury*, *n.* 714).—Si terminus non fuerit fixus, generatim spectare potest, donec a creditore moneatur, nisi hic inde damnum capiat, vel ex oblivione, aut timore, vel impotentia monere omittat; vel nisi juramento se obligaverit debitor ad solvendum.

II. Qui hic et nunc totum satisfacere nequit, tenetur partem, quam potest; nam utile per inutile non vitiatur. Unde qui culpabiliter, notabiliterque in re gravi restitutionem differt, in continuo peccato manet, et sic absolvi nequit. Imo damna ex tali dilatione domino provenientia compensare tenetur. Qui vero per breve tempus restitutionem differt, in quo dominus nec grave damnum patitur, nec graviter censetur invitus, a peccato gravi excusatur. Ita *Salm.*, *n.* 253, *Lugo*, *Cajet.*, *etc.* *Palaus*, ordinarie loquendo, spatium 20 dierum breve esse putat.—Tamen non est de mortali damnandus qui differt debitum solvere ex contractu, sine gravi creditoris damno, licet iste petat; quia talis dilatio non videtur graviter injuriosa. (Ita *Lugo*, *Gury*, *n.* 713, *S. Lig.*, *Hom. Apost.*, *n.* 104, 105).

III. Qui restitutionem ultra tempus præfixum differt, compensare non debet damna creditori inde orta, seu lucrum cessans, et damnum emergens, si restitutio ex contractu præter mutuum cum usura fieri debeat, et non sit culpabilis mora; nam tunc debitor non est causa injusta, et culpabilis damni; neque etiam onus portare debet. (*S. Lig.*, *n.* 678 *et* 680, *Lugo*, *Gury*, *cum communi*).

Secus autem si ex delicto sit restituendum; quia licet non peccaverit

restitutionem differendo ex causa justa, tamen ex præcedenti læsione culpabili est vera causa injusta illius damni. *Scavini, Gury, Lugo, S. Lig., n.* 680 *et* 704, *aliique probabilius et communius* contra *alios*, qui excipiunt, si dilatio sit justa; tunc enim creditor circa dilationem esset irrationabiliter invitus. Ita *Nav., Dic., Burgh.,* et *Diana* apud *Croix, n.* 252.

347. **Modus restituendi.** Quocumque modo fieri potest sive per se, sive per alios, etiamsi fiat restitutio, non advertente domino; vel in loco tuto rem collocando, ubi dominus certo eam inveniet; quia sufficit ut hic fiat indemnis. *S. Lig., n.* 676. Unde debitor restituere potest: 1.° pondus aut mensuram augendo in venditione:—2.° per non debitum opus laborando erga creditorem:—3.° per simulatam donationem, ut communius docent *Volger, Carriere, n.* 1265, *Gury, n.* 709. Sed tunc, si creditor gratitudine motus aliud ei rependat donum, hoc illi in se, vel in æquivalenti restituendum est; nam ista donatio non videtur plene voluntaria et spontanea, ut sit gratuita. (Ita *Carriere* contra *Tamb. aliosque*).

348. Q. *Quo loco, et cujusnam expensis sit facienda restitutio?*

R. I. *Si res ex contractu solvi debeat*, standum est pactis; si nihil sit conventum, ibi est facienda solutio, ubi est initus contractus, vel ubi erat res eo tempore; et impensis illius in cujus favorem cedit. *S. Lig.*

II. *Si onus restituendi ortum sit ex delicto*, restitutio fieri debet in loco ubi dominus eam possedisset, injuria seclusa, et expensis injusti damnificatoris; iis tamen deductis, quas fecisset dominus in rei custodia et translatione; quia creditor indemnis servari debet; et aliunde nemo locupletari potest de alienis. (*Gury, n.* 709, *S. Ligor., n.* 677).

III. *Si demum restitutionis obligatio sit ex re bona fide accepta*, loco, in quo extat, et domini impensis fiat restitutio; cum nullus sine culpa puniri debeat. (*Scavini, p.* 900, *S. Lig., n.* 678, *cum communi*). Quando primo quis advertit rem non esse suam, statim admonere debet dominum, ut sibi consulere possit. (V. n. 303).

349. Q. *Cum quo damno restituere debet injustus damnificator?*

R. Damnum hic relative est judicandum, juxta opulentiam debitoris et creditoris, ut dicunt *Lugo, Croix, S. Lig., n.* 598. Imo damnum emergens, et lucrum cessans creditoris est pensandum. *Lugo, n.* 186. Unde si res in individuo non posset ad dominum mitti, nisi cum æquali damno, fur potest et debet eam vendere, et pretium domino transmittere. Ita *Lugo, n.* 189, *Croix, n.* 370.—Ubi creditor simile damnum, vel parum minus sit passurus, tenetur omnino debitor ei satisfacere. Ita *S. Ligor., n.* 598, *Less., Lugo cum communi.*—*Communiter* censent DD. damnificatorem restituere teneri etiam cum simili proprio damno. *Silvest., Buss., Bon., n.* 677 furem a restituendo immediate domino excusant, si expensæ rei valori æquivalentes forent.—Alii cum *Scot.* si essent majores debito. Probabilius vero *Spor., Tamb. et Mol.* excusant solo casu, quo sumptus essent longe majores, ait *S. Ligor., n.* 598. —*Lugo, n.* 190 cum *aliis*, si agatur de re magni momenti, furem ad restituendum obligat cum proprio damno etiam duplo majori: *Scavini* etiam cum triplici suo damno.—Si vero damnum esset omnino excessivum, et nequeat fur pretium transmittere, vel rem domino conservare, aut ejus hæredibus, tunc restitutio habetur uti moraliter impossibilis; probabilius sufficit rem pauperibus tribuere, ex præsumpta domini voluntate. (Ita *Less., Lugo, n.* 190, *S. Antonin., S. Ligor., n.* 598, *cum communi*).—Hodie vero hæc

controversia vix locum habere potest ob facilitatem rem transferendi, aut valorem per singraphæ traslationes.

350. Q. *An debitor iterum restituere debeat, si debitum per fidelem nuntium miserit, et illud culpa tertii, vel casu pereat?*

R. I. *Debitor bonæ fidei tunc ad nihil tenetur;* nam, seclusa culpa, et pacto, res domino perit. Secus in externo foro, si culpa juridica intercesserit; et tunc solum post judicis sententiam.

II. *Debitor ex contractu* ad nihil tenetur, si agatur de re in specie existente, uti in deposito, commodato, etc.; nam res domino perit, nisi aliud sit pactum.—Secus si agatur de re in genere debita, vel de pretio solvendo; debitor quippe dominium in illud servat, donec ad creditorem, vel personam a creditore assignatam pervenerit.

III. *Debitor ex delicto* a restitutione non liberatur, quamdiu dominum revera indemnem non effecerit; alias semper manet culpabilis causa damni, quod hic patitur; et tunc, si res pereat in manibus tam debitoris quam nuntii, debitori perit; nuntius quidem ejusdem personam repræsentat. *Ita Gury, n.* 711, *Scavini, n.* 628, *S. Ligor., n.* 704, *cum communi.* Excipe: 1.° si dominus, vel judex nuntium designaverit; tunc enim personam creditoris gerit nuntius;—2.° si creditor debitori libertatem expresse, vel tacite dederit eligendi quem vellet, modo prudens et fidelis vir eligatur. (*S. Ligor., l.* 3, *n.* 705).

IV. Si dominus sit certus, et confessarius bona fide imponat furi, ut det pauperibus pro anima domini, et ille dat; non videtur debuisse dominum esse invitum; alioquin hic plus reciperet suo credito, si denuo ille restitueret, recipiendo, scilicet, creditum et bonum spirituale eleemosynæ rei suæ. Secus tamen esset, si mala fide confessarius id suasisset; siquidem tunc rationabiliter invitus censetur dominus. (*Ita Tamb., n.* 8). *Huiusmodi satisfactioni non acquiesco,* ait S. Lig., n. 105, *quamvis eum, qui vellet hanc opinionem sequi, nec etiam audent damnare Spor., n.* 20, et *Tamb., n.* 8.

351. Damna gubernio illata sunt restituenda per media ab ipso constituta.—Si autem media non fuerint assignata, alii volunt restituendum esse per tributorum præpositos (qui non semper cursum suum rei præbent): alii pauperibus distribuendo, vel aliis operibus piis, aut publicæ utilitati. (*Carriere, de just., n.* 1240). Ast ubi gubernium bona ecclesiastica usurpaverit, quin aliter plene resarcierit, Ecclesiæ læsæ fieri videtur licite posse restitutionem.

352. *An qui restituere nequit in uno genere bonorum teneatur in alio?*

R. Nega probabilius ac communius cum *Less., Lugo, n.* 23, *Salm., Scavini, Gury, n.* 628, *S. Ligor., n.* 626, *aliisque* contra *alios.* Probatur: 1.° S. Scriptura: *Innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat.* Exod. XXI. Unde sufficit damnorum compensatio in bonis fortunæ.—2.° *Jure communi: Digest.* 19, *t. III, de his qui effud., l. ult.,* legitur: *Cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem;* et vulnerantem tantum teneri ad expensas curationis et mercedes, quibus cariturus est vulneratus, ibi dicitur.—3.° *Ratione:* Justitia commutativa obligat ad restituendum juxta damni illati æqualitatem; atqui in diverso genere damnum nec in toto, nec in parte reparatur, cum res diversi ordi—

nis se mutuo attingere nequeant; ergo... Si autem aliquando a lege, vel a judice imponitur aliqua satisfactio, hæc potius est pœna quam restitutio.—Congruum valde erit in praxi pœnitenti elargitionem aliquam erga læsum suadere, præsertim si hic pauper sit, ut docent *AA*.

---

# CAPUT VIII.

## De causis a restitutione excusantibus.

353. **Causæ a restitutione excusantes** sex præcipue enumerantur, nempe 1.° *impotentia;* 2.° *grave ipsius creditoris damnum;* 3.° *cessio bonorum;* 4.° *remissio creditoris;* 5.° *compensatio;* 6.° *compositio;* quarum tres primæ temporaneæ sunt; aliæ vero perpetuæ.

**Impotentia** tum *physica*, tum *moralis*: 1.ª est cum *quis in extrema necessitate versatur;* sane ad impossibile nemo tenetur:—2.ª est quando *restitutio fieri nequit sine gravi incommodo tum animæ, tum status:* 1.° *Sine jactura animæ suæ, vel suorum*, uti desperationis periculo; aut ne uxor, vel filiæ operam dent latrociniis, meretriciis, etc. *Bon.*, *Less.*, *S.* Lig., *n.* 698.—2.° *Sine periculo vitæ;* uti si restituendo quis in extremam se conjiceret necessitatem; nam in extremis omnia sunt communia.—3.° *Sine jactura status juste acquisiti;* velut si nobilis restituere nequeat, nisi se privet equis, famulis, armis; — vel civis primarius, nisi artem mechanicam obeat sibi insuetam; — vel opifex, quin vendat suæ artis instrumenta, quibus vivit, aut magnum subeat damnum: ii restituere differre possunt; sed parsimonia ac industria uti debent, ut debita sua saltem paulatim solvere valeant.—Et hoc etsi ludis, crapulis in dictam necessitatem quis se conjecerit. Ita *Gury, n.* 715, *SS. Antoninus*, Ligor., *n.* 698 *et* 792, *cum communi*

—Idem dic si restituere quis non possit, nisi cum damno sui, vel suorum, aut Reipubl. notabiliter graviore, quam æstimari debeat commodum ex restitutione creditori obventurum. *S.* Lig., *n.* 698; v. gr. si quis exinde tale damnum patiatur in bonis famæ, vel fortunæ, vel suæ uxoris, parentum, filiorum; et *Tol.* admittit etiam pro necessitate fratrum. Imo quando solus debitor est in gravi necessitate constitutus, certe restitutionem differre potest, *cum debitum est ex contractu, ut fatentur omnes apud Croix, n.* 430, ait *S.* Lig., *n.* 702, et communiter affrmant *Pal.*, *Salm.*, *n.* 272, *S. Anton.*, *Lugo*, etiamsi sit ex delicto. *S.* Ligor., *ibid.* (V. n. 362). Horum ratio est, quia tunc est vera restituendi impossibilitas; nam in moralibus dicitur impossibile, quod valde difficile est, vel quod decenter fieri nequit; et bono communi etiam interest proprii status conservatio.

Si vero damnum, quod timetur ex restitutione, non esset propriorum bonorum, sed in hoc præcise tantum quod quis spoliet se rebus alienis, non ideo differre potest restitutionem; hoc siquidem non est pati in rebus suis, neque suum amittere statum, sed ad proprium reverti. Excipe si restituere paulatim debeat ad famam suam tuendam; quia ignoratur injusta sui status acquisitio. *(Scavini, S.* Lig., *n.* 698 *et* 702, *cum communi).*

354. **Grave creditoris ipsius damnum**: *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui restituitur... Nec tamen debet ille qui detinet rem alienam, sibi appropriare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutius conservandam*, ait Angelicus, 2. 2, q. 62, a. 5, ad 1.

Excipe 1.° si ex denegatione damnum relative grave debitori obveniat; vel ipsi creditori magis grave, quam ipsa rei privatio; v. gr. si in blasphemias, perjuria, vel furta, ira permotus erumperet; 2.° si bono publico; 3.° vel alii innocenti; charitas enim non obligat cum gravi damno.

Sic qui ensem creditori restitueret, qua inimicum occidere vult, contra justitiam peccaret, si absque suo graviori, vel saltem æquali damno gravi negare posset, ratione cooperationis. *S. Ligor.*, *n.* 697, *Salm., Lugo, Less., et communiter:* nam tertius jus habet, ne aliquid tradas alteri in ejus perniciem; etsi id negant alii; quia restituens rem in se bonam agit: et aliunde ex justitia non tenetur crimen impedire creditoris, nec tueri vitam inimici, sed ex charitate tantum. *(Mol., Dic., Gousset).*

355. **Cessio bonorum, vel fori**: I. Est *cum debitor ad solvenda sua debita impar factus, bona omnia creditoribus voluntarie cedit, vel judicialiter.* Judicialis cessio bonorum proprietatem in creditores non transfert, sed ipsis jus exigendi tribuit, ut ea vendantur, et se illis compensent. *(Ley* 1, *tit.* 15, *part.* 5.ª). Possunt debitori administrationem bonorum sub datis regulis creditores reservare, vel eam alii depositario confidere, modo in damnum privilegiati, et hypothecarii id non vergat: at bona cessa in subhastatione vendi debent, ex jure hispano.

II. Cessio bonorum, tam voluntaria quam judicialis, secluso speciali pacto, ab integra solutione minime liberat; creditores siquidem non manent indemnes, neque ideo juri suo renuntiant, sed temporaliter cedunt, cum amplius obtinere nequeant: et cessio juridica est merum privilegium debitori concessum, ut a coactione in foro judiciali liber evadat, nisi creditores expresse eum totaliter liberent. *Gousset.*, *n.* 772, *Gury, n.* 719, *et* 788, *S. Lig.*, *n.* 669. En España además de esto se dispone, que los acreedores queden subrogados en todos los derechos del deudor, pudiendo ejercer todas las acciones que le competen. Si el concursado reclama alimentos, el juez los señalará interinamente atendidas las circunstancias.—El que ha hecho cesion de bienes ó promovido concurso voluntario de acreedores, no goza del beneficio de competencia, puesto que no se le conceden alimentos mas que en el caso de que á juicio del juez asciendan á mas los bienes que las deudas. *L.* 2, *tít.* 15, *p.* 5.ª, *L. de Enj. civil, art.* 569 *y* 632.

III. Qui bona cedit, aliquid sibi occulte reservare potest, attento jure naturali, si in magna versatur indigentia; scilicet ea quæ sibi et familiæ suæ omnino necessaria sunt ad vitam, ita ut si a judice de iis interrogetur, etiam respondere valeat, se non habere, nempe quod cedere teneatur. Si res magni momenti retinet, damnum creditoribus certo infert, justitiamque violat. *Volger, n.* 545, *Scavini, p.* 905, *Gousset, n.* 772, *Gury, n.* 788. Imo ex *Layman* remanet obligatus ad laborandum, et acquirendum, ut solvat; quod *Trull.* limitat, si acquirat plus quam ad decentiam status est necessarium. Si debitor principalis cesserit, non ideo liberantur fidejussores. (*Lugo, Diana, aliique*).

356. **Remissio creditoris.** Requiritur ad ejusdem validitatem: 1.º ut creditor condonare possit, ac rei debitæ administrationem habeat;—2.º ut omnino libere agat; id est, ut absit vis, metus, fraus, vel lex prohibens (uti est canonicis quoad amissionem distributionum absentium), condonationem faciendi. Valet tamen remissio tacita: *Taciti, et expressi consensus eadem ferme est vis atque conditio.—Quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse? L.* 46, § 7, *ff. de furtis.* Idem tenet *S. Antoninus,* et etiam *S. Thom.* Unde dominus servum ei remittere censetur omne onus restituendi, eo ipso quod expellit, et expellens nil ob furtula petit, ut dicunt *AA.* Item remitti censentur filii parum a parentibus surripientes. (*Gury, n.* 722, *Lugo, S. Lig., n.* 700). Nam hic non requiritur explicita condonatio sicut in aliis absolutionibus; sed satis est ut positive dominus non sit invitus.

357. Q. *An idipsum de defuncto domino præsumi valeat?*

R. Nega; quia defunctus de rebus olim suis jam amplius disponere nequit; valida utique foret, si ante obitum domini, ejusdem revera præsumpta voluntate, debitor, vel quivis possessor positive rem alias debitam, aut rem domini sibi applicaret; tempore quippe habili in se dominium rei transtulisset; nam tunc dominus non positive invitus spoliatur. Unde ait S. Antoninus: *Invito domino dicitur, quia, si credit dominum permissurum, et subest justa causa credendi, non tenetur restituere.* 2 p., tit. 1, c. 15. (Ita *Lugo, n.* 49, *S. Thomas, S. Ligor., n.* 700). Hac tamen in re non sunt laxandæ habenæ, ne furtis via aperiatur, ait *Alasia.* (De compensatione. V. n. 295).

358. **Compositio hic est**, quam Summus Pontifex in fidelium bonum aliquando operatur, partem debiti condonans debitori, aliamque in pias causas impendens.—Ad legitimam compositionem requiritur: 1.º ut incerta sint bona; secus adesset injuria in dominum;—2.º ut adsit causa; alias esset illicita compositio in bonis ecclesiasticis, et invalida in aliis rebus; nam in primo casu in lege propria dispensatur, non vero in secundo. (*Ita Lugo, S. Ligor., l.* 3, *n.* 591).

—Si autem, præmissa debita diligentia, cum justa causa sit facta compositio, non revocatur, etsi compareat dominus certus; quia ob bonum publicum dominium jam est a Papa translatum. (Ita *Trull., Dicast., Salm., n.* 17, *Lugo, n.* 98, *aliique* apud *D. Ligor., n.* 592). Hoc verius negatur de Episcopo cum *Lugo, n.* 107, *S. Ligor., n.* 593, *aliisque.* Hanc compositionem exequendi, ut docet Benedict. XIV, Bulla *Pastor bonus,* Ordinariis facultatem postulantibus concedit S. Pœnitentiaria. Prædictis causis adde *præscriptionem* debitis vestitam conditionibus. (V. n. 62 et seq.)

359. **Resolves.** I. *Possessor bonæ fidei alienam rem etsi magni momenti in extrema necessitate consumens restituere non adigitur,* si actu nulla effulgeat spes aliquid habendi; quippe tunc rem suam fecit, ea utendo tempore quo ipsi omnia erant communia. *S. Lig., n.* 520, *cum communi.* Imo probabilius neque illam petere tenetur, sive ante, sive post usum, dummodo pauper re illa in particulari extreme indigeat. *Lugo, n.* 140, *S. Lig., ibid.* Aliter est dicendum: 1.º si pauper sit dives in spe, saltem probabili, vel quia alibi bona habet, quibus pepercit, vel quia re illa non absolute indigebat; nam tunc per mutuam pecuniam sufficienter sibi prospicere valebat.—2.º Si debitum sit personale; nam id, subsistente persona, semper vivit, uti evenit in mutuo; quocirca tunc rem propriam

consumit. — 3.° Si res, finita necessitate, in specie adhuc existat, v. gr. equus, quo usus est ad fugiendum. *Scavini, p.* 905, *Gury, n.* 718, *S. Lig., ibid.—Si vero de possessore malæ fidei sermo sit, alii eum liberant,* si absolute re illa indigebat, sitque vere pauper etiam spe; sicut enim surripere poterat de novo, ita acceptum consumere: neque mala possessio jus universale adimit. Ita *Pal., Con., Dian., et alii* contra *alios,* dicentes non extingui onus ex justitia contractum per supervenientem necessitatem. Ita *Scavini, aliique. Gravissimam ac communiorem* hanc opinionem vocat *S. Lig., n.* 520.

II. Si creditor in gravi necessitate jam sit, et debitor restituendo in eam incidat, restituere debet; in æquali enim necessitate gravi certo dominus præferendus est. *S. Lig., n.* 703. Si uterque in gravi necessitate jam reperiatur, et debitor restituendo in extremam decideret, probabilius a restitutione excusatur. *Gury, n.* 717: probabiliter etsi de debitore ex delicto agatur; tunc enim in gravissimum damnum se submitteret, quod foret contra jus naturæ. *Scavini, Gury, S. Antonin., S. Ligor., n.* 703, *et communiter,* nisi res ipsa adhuc in specie subsistat; vel si debitor in gravem necessitatem præcise creditorem submiserit ob ejusdem rei subtractionem; nam citra extremam necessitatem in pari causa potior est conditio innocentis possessoris; et res semper clamat ad dominum. *Scavini, p.* 106.—Si vero debitor sibi et suis, scilicet, uxori, filiis, parentibus (et alii addunt fratres) aliter subvenire non possit quam per bona, quæ restituere deberet, ad id non devincitur; non equidem tenetur se et suos in extremam necessitatem conjicere. Item si uterque in hac jam sit. *Scavini, S. Lig., n.* 703, *cum communi.* Excipe si per illam subtractionem creditor hic et nunc in extremis conjiciatur; sane tunc melior est conditio prius possidentis. *Scavini.*

III. Qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donavit, communius eum a restitutione non liberant; quod enim gratis datur, ut debiti solutio haberi non putatur. Ita *Salm., Sanch., Spor., S Lig., n.* 700, *et alii.* Ast illum liberant *Mazzota, Croix, Rebell., Tamb., Lugo,* et *sua probabilitate non caret hæc sententia,* ait *D. Lig. ibid.;* quisque sane præsumitur velle potius satisfacere justitiæ quam liberalitati, et quod, si debitor sui debiti memor esset, non donaret: ergo per errorem facta est donatio; ergo saltem rescindibilis est; ergo in conscientia non valet; ergo ad solvendum debitum deservire potest. Aliunde *adest probabilitas juris, qua debitor bene uti potest,* ait *S. Ligor., n.* 700. Id admittunt *Scavini, p.* 907, *S. Lig., ibid., cum communi:* 1.° Si non agatur de rebus ex justitia debitis, v. gr., in votis; in iis quidem non attenditur qua ratione præstentur, sed tantum, an præstentur.—2.° Si a debitis incertis, vel a lege Ecclesiæ oriatur onus, uti eleemosyna propter Horarum omissionem in rebus beneficiariis.—3.° Quum probabiliter præsumitur creditorem libenter remissurum debitum, si rem cognosceret.

Si debitor testetur, et alicui creditori aliquid leget sub Missarum, vel similium onere, licite hic retinere valet quod sibi ille debet; prius equidem est onus justitiæ quam devotionis implere: imo præsumi potest per id simulatam restitutionem tegere voluisse debitorem. Prudenter omnibus suadere generatim præstat, ut in suis eleemosynis intentionem reparandi omnia damna, debitaque gerant, quæ forsan intulerint, et non recordantur.

360. Q. *An a restitutione liberetur ille, qui debitum solvit creditori sui creditoris?*

R. Affirma; fit enim compensatio jurium. (*Gury, n.* 720, *S. Ligor., n.* 700).—Excipe: 1.° si forte creditores privilegiatos, aut hypothecarios habeat;—2.° quoad liceitatem, si nulla adsit causa, ob varia incommoda: adest vero ratio sufficiens, si creditor tuus jus suum aliter recuperare nequeat. (*Bill., diss.* 8, *art.* 14, § 1, *Gury, ibid.*)

361. Q. *An in dubio de solutione liberetur debitor?*

R. Nega 1.° in mero dubio;—2.° ubi præsumptio ei adversatur;—3.° item in vera probabilitate solutionis; nam onus certum non adimpletur per dubiam solutionem; quippe tunc possidet obligatio. Unde exortum dubium debitoris negligentiæ est imputandum, ex qua damnum pati non debet creditor. (*S.* Lig., *l.* 3, *n.* 700, *et l.* 1, *n.* 27 *et seq.*, Lugo, *n.* 12, *Croix, n.* 571, etc.)—*Alii* tamen pro rata dubii docent restituendum esse; saltem si uterque dubitet; tunc enim creditor non habet nisi jus probabile; et æquum non est, ut totum accipiat. *Tamb.*, *Dian.*, *Laym.*, et *Reuter, n.* 449, probabile dicit, licet oppositum ut probabilius habeat. *Alii* debitorem omnino liberant; quia non est imponenda obligatio certa, nisi de ea certo constet. *Bossius, Viva, Tannerus, etc., apud Croix: Gury, n.* 721, ait quod, si debitori faveat major probabilitas, et sit probus ac diligens in debitis solvendis, inquietandus non foret. A fortiori restitutionem non urgebis, si debitor dicat, se certe satisfecisse, licet creditor adhuc reclamet.

# PARS SECUNDA.

## DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

# CAPUT I.

## De restitutione ob damnum in bonis animæ.

362. **Bona animæ** duplicis generis sunt: *naturalia*, et *supernaturalia*: 1.ª ea sunt, *quæ ad ipsam naturam humanam referuntur*, uti usus rationis, ingenium, memoria, scientia, et artes;—2.ª vero illa sunt, *quæ ad æternam salutem conducunt*, uti gratia, sacramenta, et virtutes.

**Alium lædere in bonis animæ naturalibus.** I. *Qui alium memoria, ratione, et similibus injuste privat per venenum, vel alio modo*, ex justitia reparare tenetur omne detrimentum sive personale sive reale, exinde sequutum, v. g., morbum, officii, vel lucri amissionem. *S. Lig., n.* 662. Item qui *fraude impedit, ne quis scientiam, vel artem addiscat, vel alios doceat*, fraudem depellere tenetur, et omnia temporalia damna inde exorta reparare; est enim eorum injusta causa.

II. *Qui ex officio artem, vel scientiam docere debet:* 1.° errores

corrigere tenetur, si forsan aliquos admiserit;—2.° si improbabilia probabilibus ex incuria, vel levitate permiscuerit;—3.° si illud negligenter obierit; et pretium restituere tenetur pro ratione damnorum illatorum male docendo; nam stipendium accipit, ut bene ac utiliter doceat. (*Scavini, Gury, n.* 724).—Videant ergo quid supremo Exactori sint responsuri tum illi, qui ad salebrosa officia non meritis propriis sed aliorum pervenientes, non curant quid valeant humeri, bene vero quid velit ambitio; tum illi, qui vix uni officio sufficientes, superbi, vel avari plura suscipiunt exsolvenda, sed omnibus deficiunt. *Scavini.*

—Tamen qui gratuito, et sine pacti, vel officii onere, absque ullo, vel parvo profectu doceret ex ignorantia vel negligentia, errore, fraude, et dolo seclusis, ad restitutionem non teneretur; deest profecto injustitia: tamen ubi suum errorem, vel incapacitatem adverteret, deberet sane damnum præcavere cum minori majorive sui incommodo, pro majori, vel minori negligentiæ ac temeritatis suæ culpa, et majori, vel minori damni alieni periculo. (*Ballerini, n.* 724).

363. **Alium lædere in bonis animæ supernaturalibus.** I. *Qui vi, metu, mendacio, vel fraude, alium induxit in peccatum grave*, in errorem practicum; vel a virtute avocavit, aut falsa doctrina imbuit, ex justitia, et sub mortali tenetur ad damni reparationem, vim tollendo, errorem manifestando, et omnia damna inde secuta resarciendo; istorum quippe fuit injusta, positiva, et efficax causa.

II. *Qui autem sine vi, fraude, et dolo, sed mero consilio ac suasione,* alium ad peccatum induxit, tenetur quidem sub gravi, sed tantum ex charitate, ad consilium datum revocandum; nam tunc sciens, et volens alius peccat; et scienti, et volenti non fit injuria. (*S. Lig., n.* 660, *et* 661, *Scav., n.* 632, *Gury, n.* 723).—Hinc qui pravos libros evulgant, et alios, præsertim incautos juvenes, viam malam edocent, tenentur in quantum possunt libros colligere, falsas doctrinas ac libidines reprobare, et propellere, ac seductos ad bonam frugem inducere, saltem ex charitate. (V. n. 431).

III. *Qui per vim, metum gravem, vel fraudem alium ab ingressu religionis injuste impedivit;* aut ingressum ad eam deserendam etiam sola suasione induxit, ex justitia fraudem, et dolum amovere tenetur; et monasterio compensare commoda ac lucra, quæ ex bonis, aut industria abducti expectabat: et probabilius etsi aversus esset simplex novitius; quivis enim jus habet ne injuste a consecutione tanti boni abstrahatur. Less., Lugo, *n.* 39, *S.* Lig., *n.* 662.

*Inter bona corporis enumerantur præcipue vita, membrorum integritas, virginitas, et castitas.*

---

# CAPUT II.

## De restitutione ob homicidium, et mutilationem.

364. **Injustus occisor, vel mutilator** compensare debet per se, vel per hæredes: I. *Omnia damna realia, et temporalia* in bonis fortunæ exinde læso directe secuta; scilicet damnum emergens, et lucrum cessans, seu

expensas curationis, et lucra, quæ ex operum intermissione, vel omissa negotiatione cessarunt, juxta tempus quod defunctus verisimiliter victurus credebatur; non quidem in totum, ut si jam de facto ea fuissent acquisita (potuisset enim occisus multipliciter impediri), sed pro majori, vel minori spe eadem acquirendi, attenta ejus ætate, valetudine, labore, aliisque circumstantiis. *Scavini, n.* 636, *Ballerini, n.* 727, *S.* L*ig., n.* 631.— Nihil vero tenetur restituere pro vita, aut membro, neque expensis funeris; cum ipsæ aliquando faciendæ essent: excipe si ob illatæ necis occasionem (v. gr. extra patriam) oportuerit eas fieri majores. Item communius nil deducendum est pro labore, quem occisus ad lucrandum impendere debuisset; censetur enim libenter illum sustinere; nisi præsumi queat quod aliquid daturus fuisset pro redemptione talis laboris, ut si esset arduus. *Scavini, S.* L*ig., n.* 639.

II. *Si vulneratus obierit ante vulnerantis restitutionem*, hanc facere devincitur hæredibus illius necessariis, nempe patri, matri (uxori, ratione juris ejus ad sustentationem), aliisque descendentibus, et ascendentibus; isti siquidem unam constituunt personam cum occiso, atque in illius jura succedunt. Si tamen uxor postea æque commode nubat, aut aliquis sponte ipsi succurrat, opus non est aliquid ei pro damnis futuris restituere; quia reipsa non remanet damnificata. *Croix, n.* 309, *Scavini, n.* 637. Idem est dicendum de filiis, aliisque hæredibus necessariis. *S.* L*ig., n.* 631, S*cavini.*

Deficientibus hæredibus necessariis, seu qui unam cum occiso personam constituunt, restituendum est hæredibus non necessariis (vel iis, qui succedunt in jus defuncti, ut sunt fratres, cæterique consanguinei) omne debitum reale cum defuncto contractum ante ipsius obitum; nempe damnum ejus bonis irrogatum per occisorem, et lucrum, quod amisit vulneratus tempore, quo vixit; non autem lucrum, quod cessavit a tempore mortis; cum id non fuerit debitum reale cum defuncto contractum, sed personale fundatum in personæ industria. *(Sot., Croix, n.* 309, *Scavini, n.* 637, *S. Lig., ibid.)* Si nullus supersit hæres, restitutio horum bonorum facienda est pauperibus, ait *Croix, ibid.* (V. n. 52).

Neque probabilius tenetur illis restituere quæ occisus, si viveret, erat probabiliter daturus, neque aliis occisi creditoribus horum credita, licet homicida hæc damna præviderit; semper equidem remote, et per accidens ipsa sequuntur, cum directe non intendantur. S*cavini, n.* 637, S. L*igor., n.* 632, *Gury, n.* 726. Secus si directe intendantur; nam occidens, animo nocendi directe aliis, jam opere injusto externo lædit illos; scilicet per injustam vim externam privat eos justo bono, ideoque ad restitutionem adigitur. L*ess.,* C*roix, n.* 310, S. L*ig., n.* 623 *ac seq.*, et *alii* contra *Sanch., Trull., Bon.*, aliosque, dicentes deficere ibi opus externum contra justitiam erga damnificatos.

III. *Si lædens morte plectatur, antequam damna reparaverit*, ejus hæredes ad restitutionem obstricti manent; pœna quidem justitiæ vindicativæ satisfecit, non vero commutativæ; quocirca onera, debitaque tunc ad hæredes transeunt. S. L*ig., n.* 705. Ast si læsi hæredes non reclamant, probabiliter juri suo cedere censentur. *Gury, n.* 727, *Fil., n.* 214, etc.: nisi res adhuc existat: S. L*ig., n.* 705; vel damnum esset valde grave. L*ugo.*

IV. *Si læsus ante mortem omnia remisit*, ad nihil tenetur occisor quoad illius jura; filiis quippe non fit injuria in bonis, nisi quatenus læ-

duntur in patre contra ejus voluntatem; nam isti in ejus jura realia succedunt: jus remissum est; ergo non debetur.—Tamen non recte ageret pater, si filii valde egeant. *(Less., Sanch., Salm., S. Lig., n.* 630, contra *alios).*—Remissa injuria, non ideo remitti censetur damnum; neque remisso damno, remitti damnum tertii; cum hoc remittere nequeat læsus, utpote jus non suum. *(Scavini, n.* 638).

V. *Nec restituere tenetur damna innocentis*, si per errorem mors illi imputetur; nam hoc per accidens et ex errore, aut accusatoris malitia evenit.—Imo probabilius etsi id prævideat occisor; quatenus non hujus actio proxime, et efficaciter in innocentis damnum influit, sed aliorum error, aut malitia. (Ita *Less., Sanch., Tamb., S. Lig., n.* 635, *et alii* contra *alios).*—Excipe si actio externa talis sit, ut proxime, ac moraliter influat, ut si occidat indutus vestibus, vel armis, vel in domo, agro, aut cum famulis innocentis, ut dicunt *Viva, Tamb., Croix*, S. *Lig., ibid.;* nisi adhuc in hujusmodi actionibus utatur jure suo; v. gr. quia domus usum habet; porro tunc nemini infert injuriam, quamvis peccare possit contra charitatem. (*Lessius, n.* 114).

VI. *Si vero lædens tale innocentis damnum intenderit, probabilius*, ait D. Lig., n. 636, *ad nil tenetur; quia semper ac actio ex se, vel ex ejus circumstantiis, non sit proxime causans imputationem, ut supra... intentio prava juxta communiorem sententiam non efficit, ut sit injustum... quod de se externe, graviterque non est injustum respectu tertii.* (Ita *Less.*, S*anch., Croix*, S*cavini, aliique*).

381. Q. *An ad restitutionem teneatur invasus, qui excedit moderamen inculpatæ tutelæ?* R. Affirma, si deliberate excesserit; cum invasor jus habeat, ut a nemine privata auctoritate injuste occidatur. Ita *Gury, n.* 727, *S. Ligor., n.* 637, *Lugo, n.* 54, *aliique communiter* contra *Mol., Sot., Silv., Angl.*, et *alios*, dicentes censeri invasorem jure suo cessisse.

365. Q. *An restituere aliquid teneatur qui alium occidit in duello?*

R. Nega probabilius, sive provocans, sive provocatus fuerit, modo hic pugnam acceptet; nisi vi, aut gravibus minis quis inductus fuerit; non enim per vim quis tunc læditur, et alius impeditur ab ipso alimenta accipere, sed sponte consentiens damnum patitur; ergo nemini est restituendum. (*Gury, Lugo , n.* 66 *et* 70, S. *Lig., n.* 638). Idem dic de rixantibus: imo si, aliis rixantibus, quis ultro ad rixam impediendam occurrat, et occidatur, rixantes principales ad nihil tenentur; illius siquidem homicidii causa efficax non fuerunt, sed simplex occasio. *(Alasia, Scavini, p.* 924).

---

# CAPUT III.

## De stupro, et fornicatione.

366. **Stuprator**, *qui puellam consentientem defloravit* absque ulla matrimonii, vel alterius rei promissione, ad nihil tenetur, neque erga puellam, neque erga parentes; nam puella libere cessit jure proprio; *scienti et volenti non fit injuria; ergo...* Et sicut puella quascumque

libere respuere poterat nuptias, sic et se reddere minus idoneam ad illas, consentiendo in sui deflorationem, quin ullam parentibus injuriam etiam irroget. *(Lugo, Gury, n. 729, S. Lig., n. 641, et alii).*—Excipe, si vir ipse, facinus propalando, puellam infamaverit: tunc ex justitia omne damnum exinde ortum compensare obstringitur tam ipsi puellæ, quam ejus parentibus; nam ita vera et efficax damnorum causa fuit.—Item ratione obedientiæ, si judex defloratorem ad aliquid damnaverit ob talem injuriam parentibus illatam. *(Scavini, n. 661).*

367. Q. *Ad quid tenetur qui virginem dissentientem seduxerit vi, fraude, minis, sed sine matrimonii promissione?*

R. I. *Si crimen est publicum*, stuprator omnia damna honoris, ac fortunæ inde obvenientia reparare tenetur tam puellæ, quam parentibus; cum eorum sit vera causa injusta et efficax. (*Ita ex jure canonico, et* S. *Lig., n.* 641 *cum communi).*—Hinc: 1.° parentibus honorem per veniæ petitionem resarcire debet;—2.° puellæ autem dotem augere, vel aliter procurando, quod æque bene nubat, perinde ac si non fuisset deflorata; vel in uxorem eam ducere, si aliter damnum ei reparare non possit, vel intercesserit judicis sententia. (Ita Scav., *n.* 662, *Lugo, n.* 11, *etc.*, S. *Lig., n.* 649, *cum communi).*—Si seductor puellam ducere velit, sed ipsa renuat, tunc dotare eam debet: item in dubio an etiam ab alio fuerit violata; semper enim ipsa præsumitur inviolata, donec aliter certo constet. Idem si vir rem habeat cum puella clam corrupta, vel cum vidua honestæ famæ, si ex suo injusto concubitu famæ jacturam faciant. (Ita S*alm.*, S. L*ig., l.* 3, *n.* 641, *cum communi).*

II. S*i crimen omnino occultum sit* (vel etiam publicum, et puella, vel vidua æque nubat), ad nihil tenetur seductor, nec pro virginitate, quæ non est pecuniæ comparabilis; neque pro damno, quod in casu non subsistit; neque pro injuria parentum; quia rem ignorant. *(Scavini, S. Lig., n.* 642). Idem dic *si vir adhibuerit tantum preces repetitas et importunas, dona et similia ad puellam seducendam;* ita quippe nec vim, nec fraudem intulit, sed sponte et libere puella consensit. (*S.* L*ig., ibid., cum communi).*

—Excipe: 1.° Si precibus adjungantur minæ, aut metus reverentialis; tunc enim contradictio evadit sæpe moraliter impossibilis:—2.° Si preces adeo frequentes ac importunæ essent, ut puella majoris faceret vexationem illam quam virginitatis jacturam; quod raro eveniet:—3.° Si vir jam incipiat vim irrogare puellæ tactibus, osculis, etc.; nam hæc in periculo proximo consentiendi eam constituunt:—4.° Si vir discedere nolit, et virgo consentiat, quia alias infamari timet, si cum illo sola ab aliis reperiatur. *(Bon., Dicast.,* L*ugo,* S*alm., n.* 16, *etc.)* In his et similibus casibus violatorem teneri tantum ad partem damnorum docent *Salm.*

368. **Seductor qui virginem defloravit per fictam matrimonii promissionem**, generatim eam in uxorem ducere adigitur: 1.° ob injuriam; aliter enim ad æqualitatem reparare nequit damna promissionis, etsi fictæ;—2.° quia in contractibus innominatis *facio ut facias,* cum unus suam implevit partem, ex justitia tenetur et alter implere suam, cum licite possit. *(Gousset, n.* 1015, *Scavini, S. Lig., n.* 642, *cum communi).* V. *S. Thom., Supp., q.* 46, *a.* 2.—Ergo multo magis tenetur si vere matrimonium promiserit. *(Ballerini, n.* 729).

Excipe: I. Si vir aliam jam duxerit, vel alloquin cum seducta con-

trahere non valeat; tunc *sufficit, si ei de nuptiis provideat,* ait *Angelicus:*

II. Si vir fœminam cognoverit existimans esse virginem, cum eam invenerit corruptam; multo magis si fœmina se virginem finxerit; nam tunc deceptio deceptione compensatur.—Secus si vir jam hoc ante sciverit; tunc enim eam ducere tenetur, si sit bonæ famæ, et in conjugio cognita; nam id non habetur dedecori.—Si autem extra conjugium sit cognita, tantum ad damna adstringitur exinde secuta; matrimonium equidem cum inhoneste corrupta longe pejus habetur, quam copula extorta. (Ita *Salm., Lugo, Scavini, n.* 663). Item si ex matrimonio timeatur pessimus exitus; uti rixæ inter contrahentium propinquos, familiæ viri dedecus; vel si puella sit nimis levis; tunc promissio est nulla, utpote de re illicita. (Ita *Scavini, Bon., Laym., S. Antoninus).* Idem dicendum putat *Sanchez* de alio quovis errore notabili ex parte viri.

III. Si fœmina ex verbis, aliisque adjunctis, etsi non adverterit, facile noscere poterat viri fictionem; v. gr., si vir inconstanter, ambiguitate, vel amplificatione sermonis fuerit locutus; vel si nobilitate ac divitiis valde superat puellæ conditionem, et ipsa hanc disparitatem sciverit; nam tunc mulier sponte decipi voluit; facillime quidem deceptionem percipere poterat. Unde probabilius vir nec tenetur eam ducere, etsi juraverit promissionem, neque damna reparare; quatenus tantum per accidens evenerunt, et imprudentiæ puellæ imputanda sunt; nam actio externa per se apta non erat ad damnum inferendum. (Ita *Scavini, Lugo, n.* 22, *S. Thomas, S. Antoninus, D. Lig., n.* 643, *cum communi).*

369. Q. *Quid si fœmina dictam disparitatem ignoraverit?*

R. I. Valde probabile est ad nil teneri virum; nam hic ad restitutionem obligari non debet, nisi ad æqualitatem illatæ injuriæ; æqualitas hic consistit, ut ipse servet quod puella rationabiliter petiit; et rationabiliter peti nequit, nisi alter ejusdem fere conditionis ac ea est; si ergo vir conditionis multo majoris illam duceret, redderet multum supra illatam injuriam, quod petere nequit, nec intendit ipsa fœmina: unde satis est aliter damnum compensare, sive dotando, sive de nuptiis providendo. *(Viva, Lugo, Salm., Sanch., S. Lig., n.* 643, *aliique).*

385. II. Si stuprator consensum promissum ad matrimonium exhibet, et mulier renuat, ad nihil amplius tenetur vir, etsi vere promiserit; nam per ipsum non stat, quominus contrahatur matrimonium. Excipe, si vir se finxerit melioris, vel æqualis conditionis ac puella, cum fuerit inferior; sane tunc eam dotare tenetur ratione fraudis. *(Lugo, S. Lig., n.* 647).

III. Si per puellam non stet, sed per ejus parentes, ad nihil adhuc tenetur vir ficte promittens; nec ratione promissionis; cum per eam tantum ad conjugium adigatur, ac si vere promisisset; nec ratione damni illati; quia tunc damnum non ex sua fraude, sed ex parentum repugnantia provenit. (Ita *Sanch., Tour., Lugo, n.* 29). —Tamen alii aliter sentiunt, quando promissio fuerit facta ad damnum compensandum. *(S. Ligor., n.* 647, *cum aliis).*

370. Q. *Quid si vir, qui virginem seduxerit vera, vel ficta matrimonii promissione, voto castitatis, aut religionis sit ligatus?*

R. 1.° *Si votum illud emisit post promissionem*, ad conjugium tenetur; etenim nullum est tale votum, cum fuerit emissum in puellæ injuriam. *(S. Lig., n.* 649, *cum communi).*—2.° Item probabilius si *votum*

*fuerit emissum ante promissionem;* quia damnum deflorationis nunquam adæquate reparatur nisi per conjugium; aliunde debita onerosa sunt præferenda gratuitis, prout sunt vota. Hinc si quis voverit dare bona sua pauperibus, et postea damnum alicui inferat, prius damnum resarcire tenetur, ac deinde votum implere, si possit. Imo etsi virgo violata fuerit conscia voti; cum post copulam facile obtineri possit dispensatio. (Ita *Scavini, n.* 664, *Lugo, S. Lig., n.* 649, *cum aliis plurimis).*—Unde deflorator ad impetrandam dispensationem obstringitur; nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media possibilia; si hæc consequi nequeat, tenetur ad damna compensanda.—*Alii* vero negant; non enim tenetur ratione promissionis, cum fuerit nulla; neque ratione damni illati; nam defloratio injusta non obligat nisi ad dotandam, vel ducendam defloratam; at hic corruptor verum consensum præstare nequibat; ideoque tantum tenetur ad damnum, dotando, aut de nuptiis providendo, perinde ac si deesset promissio. (Ita *Laym., Nav., Dian., Silv., P. Conc., Salm., n.* 13, *aliique plurimi).*

371. **Violans virginem**, quam scit sibi esse conjunctam, sub matrimonii promissione etiam ficta, (casu quo mulier non potuisset fictionem animadvertere) dispensationem impetrare tenetur ad servanda pacta, et damna resarcienda, si agatur de impedimento, in quo dispensari solet; scilicet ultra 1.$^{m}$ et 2.$^{m}$ gradum: et hoc quamvis nulla sit facta mentio dispensationis impetrandæ; jam enim subintelligitur, prout si religiosus promittat se aliquid daturum, *subintelligitur de prælati licentia;* nam taciti et expressi eadem est ratio.—Si tamen stuprator ad impedimentum inculpabiliter non advertisset, et pro dispensatione opus esset magna difficultate, vel sumptu, satis est si damna reficiat, sicut quivis alius injustus deflorator. Ita probabilius et verius *Scavini, n.* 664, *S. Lig., n.* 650, *Lugo, n.* 55, *aliique communiter* contra *Silv., Henr., Led., et alios,* dicentes nullam esse promissionem utpote de re impossibili absque dispensantis voluntate; ideoque nullam inducere matrimonium contrahendi obligationem.

372. **Stupratores quoad prolem susceptam tenentur**: I. Urgere onus matrimonium contrahendi ad eam legitimandam: si id obtineri nequeat, jure naturæ violator ad omnes nutritionis, et educationis prolis expensas tenetur, donec ipsa per se sufficere sibi valeat; nam est vera, injusta et efficax causa damnorum.—In ejus defectu mater curam filii suscipere tenetur, etsi vi deflorata sit; mater quidem est; licet recursum in corruptorem habeat quoad omnes expensas necessarias.

II. Si omnes consenserint, ex jure romano, mater alere tenetur prolem per tres annos, et dein ei providere tenetur pater; et si ultra mater prolem aluerit, jus ad adæquatam compensationem a stupratore repetendi habet, vel ab ejus hæredibus. Id ipsum valet, si ipsa lactare non possit, nec expensas nutritionis solvere; nam omnes in solidum tenentur in hoc casu.

Por derecho español el deber de alimentar al hijo natural incumbe al padre y á la madre. Pero si la madre fuese tan pobre que no pudiese criar al hijo, el padre debe socorrerla durante los años de la lactacion. Si el padre en su testamento no ha dejado nada á su hijo natural, puede este conseguir alimentos de los hedereros de aquel.—Segun el *art.* 372 *del Código penal español*, los reos de violacion, estupro ó rapto son condenados por via de indemnizacion 1.° á dotar á la injuriada, si fuese soltera ó viuda;—2.° á reconocer la prole, si la calidad de su orígen no lo impidiese;—3.° en todo caso á mantener la prole.

# CAPUT IV.

## De restitutione propter adulterium.

373. I. *Si proles ex adulterio non est nata*, ad nihil tenentur adulteri; quatenus nullum sequitur exinde damnum. Excipe si crimen marito sit notum; tunc personalem injuriam per veniæ petitionem, vel aliter compensare debent; nisi hæc non curet maritus; vel ipsam non præstaret adulter, et in bona fide sit, ut se habet usus. (*Scavini, n.* 667, *cum communi)*:

II. Si *dubitetur an nata sit proles ex adulterio*; cum ratione temporis, generationis, aut viri absentiæ suspicari id possit, ad nihil tenetur adulter; nam possidet matrimonium, filii legitimitas, et adulteri possessio, donec contrarium constet. (S. Lig., *n.* 657, *cum communi)*.

III. Si *proles certo illegitima sit, sed dubitetur inter duos, vel plures adulteros cujusnam est*, probabilius sic resolvi videtur: 1.° Si illi ex communi consilio adulterium patraverint, uterque tenetur pro rata, et in alterius defectu in solidum (ut supra n. 331).—2.° Si posterior sciat adulterium ab altero jam factum, advertens etiam ad dubium inde faciliter oriturum, de damnis tenetur; tunc enim ipse est causa voluntaria ac injusta incertitudinis prolis, atque ut a primo exigi non possit compensatio. 3.° In aliis casibus aliqui cum *Croix*, Lugo, *n.* 19, *Gury*, *n.* 733 tenent uterque pro rata ad restitutionem adigi; cum singuli sint causa efficax, et injusta incertitudinis compensationem impedientis.—*Alii* vero cum *Lessio*, *Sanchez*, *Fil.*, *Gob.*, *Scavini*, *n.* 667 probabilius contrarium docent; nemo siquidem tenetur de damno, nisi certo moraliter constet ipsum fuisse illius causam; cum onus certum ex dubia obligatione non oriatur; neque semper actio injuriosa damnum causet, ut argumentatur *Angelicus* (2. 2, *q.* 62, *a.* 7); et tunc per accidens se habet quod damnum non compensetur. S. Lig., *n.* 658.

IV. Si *denique proles ex adulterio certe nata est, et uxor omnino invita*, v. gr., minis, vi, dolo, omnia damna filiis legitimis reparare tenetur adulter; nam est injusta, et efficax damnorum causa; nempe, expensas pro educatione, et alimentatione prolis a tertio anno exhibitas, hæreditatemque huic relictam, etc.; quæ restitutio occulte fieri debet per confessarium, aut aliam personam fidelem.—Diximus *a tertio anno*; nam usque ad tertium annum eam lactare tenetur mater; et si mater non potest, ad expensas obstringitur adulter.

—Si *autem ex utraque parte adulterium fuerit liberum*, uterque adulter in solidum ad omnia familiæ damna reparanda tenetur, tam marito, quam filiis legitimis obvenientia; uxor quidem primo triennio prolem alere debet, dein adulter, donec proles valeat sibi providere.

—*Si vero mulier prolem adulterinam alere nequeat extra domum*, et alia ratione damna familiæ absque gravi dispendio famæ, vel rixarum periculo compensare, aliis mediis uti debet, v. g., diligentius rem familiarem curare, cultum sui corporis minuere, adulterinum filium in religionem inducere, si idoneus sit; et si bona paraphernalia, seu alia pro-

pria habeat, plus legitimis quam spureis tribuere per legata, testamenta. donationes, contractus. *(Scavini, n.* 667).

374. Q. *An adultera se prodere teneatur ad vitanda damna mariti, et legitimæ prolis, si alia non restat via?*

R. Nega generatim loquendo: 1.° quia nemo damnum illatum resarcire debet cum proprio damno longe majori; communiter hæc revelatio fieri nequit sine gravi infamia, sæpe sine mortis, vel perpetui odii, aliorumque gravium malorum periculo; imo sine gravi mariti tristitia, quibus damna fortunæ cedunt; ergo...—2.° quia difficile ita damnum reparare posset; nam filius matri fidem dare non tenetur, tam si mater sit bonæ quam perditæ famæ, licet damnum publicum sequatur, etsi illa cum juramento affirmet; secus amplia via fraudibus aperiretur. *S. Lig., n.* 654 *cum communi.*—3.° quia marito, atque filiis legitimis plerumque magis interest, ut res in occulto maneat ad mœrorem, et scandalum vitandum, et pacem domesticam tuendam. *(Ita Lugo, n.* 45, *et* 52, *Gury, n.* 732, *Ballerini, S. Lig., n.* 653, *et alii).* Aliqui excipiunt casum quo spurius perditis moribus imbutus, succedere debeat Regno. *Laym., Ronc., Less.* Ast cum filius matrem credere non teneatur, in praxi rarissime aliquid boni exinde sequeretur. Si ergo maritus interroget mulierem, an adulterium commiserit, æquivoce asserere potest: *Se non fregisse matrimonium;* cum adhuc subsistat.—Vel si jam confessa sit, potest respondere: *Hoc crimine innocens sum;* et sic jurgia, aliaque incommoda vitare.

375. Q. *An adulteri, et fornicarii opulenti prolem ad hospitium deferentes, eidem expensas resarcire teneantur?*

R. Nega probabilius; nam hæc hospitia erecta non sunt pro parentibus, sed pro omnibus expositis infantibus; omnes siquidem isti pauperes sunt; vel etiam ad illorum infamiam vitandam, ad abortuum pericula avertenda, prolisque mortem temporalem, et æternam impediendam; quæ facile acciderent, si adulteri, et fornicarii, etiam divites, cogerentur de ære proprio talem prolem alere. *(Scavini, n.* 668, *Dicast., S. Lig., n.* 656). Omnes tamen conveniunt, in praxi enixe adhortandos esse genitores ad aliquid, saltem titulo pœnitentiæ, orphanatrophiis tribuendum.

---

# CAPUT V.

## De tributorum fraudatoribus.

376. **Tributa** dicuntur *pensiones, quæ ad regios, ac communes reipublicæ sumptus solvuntur.* Divisio: 1.° alia sunt *realia*, quæ immobilibus eorumque fructibus imponuntur; —2.° alia *personalia*, quæ tantum imponuntur ratione personæ; —3.° alia *mixta*, quæ pro mobilibus, et personis sunt solvenda; —4.° alia *ordinaria*, alia *extraordinaria*, prout quotannis imponuntur, vel tempore belli, aut necessitatis extraordinariæ; —5.° alia sunt *pedagia* aut *portaria*, quæ a transeuntibus solvuntur pro viarum, et locorum conservatione.

—Sed maxime distingui solent tributa in *directa*, et *indirecta: Ad prima*, revocantur etiam ea, *quæ solvuntur ratione divitiæ mobilis, industriæ,*

*artis, professionis, mercaturæ*; item quod solvitur pro *molitura, fenestris, portis domus*, pro *familia ejusque membris*, ac *foco*.— Ad *secunda* vero pertinet *quod tribui debet pro jure successionis ; usu chartæ obsignatæ; descriptione contractuum ; insinuatione; domesticis animalibus, curribus, equis*, vel *titulis honorificis ; vestimentis, familiaribus, annonarum consumptione*, ob *manus mortuas*, pro *quota concursus*, et similibus. Item pro *novis inventis, thesauro*, vel *fodinis; ob lites, sortes; pensiones* in gubernio fundatas; item *pedagium*, etc. (*Scavini, l.* 2, *n.* 737). Cum tributi impositio sit actus supremi dominii in bona subditorum, ad illa imponenda requiritur suprema, legitimaque auctoritas.

377. **Tributa imponere possunt** : 1.° Imperatores, reges, ac præsides supremam habentes potestatem ; — 2.° illi, quibus principes gubernandi potestatem cum expressa facultate ea imponendi elargiuntur ; — 3.° civitates, et communitates, etiam subditæ, pro singulorum locorum necessitatibus, si principes non contradicant ; — 4.° SS. Pontifices, et Concilia ex potestate indirecta de temporalibus disponendi, si id opus sit ad regimen spirituale. *(Scavini)*.

378. Q. *An in conscientia tributa sint solvenda?*

R. Affirma, si justa sint: constat 1.° ex S. Scriptura: *Quis militat suis stipendiis unquam?* ait Apostolus (I Cor. IX): *Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum :* (Rom. XIII). Et Christus ait: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari:* (Matth. XXII);—2.° ex ratione; quia princeps supremam administrationem pro omnibus suscipiens, ex justitia prospicere tenetur bono publico; et consequenter jus habet ab omnibus proportionaliter obtinendi quæ necessaria sunt, tum ad suam dignitatem conservandam, tum ad sumptus pro publico bono curando; nam ut dixit Tacitus: *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* (L. IV, hist., c. 74; *S. Lig., n.* 615, *et seq.)* Ex justitia legali ergo solvenda sunt tributa. *(Ballerini, n.* 737).—Diximus *si justa sint,* nempe, proportionata necessitatibus regni, ac personis contribuentium, et a legitima auctoritate ob justam causam imposita. Secus reges ac principes *ad restitutionem tenentur, sicut et latrones : et tanto gravius peccant, quam latrones, quanto periculosius, et communius contra publicam justitiam agunt, cujus custodes sunt positi,* ait Angelicus, 2. 2, q. 66, a. 8.—Hodie, sicut fert usus, nec *pedagia* ac *portaria,* nec *alia tributa* solvuntur, nisi petantur; postulata ex justitia legali sunt solvenda, si justa sint, prædicta ratione. *(Scavini, p.* 879).

379. Q. *Quid in dubio de alicujus tributi injustitia?*

R. 1.° Si nulla, vel levis adsit suspicio de injustitia, solvendum esse omnino videtur tributum in conscientia; possidet quidem principis jus. —2.° Si vero adsit gravis de injustitia suspicio, vel de causæ cessatione, probabilius et communius ad nihil tenentur subditi quoad excessum; nam in dubio subditus obedire non tenetur; cum præceptum nimis difficile sit, vel graviter damnosum ; tunc equidem possidet jus proprietatis. Præsertim hodie in tanta tributorum multitudine, pauca necessarias præseferunt conditiones. (Ita *Cajet, Laym., Less., Spor., Lugo, cum communi).*--Unde concludit *Scavini, p.* 880, cum *Sylvio* et *Billuart,* quod si *quis fraudet de illis quantum bona fide existimat, se plus æquo gravari, neque peccat, neque tenetur ad restitutionem.*—3.° Neque probabilius in tali dubio peccant publica tributa exigentes, si de injustitia eis non cons-

tet; quia nemo præsumitur malus, nisi probetur; cum nulla alia adsit ratio quam dubium. *(Lugo cum communi* contra *Molinam*).

380. **Gabellæ, seu vectigalia** dicuntur *tributa, quæ immediate in quasdam merces cadunt, et solvuntur a personis, quæ illas transvehunt, emunt, aut vendunt.* Hinc: I. *Aliqui existimantes has leges non ut pure pœnales*, probabilius et communius solvenda esse vectigalia affirmant; nam Apostolus ait: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal:* (Rom. XIII).—Et Christus etiam dixit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* (Matth. XXII).—Ratio patet ex supra dictis. Neque subditorum est distinguere inter tributa et tributa, seu quæ sint in conscientia debita, quæ vero non; nam omnis lex de se nata est parere obligationem. (Ita *S. August., Epist.* 96, *alias* 120, *Gousset, Scavini, p.* 880).

II. *Alii negant:* 1.° Quia cum magna pœna fraudatoribus sit imposita, lex gabellarum mere pœnalis esse videtur; nempe, aut gabellas, aut lucrativam pœnam afficiens.—2.° Quia si omnes integras impositiones solverent, principum necessitates excederent.—3.° Quia dubium saltem est, an lex sit pure pœnalis, vel mixta; et in dubio favendum est damno subditorum, et possidentibus.—4.° Hæc est etiam communis populorum persuasio.—5.° Hoc confirmat jus civile, ubi dicitur, in dubiis quæstionibus contra fiscum esse judicandum.—Ex quibus communiter sentiunt *AA.* cum *Bill., Scavini, Gousset, n.* 999, *Lugo, n.* 43, *Gury, n.* 738, *Volger, n.* 332, et *Ballerini*, quod generaliter excitandi sunt populi ad solvenda tributa ac vectigalia; at post factum cogendi non sunt ad restitutionem, si probabiliter sibi suadent in tanta vectigalium multitudine aliquid injuste solvisse, vel satis ad publicas necessitates contribuisse; saltem ne forte iis, qui in bona fide sunt, malam fidem inutiliter injiciant adhortatores.

Tamen certo *per se* peccarent: 1.° si præpositos gubernii pecunia et metu corrumperent; — 2.° contra obedientiam, et contra justitiam legalem, non commutativam, si potestati resisterent; quia lex tributorum, quamvis sit pœnalis, gubernatoribus tamen jus tribuit in subditos, si in fraude deprehendantur: sed mulctæ evasio non nectitur cum obligatione restituendi; quia jus ad mulctam non fundat debitum justitiæ commutativæ. (*Scavini, p.* 881, *Gury, n.* 738). Quamquam de jure naturæ pauperes excipiuntur, si secus se et suos alere non valent: alii etiam concedunt ministros tributa remittere posse alicui valde pauperi ex rationabili principis voluntate; jam enim ad id tenetur princeps, ut etiam concedi solet in contagio, incendio, grandine.—Idem concedunt quoad eos, qui emunt, vel deferunt de loco ad locum res sibi et familiæ necessarias pro vita et vestitu, dummodo non fiat negotiatio. (*Scavini*).

381. Q. *Quid de gabellarum præpositis, qui fraudantes adjuvant, vel occultant, aut pecuniam ad talem libertatem concedendam recipiunt?*

R. Certum est eos graviter peccare, et ad restitutionem teneri; nam ideo deputati sunt, et stipendium ad id impediendum accipiunt. Item si tributa non exigunt, nisi agatur de parva quantitate, vel de paupere, aut de re ad personæ deferentis usum. Item peccant eos sic corrumpentes ob cooperationem ad eorum culpam. (*Ita omnes*).

382. Q. *An peccent, et restituere debeant merces prohibitas vendentes?*

R. 1.° Ex se, si de rebus omnino prohibitis agatur, ut tabacum externum, resolve juxta supra de gabellis dicta.—2.° Qui vendunt res, quas

aliqui tantum ex privilegio vendere possunt, ut sal, tabacum, obligantur fraudantes juxta primæ sententiæ *AA.* ad restituendum privilegiatis lucrum, quod isti probabiliter fecissent.—3.° Qui autem vendunt quod ut aliqui soli vendere valeant, regi tributum solvunt, ut caupones vinum, de culpa et restitutione teneri docent iidem *AA.* Aliter sentit 2.ª opinio, ut supra.

383. Q. *An merces emens a gabellarum fraudatore peccet, et restituere debeat?*

R. Cum emptor sit vere cooperator, resolve juxta supra dicta de ipso fraudatore gabellarum.—Tamen etiam qui defraudatores ad restitutionem obligant, excipiunt emptores, qui positive non cooperantur ad tributi fraudationem, sed simpliciter merces emunt; nam tale tributum est onus simul reale, et personale, nempe venditoris, qui, facta venditione, obstrictus adhuc remanet, et non transfert hoc onus in emptorem.—Secus dicunt de eo, qui positive cooperatur; quia et ipse fit causa in damnum influens.

384. Q. *Cuinam fieri debet restitutio ratione tributi defraudati?*

R. Antiqui AA. principi restituendum esse dicebant, cujus est violatum jus.—Juxta alios recentiores subditis est restituendum: nunc vero in pauperes, aut usus pios impendendum esse defraudatum sustinent, juxta præsumptam principis, et subditorum voluntatem. 1.° *Non principi;* quia non suppetit modus, quo id fieri possit; nec ipsi fit damnum, cum jam hoc prævidens plus a subditis exigit.—2.° *Non subditis;* nam singulis fieri nequit restitutio; ergo in pauperes, vel in pios usus, aut publicas utilitates summa impendi debet. (Ita *Gury, n.* 743, *Gousset, n.* 999, *cum communi*).—Tamen, cum fere unanimis DD. sententia sit, fideles ad restitutionem fraudati tributi adigi licite non posse, cum desit culpa; aut saltem nullo modo expedire, ut hæc obigatio urgeatur; hæc quæstio inutilis videri potest. Ast utilis saltem est, si quando alio modo, v. g. per furta, damnum publicæ rei quispiam intulerit. (Ita *P. Ballerini, n.* 743).

—*Casus.* Titus vendit Petro prædium libellis 20 millibus; sed ut imminuant tributum translationis dominii a gubernio impositum, conveniunt contrahentes de pretio 10,000 tantum in actu publico inserendo. Notarius astutiam noscens, illam laudat et suadet. Quid? R. *Alii* peccare omnes contra justitiam contendunt; *alii* hoc negant; quia lex non videtur aliud intendere nisi publicum contractum firmare; vel saltem est lex pure pœnalis; consequenter non obligat nisi post sententiam; cum hæc taxa non videatur venire nomine tributorum, nisi forsan indirectorum. Ad nihil igitur tenetur notarius, cum non sit officialiter constitutus, nisi ad actus publicos conficiendos, non vero ut tributorum præpositus. (*Scavini, l.* 2, *n.* 742).

# DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

NON FALSUM TESTIMONIUM DICES. (*Matth.* XIX).

*In hoc præcepto animadvertantur duæ leges, altera prohibens, ne falsum dicatur testimonium; jubens altera, ut simulatione, fallaciisque sublatis, dicta, et facta nostra simplici veritate metiamur.* Ita *Catech. romanus.* Hinc prohibet: 1.° perjurium, et mendacium:—2.° judicium temerarium, et suspicionem injuriosam:—3.° detractionem:—4.° contumeliam. Pauca de singulis, prætermisso perjurio, de quo in secundo Decalogi præcepto.

## CAPUT I.

### De mendacio, judicio temerario, et suspicione.

385. **Mendacium** est *locutio, vel significatio contra mentem, cum animo fallendi.*—*Mentiri* enim dictum est quasi ex verbo *contra mentem ire*, quod verbis, scriptis, et nutibus fieri potest: tamen, si fiat nutibus, vel factis, *simulatio* vocatur, ad quod reduci possunt *jactantia, hypocrisis, adulatio,* et similia. (*Scavini*).

—*Triplex* distinguitur mendacium:—1.° *damnosum,* quo *injustum damnum alicui infertur:*—2.° *officiosum,* quod *ob nostram, vel alienam utilitatem patratur:*—3.° *jocosum,* quod *fit ex joco, vel nugandi causa.*

Hinc: I. Mendacium *proprie dictum* semper est intrinsece malum. Probatur 1.° ex S. Scriptura: *Nolite mentiri invicem* (Colos. III). *Noli velle mentiri omne mendacium*: (Eccli. VII).—*Os autem, quod mentitur, occidit animam.* (Sap. I);—2.° quia rectæ rationi opponitur fallere, ac vocibus uti contra earum naturalem institutionem, et finem;—3.° quia si alios in loquendo decipere liceret, subverteretur ordo, et commercium societatis. —Mendacium *damnosum* grave est ex genere suo: at erit veniale, vel mortale peccatum pro ratione damni, quod proximo infert; proindeque onus damnum reparandi inducit.

II. Mendacium *officiosum*, et etiam *jocosum*, per se veniale non excedit; in eo enim gravis inordinatio non apparet. Tamen quoad jocosum, ut ait *Gury*, *n.* 438, nullum erit peccatum, quando talia sint rerum adjuncta, ut audientes facile intelligere possint, loquentem tantum jocari velle. Unde non mentiuntur qui fabulas, vel parabolas conscribunt; aut tropice, ironice, hyperbolice, aut amphybologice loquuntur, cum ab audientibus facile hoc intelligi possit.—Neque mentiuntur qui asserunt falsum, quod credunt verum, sed tantum errant. E contra, mentiuntur qui verum dicunt, quod falsum putant; nam contra mentem loquuntur. Unde nunquam mentiri licet; alias Deus mendacium illud approbare diceretur;

imo in tali casu Deus ipse mentiri posset: hæc duo pugnant; nam veritas est essentialis perfectio naturæ divinæ; ergo... Quoad restrictionem mentalem (V. vol. 1, n. 563). Sit nunc de fama, et honore proximi.

386. **Fama** est *publica opinio de alterius excellentia.* **Honor** autem est *ipsa testificatio alterius excellentiæ.* Fama alterius læditur per dubitationem, suspicionem, opinionem, et judicium temerarium; exterius autem per detractionem, et calumniam. Honor vero læditur per contumeliam.

387. **Judicium temerarium** est *firmus assensus ex levibus indiciis de aliquo proximi defectu conceptus.* — Distinguitur 1.° ab opinione, quæ *est assensus minus firmus, et cum formidine de opposito;* — 2.° a suspicione temeraria, quæ *est inclinatio quædam ad assensum de proximi malo ex insufficienti ratione;* — 3.° a dubitatione, quæ est *suspensio animi de personæ bonitate in neutram se determinans partem.*

**Judicium temerarium ex genere suo mortale est**, et contra justitiam; nam sic judicans: 1.° Dei attributum usurpat. *Tu autem quis es, qui judicas proximum?* (Jacob., IV.) *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* (Math., VII). — 2.° Proximo gravem infert injuriam, dum sine causa interius improbum habet, cum jus ad famam possideat. *Inexcusabilis es o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas.* (Rom., II.) *S. Lig., n.* 962. Tamen ad gravitatem judicii temerarii opus est: 1.° ut sit citra dubitationem: — 2.° de re gravi, atque de persona determinata, et nota: — 3.° voluntarium, et plene deliberatum: — 4.° innixum levibus, ineptisque indiciis ad judicandum, et qua talibus notis: alias non erit judicium, aut vere temerarium, nec graviter injuriosum. Unde veniale erit: 1.° ob materiæ parvitatem: ut si judices aliquem esse spurium, vel judæi filium. *Nav., Azor., Less.*, contra *alios.* — 2.° ob magnam judicii probabilitatem, licet non sufficientem ad certitudinem, ut si juvenem cum puella solum in cubiculo inventum illicita tractasse judices; vel si id audiens a viro probo, et fide digno, hoc credas; nam moralis certitudo, et magna probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis injuria judicare certum, quod est valde probabile. Secus si illud audieris a pravo, vel erga alterum male affecto. *Gury, n.* 489. — 3.° ob plenæ advertentiæ defectum, vel ob inadvertentiam insufficientiæ signorum. — 4.° si de indeterminata, vel ignota persona quis judicat; tunc equidem injuria nemini irrogatur. *S. Lig., n.* 962. Hinc raro erit mortale sive ob defectum temeritatis, sive firmitatis.

388. **Suspicio, et dubitatio temerariæ** ex genere suo veniales tantum sunt; maxime si ex errore intellectus proveniant, aut ex indole hominis; vel ex præteritis illius factis; vel si motiva sufficientia apprehendantur; siquidem ob debilem, et facile mobilem adhæsionem leve tantum proximo afferunt damnum; nam famam non tollunt, sed minuunt; manet enim in mente suspicantis aliquo modo bona æstimatio proximi. *(S. Lig., n.* 963, *cum communi).* Si vero sine ratione, sed ex malevolentia in suspicione, vel dubitatione positiva, et temeraria, præsertim gravissima, persistas, prout si de catholico habito uti probo suspicares quod sit judæus, vel atheus, parricida, etc.; vel de pio religioso, quod sit adulter, aut stuprator, et similia, vix mortale effugies; quia forte major iis irrogatur injuria, talia suspicando, quam si certum haberetur judicium de aliorum gravibus delictis ordinariis. *Less., Salm., Lugo, Gury, n.* 467,

*S. Ligor.*, *n.* 964 contra *Cajet.*, *P. Nav.*, *Laym.*, *Dian.*, *Sa*, *aliosque*, tenentes suspicionem, et dubitationem temerariam ad grave peccatum pertingere non posse; quia nunquam graviter alterius famam lædere videntur, quantumvis temerariæ sint.

389. **Dubia in meliorem partem non semper sunt positive interpretanda.** I. Si agatur *de damno vitando*, dubia in pejorem partem accipere possumus ; nempe judicium suspendendo, ratione præventionis. Sic Job pro filiis suis offerebat, *ne forte peccaverint:* neque damnum alicui irrogatur ; sed tantum quis jure suo utitur, sese præcavendo. Hinc superior ad cautelam sese gerere potest ac si subditi revere delinquant :—qui ignotum domi recipit, ita se gerere potest, ac si esset fur; nam etsi positive judicari non possit eum esse furem, potest tamen quisque sibi consulere, cum certo sciat inter homines esse fures. *(Scavini, Gury, n.* 467).

II. Si *non agitur de damno vitando*, dubia de personis negativo modo melius est explicare, ne quis se exponat errandi periculo. — Si vero non placet, vel non liceat, dubia in meliorem partem sunt interpretanda; sane proximus jus habet ad famam ; et in dubio *melior est conditio possidentis*, vel *nemo præsumendus est malus*, *nisi probetur ;* et aliunde melius est errare bene, quam male judicando. *(Scavini, n.* 671))

III. *Dubia vero de rebus*, v. g. an talis propositio sit vera, vel talis contractus licitus, tunc res est suis æstimanda momentis ; nam hic agitur de rei veritate, et non de proximi pravitate. Hinc audiens aliquam propositionem hæreticam, uti hæreticam eam judicare tenetur; alias injuriam veritati irrogaret; secus de eam proferente; cum ex ignorantia, vel inadvertentia ita loqui possit. Bonum erit tunc illud D. Bernardi exercere: *Etiamsi perperam actum quid deprehendas, ne sic judices proximum; magis autem excusa ; excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.* (Serm. 40 in Cant.).

---

# CAPUT II.

## De detractione.

390. **Detractio** est *famæ proximi injusta denigratio in ejus absentia facta*. Dicitur 1.° *proximi;* nam qui propriam lædit famam, ex se injustus non est, cum sit illius dominus; — 2.° *injusta;* ob justam etenim causam proximi culpam revelare licet ; — 3.° *in ejus absentia ;* in præsentia superadditur quidem contumelia.

**Octo modis** hisce versibus ab Angelico expressis fit detractio :

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,*
*Qui negat, aut reticet, minuit, laudatve remisse.*

1.° Omnium gravissimus, cæteris paribus, est falsi delicti *impositio*, seu calumnia, ut patet; — 2.° est veri criminis *amplificatio;* nam quoad augmentum adest calumnia; — 3.° est occulti criminis *revelatio;* — 4.° boni operis sinistra *interpretatio;* uti si quis dicat Bertam confessionem

frequentare, sed ob vanitatem, vel pravum finem; — 5.s *negatio* boni operis; — 6.s *reticentia* in iis circumstantiis, cum facile exinde intelligi possit proximum, vel non esse laude dignum, vel tantam sibi non mereri; — 7.s *attenuatio* alienæ virtutis; — 8.s *frigida commendatio*, ex qua adstantes intelligant, sic laudantem non bene sentire de eo, quem laudat. — Quatuor primis modis fit detractio *directe;* et quatuor ultimis *indirecte*.

Huc revocatur qui vultu, vel nutibus detrahit, vel calumniatur; uti dum aliquis laudatur, ille malitiose humeros attrahit, subridet, sermonem brevi interjectione abrumpit; v. g. Pius est quidem vir probus, verumtamen... Unde illud adagium:

*Si* nisi *non esset, perfectus quilibet esset;*
*Sed pauci visi, qui caruere* nisi.

Isti plerumque famæ magis nocent, quam si certum aliquod crimen aperte revelarent; tunc enim vagis, et quibusvis suspicionibus porta aperitur. *Molliti sunt sermones ejus super oleum: et ipsi sunt jacula.* (Ps. LIV). Et exinde illud Gagliuffi:

*Sæpe homines canibus similes; nam turba, latrantem*
*Unum si audierit, cuncta repente latrat.*

En *generatio, quæ pro dentibus gladios habet.* (Prov. XXX). — Et *dentes eorum arma et sagittæ.* (Ps. LVI).

391. Q. *Quale peccatum sit detractio, ac etiam calumnia?*

R. Sive detractio, sive calumnia ex genere suo mortalis est contra charitatem, et justitiam, et quidem gravius est hoc peccatum, quam furtum; quatenus majori jure, ac bono privat: *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.* — *Abominatio hominum detractor.* (Prov. XXII, et XXIV). — *Grande scelus est, quando detrahis fratri tuo*, ait D. Hieronymus in Ps. CXLIX. — Videlicet unico ictu tres lethaliter interficit detractor ex D. Bernardo: 1.° *detractum*, cui adimit famam; 2.° *detrahentem*, qui suam interficit animam; 3.° et *audientes*, quibus scandalum præbet.

— Tamen sive detractio, sive calumnia tantum venialis esse potest sicuti furtum; nempe si grave damnum non inferat; nam *peccata, quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta, quæ proximo inferuntur:* ait Angelicus; *quia ex hoc habent rationem culpæ. Tanto autem est majus nocumentum, quanto majus bonum demitur.* (2. 2, q. 73, a. 3). — Hinc in praxi, ad dignoscendam detractionis, seu calumniæ gravitatem, est attendendum: — 1.° ad qualitatem *personæ lædentis;* nempe, an sit discreta, et gravis; garrula, aut levis; bonæ, vel malæ famæ; tunc enim major, vel minor præstatur fides; — 2.° *personæ læsæ;* an sit gravis, aut superior, vel religiosus; an inferior, vel plebeia; nam majus, vel minus sequitur nocumentum pro majori, vel minori læsi qualitate, vel æstimatione. *(Gury, S. Lig., n.* 967).

Unde communiter mortale non erit unum grave alterius peccatum revelare, si ex adjunctis gravem suæ famæ jacturam non patiatur; v. gr. si dicas militem pugnasse in duello, vindictam cogitare. Secus si peccatum graviter dedecorat sive in se, sive relate ad infamatum, velut si de aliquo in conspicua dignitate constituto tam multa revelentur, quamvis levia, ut notabiliter ejus fama lædatur; v. gr. si de optimo prælato, aut religioso dicatur esse mendaciis assuetum; vel de ecclesiastico, quod sit

puellarum amans. Ita *Gury, n.* 448, *Scavini, n.* 676, *S. Lig., n.* 967.— Idem dic de naturalibus defectibus, licet per se mali non sint; quippe a voluntate non pendent: tamen ratione magni mœroris, ut siquis de aliquo nobili in faciem ejus dicat esse spurium, judæi filium, vile mancipium, mortale esse poterit; item ratione præjudicii. *Salm., Lugo, S. Lig., ibid.* Secus plerumque levis erit detractio, si alius infametur generalibus nominibus gravium peccatorum; v. gr. talem juvenem esse iracundum, superbum, avarum, vel prodigum, amoribus deditum, etc., nam audientes ordinarie hæc interpretantur de naturali propensione quasi involuntaria. *S. Lig., n.* 967, *S. Antonin. cum communi.* Item veniale per se erit dicere de puella quod sit garrula, elata, impatiens, et similia. *Scavini, n.* 676.

392. **Mortale alterius peccatum uni, vel alteri amico, aut viro prudenti revelare.** I. A mortali excusatur qui, solatii causa, sine detrahendi intentione, uni, vel alteri amico injuriam sibi ab alio factam narrat, etsi aliqua sequatur infamia; eam enim sibi imputaturus est offensor; cum alter utitur jure suo naturali, nempe solatium in dolore quærendo; nam dolor communicatus est dolor dimidiatus. *(Ita communissime Salm., n.* 46, *Scavini, S. Lig., n.* 973*).* Sic a gravi excusantur famuli detegentes injurias sibi illatas a dominis; uxores a viris; filii a patre; religiosi a prælato; modo non pluribus nominetur persona, quam necesse sit ad consilium, vel solatium.

II. Si absque justa causa talis revelatio fiat, *aliqui* mortale esse dicunt; læsio quippe famæ, etiam penes unam gravem personam, gravis censetur, ut patet ex judicio temerario, quod ex se grave est; et sæpe quis ægrius fert se lædi apud unam personam, quam apud tres, vel quinque alias. *(Gury, n.* 448, *aliique plurimi).—Alii* vero satis probabiliter id negant; cum enim fama consistat in communi æstimatione hominum, non absolute diffamatus censetur, qui apud unum, vel alterum tantum suam amiserit famam. *Less., Caj., Bon., Tamb., Scav., aliique* apud *D. Lig., n.* 973, ubi pro hac sententia affert S. Thomam, qui ait: *Si quis referat prælato culpam proximi, intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid hujusmodi, quod ad emendam* (emendationem) *proximi videret expedire, non peccat.—Si autem hoc sive prælato, sive alicui amico suo ex malitia refert, tunc peccat mortaliter.—Quod si ex incautela alicui dixerit hoc (id est crimen alterius), ita tamen quod non proveniat inde aliud, vel infamia, vel vituperium proximo delinquenti, tunc non peccat mortaliter, licet incaute agat.* (Quodl. II, art. 13, a. 3). *Nec dicas verbum illud* ex incautela, *intelligi pro inadvertentia; ex hac enim numquam peccatur mortaliter; sed omnino intelligitur imprudentia, sive levitas animi, quæ tantum est venialis; et tunc tantum erit mortalis, cum ex ea inde provenit delinquenti infamia* (si audiens sit aliis dicturus) *aut vituperium.* Ita *S. Lig., n.* 973, *Ballerini, n.* 448. Nec tenet paritas judicii temerarii; in hoc enim habetur falsi criminis impositio, in nostro casu tantum nuda veri criminis revelatio. *(Ita S. Lig., ibid., Less., n.* 70.)

393. Q. *An diversa peccata committat, qui alicui detrahit in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit, vel coram pluribus?*

R. I. Affirmant probabilius *Croix, Silv., Scavini, n.* 669, *S. Ligor., l.* 5, *n.* 48, *cum aliis;* diversa siquidem læduntur jura ad famam, vel ad honorem, quæ alteri competunt (quod non evenit in furto; nam in hoc

unicum læditur jus ad bona fortunæ); cum diffamatus in uno genere criminum, non ideo sit diffamatus in alio; et sicut ipsa peccata specie diversa differunt apud Deum, quia opponuntur diversis virtutibus, ita specie differri videtur eorum vera, aut falsa imputatio apud homines; cum adversetur diversis speciebus virtutum, et famæ. Nonne si diversis vicibus quis id faceret coram iisdem personis, graviter semper peccaret? (V. l. 1, n. 310).—Excipe mulierculas, et plebeios, qui simul rixantes eodem impetu diversis se onerant contumeliis; nam juxta communem æstimationem hi famam, et honorem non graviter lædunt; quatenus audientes nullam eis fidem præbent, putantes illa potius proficisci ex impetu iræ, quam ex animo, et rei veritate: et ideo tales rixantes, ut plurimum, a mortali excusantur, nisi de aliquo facto particulari adversarium improperent. *(Ita Salm., n.* 13, *S. Lig., n.* 48).

II. Alii vero negant diversa peccata illum committere; quia licet tales detractiones, et contumeliæ materialiter distinguantur specie, moraliter tamen unam hominis famam, aut honorem lædunt; eo quod in unum objectum formale tendunt. (Ita *Lugo, de Pœnit., n.* 265, *Salm., n.* 4, *cum Cajet., Sa, Azor., Bon., Dian., aliisque apud Croix, l.* 5, *n.* 161, *et apud S. Lig., ibid.)* Non parum hæc sententia deservire poterit confessariis; nam injustum est imponere obligationem, quæ certa non est, ut recte ait *Ballerini, n.* 449.—Idem fere disserunt AA. quoad diversitatem numericam, et specificam circa personæ qualitatem per detractationem, vel judicium temerarium læsæ; uti si diversa temerarie judicentur vitia proximi; vel si detractus sit pater, aut superior. In dubiis quod minimum est tenendum.

394. III. *Qui alteri detrahit coram pluribus,* non committit diversa peccata; quippe hoc est tantum circumstantia aggravans; cum jus ad famam sit unicum apud omnes: tunc sufficit confiteri: *Detraxi coram pluribus,* ut sic declaretur infamia. (Ita *Lugo, n.* 112, *Tamb., Azor., Mol., et S. Lig., l.* 5, *n.* 49).—Contrarium tenent *Croix, n.* 162, *Holzm., n.* 675, *aliique;* nam tot jura ille lædit, quot sunt personæ apud quas alter infamatur.

IV. *Graviter non peccat qui, tacita persona, ipsi coram pluribus detrahit;* v. g., in tali loco esse male viventes; eo quod nemini irrogatur infamia; nam in omni populo generatim sunt qui male vivunt.—Item si de ignota persona detrahatur; v. gr., in tali Collegio unum canonicum commisisse grave crimen, v. gr. simoniam (nisi in alios redundet infamia), vel de aliquo, quem audientes non noverunt, nec unquam sunt agnituri, etsi nominetur, quod *per se* omni culpa vacat.—Excipe si detraheretur Monasterium, vel Ordo regularis, saltem non numerosus, dicendo, v. gr. quod in eo non servatur regularis observantia; in illo male vivitur, etc., nisi id plane notorium sit; nam gravissime infamaretur Monasterium illud, et sub gravi ad restitutionem teneretur detractor. Item si grave peccatum occultum, tacita persona, revelaretur; nominando tamen Monasterium, vel Ordinem religiosum, in quo est commissum, v. gr. adulterium, vel fornicatio. *(S. Ligor., n.* 979, *Gury, n.* 456).—Si vero *peculiares defectus personæ taceantur, sed tantum in genere dicatur:* multa scio de eo;... scit ille me posse ipsum ad tacendum cogere; id *per se,* videtur mortale; nam sic gravis suspicio audientium animis ingeritur. (Ita *Scavini, Lugo, n.* 49, *S. Lig., n.* 967).

395. Q. *Quid si referatur crimen occultum de aliqua persona, sed hæc de aliis delictis jam sit infamata?*

R. Si illa crimina sint inter se connexa, uti si dicas de ebrio rixari cum uxore sua, veniale tantum erit; quia notabiliter non augetur infamia; jam enim id de illo subintelligitur.—Secus si sint disparata; ut si de furto quis sit diffamatus, et dein diffames etiam de adulterio; nam infamis circa unum vitium non amisit jus famæ quoad alias virtutes. Item qui de una fornicatione est diffamatus, eum diffamare non licet de alia occulta; eo quod una relationem non dicit cum alia, nec consuetudinem importat. Secus si hanc haberet. *(Scavini, S. Lig., n.* 976).

396. Q. *An liceat detrahere defunctis?*

R. Nega circa eorum gravia ac occulta delicta (etsi minus grave sit quam vivis); quia juxta communem hominum æstimationem in sua fama semper vivere censentur: et *mortuo non prohibeas gratiam* (Eccli. VII). Hinc historiographi ignominiæ notam illorum memoriæ sine sufficienti causa inurentes, occulta manifestando, cognita augendo, nec actam pœnitentiam referendo, graviter peccant, et ad restitutionem tenentur; neque hæredes condonare possunt, cum famæ aliorum domini non sint. *(Scavini, Gury, n.* 455, *S. Lig., n.* 974 *et* 978).

397. Q. *An sine charitatis, et justitiæ violatione candidatorum vitia possint a quolibet publice aperiri?*

R. Affirma; qui enim accedere optat ad electorale collegium, publico judicio se subdit circa suas politicas opiniones, religiosas atque morales; quoad suum ingenium, capacitatem, fiduciam, vel timores, quos infundit, omniaque dominio ephemeridum subsunt; charitas siquidem, et justitia privatorum bono communi sociali, et religioso sunt postponendæ. *Parisis, Casus conscientiæ, Del-Vecchio, n.* 676. Item adversus Ecclesiæ hostes, qui scriptis pugnant, aliquando acriter decertare licet; nam ex S. Augustino etiam charitas suos habet aculeos: sic etiam in pugna litterarum contra illos sarcasmo uti licet, ut nos docuit C. Jesus, et in S. Scriptura ironica etiam verba invenimus; quamvis adversarii, pharisæorum more, id charitatis defectum, et scandalum esse vociferentur. Ast hoc erit demetandum juxta profectus spem; et non raro congruentius erit charitate, dulcedine, ac silentio uti; ne plus pharisæi exasperentur, et ardentius malum peragant, atque effundant. Aliquando pro viribus opus erit sic scribere ad illorum retundendam petulantiam, et plebem commonendam, tuendamque.

398. **Crimen publicum revelare ignorantibus.** Triplici modo crimen dicitur publicum: *publicitate juris, facti, famæ:* 1.° *Publicitate juris,* cum *de eo constat per publicam judicis sententiam,* vel *per ipsam rei confessionem,* vel *per testium in judicio depositionem.*—2.° *Publicitate facti,* cum *id publice coram multis est patratum;* ita ut ulla tergiversatione, vel effugio amplius celari, aut excusari nequeat.—3.° *Publicitate famæ, quando delicti notitia ad majorem communitatis partem pervenit;* vel ad tot ejusdem personas, ut, omnibus spectatis, fieri nequeat, quin ad notionem majoris partis perveniat. Hinc: Ut *crimen dici possit publicum,* sufficit quod, si communitas 8 constet personis, illud sciant 4;—si 100, sciant 15;—si 1,000, sciant 20 circiter diversarum familiarum;—in vicinia 40 personarum, ut sciant 8 ex diversis familiis;—in oppido 5,000 civium, ut noscant 40 in eo dispersi.—Infamatus dicitur

in regno, qui est jam in Curia infamatus, vel in alio illustri loco, ex quo facile in regnum fama dimanat. (Ita *Scavini, Gury, Lugo, S. Lig., n.* 975, *cum communi).—Crimen autem in una familia, vel monasterio notum dici nequit absolute publicum,* sed tantum in eo loco; et manifestare illud non licet in alio monasterio, etsi ejusdem Ordinis; cum sit privatorum notitia; nam una familia habetur uti unus homo. His positis:

I. Neque contra justitiam, neque contra charitatem graviter peccat, qui verum alterius crimen revelat aliis ignorantibus in loco ubi sive *juris,* sive *facti,* sive *famæ* publicitate jam sit notum; eo quod tunc jus ad famam delinquens amisit, nec de injuria juste queri potest. Hoc firmat consuetudo historiæ mandans publica crimina. *(S. Ligor., l.* 3, *n.* 974, *cum communi).*

399. II. *Crimen in uno loco publicum probabilius, et per se revelare licet in alio, ubi ignoratur,* saltem absque gravi peccato, si agatur de loco quo brevi notitia perveniet; nam fama brevi, ac necessario amittenda, nullius, aut parvæ æstimationis est; et moraliter loquendo jam est abjecta. Item si crimen in uno loco notorium sit *notorietate juris;* ideo judex sententiam evulgat, ut ad terrorem, et exemplum sit in omnium notitia. Imo ad bonum commune confert, ut reus ita cognoscatur, et omnes ab eo se cavere valeant. (Ita *communiter Lugo, Gury, Scavini, S. Lig., n.* 974).

III. Si vero criminis notitia aliunde habeatur sive *notorietate famæ,* sive *facti,* alii dicunt esse grave contra justitiam, et charitatem crimen revelare in loco ubi adhuc delinquens suam possidet famam; tunc enim per detractionem injuste ibi a sua bona fama spoliatur; et reus hoc sciens, valde tristatur. (Ita *Antoin., Dicast., Tour., Villal., Bill.—Alii* cum *Lessio* docent tantum peccare contra charitatem; nam graviter contristaretur diffamatus id sciens.—*Alii* communius cum *Lugo, n.* 59, *Scavini, Salm., S. Antonin., D. Lig., n.* 964, esse grave peccatum negant, neque contra justitiam, neque contra charitatem; maxime si agatur de criminibus, quæ hominem publico bono perniciosum reddunt, uti crimina latrocinii, scandalosæ impudicitiæ, homicidii, lenocinii, proditionis, et similium; bono etenim publico confert maleficos agnoscere, ut ab eis caveant omnes; et sane publicum bonum famæ privati est præferendum. —Maxime hodie, quia loca censentur contigua ob facilitatem, et multitudinem viatorum, et commercii.

Nec obstat dicere, quod reus possidens in eo loco suam famam, ab hac spoliari nequit cum sola opinione probabili. Nam eodem tempore, quo suum crimen fit publicum, ex una parte jam probabiliter amittit ipse jus ad suam famam, et ex alia communitas acquirit jus certum ad eum cognoscendum, ut illum vitet; et cum jus suum tunc evadat incertum, redditur etiam incerta possessio illius. (Ita *D. Alphonsus, n.* 974).—*P. Concina, t.* 1, *pag.* 239, *n.* 10, sic distinguit: Si crimen notorium sit notorietate tantum famæ, *cauti omnes sint oportet, quia facile fingitur hæc publica fama.* Si vero *notorietate facti,* scilicet, si publice patratum, patefieri potest ubicumque; nam auctor absolute amisit jus ad famam, sic eam prodigens: contra vero quisque jus habet ad facti publici notitiam acquirendam, et id litteris sæpe commendatur.—Excipe si crimen esset falso impositum, vel notitia ex confessione veniret. *(Scavini).* Item si ex dicta anticipatione sequerentur gravia damna in officio, etc., vel gravis mœror. *Lugo, S. Lig., n.* 973 *et* 974. Similiter non est peccatum contra

justitiam, saltem mortale, quærere causam captivitatis alicujus, vel de ea loqui; adest enim publicitas. *(Sayr., Bon., Trull., S. Lig., n.* 974).

IV. Si crimen olim fuit publicum notorietate *juris*, vel *facti*, id est; publicis historiis mandatum, et nunc oblivione, tempore, aut bonis moribus sit oblitteratum, peccato caret ejus revelatio; nam interest ad malorum terrorem, et ad publicum bonum; sic instruuntur posteri, et honoris spe ad præclara impelluntur, ac infamiæ timore a turpibus deterrentur; ita fert usus.—Hisce exceptis, disputatur an liceat. *(Scavini)*.

400. Q. *An graviter peccet referens gravia alterius peccata, uti ab aliis audita, vel ex errore vera ea esse credens?*

R. 1.° *Peccat graviter contra justitiam et charitatem, si asserat a persona fide digna se audivisse;* sic enim sufficientem causam malum credendi præbet: secus si referat crimen a personis fide indignis auditum, v. gr. ab inimicis infamati; ita ut probabiliter fides dictis non adhibeatur; siquidem nulla inde infamia oritur.—Multo enim facilius graviter peccabit referens, etiam ut mere dubium, enorme alterius peccatum, ut sodomiæ, rebellionis, hæresis. *(Gury, n.* 452, *S. Lig., n.* 978).—2.° *Si audita ab aliis crimina referantur coram iis, qui ex levitate, vel malitia sunt credituri, contra charitatem peccat referens;* nam quisque impedire tenetur grave proximi damnum, si commode potest: non vero contra justitiam; quia non est causa efficax damni, sed mere per accidens. *(Lugo, n.* 56, *D. Lig., ibid., cum communi).*— 3.° *Qui revelat alterius crimen occultum et falsum, credens ex errore illud esse verum et publicum* sive ex errore, sive ex inadvertentia ita agat, sive rem magni momenti propalet, quam parvi putabat; sive Paulo tribuat Petri crimen, est injustus famæ alienæ detentor; statimque ac id advertat, et commode valeat, nempe sine suo notabili incommodo, ex justitia et charitate restituere eam tenetur per retractationem, sicut supra de possessore rei alienæ diximus. (*Scavini, Lugo, S. Ligor., n.* 993, *cum communi*). Si vero error se teneat ex parte audientium, ex charitate tantum eum corrigere debet; eo quod non sua actio, sed audientium error est tota damni causa. (*Bon., S. Lig., ibid.*)

*Neque ex se licet alterius crimen occultum revelare, narrando simul et pœnitentiam;* nam semper ingeritur quædam sinistra opinio in aliis, et permanet. Secus si ad divinam misericordiam patefaciendam, ad peccatores alliciendos, vel ad horrorem vitii injiciendum utile sit, uti de Magdalena, Samaritana, aliisque refert sacra historia. (*Scavini*).

401. Q. *An ad vitandum grave damnum revelare possis crimen occultum alterius, si injuste notitiam acceperis, v. g. per vim, aut fraudem, puta aperiendo alienas litteras?*

R. Alii cum *Soto* dicunt non posse, etsi mortem subire deberes.—Alii cum *Nav.* sustinent non licere, si ex illa infamatione alteri damnum irreparabile immineat; secus si reparabile.—*Molina* censet tunc tantum fas esse revelare, quando longe majus detrimentum tibi times. *Less., P. Nav., Mazzot., Con.,* docent posse te revelare ad quodcumque tuum grave damnum vitandum; quia in gravi necessitate uti licet notitia illicite acquisita.

Cæterum *Lugo, n.* 101, *Laym., Croix, Spor., Tour., Scavini, S. Lig., n.* 969, et *alii* sic distinguunt. Si tantum de damno vitando agitur, non licet illa notitia injuste accepta uti cum alterius detrimento; etenim actio injusta, qua tu secretum accepisti, obligat te ad restituenda omnia damna

propter illam proximo obventura, sicut debitor, qui creditorem suum in gravem, vel extremam conjicit necessitatem.

Licet tamen crimen manifestare, quando esset tibi permissum etiam per vim, aut fraudem illud exquirere, et litteras aperire: 1.° si revelatio ad bonum commune reipublicæ, vel religionis necessaria esset; nam quilibet tunc jura sua postponere debet;—2.° si alter ex justitia secretum revelare teneatur ad tuum damnum reparandum;—3.° si ille injuste te vexaret. Hinc si tuus hostis tibi innocenti mortis sententiam a judice expetere velit, illius occultum crimen (cujus notitiam illicite accepisti) revelare poteris. Revera tunc est juste se defendere ab injusto aggressore per media directa ac necessaria; vel re furtiva uti in extrema necessitate; quod licitum est, sicut quis illam quocumque modo de novo licite sibi procurare valet. (Ita *Lugo, l. cit.*)

402. **Justæ causæ alterius grave crimen revelandi** propter aliquod majus bonum sunt: 1.° *ut delinquens emendetur,* illud judici, prælato, domino, patri, et superiori suo deferendo, vel cui ad id obtinendum conveniat; modo in majus ejus damnum non contingat;—2.° *ad consilium, vel auxilium petendum* pro ipsius delinquentis emendatione, aut pro se ipso; nam bonum animæ est præferendum bono temporali, ut recte ait *S. Basilius in reg. brev.;*—3.° *ad tuendum innocentem,* vel causa cavendi alterius, vel proprii gravis damni (etiam fortunæ); ut si alicujus medici, advocati, magistri, confessarii, domini, famuli æstimatio falso concepta de doctrina, vel probitate esset aliis perniciosa. Unde cum agitur de conferendo officio, de contrahendo matrimonio, de suscipienda religione, assumendo præceptore, medico, famulo, domino, socio, maxime inter juvenes, licet manifestare (imo sæpe oportet) occulta alterius crimina, aut inhabilitatem ad notabile incommodum vitandum; et præsertim cum quis interrogetur ab eo, cui id scire interest ob prædictos fines. Ratio horum est, quia nocens jus non habet ad famam cum damno innocentis, vel contra charitatem, et justitiam; et aliunde charitas non obligat cum gravi damno. (*Less., Gousset, Lyonet, Lugo, S. Ligor., l.* 3, *n.* 968);—4.° *ut publicum vitetur damnum;* nam tunc quisque per se loquendo crimen manifestare tenetur; quia bonum commune privato bono est præferendum, et omnes ad illud tenemur. Unde detegenda sunt crimina, quæ in reipublicæ, vel religionis ruinam vergunt.

Hæc autem solum obtinent: 1.° cum aliter damnum vitari, aut bonum obtineri nequeat;—2.° si damnum satis amissioni famæ proportionatum, vel fere æquale sit;—3.° nec aliis, nec amplius crimen manifestetur, quam oporteat. *S. Ligor., n.* 968. Non abs re est hæc animadversio Stapf., § 385: *Quantum illi peccent, qui alios, instigante odio, vel ut præpositis adulentur, deferunt, per se patet. Ast homines etiam optimæ indolis denuntiationem justam cum impia delatione sæpe confundunt, at ob inde quoscumque abusus dissimulant.*

Q. *Quid agere debet Collegii confessarius, cum noverit pœnitentem superiori esse delaturum alicujus crimen?* R. Ad id eum obligandum requiritur: 1.° ut delictum sit omnino certum;—2.° ut sit aliis contagiosum;—3.° ut medium electum ad superiorem informandum non sit confessioni odiosum;—4.° ut absit grave periculum delatori;—5.° ut adsit securitas ex parte superioris. Si vero pœnitens per se aptus ad hanc delationem non fuerit, ipse confessarius negotium in se assumere poterit,

licentia obtenta a pœnitente et scripto exarata; ut si juvenis dein de hoc se retractasset, testimonialia habeat confessarius.

---

# CAPUT III.

## De detractationem audiente, et de famæ restitutione.

403. **Detractionem audiens:** I. Graviter certo contra justitiam et charitatem peccat, si alium efficaciter ad detrahendum inducit; vel si in ipsam detractionem efficaciter cooperetur; v. gr. detractorem excitando, interrogando, laudando, exterius delectationem manifestando; cum sit tunc vera, ac efficax causa damni, quod proximus injuste patitur. *Digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* (Rom. I, 32).

II. Graviter item peccat contra charitatem, et affective etiam contra justitiam, in re gravi, si audiens detractionem secum de illa gaudet; de gravi alterius damno quidem delectatur, ac de actu injusto. Unde monet Scriptura: *Cum detractoribus non commiscearis.* (Prov. XXIV).—Excipe si quis non de ipsa detractione delectetur, sed de auditione rei novæ, vel curiosæ, etsi de curiosa criminis alieni cognitione. (*Scavini*, *Gury*, *n.* 453, *S. Lig.*, *n.* 980). Alii cum *Elbel.*, *Spor*, *Salm.*, *Bon.*, *Dian.*, addunt, etsi quis gaudeat de ipsa quoque detractione, sed non ex odio, vel de alterius damno, bene vero ex simplici animi vanitate, vel curiositate (si non sit superior), quod veniale tantum erit: id deducunt ex D. Thoma, qui ait: Si *quidem* (aliquis) *inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei* (auditori) *detractio propter odium ejus, cui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, et quandoque magis.* (2. 2, q. 73, a. 4).

404. **Detractionem impedire tenentur.** I. *Superior tam detrahentis quam detracti* graviter peccat, audiendo gravem detractionem, si eam non avertat, in quantum commode possit; ipsi siquidem specialis obligatio incumbit detrahentem corrigendi, aut damno subditi infamati obviandi. (*Lugo*, *n.* 133, *Gury*, *n.* 453, *S. Lig.*, *n.* 980).—Probabilius tantum contra charitatem peccat id omittens; nam invigilare non tenetur bono alterius non subditi, neque ex justitia bono temporali sui subditi. *Gury*, *Lugo*, *S. Lig.*—Excipe probabilius, si ex justitia ad corrigendos subditos teneatur, uti Episcopus, parochus. (*Salm.*, *Sanch.*, *S. Lig.*, *n.* 360, *et* 980, *aliique*).

II. *Persona privata* non peccat detractionem non impediens: 1.° si inutiliter corrigeret juxta illud: *Ubi auditus non est, non effundas sermonem* (Eccli. XXXII);—2.° si corrigere non possit sine gravi incommodo, vel sine gravi offensione detrahentis; ad quod non obligat charitas;—3.° si dubitetur, an crimen sit jam publicum, vel an alter justam habeat causam uni soli manifestandi; sane nemo præsumendus est malus;—4.° si ubi detractionem advertit, sermonem expungit, vel discedit, aut faciem avertit, vel tristem se ostendit juxta illud: *Dissipat... facies tristis linguam detrahentem.* (Prov. XXV). Unde raro expedit detrahentem ab initio sermonis abrumpere; nam sæpe nonnisi communia, et publica

facta asseruntur; et aliunde talis interruptio ad conciliandam detrectantibus attestationem inserviret, ut ait *Lyonnet*, et testatur experientia. *Lugo*, *n.* 128, *S. Lig.*, *n.* 980.

III. Si detractio certo injusta sit, et persona particularis commode detractorem admonere valens, tamen non admonet, sive ex rationabili verecundia, aut ex timore ob auctoritatem detrahentis; vel ex eo magnum incommodum metuit; vel etiam ex negligentia, modo de illa non gaudeat, nec præter infamiam aliud sequatur damnum, saltem a peccato gravi excusatur; eo quod sæpe constare nequit correctionem esse profuturam; imo facillime est periculosum, ne offensi detrahentes eam augeant, vel confirment. *(Ita communiter Gury, Scavini, S. Lig., n.* 981). *Si vero non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed... plerumque venialiter.* (S. Thom., 2. 2, q. 73, art. 4.)

405. **Famæ restitutio** *sub gravi est facienda,* si graviter sit læsa; nam detractor est tota efficax, et injusta causa infamiæ, sive crimen revelatum sit falsum, sive verum, et sæpe aliorum etiam damnorum: unde ex justitia, quantum fieri potest, tenetur: 1.° ad reparandum famam injuste ablatam; — 2.° ad compensandum omnia damna ad arbitrium prudentum ex diffamatione secuta, et aliquo modo prævisa, uti ex privatione famulatus, officii, pensionis, dotis, matrimonii opulenti. *(Ita Gury, Scavini, S. Lig., n.* 991, 994, *et* 996, *cum communi).*—Obligatio famam reparandi est personalis; reparandi vero alia damna est realis; proindeque ad hæredes transit hæc, non vero illa. *(Gury, n.* 457). Si autem fama leviter tantum sit læsa, sub levi est reparanda; at in praxi plerumque ob retractationis difficultatem sufficiet, si restitutio fiat indirecte, nempe, bene de læsa persona loquendo.

Q. *Quomodo fieri debet famæ restitutio?*

R. I. *Si facienda sit ob revelationem criminis veri,* debet infamans quo magis possit, opinionem de eo conceptam abolere; v. g., dicendo, *se male dixisse, injuste diffamasse.*—Sed quia modus hic sæpe non sufficit apud intelligentes, qui potius ex hisce formulis conjiciunt verum esse crimen, quod non aperte falsum esse asseritur; convenientius erit amphibologice dicere: *se errasse, falsum dixisse, deceptum, vel mentitum fuisse.*—Neque hæc verba mendacia sunt, ait *Scavini*, sed vera amphibologia; nam *ipsa peccata,* inquit Angelicus, *falsitates dicuntur in Scripturis secundum Psalmistam:* « Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?» Et in *Prov.* XIV legitur: *Errant qui operantur malum.* Hinc in nostro casu bene possumus, imo, si opus sit, tenemur talibus verbis ambiguis uti, dum *S. Thomas* docet, famam proximi omni modo possibili reparandam esse. *Ita Salm., n.* 133 *cum aliis pluribus. Ego soleo hoc consilium dare,* ait S. Alphon. *ut dicant: Ex capite meo hoc erui, æquivocando nempe, quia omnia verba a mente, pro qua accipitur caput, procedunt.*—At si prudenter judicetur restitutionem sic factam potius fore noxiam, quam utilem, melius erit eam indirecte agere; scilicet pluries offensum, data occasione, serio honorando, de eo bene loquendo. *(Ita Salm., Scavini, S. Lig., n.* 992).

II. *Si vero facienda sit restitutio ob criminis falsi imputationem,* infamans crimen illud aperte retractare tenetur, etiam cum jactura propriæ famæ, si aliter fieri nequeat reparatio; cum melior sit conditio inno-

centis; malitiæ enim suæ calumniator imputare debet tale detrimentum. —Imo, ubi opus sit, juramentum adhibere debet; nam ad totum necessarium devincitur, ut injuriam reparet.—Probabilius testes adhibere non adigitur, nisi aliquo casu raro; nil quippe firmius quam divinum testimonium. *Salm., Scavini, S. Lig., n.* 991, *aliique*, contra *Lugo, Con.*, qui etiam testes exigunt. — *Tamen qui per famosum libellum detraxit*, ut efficax sit restitutio, eam facere tenetur contrariis scriptis, vel publica revocatione, ut ad omnes veniat reparatio. *(Gury, n.* 459, *S. Lig., n.* 995).—*Diffamator veniam a diffamato petere non tenetur*, quoties aliter honorem etiam non læserit; siquidem per veniæ petitionem non restituitur perdita fama. *(Ita communiter).*

406. Q. *Sufficitne se retractare apud immediatos auditores?*

R. Verior sententia, ait *S. Ligor., n.* 991, apud mediatos etiam esse faciendam restitutionem, tenet, saltem si in confuso præviderit detractor ad eos culpa sua criminis notitiam perventuram esse; fuit enim prima et efficax causa damni: secus vero si id non putabat; vel si auditores illius jam se retractant apud alios: tunc apud immediatos se retractare sufficit; nam tale damnum per accidens evenit, et nihil volitum quin præcognitum. (Ita *Lugo, Salm., Scavini, S. Lig., n.* 991, *cum communi*). Secunda vero sententia, (quam, practice loquendo, probabilem putant *Bus., Lugo, Holzm., Croix, Spor., Salm.*), tenet sufficere, ut plurimum, restitutionem facere apud immediatos; tum quia restitutio apud mediatos sæpe est moraliter impossiblis; tum quia per illam retractationem apud immediatos jam imponitur iis obligatio se retractandi apud alios. (*S. Lig., ibid.*) Tamen, in defectu diffamatoris, ad famæ reparationem tenentur cooperantes ad diffamationem sicut ad cætera damna. (*Gury*).

*Si auditores silentium revelanti promiserint, vel sub secreto ipsis manifestatum sit alterius crimen*, tunc, eo invito, facta est ulterior revelatio, et propter aliorum malitiam; consequenter de damnis ulterioribus non tenetur. Excipe si loquaces esse auditores jam sciret infamans.

407. Q. *Quid in dubio an crimen sit oblitteratum?*

R. 1.° *Si sermo sit de crimine vero*, non est facile in memoriam revocandum; nam potius attenditur ad crimen, quam ad retractationem; nisi adsit evidens periculum quod ad memoriam ex alia via infamia redeat. *Less., n.* 100.—2.° *Si de falso crimine agatur*, revocanda est infamatio; nisi certo de oblivione constet; nam cum res falsa adhuc sit, nullam proprie dictam infamiam per se importare poterit ejus retractatio.—Imo dicunt *Tour., Mazz., Holzm., Less., Salm., n.* 138, *aliique plurimi* apud *D. Lig., n.* 998, sufficere ad omittendam retractationem, quod oblivio probabiliter credatur.—Censent *Less., Salm., Lugo et Bon.*, crimen præsumendum oblitum, si per multum tempus nulla de illo mentio facta fuerit.—Unde cum retractatio per se afferat infamiam retractanti, non videtur quis teneri damnum certum pati, ad reparandum incertum proximi. 3.° *Si autem audientes nullam fidem detractori habeant;* quia loquitur ex ira, vel alia passione, delictum non probando, tunc nulla proprie est læsio, neque reparationis obligatio; porro ad hanc requiritur moralis certitudo, quod detractor fidem obtinuerit apud auditores.*S. Lig., n.* 998.

Cæterum curet confessarius, ut hujusmodi restitutio ante absolutionem fiat; alias difficillime implebitur; fortiter quidem acuit sese retractare, ac malum, vel imprudentem se ostendere.—Imo si prævidet confes-

sarius, (ut sæpe eveniet), quod pœnitentes, etsi onus eis imponat, non adimplebunt, melius erit in sua bona fide (si forte hanc possident) eos relinquere, uti de bonorum fortunæ restitutione diximus.

408. **Causæ excusantes a famæ restitutione** sunt sex, hisce versiculis contentæ:

*Impos, publicitas, oblivio, cessio, fama*
*si reparata fuit, si data nulla fides.*

I. *Impotentia*, tum *physica*, tum *moralis*. 1.ª Si nullo modo fieri possit; vel quia infamator e regione illa egressus fuerit; vel quia audientes a præoccupata opinione revocari non sinunt: porro ad impossibile nemo tenetur. *Gury, n.* 460.—2.ª Si fieri nequeat nisi cum damno, cæteris paribus, longe majori eo, quod pati deberet infamatus, v. g. cum periculo vitæ, vel si esset homo honoratus, præsertim religiosus, aut superior, vel persona bono publico, aut religioni valde utilis; tunc sufficit infamatum laudare, aut pecunia compensare. Ita *S. Lig., n.* 1001. Ast qui totum non potest, ad partem possibilem tenetur. *Salm., n.* 134.

II. *Publicitas:* si crimen evaserit publicum.—*Oblivio:* si res sit oblivione deleta.—*Cessio:* infamati expressa, vel tacita condonatio: imo quandoque sufficit præsumpta, vel interpretativa; v. gr. si ita sit animo affectus, ut, si rogaretur, facile condonaret, dummodo condonare possit, ut supra n. 428; tunc enim non est invitus, saltem quoad substantiam. *S. Lig., n.* 1003.—*Fama si reparata fuit* aliis modis, uti judicis sententia, vitæ probitate, evidentia veritatis, vel prudentum testimonio. — *Si data nulla fides* ex parte audientium. *Salm., n.* 137. *S. Lig., n.* 997.

409. **Famæ compensatio**. Certum est 1.° Quod si alter tibi velit famam restituere, teneris et tu pariter ei restituere famam ablatam.—2.° Non licere famam alterius auferre, eo quod ab ipso fuerit quis infamatus; nam esset vindicta, et non compensatio: hæc in bonis fortunæ locum habet, si tantum aufero, quantum a me abstulit fur.—3.° Neque licere, si inæqualitas sit maxima quoad illatas injurias. (Ita *communiter Salm., n.* 143, *S. Ligor., n.* 999. – 4.° Si vero fama ablata sit ferme æqualis, et unus restituere nolit, differre poterit et alius restitutionem: est enim generale principium: *Non cogeris jus suum alteri reddere, si ille recusat tibi reddere tuum.* Et sic aliquo modo restituitur fama, quatenus alterius testimonium, seu utriusque, remanet infirmatum per diffamationem. (Ita *Bouvier*, Less., *Salm.*, *Sanch.*, *Scavini*, S. Lig., *n.* 999, *et alii* contra *paucos).*

---

# CAPUT IV.

## De susurratione, contumelia, et irrisione.

410. **Susurratio** est *oblocutio secreta seminans inter amicos discordias.* Convenit cum detractione ex parte materiæ; nam utraque malum de altero dicit; sed specie differt ex parte finis; quippe susurratio insuper dissolutionem amicitiæ intendit: unde peccatum maxime contra Deum est; ideoque specie diversa, ac gravior detractione. *Sex sunt, quæ*

*odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus:... qui seminat inter fratres discordias.* (Prov. VI, 16). Unde in confessione est aperienda, ut notat *Angelicus, 2. 2, q. 74, a. 2.*—Quot malorum sint causæ susurrones in familiis, in communitatibus, in universa societate haud dici potest. Hinc illud: *Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* (Eccli. XXVIII). *Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris.* (Prov. XXVI).

411. **Contumelia** est *injusta honoris læsio præsenti et scienti, vel repræsentanti irrogata.*—Contumelia fieri potest *dictis, factis,* vel *honoris negatione:* 1.° *dictis,* quibus aliquis contemnitur;—sive objiciendo ei defectus *naturales,* et dicitur *convicium;*—sive defectus *morales,* et dicitur *contumelia;*—sive ejus *indigentiam,* vel *ortus obscuritatem,* et vocatur *improperium.*—2.° *Factis,* quibus, v. gr., superioris imago conculcatur. —3.° *Negatione,* seu cum cultus superioribus debitus denegatur. Quæ omnia ejusdem speciei sunt.

*Contumelia* ex *genere suo* peccatum mortale est; et gravius equidem detractione; et adhuc gravius, si fiat in superiorem; quatenus lædit simul famam et honorem. Apostolus *contumeliosos* vocat *morte* dignos. (Rom. I).—Et Matth. V, legitur: *Qui autem dixerit fratri suo, Raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue: reus erit gehennæ ignis.*—Aliquando veniale tantum erit peccatum, sive ex imperfectione actus, sive ex materiæ levitate, uti leve convicium non multum hominem dehonestans, et proferatur ex aliqua animi levitate, aut ex levi ira, absque firmo proposito aliquem dehonestandi. *Scavini, n.* 685. Sæpe nullum erit peccatum; uti si leve convicium proferatur *causa delectationis ac joci, si debitæ circumstantiæ serventur;* quod ad eutrapeliam pertinet.—Item si ad correctionem proficiat; sic Christus *discipulos vocat stultos;* et Apostolus *Galatas insensatos:* sed raro expedit; nam ex Augustino sæpius subditos ad iram excitat.

412. **Subsannatio, et irrisio** est velut ludus, vel illusio contra alterius honorem: si *gestibus ridiculis* irridetur, dicitur *subsannatio;* si autem *verbis, risu,* et *jocis,* ut erubescat, *irrisio* appellatur. Unde derisio est speciale peccatum ab aliis præmissis distinctum; nam illi modi honorem deprimere intendunt; hic vero intendit pudorem, et verecundiam causare.—«Irrisio non fit nisi de aliquo malo, vel defectu, subdit *Angelicus...* Potest autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter: uno modo secundum se; alio modo ratione personæ. Cum autem aliquis alterius personæ malum, vel defectum in ludum, vel risum ponit, quia secundum se parvum malum est, est veniale, et leve peccatum secundum suum genus. Cum autem accipitur quasi parvum ratione personæ, sicut defectum puerorum, et stultorum parum ponderare solemus; sic aliquem illudere, vel irridere, est eum parvipendere... Et sic derisio est peccatum mortale, et gravius quam contumelia;... quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriose, illusor autem in ludum. Et secundum hoc illusio est grave peccatum, et tanto gravius, quanto major reverentia debetur personæ, quæ illuditur. Unde gravissimum est irridere Deum, et ea quæ Dei sunt... Secundum locum tenet irrisio parentum. *Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi.* (Prov. XXX, 17). Deinde justorum derisio gravis est; quia honor est virtutis præmium... Quæ quidem derisio valde nociva est; quia per hoc homines a bene agendo impediuntur.» Ita *S. Thom., 2. 2, q. 75, art. 1 et 2.*

413. Q. *An reparandus sit honor per contumeliam ablatus?*

R. Affirma, et non tantum honor, sed etiam alia prævisa ac secuta damna sunt stricte ex justitia reparanda; adest quippe injuria; nam pluris æstimatur honor quam divitiæ. *(S. Lig., n.* 966). Etsi honorem nostrum curare præstet, cavendum tamen ne sub specie virtutis putidum *egoismum* sequamur, ut monet *Stapf.*, § 332. Unde circa honoris nostri curam admodum delicati esse non debemus; neque proinde populi, aut magistratuum, potentiorumque gratiam mediis indignis captare intendamus, qualia forent nimia celeritas in faciendo Sacro, laxitas in confessionario, turpis adulatio, conversatio justo familiarior, approbatio abusuum, qui alicubi invaluerunt, etc., § 330.—Quocirca decet memorare illud Apostoli: *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* (Gal. I). Quandoque expedit contumelias tolerare; quandoque eas expellere; nempe: 1.° propter aliorum bonum, cum tolerantia bono communi obesset, uti si prælatus, aut magistratus, tolerando, redderetur contemptibilis; vel si subditorum petulantia augeretur;—2.° propter bonum contumelias inferentis, ut ejus retundatur audacia. *(S. Lig., n.* 966). Tunc *responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* (Prov. XXVI).

414. **Modi honorem reparandi.** Ad honoris restitutionem illa satisfactio requiritur, quæ censeatur sufficiens ad integrandam æstimationem juxta personæ offensæ, et offensoris conditionem; et etiam ut æquitas servetur juxta offensæ, et modi qualitatem. Hinc: 1.° *Si honor publice fuit ablatus* et coram aliis, in præsentia eorum est restituendus, qui dehonorationis testes fuerunt; vel saltem sive per se, sive per alium, eo modo quo facile ad ipsorum notitiam pervenire valeat. *(S. Lig., n.* 984). *Si vero occulte est ablatus honor*, clam fiat reparatio.—2.° *Non reparatur honor per signa communia* postea ab offensore exhibita; quia hæc pro præsenti honore sunt, non pro illata injuria.—3.° *Si dehonorator fuerit æqualis, vel inferior*, requiritur satisfactio major, v. gr. ut salutando præveniat, locum cedat, et similia; vel veniam petat: sed talis petitio veniæ necessaria non est, nisi quando aliter satisfieri nequeat. *(S. Lig., n.* 986). Si vero injuria sit gravissima, uti alapa superiori inflicta, plures dicunt non sufficere veniam petere, sed flexis genibus, vel modo extraordinario esse petendam. Ita *Salm., n.* 116, *Lugo, S. Anton., Laym.*, et *alii* contra *Less., Trull., Bon.*, veniæ petitionem semper sufficere docentes.—4.° *Si vero fuerit superior*, sufficiet si dehonoratum salutet, domi inviset, aut ei benevolentiam ostendat, etc. *(S. Ligor., n.* 986). Sed raro ad veniæ petitionem tenetur; ne dum *nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* (S. August., Epist. 211).

415. **Excusatur a satisfactione dehonorator.** I. *Si inhonoratus vindictam sumpserit;* v. gr., alterum percutiendo, vulnerando; nam ille pro honore vindictam acceptare videtur; alter vero non resistens, suam culpam fateri censetur, et de altero æstimationem. Sed si injuria a te irrogata tuam primam offensam notabiliter excedat, teneris tu, saltem secundum excessum, satisfacere. *(Lugo, n.* 60, *S. Lig., n.* 989).

II. *Si offensor a judice publice puniatur;* ipsa siquidem pœna inflicta pro honore ablato videtur satis honorem resarcire.—Item si offensor a judice coactus, debitam satisfactionem præstiterit; secus si non fuit sufficiens. *(S. Lig., n.* 990, *cum communi*). Si rustici inter se ipsos æqualia

convicia, aut improperia mutuo impegerint, uti evenire solet inter mulierculas; eo ipso enim fit compensatio. (*Gury, n.* 464).

Confessarius monere omittat pœnitentem in bona fide existentem circa satisfactionis onus: 1.° Si prævideat monitionem non esse profuturam, imo potius obfuturam, uti sæpe evenit in filiis erga parentes; nam promittunt, et dein ob ruborem non adimplent. – 2.° Si probabiliter putet dehonoratum condonare, vel magis recusare, quam cupere illam publicam satisfactionem; ne memoria injuriæ apud alios redeat; aut ne ipse rubore magis afficiatur. (*Lugo, n.* 58, *S. Ligor., n.* 987).—3.° Item si probabile periculum sit, quod in actu satisfactionis odia inter eos renoventur, uti non raro inter superbos accidit.—4.° Si ex signis manifeste appareat remissio facta ab offenso; scilicet si iste sponte ad offensorem accedat, valde familiariter, et jocose cum eo tractet. (*S. Lig., ibid.*). Secus dic de simplici conversatione familiari, ut dicunt *Salm., Dic., Bon., Trull.*

---

# CAPUT V.

## De secreti violatione.

416. **Secretum** *in genere dicitur quidquid occultum est.* Hic autem per secretum intelligimus: *Quidquid vel ex natura sua, vel ex speciali contractu occultum servari debet.— Triplex* distinguitur; nempe, *naturale, commissum,* et *promissum.* 1.^m si *ab ipsa natura imponatur;* ut si quid scias, quod manifestare nequeas sine gravi alterius læsione honoris, bonorum, etc. Si illud sciatur ex alterius levitate, dicitur *naturale simplex;* si vero de industria, *naturale extortum:* — 2.^m *siquis alteri rem manifestat sub expressa, vel tacita silentii commissione;* nempe, si ex ipsa rei manifestatæ natura id deducatur; uti contingit medicis, advocatis, theologis, obstetricibus, aliisque, ad quos pro consilio, vel remedio fit recursus: — 3.^m si *quis arcanum ab alio audiens, vel casu discens, promittat se id non revelaturum.*

417. Q. *An peccet secretum sine causa violans?*

R. Affirma, violat quippe alienum jus: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana. (Prov.* XI). Unde: — 1.° *Secretum naturale* sub gravi obligat in re gravi, sub levi in re, vel damno levi, et quidem ex justitia; cum revelatio secreti sit injusta et efficax causa damni alterius. (*Salm., Gury, n.* 469, *S. Lig., n.* 970).—2.° Idem dicendum est de *secreto commisso* seu *rigoroso,* et quidem strictius mere naturali secreto, ac etiam mere promisso; nam, præter naturalem, aut gratuitam obligationem, urget etiam obligatio ex oneroso contractu expresse, vel tacite suscepta. Sic consiliarii principis, duces belli, advocati, medici, theologi de aliqua quæstione conscientiæ consulti, omnesque universim, quibus consilii, auxilii, solatiique causa secretum committitur, etiamsi a superiore, vel judice interrogentur, ad secretum devinciuntur. (*Ballerini, n.* 469, *S. Lig., n.* 970, *Gury, n.* 472). —3.° *Si secretum promissum* naturali adjungatur, erit gravis, vel levis ejus revelatio, ut supra. Non item, si tota secreti obligatio repetatur ex promissione, quæ generatim ex sola fidelitate obligat; in hoc casu sub

gravi, vel sub levi obligabit juxta promittentis intentionem; sub levi, si ex mera fidelitate quis promittat; si vero promittat ex justitia, pro ratione materiæ obligare poterit. *(Scavini, Ballerini, Gury, n.* 472, *S. Lig., ibid., cum communi*). Secretum promissum nullo modo obligat, quoties alias tenebaris rem manifestare; v. g. si interrogeris a superiore, vel a judice.

418. **Secretum manifestare licet** hiscè casibus, hoc versiculo contentis:

*Res, consensus, inadvertentia, justaque causa.*

1.° Si res parva sit, tum ratione sui, tum ratione damni, veniale saltem non excedit ejusdem revelatio.—2.° Si aliunde jam publica, aut cognita sit:—item probabiliter, etsi gravis sit res sub secreto commissa, modo sub eodem secreto uni, vel alteri probo tantum reveletur, et non detegatur cui specialiter celari voluerit illud committens; cum adhuc res dici possit secreta. (*Bon., Mazz., Salm., n.* 80, *Lugo, n.* 147). Hoc tamen non facile permittendum; quia ob loquacitatem hominum, vix secretum in uno sistere potest.—3.° Quando adest consensus recte præsumptus illius, cujus interest secretum celari. –4.° Si divulgatio ex inadvertentia, vel indeliberatione, vel animi persuasione quod res non sit gravis, contingat.—4.° Cum adest justa causa; uti si secreti servatio in damnum commune vergat, vel in damnum innocentis, vel ipsius committentis, etsi aliquis illud jurasset servare; ordo quidem charitatis tunc postulat, ut reveletur. (*Ita* Lugo, *S.* Lig., *n.* 971, *cum communi*).

Eadem ratione probabilius, et communius docent revelari posse secretum commissum ad proprium grave damnum effugiendum, etiamsi exinde alteri immineret periculum mortis, nisi agatur de bono communi gravi impediendo, et sine vi, aut fraude illud exceperis; v. g. aperiendo alienas litteras; quia non teneris cum tanto incommodo damnum proximi vitare; neque præsumitur quis ad tale onus se obligasse, nisi ex circumstantiis aliud certe appareat. (L*ugo, n.* 102, *S.* L*ig., n.* 971). Et si potest is, cui commissum est secretum, illud revelare ad bonum innocentis, ut communiter docent AA., quare non ad seipsum indemnem servandum? (L*ugo, n.* 116.)—Tamen si agatur de damno jam illato, secretum commissum licite revelari non potest, donec damnificator ipse se prodere non teneatur; neque apud judicem interrogantem; bonum quippe commune postulat, ut metu revelationis homines non priventur commodo consilium, vel auxilium necessarium quærendi. (*Gury, Ballerini, n.* 470).

Neque revelare posses secretum, si promiseris illud servare, etiam cum vitæ jactura; nisi aliud exigat bonum commune; quia juri tuo expresse renuntias: nec illicitum est omittere vitæ conservationem ob honestum finem, nempe, ut promissum serves, modo negotium secreto servandum gravissimi sit momenti; secus promissio esset prodiga, quam servare non tenemur. Ita valde probabiliter *Lugo, Ballerini, Gury, n.* 470, *S. Lig., n.* 971, *et alii,* etsi contrarium satis probabile dicat *S. D.* cum *Spor., n.* 46, *aliisque.*

419. **Aperire, et legere alienas litteras** per se est contra charitatem, et justitiam; sane omni jure obligatio inest secreta litterarum illæsa relinquendi; secus humanum commercium pesundaretur: mortale erit si in iis contineri existimetur rem magni momenti, vel si fiat cum notabili alterius damno; imo tunc ad restitutionem teneretur aperiens ac le-

gens : alias veniale erit ; nisi prævideatur id pro gravi injuria habendum ab eo, a quo, vel ad quem litteræ mittuntur ; tunc autem grave erit tantum contra charitatem ratione gravis tristitiæ inde orituræ; et fere semper veniale saltem ratione curiositatis. *(Scavini, Lugo, S. Lig., l.* 5, *n.* 70, *cum communi).*

420. **Litteras aperire licet** : 1.° si *probabiliter in tuum injustum damnum injuriam cedere scias ;* porro jus defensionis id permittit.—Sic princeps, et ministri publici, si bono publico expediat, litteras non tantum hostium, sed etiam aliorum omnium, quæ a locis hostium finitimis circumferuntur, aperire possunt. Item privati. (*Lugo, n.* 148, *Bon., S. Lig., n.* 70, *cum communi*). Item si *id necessarium, vel expediens sit ad avertendam injuriam alteri imminentem ;* modo hic jus habeat litteras aperiendi ad damnum illud propulsandum, et non plus legatur, quam quod ad talem finem necesse sit. (*Lugo, n.* 148).

2.° *Si habeatur expressus, vel tacitus consensus* illius a quo, vel ad quem mittuntur litteræ; neque id speciali lege prohibeatur ; ubi enim adest consensus, deest injuria.—Sic etiam superior religiosus litteras subditorum suorum aperire potest, ubi consuetudo, vel instituti regula, vel prudens suspicio, ne aliquod minus rectum contineant, id permittat; nam ad bonum illius communitatis id valde confert.—Idem dic etiam de superiore in Collegiis, et Seminariis, nisi de casibus conscientiæ, vel de familiæ secreto agatur, vel ad majorem superiorem mittantur litteræ: et ad quemlibet abusum præveniendum expedit, ut sciat superior, quod subditus ad parentes, vel directorem scribit. (*Gousset, n.* 1090).—Eadem ratione credimus quod paterfamilias litteras filii sub patria potestate existentis aperire potest, et tutor sui pupilli. (*S. Lig., ibid.*).

421. Q. *Quid si dominus litteras dilaceraverit, et alter eas jungat?*

R. Non licet eas legere : 1.° si a domino perditæ, vel ab alio (domino inscio) projectæ fuerint; – 2.° si non sint a domino projectæ in locum publicum, sed in fornacem, aut ignem, ut comburantur (*S. Lig., n.* 70); —3.° si a domino in publicum abjiciantur, ex curiositate eas jungere, et legere, veniale erit; nullum vero peccatum *per se*, si ex illa notitia tibi provideas ; nam bona derelicta quisque in usum proprium convertere valet, et dominus jure suo cessisse censetur. *(Ita S. Anton., Lugo, n.* 150). —Tamen *alii* probabilius cum *Croix* contradicunt ; hoc ipso enim quod minutim dilaceravit, satis significavit nolle ut legantur; et ideo noluit cedere jure suo. (*Ita S. Ligor., ibid.*). *Alii* addunt peccare contra charitatem, et justitiam manifestantes secreta ibi contenta, si inde damnum cuipiam eveniat. (*Laym., S. Ligor., ibid.*).

422. **Libellus infamatorius seu famosus** est *quælibet scriptura, etiam brevissima, vel quodcumque signum continens occultam alicujus infamiam, ut publica fiat.* (*Vulgo caricatura, pasquin*). Hujus generis sunt schedulæ ad judices delatæ sine nomine; signa infamatoria ad januam appensa, etc. Secus si infamia jam esset facta publica, vel si ob bonum publicum fiat.

Est quædam detractionis species, si vera alterius crimina sic publicentur; calumnia, si falsa evulgantur; contumelia autem, si coram ipso offenso, vel ejus repræsentante fiat dehonoratio; et semper gravius quidem peccatum quam per simplicem detractionem, vel calumniam, aut contumeliam; nam scripta, et signa evulgantur facilius, et manent diutius.—Unde tunc

restitutio, ut æquiter efficax sit, fieri debet per scripta, vel publica revocatione.—In auctores, et complices libellos famosos evulgantes animadvertit tum lex civilis mulcta pecuniaria, et carcere, tum lex canonica excommunicatione hodie *ferendæ sententiæ.*— Legere libellos famosos perinde est ac detractorem audire; ideo non licet, nisi jam publicum evaserit crimen. (*Scavini, n.* 693).

423. Q. *Quid de iis, qui ad superiorem litteras anonimas mittunt, alicujus delicta occulta manifestantes?*

R. Per se graviter peccant qui ita ex odio, aut vindicta, vel etiam inutiliter alterius gravia delicta occulta revelant; nam isti detrahunt, vel saltem magnam in superiore suspicionem excitant; secus si ex charitate id faciant, solam correctionem quærentes, etsi justa de causa celent nomen in scriptis, eo quia malum aliquod timent.—At superior ex hujusmodi testimonio ignoto procedere non valet; eo quod tales litteræ ex jure canonico nullam inducunt infamiam; unde etsi in illis nominentur testes, ad specialem personæ nominatæ inquisitionem procedere non licet. (*Ita Rodrig., Reginal.,* Less., *Scavini, cum communi*).

Tamen cum non agatur de pœna infligenda, sed de certioranda positiva bonitate personæ, quæ v. g. ad aliquod officium assumi debet, aliqua ratio harum litterarum haberi potest, ad prudenter, nempe, amplius inquirendum, ne indignus assumatur; et tunc inquisitio est de bonitate, non de crimine; ideoque nemini fit injuria. Quod maxime currit de ordinandis, et de beneficiariis ecclesiasticis, præsertim parochialibus; nam hoc ad publicum bonum valde confert; et aliunde jam Ecclesia de ipsis inquirere solet. Caute vero est procedendum, ne malevolis ansa detur. (*Scavini, p.* 962).

# TRACTATUS DUODECIMUS.

## DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

**Ecclesia potestate gaudet præcepta statuendi**, fideles sub gravi obligantia. Christus enim legislativam auctoritatem ei contulit, ut dictum est l. 1, n. 132.—Multa existunt Ecclesiæ præcepta, ut ex jure canonico constat; præcipua vero, quæ universim fideles obstringunt, sunt sequentia: 1.° Ut festa ab Ecclesia statuta fideles colant, saltem dominicis, et festis diebus, Sacro interessendo. —2.° Ut semel singulis annis saltem peccata sua rite confiteantur.—3.° Ut saltem Paschatis tempore ad Eucharistiæ sacramentum accedant. - 4.° Ut certis diebus a carnibus, aliisque cibis abstineant, et jejunia statutis temporibus servent.—5.° Ut decimas, vel legitime ipsis substitutum solvant.—De primo Ecclesiæ præcepto jam dictum est in 3.° Decalogi. Nunc pauca de aliis quatuor.

---

## CAPUT I.

### De secundo Ecclesiæ præcepto, seu de confessione.

424. **Præceptum annuæ confessionis** in Concilio Later. IV continetur, sub Innoc. III celebrato, an. 1215, can. XXI, quod sic se habet: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti:* (nempe, Papæ, Episcopo, parocho, vel cuilibet ab Episcopo approbato).—Et Trid., sess. 14, can. 8, eos anathematizat, qui dicunt ad confessionem non teneri *omnes, et singulos utriusque sexus Christifideles, juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem.*

Unde 1.° Omnes baptizati, de peccato mortali rei, qui ad annos discretionis pervenerint, sub gravi ad id devinciuntur, cum agatur de materia per se gravi, et de gravissima pœna. *S. Lig., n.* 662.—2.° Annus hic computari videtur ab una ad alteram confessionem; nam nihil aliter statutum invenitur. *Vareeno, p.* 119. Tamen spectata universali consuetudine computatur a paschate ad pascha propter Communionem. Ita *Suar., Lugo, S. Lig., ibid.*—3.° Minime adimpletur hoc præceptum per invalidam confessionem: contraria propositio 14 ab Alexandro VII fuit diris devota. *S. Lig., n.* 672.—4.° Qui anno sequenti confitetur peccata præteriti et præsentis, verius duplici satisfacit præcepto; nam finem ejusdem rite adimplet. Secus si currentis anni nonnisi venialia habeat, ac dein post confessionem in mortale labatur; tenetur enim iterum confiteri, ut illius

anni præcepto satisfaciat. *S. Ligor., l.* 6, *n.* 669, *cum communi.*—5.° Qui mortale oblitum habens sola venialia in anno confitetur, si postea illud mortale recordetur, *communius* dicunt iterum confiteri in illo anno non teneri; quia indirecte est jam remissum, et directe impletum præceptum. —6.° Qui mortalibus non gravatur ad annuam confessionem non tenetur; Ecclesia siquidem circa hoc tantum determinavit Christi præceptum; id est, confessionem præcepit, quæ ex institutione Christi est; Christus autem solum peccatorum mortalium confessionem præcepit, ut explicat *Trident., sess.* 14: ergo... (Ita communius *Gury*, *S. Lig., l.* 6, *n.* 667).

425. **Pueri annos discretionis attigisse censentur**, cum capaces sunt mortalis peccati; quod non ex ætate solum, sed ex ingenio, bona, vel mala educatione præcipue judicandum est. Satis discreti esse censentur, qui jam apprehendunt malum esse mentiri, inobedire, blasphemare, turpia agere, furari, etc.—Unde parochi puerulos etiam septennes, et antea, ad confessionem sedulo præparare, et convocare tenentur; et eos, in quibus advertunt grave peccatum, absolvere, saltem intra annum ex *Conc. Later.*—Imo optimum est a tenera ætate eos assuefacere ad confessionem, ac interdum intra annum eos absolvere, tametsi quid grave in ipsis non deprehendatur. Numquid enim dubitet quis, sacramentum in his quoque vim suam habere, et gratiam *ex opere operato* conferre? Aut cur Dei minister hasce animas Deo apprime caras gratia illa privabit, quæ et ipsas Deo cariores efficit, iisque plurimum præsidii, ac roboris tribuit ad statum ipsius gratiæ servandum. *(Ballerini)*. In dubio de dispositione, et de gravi saltem peccato absolvantur sub conditione. *(Gury, n.* 478, *S.* Lig., *n.* 666).

Hinc 1.° Graviter per se peccant tum parentes, tum parochi circa confessionem annuam impuberum septennium negligentes; tum et fideles omnes, qui saltem intra annum confessionem sibi ipsis, et sibi subjectis non curant.—2.° Qui integro anno non est confessus, probabiliter confiteri tenetur quamprimum; anni quippe terminus non est appositus ad finiendam, sed ad urgendam obligationem, dicens Concil.: *saltem semel in anno:* et peccat quoties, oblata occasione, præceptum negligit. Ita *Bon.*, *Suar.*, *Vazq.*, *Lugo, n.* 177, et *alii* contra *Silv.*, *Laym.*, *Valent.*, *Dian.*, etc., docentes unum peccatum committere. (V. vol. 1, n. 289).—3.° Qui cum altero confessario, etiam regulari, non proprio parocho, confitetur, præceptum adimplet. (Ita *Gury, S. Lig., n.* 670, *et universalis consuetudo).*—4.° Qui mortale habens præviderit, se non habiturum occasionem confitendi deinceps toto eo anno, prævenire deberet, etiam in medio anni; secus ob solum timorem ne illius obliviscatur. L*ugo, n.* 41 *et* 182, *S.* Lig., *n.* 671.—5.° Qui physice non possunt, utpote confessario carentes, vel moraliter, v. gr. sine notabili vitæ, vel fortunæ incommodo, excusantur. *Tamb.*, *S.* Lig., *n.* 673.

---

# CAPUT II.

## De tertio Ecclesiæ præcepto, seu de Communione.

426. **Præceptum paschalis Communionis**, non secus ac præceptum annuæ confessionis, divinum est quoad substantiam; ecclesiasticum

vero quoad determinationem. Eruitur hoc præceptum ex perpetua Ecclesiæ praxi, ex innumeris Conciliis, et Constitutionibus Pontificiis, et præcipue ex Lateran. IV, quod sic habet: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata... confiteatur... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* Hæc autem pœna non incurritur nisi post sententiam. Unde, si ante declarationem obierit, non privatur, modo cum signis pœnitentia moriatur. *S. C. in Cajet.* 24 *jun.* 1595, *Varceno, p.* 117, *S.* Lig., *l.* 6, *n.* 295 *cum communi.* Trident., sess. 13, c. 9, ait: *Siquis negaverit, omnes, et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ; anathema sit.*—Hinc:

I. Præceptum hoc obligat sub gravi, cum de re in se gravi, ac item de pœna gravi agatur. *Ita omnes.* Neque per sacrilegam Communionem adimpletur; non enim *reverenter* suscipitur, ut vult Lateranense; neque *digne*, ut exigit Christus, sed *indigne, et judicium sibi manducat*, ut ait Apostolus: contraria prop. ab Innoc. XI, n. 55, damnata est. *S. Lig.*, *n.* 296.

II. Annus autem hujus obligationis juxta universalem consuetudinem a Paschate ad Pascha computatur: sed tempus ejusdem adimpletionis est *paschale*, quod, declarante Eugenio IV, Bulla *Fide digna*, an. 1440, exorditur a Dominica Palmarum, et cessat Dominica *in Albis.* Qui ergo toto hoc tempore Communionem non suscipit, licet pluries in anno Eucharistiam sumpserit, graviter peccat. Alicubi tamen totam Quadragesimam comprehendit; alibi extenditur ex consuetudine, vel indulto, ait *S. Lig.*, *n.* 294.—Tamen Episcopi ac Vicarii generales ex consuetudine ferme ubique recepta, saltem in Hispania, plus temporis concedere solent in hac vel illa parœcia in particulari; cum id concedere non possint per edictum, vel normam generalem toti diœcesi; nam agitur de lege superioris, nempe, Papæ. (Ita *Bened. XIV de Synod., l. XII, c.* 6, *n. II, Scavini, n.* 116, *S. Lig., l.* 6, *n.* 296, *cum communi).*

Si de individuis agatur, etiam id elargiri valet parochus, rationabili existente causa; ac etiam confessarius, si indispositos pœnitentes inveniat, qui bona voluntate non carent: causa tamen aliqua subest, ob quam Communio in aliud tempus remittatur, v. g., ratione occasionis proximæ peccandi, vel ignorantiæ.—Adimplentur tunc illa Concilii verba: *Nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus... duxerit abstinendum. (Ballerini, S. Lig., n.* 294). Ast raro eveniet, quando adest bona voluntas in pœnitente.

III. Non tenetur prævenire, qui prævidet se tempore paschali impeditum fore; cum lex nondum ligans adimpleri nequeat; secus tempore illo incœpto: imo auferre adigitur impedimenta etiam gravia, v. gr., excommunionem, carcerationem, si possibile foret; cum probabilius Communio sit grave præceptum divinum. (*Salm., n.* 25, *Gury, S. Lig., n.* 297). —Qui tempore præscripto Communionem omisit, quamprimum possit communicare tenetur; nam tempus affixum est tantum ad urgendam obligationem, ut colligitur ex Concilii verbis: *Semel saltem in anno... ad minus in Pascha.* Insuper cum juxta plures hoc præceptum sit divinum

*in se*, Ecclesia id adimplere jubens tempore paschali, ab ipso dispensare non censetur. Constat etiam ex Ecclesiæ praxi, ac pœnis in renuentes inflictis. (Ita *communius cum Gury, n.* 481, *Scavini, n.* 117, *S. Lig., n.* 297). *Plures graves AA.* cum *S. Anton.* negant eum teneri illo anno ad Communionem, qui sive ex malitia, sive ex impotentia, hanc omisit; siquidem transiit jam tempus ecclesiasticæ obligationis annuæ; sicut qui Missam in festo audire neglexit.—*Alii* cum *Lugo* negant solum, quod teneatur *quamprimum;* adeo ut voluntaria dilatio sit peccaminosa; quia cum præceptum communicandi in Paschate non possit jam observari, restat sola obligatio communicandi *saltem semel in anno.*

IV. Hoc præceptum *per se* obligat sub gravi ad communicandum in parœcia; quia ex tot. Const. ac decretis SS. Pontificum videtur agi de re in se gravi. Ita *Gury cum communi.* Excipe 1.° si Episcopi, vel parochi habeatur licentia, saltem præsumpta, morali certitudini æquivalens. *(Lugo, Suarez, Salm., n.* 34, *aliique).*—2.° Sacerdotes, qui ubivis celebrent, ex consuetudine satisfaciunt: secus si tantum communicant.—3.° Religiosos, qui ex privilegio in suis ecclesiis admittere etiam possunt novitios, et proprios familiares, modo actu sub eorum obedientia, et domo vivant, ut *ex Trid., sess.* 24, *c.* 11, docet *Bened. XIV;* minime vero alienos. *S. Lig., n.* 300.—4.° Peregrinos, et vagos, qui ex Rituali communicant ubi actu degunt de manu cujuscumque sacerdotis, cum proprium non habeant pastorem. (Ita *communiter Scav., n.* 119, *S. Lig., n.* 240). Item milites, qui non sunt in statione, nec domicilium, vel quasi domicilium habent.

V. Demum præceptum hoc obligat omnes fideles, *cum ad annos discretionis pervenerint,* ut ait *Lateranense;* ergo etiam infirmos, ut monet Rituale; carcere detentos, ut probat consuetudo; et pueros a decem ad 12 annos, etsi citius, vel serius obligari possint juxta eorum vivacitatem ac instructionem. Ita *communiter cum Scavini, S. Lig., l.* 6, *n.* 301, *D. Carolo,* qui præcepit parochis, ut illos, qui decennium attigerint, arcessant, instruant, et disponant. *S. Thom.* 3. *p. q.* 80, *a.* 9, *ad* 3, ait: *Quando jam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri;* nempe, incipiunt habere *debilem usum rationis,* ut ait *Ballerini, n.* 319, circa præfata verba.—Et *S. Antoninus, p.* 3.ª, *tit.* 14, *c.* 12, scribit: *Sed cum est doli capax* (puer), *cum scilicet potest peccare mortaliter, tunc obligatur ad præceptum de confessione, et per consequens de Communione, quæ simul dantur.* Unde melius communicare poterunt aliqui vivissimi ante novem annos, quam alii post duodecim. Sed parochus scire debet, quod si puer ante novem, vel decem annos potest, hic tenetur communicare, et ille administrare, si petat; et cum Eucharistia gratiam producat ex opere operato, non videtur circa hanc determinationem esse scrupulose agendum. *Suar., Laym., Salm., n.* 6, *etc.*

Hinc *recte aliqui reprehendunt parochos,* ait *Del-Vecchio, n.* 118, qui indiscriminatim non admittunt pueros, nisi in certa ætate constitutos. Videant curatores animarum, ne sit desidia parochi, quod creditur indispositio pueri. *(V. n.* 610 *quoad semifatuos, mutos, aliosque).*

427. **Resolves.** 1.° Probabilius, et communius graviter peccare per se illum, qui Communionem differt ad 1.ᵐ, vel 2.ᵐ diem ultra paschale tempus; eo quia ratione præcepti, et temporis paschalis est sat notabilis dilatio. Per accidens excusari poterit ob suam ignorantiam. *Gury, n.* 482.

—2.° Seclusa parochi licentia, vel privilegio, aut legitima consuetudine, præcepto non satisfacit qui in cathedrali ecclesia Communionem suscipit, licet de manu Episcopi (nisi hic dispensaverit); nam extra propriam parœciam ille communicat. *Azor., Gury, Gousset, n.* 224, *S. Lig., n.* 300.—3.° Communionem iterum suscipere adigitur, ast non in propria parœcia, ille, qui ibi sacrilege jam paschali tempore communicavit; quocirca finem præcepti quoad loci circumstantiam adimplevit, minime vero quoad substantiam hujusmodi præcepti.—4.° Ad paschalem Communionem non tenetur in parœcia qui eo tempore Viaticum suscepit; finis quidem legis fuit sat adimpletus. *Gury, n.* 484.

---

# CAPUT III.

## De quarto Ecclesiæ præcepto, seu de jejunio ecclesiastico.

428. **Potest Ecclesia jejunia fidelibus præscribere,** uti aperte constat ex S. Scriptura, ex ratione, et ex ipsius Ecclesiæ praxi contra lutheranos, et calvinistas.—1.° Ex S. Scriptura: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis:* ait Christus primo Papæ. *Qui vos audit me audit. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus,* dixit generatim. (Vide T. 1, n. 132).—2.° Ex ratione: Ecclesia est perfecta societas a Christo instituta cum omnibus mediis ad sui conservationem, et profectum necessariis; unde quidquid ad fidelium bonum conferat, id præcipere potest; jejunium est res bona, plurimum ad fidelium bonum conferens; cum illud in veteri lege præscripserit Deus, ac Christus in nova suo exemplo commendaverit, et ad bonos fines conducat; nam dæmones expellit, Deum placat, concupiscentias frænat, vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, et præmia, juxta *Jerem.* XXXV, *Matth.* XVII, *Ps.* XXXIV, *et Missæ quadragesimalis Præfationem;* ergo... Aliunde si potuit Synagoga, nulla est ratio cur non Christi Ecclesia.—3.° Ex Ecclesiæ praxi: revera semper hac potestate usa est, eamque agnoverunt SS. Patres, et ipsi fideles.

Huc facit illud:

*Dum caro pinguescit, vitæ destructio crescit;*
*Dum caro marcescit, tentatio prava quiescit.*

429. **Divisio.** Quadruplex est jejunium: *spirituale, naturale, morale,* et *ecclesiasticum.* 1.m est *abstinentia a peccatis;*—2.m est *omnimoda abstinentia a cibo, et potu a media nocte præcedenti, et obligat sanos in Eucharistiæ sumptione;*—3.m est *parsimonia cibi, et potus;*—4.m de quo hic agimus, est *abstinentia a quibusdam cibis cum unica in die refectione competenti hora sumpta.*

430. Q. *Quot sunt nunc jejunia ecclesiastica?*

R. 1.° *Quadragesima* (exceptis dominicis diebus), quæ est institutionis Apostolicæ; testes *Canon Apostolorum* 68, S. Hieronymus *ad Marcellam,* S. Leo M., *serm.* 6 *de Quadr.*, S. Iræneus, *Ep. ad Victorem,* S. Ignatius, *ad Philippenses,* S. Athanasius, etc. Ita usque ad nos cum accidentalibus variationibus pervenit Quadragesima.—2.° *Quatuor tempora,* quæ

pariter ab Apostolis initium sumere tradit Eusebius, Hist. l. V, c. 23.—3.° *Vigiliæ, quæ erant cœtus nocturni, quos primi christiani in ecclesia habebant ante solemnem aliquem diem, ad hunc sese præparantes jejunio, et oratione.*

431. Q. *Quibus diebus obligat lex abstinentiæ qualitatis?*

R. I. Quoad carnes obligat omnibus diebus, etiam Dominicis Quadragesimæ, a die Cinerum inclusive usque ad Sabbatum Sanctum etiam inclusive; deinde in omnibus vigiliis cum jejunio; item in omnibus sabbatis, et veneris diebus anni; nisi dies veneris incidat in diem Nativitatis Domini, ex privilegio Honorii III; vel adsit contraria consuetudo, aut privilegium, uti in Hispania quoad sabbati diem: et demum in quatuor anni temporibus, et feria secunda, et quarta hebdomadæ Ascensionis Domini.

—En España en 4 de diciembre de 1742, á peticion del rey Felipe V, el Papa Benedicto XIV concedió á los reinos de Castilla, de Leon y de las Indias facultad de comer lícitamente carne de quadrúpedos todos los sábados, fuera los arriba exceptuados; y en 22 de enero de 1745 extendió la licencia á todo género de carne. En 9 de febrero de 1799 el Papa Pio VI, á peticion del rey Cárlos III, extendió la gracia á los fieles de las Coronas de Aragon y de Navarra, imponiendo por medio de los prelados compensacion de obras de piedad, que hoy dia han caido en desuso. Tamen hispanus aliquis ad Galliam, v. gr. proficiscens tenetur illic sabbatis etiam a carnibus abstinere; quia privilegium ejus est locale; idque expirat extra locum. *Laym.*, *S. Lig.*, *n.* 160.

II. Quoad ova autem, panes biscoctos ovis confectos, et lacticinia, sub gravi obligat tantum in tota Quadragesima, etiam in Dominicis diebus, nisi alicubi adsit privilegium, vel contraria consuetudo. Nam ab Alexandro VII proscripta est hæc n. 32 prop.: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in Quadragesima obliget.* Si obligat, sub gravi obligabit; porro de objecto in se gravi agitur; et id expresse colligitur ex jure canonico (*D.* 4, *c. Denique*), et confirmat consuetudo, et sensus doctorum, et hominum piorum. (*Gury*, *n.* 503, *S. Lig.*, *n.* 1007, *et* 1009).

III. Dispensati ad lacticinia eo ipso censentur etiam dispensati ad ova; ex consuetudine enim hæc æquiparantur, nisi aliter sonet dispensatio: secus dicendum quoad carnes, si tantum sint dispensati pro ovis, et lacticiniis; quia non æquiparantur; tamen dispensati ad carnes, communissimum est quod comedere possint carnes quascumque; item ova, et lacticinia; nam cui conceditur plus, eo ipso conceditur etiam minus in eodem genere. (*Ita Bill.*, *Del-Vecchio*, *n.* 391, *S. Lig.*, *l.* 3, *n.* 1009).—*In diœcesibus ubi quotannis Episcopus a prohibitione edendi ova dispensare solet, si ex inadvertentia hanc dispensationem concedere negligeret, fideles manducantes juxta morem consuetum peccati mortalis accusare nollem,* ait Bouvier, ratione præsumptionis, et consuetudinis sat firmæ.

—Duplex adest circa præceptum jejunii obligatio, *qualitatis*, scilicet, et *quantitatis*: 1.ª est *abstinentia in aliquibus diebus a carnibus, ovis, et lacticiniis;* 2.ª vero est *de unica refectione in die.*

# CAPUT IV.

## De abstinentia qualitatis.

432. **Omnes fideles baptizati septennes**, nisi speciali aliqua causa, consuetudine, vel privilegio eximantur, ad legem abstinentiæ qualitatis sub gravi tenentur. De hac obligatione constat ex variis SS. Pontificum Constit., ex omnibus ecclesiarum catechismis, et ex damnatione prop. sub n. 23, ab Alexandro VII, quæ sic jacet: *Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat.*—Hæc autem abstinentia tum a carnibus, tum ab ovis, et lacticiniis antiquitate commendatur; eam meminit *S. Basilius* sæculo IV, *Hom. de jejun., S. Gregor. M.* sæculo VI, *Relatus can. Denique* 6, *d.* 4.

433. Q. *Quorum animalium carnes in jejunii die prohibentur?*

R. *Carnes animalium in terra quiescentium, et respirantium,* ait *D. Thom., 2. 2, q.* 147, *a.* 8, et ea quæ communiter carnes, et non pisces usu fidelium, et peritorum habentur. Hinc si nutriantur uti pisces, et vix sanguinem, et hunc frigidum habeant, uti *locustæ, limaces, testudines, cammari, cancri, ranæ, conchæ, castores, lutræ,* et aliæ quæ piscibus comparantur, non prohibentur. Vetantur *fulices, anates, corvi marini,* contraria ratione. *(Scavini, n.* 389, *S.* Lig., *n.* 1011).—Non est dubitandum laridum, et sagimen veras esse carnes; cum de ejus substantia sint. *(Scavini, n.* 390, *S.* Lig., *n.* 1010). Sed alicubi ratione indulti, vel consuetudinis cum iis temperantur alimenta, etiam in diebus esurialibus.

434. Q. *Quænam quantitas esus cibi vetiti erit gravis?*

R. 1.° Quoad carnes communiter cum *Scavini, Salm., n.* 17, *Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 270, *S. Lig., l.* 3, *n.* 1029, dicunt sufficere octavam unciæ partem; cum nimium nutriant.—2.° Quoad alias res materiam parvam reputant *aliqui cum S. Alphonso ibid.* esus unius, vel duarum unciarum; sunt qui minus requirunt pro ovis et lacticiniis, cum *Turrian., Leon., Dian.;* eo quia carnibus assimilantur.

435. **Pauperes.** 1.° *Pauperes mendicantes* comedere possunt quidquid eleemosyna accipiunt, ut *communiter docent theologi*, ait *Gury, n.* 487.

2.° *Pauperes non mendicantes,* oleo carentes, larido, et sagimine herbas, et legumina temperare possunt. *(Gury, S. Lig., n.* 1008). Et si solum panem habent, etiam ova, et lacticinia, imo et carnes manducare valent, et suæ familiæ præbere, maxime si alicujus labor valde gravis sit, aut debilis ejus salus, et privatio esset per notabile tempus; puta per hebdomadam; quia lex humana non obligat cum gravi incommodo. (*Alexand., Sanch., Gousset, Scavini, n.* 391, *S. Lig., n.* 1008). Alii id etiam tenendum dicunt de iis, qui per plures dies piscibus carerent. *Roncagl.* hoc probabilius asserit de illis, qui piscibus assueti sunt; sed non de rusticis, qui pane, lactucis, et leguminibus ordinarie ali solent; nisi etiam istis cibis careant ad sufficientiam, addit *S. Ligor., n.* 1008.

3.° *Ægrotantes*, v. gr. febri laborantes; ii etiam qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeant, etiam excusantur a lege abstinentiæ; sed ab hallucinatione cavendum est, et medici timorati consulendi sunt, si facile fieri possit. (*Gury*).

4.° *Item qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis*, ut ægrotantium instar famem non sentiant, cibosque respuant; v. gr., qui in fodinis, officinis vitreis, et ferrariis vitam degunt; aurigæ, qui plurium dierum spatio, diu, noctuque publicos currus ducentes, vix unum, vel alterum frustulum panis, aut cibi deglutire valent. Non autem ii, qui illos lente ducunt, et in cauponis nocte feriantur. Item milites, ut infra dicetur. *Gury, n.* 487.

436. **Parvuli, et amentes**: si usum rationis non sint adepti, carnes, ova, et lacticinia diebus vetitis illis dare licet; quippe amentes, ac rationis usu carentes sunt exleges.—Si autem usu rationis ante septennium potiantur, probabilius ad legem hanc tenentur; quia lex non determinat septennii tempus, sed illud, quo pueri sunt præcepti capaces. *S. Ligor., de legibus, n.* 155, *et l.* 6, *n.* 1012, *cum communi* contra *Gury, n.* 486, *Dian., et alios*, quorum sententia non videtur improbabilis ex doctrina *D. Thomæ;* quia, ut docet, lex positiva tantum respicit communiter contingentia. Ita *S. Lig., n.* 1012. Expedit tamen, ut pueri ejusmodi abstinentiæ etiam ante obligationem assuescant.

437. **Caupones**, qui indiscriminatim prohibitos cibos proponunt, censent probabilius *Sanchez, Viva, Bouvier, Gousset, Del-Vecchio, n.* 271, *S. Lig., n.* 3030, non peccare; licet dubitent, an quis petens excusetur, quin eum interrogent; quia in dubio nemo præsumitur malus: imo etsi personæ illæ dispensatione carerent; si tamen grave damnum timeant, nempe, hospitum recessum; charitas siquidem non obligat cum gravi damno. *Sanch., Nav., Tol., Mol., etc.* Sed non ita facile excusari potest caupo oppiduli; uti patet. Neque licet urbanitatis causa ad cœnam, vel ad vetita invitare eum, qui jejunio teneri scitur, ratione cooperationis, vel scandali. (Ita *Less., Azor., S. Ligor., aliique*).

Ita excusat etiam *Gousset* eos, qui diebus esurialibus carnes apponunt, si aliunde cibos ministrant pro abstinentia quoad illos, qui illam sunt observaturi; experientia enim teste, semper plures interdictis epulis vesci volunt; et aliunde illis non constat, an indultum, vel aliam causam edendi vetita habeant; et nemo præsumi debet malus, nisi probetur.

438. Q. *An liceat aliquando domesticis, et viatoribus carnibus absque indulto vesci?*

R. I. *Graviter peccat*, ut ait Gousset, *qui contra legem Ecclesiæ carnes porrigit propriis filiis, seu familiaribus, vel operariis.* Sed qui ob malam sortem ad talia comedenda tenentur, non peccant; nec filia, aut famula, vel uxor, quæ carnem absolute ministrare tenetur marito, vel patri, aut domino illius domus; Ecclesia quidem non obligat cum gravi incommodo: et certo nimis durum esset etiam eos damnare ad solum panem edendum. Sed omnes isti reclamare debent juxta regulas prudentiæ; vel in Hispania Bullæ privilegium sibi acquirere, si id possint, ut sic præceptum Ecclesiæ adimplere valeant: si nihil boni inde sequatur, famulus alterum dominum quærere tenetur, cum sine gravi incommodo fieri possit; liber quippe est; et in confessione id promittere debet, etsi aliquid minus lucraturus sit, dummodo sufficiat ad se, suosque sustentandos. (*Frassinetti, Gousset, n.* 304).

II. Idem dicendum est de viatoribus, si nihil amplius quam carnes in caupona inveniant, neque alio divertere facile possint, etsi licitos cibos

petere tenentur; sola enim ratio itineris, et irrisionis non eos a lege abstinentiæ eximit. (*Gury, Del-Vecchio, n.* 392).

439. *An cum paterfamilias a lege abstinentiæ tempore Quadrigesimæ dispensatus non potest, aut non vult cibos utriusque generis, esuriales, scilicet, et carnes parare, ejus filii, aut familiares carnes edere possint?* —S. Pœnitent. 16 jun. 1834 respondit: *posse personis illis permitti.* Ratio autem hujus permissionis non est indultum patris; quia hoc est privilegium omnino personale, sed familiarum necessitas. *Scavini, l.* 1, *n.* 404.

Q. I. *An sit aliquod grave Ecclesiæ præceptum, quo paterfamilias, qui pauper non sit, cogatur ad Bullam carnis, non solum pro se, sed etiam pro omnibus filiis suis septennio majoribus, atque domesticis sumendam?* II. *An filiifamilias, atque domestici, licet Bullam hanc seu indultum quadragesimale non habeant, modo eorum parentes, ac domini sint virtute Bullæ dispensati in diebus, quibus carnis usus interdicitur, carnes interdictas absque peccato mortali valeant comedere?*

S. Pœnitent. propositis dubiis respondit: *Patremfamilias, qui pro se Bullam Cruciatæ comparavit, non posse vi ejusdem indulti filiis, aliisque domesticis parare carnes, cæterosve cibos prohibitos, nisi in concessione Bullæ aliter fuerit declaratum.* Datum Romæ in S. Pœnit., die 27 Martii 1874.—*A. Pellegrini, S. P. M.* Unde tunc peccat pater cibos generaliter vetitos filiis præbens, et filii ac domestici debent in illo tunc se habere, ut supra 438 diximus.

440. Q. *Utrum fideles dispensati a lege abstinentiæ diebus veneris, et sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio jejunii, vesci possint piscibus simul cum carnibus?*—S. Pœnit. 15 febr. 1834, 18 jul. 1856, 13 febr , et 29 mart. 1862 respondit: *Permitti.*

Q. *Utrum ex supposito præfati oraculi* (*nempe permitti*), *fideles regni Hispaniæ possint uti prædicta dispensatione, etiamsi hanc Episcopi non ostendant parochis, neque similiter parochi fidelibus ostendant, sed tantum fideles de ea certiores sint facti aliis mediis?* S. Pœnit. 27 nov. 1861 respondit: ad utrumque *Affirmative.*

Ab Episcopo Baionensi propositum fuit dubium: *Utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus Quadragesimæ attingat omnes, qui vi indulti carnibus vesci possunt, vel solummodo eos, qui jejunant.* In Congregatione Generali S. Romanæ et universalis Inquisitionis, habita coram Emis. et Rmis. Cardinalibus, Generalibus Inquisitoribus, die 23 jun. 1875 rescribi iidem mandarunt: *Affirmative quoad primam partem.* —*Negative quoad secundam partem;* et detur Decretum 24 martii 1841; nempe ad dubium: *An lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis, eos etiam respiciat, qui ad unicam comestionem non tenentur, uti juvenes antequam tertium compleverint septennium, aliique rationabiliter ab eadem excusati ob impotentiam, vel laborem.* Emi. decreverunt: *Non licere.* Ratio haud obscura est. Nam esus carnium in diebus jejunii sub hac conditione indulgetur; ut quisquis hoc indulto uti velit, carnes cum piscibus in refectione non permisceat. (*Ballerini, l.* 2, *n.* 1107).—Ex multiplici decisione S. C. constat jejunium SS. Apostolorum Petri et Pauli in Gallia, et in Belgio servari debere, non quidem in ipso pervigilio S. Petri, sed sabbato immediate præcedente Dominicam, ad quam remittitur solemnitas Sanctorum Apostolorum; tamen si festum in ipso sabbato occurrat, tunc pridie, seu feria 6.ª jejunabitur. Ita decisum fuit a *S. C. Concilii*

22 *sept.* 1858.—Item dispensati a jejunio possunt in Quadragesima, si usus carnium, et lacticiniorum conceditur, sub eadem refectione, edere carnes et lacticinia, quoties per diem voluerint, juxta *responsionem S. Pœnitent.* 16 *jan.* 1834.—Item dispensati ad carnes edendas in diebus, quibus uti non licet nisi lacticiniis, etiam uti possunt larido ad cibos condiendos. (*R. S. Pœnit.* 18 *febr.* 1828).—Item dispensati sive per Bullam Cruciatæ, sive ob aliam causam ad larido suino utendum titulo condimenti, si qui ad jejunium tenentur, eo condimento licite uti possunt in serotina refectione. *S. Pœnitent.* 16 *jan.* 1834 *de expresso sanctæ memoriæ Papæ Leonis XII oraculo;* quia illud, vi indulti, olei locum tenet, dummodo in indulto non adsit restrictio in unica comestione; sed non comprehenditur jusculum carnis coctæ, ut declaravit S. Pœnit. (*Scavini, n.* 404).

441. Q. *An dispensati ab abstinentia carnis, possint comedere epulas cum jusculo carnis simul et pisces?—Affirmative respondit S. Pœnit.* 8 *febr.* 1828. Tamen lege permixtionis cum carnibus vetantur pisces sale siccati, et etiam testacea marina, uti respondit *S. Pœnit.* 16 *jan.* 1834. Minime vero misceri vetantur cum leguminibus, vel lacticiniis, et ovis diebus in quibus hæc conceduntur.

---

# CAPUT V.

## De abstinentia quantitatis in diebus jejunii, et de collatiuncula vespertina.

442. Omnes fideles baptizati ad jejunium tenentur diebus ab Ecclesia præscriptis, anno 21 completo, saltem usque ad 60; nisi ob laborem, infirmitatem, paupertatem, alteriusve gravis damni periculum excusentur. Ita constat ex Ecclesiæ præscripto, ex communi DD., ac fidelium sensu.—Hoc jejunium citra qualitatis cibi abstinentiam, obligat ad abstinentiam quantitatis, id est, non permittit nisi unam in die refectionem, et hæc ad certum tempus moraliter acceptum.

443. **Refectionis hora**. Quoad jejunium quadragesimale hora refectionis primitus erat post solis occasum; et hora nona quoad cætera jejunia. Sed a sæculo XIV consuevit fieri refectio ad meridiem quoad omnia jejunia. —Unde non peccat ille, qui horam refectionis postponit, sed qui notabiliter absque causa anticipat.—Hæc hora ita obligat, ut qui eam notabiliter anticipat, graviter peccet, et jejunium violet. Probatur ex jure canonico *C. solent* 50, *Dist.* 1 ubi dicitur: *Nullatenus jejunare credendi sunt, qui ante manducaverint quam vespertinum celebratur officium:* ergo hora refectionis ad substantiam jejunii spectat. Et D. Thom. ait: *Qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.* (*In* 4, *D.* 15, *Q.* 3, *a.* 4). Profecto hora multum pertinet ad rationem abstinentiæ. Ita *Scavini, n.* 274, *S. Lig., H. Apost. tr. XII, n.* 21, qui, licet contrariæ sententiæ adhæserit, *re tamen melius animadversa, nunc illam minime probabilem censeo,* ibi subdit; nam præsens consuetudo, antiquo gravi præcepto derogans, certo non probatur; proinde illud possidet. Ita *plures* contra *plures,* dicentes anticipationem veniale non excedere.—Communius autem uti gravem assignant anticipationem unius integræ horæ: anticipare vero intra ho-

ram omnibus licitum esse dicunt. Ita *Scavini, S. Lig., n.* 9, *aliique* contra *Salm.* et *alios*, tenentes notabilem anticipationem esse plusquam hora. —Porro causa levis a levi, gravis a gravi anticipatione excusat; nimirum urgens negotium, debilis complexio, necessitas prædicandi, docendi, legendi, iter incipiendi, inserviendi hospitibus, dimittendi amicum, qui cibo indiget, etc. *Scavini, n.* 404, *S. Lig., n.* 21, et S. Pœnit. 19 jan. 1834. Probabiliter usque ad duas horas prandium protrahere licet. Ita *Tamb., Fagund., Croix, n.* 1283.

444. **Refectionem interrumpere**: 1.° Si interruptio sit per quadrantem, omni culpa vacat, etiam sine causa. (*Scavini, Gury, n.* 506, S. *Lig., ibid.*) Item dicunt *Tamb., Elbel, Fill.*, de 22 minutis.—2.° Si interruptio duret per unam horam sine causa, communiter sentiunt, non posse refectionem resumi sine gravi fractione jejunii: sed utique resumi potest, si causa gravis adsit, quamvis interveniat notabilis interruptio, v. gr., ad infirmum adjuvandum; sane Ecclesia nunquam obligare intendit ad diem sine sufficienti refectione finiendum. (*Scavini, Gury*, S. *Ligor., n.* 1020).—Hinc si quis in mensa resolvit non plus edere, vel jam surrexerit, potest iterum accumbere, si convivæ adhuc comedant, vel aliud ferculum apponatur; cum adhuc idem prandium moraliter censeatur. (*Salm., n.* 16, *Scavini, Gury*, S. *Lig., ibid., et alii*).

Si quis mane, itineris causa, jentaculum ederit, *per se* jejunare tenetur, si postea non eat; nam jejunii essentia non adhuc est destructa; nisi per illam modicam refectionem reliquo die jejunare nequeat. (*Gury, S.* Lig., *ibid.*).

445. Q. *An graviter peccet qui sæpius in die parum cibi sumit?*

R. Affirma, si absque gravi causa id agat; parvæ siquidem illæ cibi portiones coalescunt in aliquod grave quoad se reficiendum. Unde ab Alexandro VII damnata est hæc prop. n. 29: *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, non frangit jejunium.*—Excusantur qui semel parum sumunt, puta unciam, ne potus noceat; vel si prandium sit differendum ultra horam consuetam, ne deficiant vires (*Salm., n.* 68, *Scavini, p.* 194, *S.* Lig., *n.* 1018); vel qui saltem non frequenter parum sumunt, ut dicunt *Spor., n.* 14, *Elbel, n.* 440, *Lay., Croix, n.* 1293.

446. Q. *An electuaria, vinum, cervisia, aqua saccharo mixta, chocolata, caffea, theum, et similia jejunium frangant?*

R. Commune est inter DD., istas potationes non habere rationem cibi, etsi aliquantulum nutriant, *et ideo licet pluries jejunantibus bibere. (S. Thom., 2. 2, q.* 147, *a.* 6, *Scavini, ibid.).* Quoad *chocolatam* vero, etsi rationem cibi, et alimenti habeat, tamen ex hodierna consuetudine licitam esse unam unciam *cum aqua, quæ de more solet in usualibus cyathis adhiberi*, ait *D. Lig., n.* 1023; vel dimidia uncia chocolatæ cum circiter dimidia panis, ut mos est in Hispania: ast non pluries, sed semel tantum mane; et ita admitti videtur, quidquid aliqui dicant; cum tota ratio circa id consuetudine nitatur. *Scavini, n.* 273.

447. Unde: 1.° Qui jejunium qualitatis culpabiliter in die frangit, sumendo carnes, vel alia prohibita, certum est toties leviter, vel graviter juxta quantitatem peccare, quoties vetita edit; est enim præceptum negativum.—2.° Si autem frangit jejunium quantitatis, plures agendo comestiones, ex communi unum tantum mortale committit; cum jejunii natura in unica refectione consistat. *(D. Thom., 2. 2, q. 147, a. 6, Suar., Sca-*

*vini, p.* 195, *etc.*).—3.° Si quis inculpabiliter jam bis in jejunii die in notabili quantitate comederit, probabilius graviter non peccat, si reliquum jejunii non servat; siquidem amplius jejunium servare nequit; nam essentia jejunii juxta communem AA. interpretationem in unica refectione consistit. Communiter sub levi adhuc obligari dicunt *AA.;* eo quod sit juxta finem legis. (*Ita S.* L*ig.*, l. 3, *n.* 1030).

448. **Collatio vespertina.** I. A Monachis cœpit hæc cœnula, qui in jejuniis a propria regula inductis, ante vel post sacra colloquia ad vires refocillandas aliquid sumebant; hunc morem amplexati sunt fideles in Ecclesiæ jejuniis; nam primitus extra unam refectionem in die nihil amplius sumebant in Quadragesima, uti testantur SS. *Athanasius*, *Basilius, Epiphanius, Ambrosius, serm.* 8 *in Ps.* CXVIII, *etc.* Sed hic mos eo venit, ut hodie parvula cœna habeatur, quam legitimat universalis consuetudo, etsi non esuriat, aut indigeat quis alimento. (*Ita Azor., Bouvier, Scavini, p.* 198, *cum communi*).

II. *Quoad ciborum qualitatem* certum est excludi carnes, ova, et lacticinia; nisi de his consuetudo, vel privilegium adsit. Hinc interrogata S. Pœnit. sub Bened. XIV, an liceat sero parum casei sumere dispensatis ad lacticinia, optime conscia mentis Sanctitatis Suæ, imo ipsa approbante, respondit: *Negative.* Item prohibentur dulciaria ovis confecta cum farina, etc.; nam ovi substantia ex eo non deperditur. (*Scavini, n.* 275, S. L*ig., l.* 3, *n.* 1009, *aliique*).—Quoad pisces attendenda, et servari licite potest legitima locorum consuetudo.—Idem quoad caseum, et butyrum. Cibi autem hodie communiter permissi sunt panis, legumina, olera, arborum fructus, et similia.

III. *Quoad quantitatem* autem octo uncias hodie nemini negandas esse videtur juxta communem AA. sententiam, et etiam duas alias, vel amplius, si v. g., jejunans sit debilis, vel nimis occupatus arduis laboribus. *Sumant obligati ad jejunium alimentum in cœnula, quod necessarium judicent ad vitandam omnem indispositionem, quæ impedire possit convenienter adimplere functiones suas,* ait *Gousset, n.* 297. Ita S*alm.*, *Scavini, n.* 275, S. L*ig.*, *n.* 1025 cum *communi.* - In vigilia Nativitatis (nisi solemnitas in 2.ª feria venerit, ut aliqui dicunt, vel mane sumatur refectio), communiter admittitur duplo major, ratione solemnitatis, et lætitiæ. *(Scavini, S. Lig., ibid., Viva, Ron.*, cum *communi.*) In Compendio *Salm.*, *l.* 2, *p.* 400, dicitur posse sumi duplo, aut triplo quantitatem majorem de fructibus, non vero de pane, quam in aliis collationibus ob hispanam consuetudinem: Et in mag. oper. n. 73, cum *Mel., Barb.*, L*ed.*, *Jac.*, *etc.*, quantumlibet de fructibus, herbis, et dulciariis sumi posse dicunt: at non ubique viget hæc consuetudo inter nos.

IV. *Quoad excessum,* conveniunt communiter AA. cum *Salm.*, *n.* 27, duas uncias ultra permissas esse levem culpam; ad gravem alii requirunt cœnulam alteri dimidiæ cœnulæ æquivalentem; alii vero cum *Billuart* requirunt excessum, qui seorsim sumptus integræ cœnulæ æquivaleat.—Quoad horam eam sumendi videtur esse, qua non jejunans cœnam sumere solebat, nempe, sub vesperam. Transgressio hæc, uti cœnulam mane sumere, et sub vesperam refectionem, sine causa levis erit; cum causa nullum peccatum; justa causa erit studium, negotium, officium, iter, et similia. *(Scavini, ibid., Gury, etc.)* (V. n. 443).

449. **Quoad cibos coctos in cœnula** *sententia tenenda*, ut dicunt

*S. Lig.*, *n.* 1029, *Viva, cum aliis plurimis,* docet, quod si panis, vel legumina in aqua sint cocta, minuenda est quantitas; cum per decoctionem aliam naturam acquirant, ac per fermentationem fiat quid unum panis et aqua. El licet panis in aqua coctus naturam non mutaret, tamen hujusmodi ferculum minime est consuetudine in tanta quantitate receptum. *Ita S. Alph.* et *alii plurimi* contra *Dian., Spor., Bon., Elbel, n.* 499 (qui *probabilissimam* vocat horum opinionem), qui octo uncias panis cocti cum aqua et oleo admittunt.—Tantum admittit *S. Lig. cum Tamb.,* ut quis actu, quo se reficit, panem in aqua, aut vino infundat, statimque ori admoveat; nam tunc non intervenit fermentatio, sed liquor ad vehiculum cibi deservit.—Permitti possunt cum *Roncagl.* 4, vel cum *Salm.* ad summum 5 unciæ panis aridi decocti in aqua cum oleo et sale, vel leguminum. *Scavini, n.* 395, *S. Lig., ibid.* - Item in quantitate computandum est oleum et acetum decoctum; non enim rationem potus amplius habent. Ita probabilius *Azor., Lay., Viva, Salm., Scavini,* S. *Lig., ibid.*

---

# CAPUT VI.

## De causis a jejunio excusantibus.

Excusant *dispensatio*, *impotentia*, *labor*, et *pietas*.

450. I. **Dispensatio.** 1.° Summus Pontifex in universa Ecclesia vel communitate dispensare valet, etiam sine causa; in lege siquidem sua agit.—2.° Episcopus in sua diœcesi et cum causa pro casu particulari, ac uno, vel altero diœcesis loco, vel diœcesano dispensare potest, non vero pro tota diœcesi sine Papæ venia, neque in solo esu carnium; agitur enim de lege superioris. *Dispensare cum integra civitate, populo, vel communitate circa qualitatem ciborum, Sedi Apostolicæ reservatum est,* ait Bened. XIV, Bulla *Non ambigimus,* 30 maj. 1741. Et Bulla *Libentissime,* 10 jun. 1745, docet Episcopum petere non debere ab Apostolica Sede dispensationem circa qualitatem ciborum, nisi in gravissima et urgenti necessitate, uti morbo universali, vel deficientia earum rerum, sine quibus jejunium observari nequit. Et toties quoties peti debet; nec valet præsumpta concessio ob consuetudinem impetrandi a pluribus annis. Et Bulla *Prodiit jam dudum,* 30 jan. 1751, ait, esse *communiorem, et magis ratione fundatam opinionem,* quæ docet Episcopum non posse, neque pro particulari causa, neque una vice pro tota communitate, vel dispensare, vel mutare jejunium, quamvis periculum sit quod non observetur, nisi incidat in diem *S. Patroni,* vel *Titularis,* aut *nundinarum;* nam tunc dicit transferendum esse in diem præcedentem *arbitrio Episcopi*, ut etiam docent varia decreta *S. C. R., uti* 7 *sept.* 1816, *S. Lig., H. Ap. tr.* XII, *n.* 22.—Anno 1853 Episcopi Belgii petierunt a Sua Sanctitate, ut dignaretur auferre prohibitionem esus carnium in die sabbati: et concessit illis facultatem dispensandi cum iis, qui id petunt. Deinde quæsierunt, an peregrinantes extra Belgium uti possint dispensatione in locis ubi viget lex: et *S. C. Officii* 10 jan. 1855 respondit: *Negative.*

— *Consuetudo et tacita Episcoporum permissio induxit*, ut etiam parochi, et ut addunt *Sanch., Salm., cum aliis,* etiam eorum vicarii, qui exercent actus

parochiales, si parochus non repugnat, in tota parœcia, ipso etiam præsente Episcopo, cum subditis particularibus hac gaudeant potestate, quam valent exercere etiam per alios clericos: quamquàm non proprie dispensare dicendi sunt; sed tantum declarant causam non jejunandi existere. (*Scavini*; *n*. 277). In praxi consultius erit rem definire; nempe, aperte dispensare, quando fieri possit, vel aperte dispensationem negare; secus conscientiæ tranquillitati non providetur.—*Confessarii, et medici* tantum declarare in casu particulari possunt conscientiose. *Ita omnes*.—Subditus petere non tenetur dispensationem, si causa eximens sit aperte nota; secus si dubia fuerit. (Ita *Scavini*, *S. Lig.*, *S. Thom.*, 2. 2, *q*. 147, *a*. 4).

Et si fideles ob indispositionem aliquam credantur a jejunio excusati, quin ad parochum accedant; vel medicus inconsulte suadeat, ut carnes edant, et non jejunent, in sua bona fide relinquantur; sic enim adest consuetudo, et rationem reddere non tenetur parochus de medicorum nimia tolerantia. (Ita *Gousset*). Si quis non habeat causam absolute sufficientem ad eum excusandum a jejunio, et aliqua ratio ipsi probabilis et justa appareat, qua tantum bis, vel ter in hebdomada jejunet, non est urgendus ad jejunandum, etiamsi causa illa non omnino sufficiat, sed relinquendus in sua bona fide, ne ipse forte deinde omnia jejunia culpabiliter omittat, ait *S. Lig.*, *ibid.*, cum *Spor.*, *Lay.*, *aliisque*.

—Aliud est dubitare num talis casus dispensatione indigeat, et aliud num talis causa sufficiens sit ad dispensandum. – *In primo casu* dubitatur de legis influxu, et possidet libertas;— *in secundo autem* dubitatur de sufficientia causæ ad liberandum ab illius influxu, et, alia præcisa circumstantia, possidet lex.— Resolves: quoad primum casum, lex dubia non obligat, et præferendum est præceptum naturale salutis humanæ mortificationi.—Quoad secundum, consulatur superior.

—Non est certum quod hodie obliget lex de *utriusque medici consilio* a Benedicto XIV Encyclica *Non ambigimus*, et *In suprema*, statuta, ob contrariam consuetudinem universalem, quam novit Ecclesia, quin reclamet. Unde si pœnitens medicum consulere nequit, et necessitatem dispensationis cognoscat confessarius, mittere ad illum non debet, sed positive jejunium illi prohibere. (Ita *Frassinetti*). Si dubitet de sufficientia causæ, resolvat, ut supra.

451. II. **Impotentia** tum *physica*, tum *moralis*.—*Ex impotentia physica* excusántur 1.° *infirmi*, *laborantes febri tertiana*, vel *quartana*, *convalescentes*, et *debiles*, *qui una vice alimentum sufficiens sumere nequeunt.*—2.° *Prægnantes*, et peccarent, si pluries jejunarent; item *lactantes*, quibus permittuntur carnes, si proles ægrotet, vel mater debilis sit, sicuti etiam infirmi, ratione necessitatis, vel gravis damni. *(Ita communiter cum S. Lig.*, *l*. 3, *n*. 1033).—3.° *Pauperes*, qui prandio perfecto pro una congrua refectione carent, uti si non habent nisi panem et legumina, aut herbas, vel panem et vinum. (Ita valde probabiliter *S. Lig.*, *ibid.*, *cum communi*).

—*Ex impotentia morali:* quæ est *cum jejunium absque gravi incommodo sustineri nequit.* Sic excusantur 1.° *illi*, *quibus jejunium affert* gravem capitis dolorem, aut ex vacuitate stomachi vertiginem, vel diuturnas vigilias: neque valde probabiliter tenentur isti collatiunculam mane sumere, et sero comedere, ut sic jejunium servare possint; quia nemo ordinem, et usum pervertere tenetur; et non sine gravi incommodo hoc medium sumere quis ordinarie posset. (Ita *S. Ligor.*, *n*. 1034).

2.º *Milites* sive in castris, sive in hospitiis; eo quod statutis horis, et congruis cibis carent; eisque favet etiam consuetudo; imo fere ubique ab abstinentia dispensantur, paucis exceptis diebus. (*S. Lig., ibid.*)

—En cuanto á los militares el Ilmo. Sr. Patriarca de las Indias, en 23 de enero de 1877, en virtud de las facultades y gracias Pontificias que goza respecto de las clases militares, tuvo á bien declarar, dispensar y dar la siguiente licencia:

1.º Para comer huevos, lacticinios, carnes y para promiscuarlas con pescado en una misma comida en cualquier dia del año, exceptuando, en cuanto á la carne, los siete viernes de Cuaresma, el miércoles de Ceniza, el miércoles, jueves y sábado de la Semana Santa, á todos los militares de mar y tierra, súbditos de S. M. ó auxiliares suyos, que constituyan tropa viva; las tropas de inválidos y las de milicias cuando están sobre las armas, y tambien los capellanes y cirujanos de los cuerpos del ejército y marina, y á todos desde el ínfimo hasta el Capitan General.

2.º Igual dispensa concede tambien á todos sus súbditos castrenses que se hallan á bordo de las naves de la armada, como tambien á las familias, criados y comensales de todos los sobredichos, con tal que estén sujetos á la misma jurisdiccion, y viviendo en compañía del militar, se mantengan de su comida, siempre que este no se ausente por mas de tres dias y aquellos no reciban la racion en dinero.—Las restantes personas dependientes de la jurisdiccion castrense, que aquí no se expresan, no gozarán de esta dispensa.

3.º Tambien dispensa del ayuno en todo el año, exceptuando el miércoles de Ceniza, los viernes y sábados de Cuaresma y toda la Semana Santa, á todos aquellos á quienes ha dispensado el uso de huevos, lacticinios y carnes, menos á los mencionados familiares y criados, los cuales no quedan exentos del ayuno.

4.º A todos los sargentos, cabos, tambores, timbaleros y soldados rasos de mar y tierra, les dispensa sin limitacion alguna en todos los dias del año, aun en los viernes y sábados de Cuaresma y Semana Santa, la obligacion del ayuno, y podrán tambien comer y promiscuar carne y pescado sin restriccion de dias.

5.º Asimismo da facultad á todos sus subdelegados y capellanes de ejército y de marina, curas y tenientes castrenses, para que en su nombre otorguen indulgencia plenaria en la forma de costumbre por la Iglesia á sus feligreses que se hallasen en el artículo de la muerte, si hubieren confesado, ó no pudiendo, tuviesen verdadera contricion de sus pecados.

6.º Igualmente concede indulgencia plenaria á todos sus súbditos castrenses que, estando verdaderamente arrepentidos, confesaren y comulgaren en los dias de Navidad de N. S. J. C., Pascua de Resurreccion y Asuncion de la SS. V. María, y rogaren á Dios por la extirpacion de las herejías, aumento de nuestra santa fé católica, etc.—Por último, otorga diez años de perdon por la devota asistencia á los sermones que, en cumplimiento de su ministerio, predicaren los párrocos castrenses los domingos y dias festivos, y mas 80 dias por su propia facultad.

Dado en Madrid.—*Francisco de Paula*, Patriarca de las Indias.—*José Joaquin de Cafranga y de Pando*, Secretario.

3.º *Conjugati*, si interveniat gravis mariti indignatio (modo in contemptum religionis, vel præcepti Ecclesiæ non vetetur uxoribus jejunare); vel si debilitas viri reddere debitum conjugale impediat; cum præceptum justitiæ prævaleat humano jejunii. (*S. Lig., cum communi*).

4.º *Adolescentes* usque ad 21 annum completum; indigent quippe frequentiori alimento ad virium robur. Qui hora tertia, vel nona 21 annum complet, probabilius illo die jejunare tenetur; sane præceptum obligat statim ac tempus obligationis venit. (S. *Lig.*, *n.* 1035, *aliique plurimi* contra *Spor.*, *Dian.*, *Trull.*, *et alios*).

5.º *Senes* sexagenarii qui ob virium imbecillitatem sine gravi incommodo jejunare non valent; quod communiter admittunt etiam in dubio de validitate virium; cum præsumptio stet pro imbecillitate in tali ætate

*Scavini*. Item si de certo robustis sermo sit; tum quia urget jus ad salutem; tum quia hujusmodi senes ob virium imbecillitatem, et caloris defectum, nequeunt simul sumere alimentum sufficiens, indigentque crebriori: unde *Galen., l.* 5, *de Sanit. tuenda,* ait: *Senibus simili ratione iis, qui ex morbo convalescunt, in victu esse curandum.* Imo etsi robusti appareant, eorum robur est de facili illusivum et inconstans; et si vires amittunt, difficulter convalescunt: unde tunc prævalet præceptum naturale servandi valetudinem et sanitatem. Imo tunc dubitatur an extet lex, vel non pro illo casu aut subjecto, et ideo possidet libertas. Ita se habet universalis consuetudo, et Ecclesiæ praxis. (Ita probabiliter *S. Lig., n.* 1036, *Sanch., Pal., Salm., n.* 110, *Tamb., cum communi* contra *Bon., Laym., Fill., et alios).* Imo annus inceptus in favorabilibus habetur pro completo, ut dicunt *Castrop., Viva, Bus., Mazz.,* quibus assentire videtur *S. Lig., H., t. XII, n.* 25, *et alii* contra *Spor., et Elbel.*

—Disputatur an a jejunio excusentur fœminæ quinquagenariæ. Alii cum *Lay., Tamb., Croix* negant; quia fœminæ sine detrimento valetudinis facilius jejunant, cum ipsæ minori indigeant cibo.—Alii cum *Ballerini, n.* 509, affirmant; quia fœminis antecedit senectus, sicut et pubertas; et si minori indigent alimento, est quia pro debilitate abundantiori impares fiunt, quod magis evincit eas a lege excusari. Unde concludit *Sanch., l.* 5, *c.* 1: Quæ ante sexagesimum annum sint jam senes, et debiles, aut infirmæ, excusantur. In dubio confessarius necessitati, ac bono pœnitentis provideat cum minima legis jactura, et aliquid amplius indulgeat circa quantitatem cibi, et horam se reficiendi, quin præceptum urgeat.

—Item religiosi, et qui jejunare, v. gr., semel in hebdomada, voverunt, ad instar præcepti ecclesiastici se obligasse censentur. Excipe, si expresse aliter intenderint, vel promiserint, v. gr., si ad finem vitæ usque; nam tunc sic promissum impleturi erunt, dummodo vires non deficiant. *(Ballerini, n.* 509, *S. Lig., n.* 1038 *et* 1039, *et alii* contra *alios*). — Si jejunium subrogatum sit voto castitatis, *putarem,* ait *Del-Vecchio, n.* 399, cum *S. Lig., n.* 1040, *hunc teneri ad impetrandam dispensationem, pro qua ætas illa est quidem sufficiens causa.*

452. III. **Labor**, qui sine magno incommodo, vel notabili corporis defatigatione exerceri nequit, sive propter debilitatem personæ, sive propter aliam circumstantiam, a jejunio excusat; nam lex humana non obligat cum notabili incommodo. *Lessius, n.* 43. Hinc excusantur: 1.° *Agricolæ, figuli, lapicidæ, fossores, fullones, textores lanarii, aurigæ, bajuli, fabri lignarii, ferrarii, murarii, furnarii, pistores, sutores, typographi prælum versantes, remigantes, percursantes urbem ad merces vendendas, templa ornantes, scalas circumferendo, magna horologia conficientes, famuli et coqui tota fere die magnis laboribus incumbentes,* etsi robusti sint, dummodo omnes præfati per majorem diei partem laborent; lex enim respicit, quod ordinarie contingit. *(S. Ligor., n.* 1041 *et* 1043). Item excusantur illi, qui uno vel altero die labores intermittunt, ratione reficiendæ lassitudinis, et virium servandarum ad proximos labores, nisi illis diebus jejunare valeant sine gravi incommodo: et si in bona fide sint, ut ordinarie evenit, et non speretur fructus, in illa relinquantur. *(Scavini, p.* 203, *Varceno, p.* 105, *S. Lig., n.* 1044, *aliique communiter).*

2.° Item probabilius et communius excusantur artifices divites, qui liberi sunt a laborando; reipublicæ siquidem plurimum interest, ne suos

intermittant labores, jejunando. Ita etiam fert consuetudo, et praxis universalis fidelium ab Ecclesia non improbata. *Varceno, Scavini, p.* 204, et *S. Alph.*, qui *l.* 3, *n.* 1042, refert, ac defendit Eugenii IV declarationem, an. 1440, qua *artifices laboriosas artes exercentes, et rustici, sive divites sint, sive pauperes, non tenentur jejunare.*

3.° Excusantur *longe iter agentes*, nempe, quinque ferme leucarum; vel duarum tantum, si viator sit debilis, iter vero arduum, vel tempestas immitis, itinerique ille non assuetus, ut ait *Gury* cum *Sanch.*, *Salm.*, *n.* 137, *Croix*, *aliisque;* si graviter defatigatur.—Secus si iter breve sit, vel equo, aut curru fiat, contraria ratione; nisi ad plures dies agatur; vel si equitans debilis sit, tempus pluvium, arduum iter, aut extraordinarium, aut cum magna defatigatione. (*Scavini*, *S. Ligor.*, *n.* 1047). Iter autem octo, vel decem leucarum putant non esse extraordinarium. *Salm.*, *Sanch.*, *aliique communiter.*

4.° Qui præcise, vel absque justa causa iter, vel laborem suscipit, ut a jejunio liberetur, probabilius peccat; sane omnis lex exposcit, ut sine justa causa impedimentum non ponatur, quominus observetur, manendo sub ejus influxu. Ita *Scav.*, *p.* 264, *Varc.*, *Gury*, *n.* 511, *Sanch.*, *Croix*, *S. Ligor.*, *H.*, *n.* 33, *aliique* contra *Ron.*, *Bon.*, *Salm.*, *Pasq.*, etc., dicentes licite eum jure suo uti.—Si vero iter, seu laborem inceperit animo jejunandi, et postea defatigatus amplius jejunare non valet; vel si jejunii dies venerit, communiter eum excusant *Lay.*, *Spor.*, *Sanch.*, *S. Ligor.*, *l. c.*, *Scavini*, *n.* 280; quia tunc jam evasit moraliter impotens ad jejunandum.—Si autem labor, vel iter sumatur non ex puro solatio, sed ut quis visitet conjunctos, vel ob convenientem venationem, aut ob alium finem honestum, eum excusat *Sanchez:* multo magis si laboraret ob magnum lucrum. Ita probabiliter *Lay.*, *Elb.*, *Sanch.*, *S. Lig.*, *l. c.*, *et alii.*

Q. *Quinam operarii tenentur ad præceptum jejunii?*

R. *Sartores, barbitonsores, notarii, pictores, molitores, sculptores, typos tantum componentes, ancillæ lanam, vel linum fuso torquentes*, aut *munia similia exercentes;* nisi præfati omnes ob virium debilitatem, vel ob laborem particularem grave incommodum sint subituri. Hoc confirmat prop. n. 30 ab Alexandro VII damnata utpote nimis generalis: *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio. S. Lig., H. n.* 27.

453. IV. **Pietas** excusat a lege jejunii, quando Deo gratior est illa quam hoc, uti opera misericordiæ ac religionis, quum moraliter conjungi nequeunt cum jejunio sine gravi incommodo. *Non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia*, ait Angelicus, *ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas.* (2. 2, q. 147, a. 4).—*Etiamsi hæc opera sponte suscipiant* (fideles), *si justa sit causa... et differri non possint*, addit *Bouvier*. (Ita *Scavini*, *p.* 201, *S. Lig.*, *n.* 1048 *cum communi*).

—Hinc a jejunio liberantur *concionatores*, vel *missionarii*, qui quotidie, vel frequenter per hebdomadam in tota Quadragesima, aut intra annum concionem habent, etsi cum honorario; nam actio concionandi est valde laboriosa, et vires ad vocem requirit. (Ita *communiter Sanch.*, *Spor.*, *Salm.*, *Gury*, *Scavini*, *p.* 204, *S. Lig.*, *n.* 1049). Si vero ter, vel quater in hebdomada aliquando concionantur, absolute excusant *Sanch.*, *Ron.*, *Tamb.*, *Trull.*, *Pasq.*, *Bus.*, *Elbel*, *n.* 494, *Viva*, *n.* 4, modo cum magno

fervore concionentur. Sed melius ajunt *Holzm.*, *Salm.*, *n.* 149, dicit *S. Lig.*, *n.* 1049, quod in genere definiri nequit exemptio; pendet enim a majori vel minori studio, labore, fervore, agitatione, sanitate, ac viribus operantis. At si exinde pereat vox in suggestu, vel si mentis vertigo in confessionario eveniat, et officium, aut profectus fidelium impediatur, uti grave incommodum habendum erit.

Idem dicendum de *cantoribus*, et *lectoribus* scientiarum, si studio ac labore indigent ad lectiones parandas, licet per unam tantum horam diariam doceant: non autem ii, qui scripto tantum lectiones tradunt: idem dic de *judicibus, advocatis, medicis*, et similibus; de *inservientibus hospitalibus*, ac *confessariis* per multas horas, puta 7, vel 8 in die, in hoc ministerio versantibus; sed non *per se,* sed *per accidens* omnes isti excusantur; nempe si aliter, nisi cum gravi incommodo suis muneribus satisfacere non valeant, quod præ oculis semper habendum est; nam ubi labor excusat *per se,* in dubio præsumptio stat pro jejunii exemptione; at ubi excusat *per accidens,* stat pro obligatione. (*Scavini, p.* 205, *et S.* *Ligor.*, *n.* 1049). Sed in praxi videantur circumstantiæ agentis, et ejus gravamen. *(Ballerini, n.* 512).

---

# CAPUT VII.

## De decimis, primitiis, et oblationibus.

454. **Decimæ** sunt *portio fructuum juste acquisitorum, quæ juxta locorum usum Ecclesiæ ministris tribuitur, quæque in veteri Testamento erat decima pars fructuum, nunc vero decima, vel quintodecima, imo alicubi vigesima, trigesimave. Triplicis* generis sunt decimæ; nempe *prædiales, personales,* et *mixtæ. Primæ* proveniunt ex fructibus et proventibus prædiorum, sive *majores,* sive *minores,* sive *novales* sint, uti vinum, grana.—*Secundæ* ex rebus, quas quisque sibi opera, et industria sua acquirit; uti lucra in negotiationibus.—*Tertiæ*, quæ oriuntur ex rebus sola industria hominum fructum exhibentibus, ut fœtus, lac, lana pecorum.

**Decimæ sunt persolvendæ**: 1.° *Jure divino* in genere; quatenus sunt Ecclesiæ stipendium suis ministris debitum; nam *Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* (I Corinth. IX).—Item *jure naturali; dignus est enim operarius mercede sua.* (Luc. X).—2.° *Jure ecclesiastico* in specie; quatenus est determinata fructuum quantitas. *(Ex cap.* 4 *et seq. de decimis).* Et ex *Trident., sess.* 25, *c.* 12, *de R.*, qui eas subtrahunt, vel impediunt, sunt excommunicandi. Sed non obligant nisi ubi adhuc adsit talis consuetudo. *(Scavini, p.* 206). – Hinc qui decimas fraudant, peccant 1.° *contra religionem;* quatenus decimas etiam præcepit Ecclesia in Dei cultum, et in signum universalis dominii: (Cap. *Tua nos* 26, *de decim.*) *Elbel*, Less., et *Sporer* censent sacrilegium esse decimas non solvere; tamen alii cum *Croix* merito negant; quippe illæ donec ab Ecclesia possideantur, sacræ non sunt.—2.° *Contra justitiam;* sunt enim justum stipendium debitum Ecclesiæ ministris, juxta illud: *Quis militat suis stipendiis unquam?—Dignus est enim operarius mercede sua.*

(I Cor. IX, et Luc. X). Non ergo sunt puræ eleemosynæ, sed ministris tam bonis quam malis, sive pauperibus, sive divitibus debitæ, cum officio suo rite funguntur. Unde damnata est a Martino V in Conc. Const., an. 1418, hæc prop.: *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre.*

Circa hoc ait Pontif. Rom. *(tit. de Ecclesiæ dedicat.*, 45): *Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam revoceris; dabis impio militi quod non vis dare sacerdoti; et hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.*—Sed si Status, pro antiqua consuetudine, quam semper parochus sequutus est, sese obligavit solvere summam in abrogatione decimarum, nunc eximere se non potest ab obligatione solvendi; et nihil valet dicere decimas nunc solvendas non esse, et Statum in difficili conditione versari.

**Primitiæ** sunt *primi terræ fructus, qui primæva ætate populi Deo, vel ministris offerebant.* Sed post sæculum V vix ulla de illis mentio currit.

455. **Oblationes** sunt *munera sponte a fidelibus Deo, ac Ecclesiæ ministris oblata*, quæ ab Apostolis repetendæ sunt. In illis conviviis singuli fideles panem et vinum, aliaque offerebant ad Ecclesiam: aliqua pars consecrabatur, juxta illud Apostoli: *Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est:* (I cor. XI.). Quod reliquum erat, clericis indigentibus cedebat. Deinde offerri cœpit pecunia; et sic tandem honorarium Missæ venit. Aliæ pro uniuscujusque pietate dabantur, quando sacramenta, vel alia sacra credentes suscipiebant: unde *Later. IV, an.* 1215, statuit, ut fideles eas oblationes præstarent, quas consueverant, et recusantes pœnis cogi possent ab Episcopo *(Cap.* 40 *de simonia)*. Hinc si aliud non obstat, illæ cedunt parocho loci, et dicuntur *fructus stolæ.*—Sed si oblationes fiunt oratorio rurali B. V. Mariæ, vel alterius Sancti, nulla portio debetur parocho. *(Ita S. Cong. Concilii* 22 *april.* 1799). Superioris licentia aliquid de hisce oblationibus detrahi potest pro Ecclesia parochiali, si indigeat; æquum enim est, ut filia matri indigenti succurrat. (*Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 289*)*. Si vero ex usu, vel aliquo signo pateat hujusmodi oblationes ad celebrandas ibi Missas esse destinatas, parochi est invigilare, ut ibidem celebrentur. Cerei autem in honorem SS. Sacramenti, vel B. V. Mariæ, aut alterius Sancti, vel imaginis oblati, accendi et cremari debent, at non parietes ornare; et eorum reliquiæ non in beneficium parochi, vel sacristæ, sed in fabricæ ecclesiæ utilitatem cedere debent, uti patet ex origine, et fine oblationis. Unde nec sunt extinguendi, neque sibi a pastore, vel alio arrogandi, aut in alio loco, vel altari cremandi, aut vendendi, cum talis offerentium non sit mens; secus pastor, vel administrator contra religionem, pietatem, ac justitiam peccaret. (*Bourier, Del-Vecchio, n.* 289).

Concilium Chalcedonense, quod memorat *Gratianus,* decernit*: ut nec sine testibus sit ecclesiæ ministratio, nec ideo res ejus dissipentur, et probrum ac dedecus sacerdotio inuratur. (Dist.* 89). Unde non pigeat parochos de iis testes habere, et rationem reddere, *ne virtutis opinionem apud populum amittant, quæ profecto nunquam magis concitari in animis solet, quam si de congestis eleemosynis aperta fronte ratio persolvatur, ut palam constet, eas parochorum commodo nequaquam tribui, sed piis operibus insumi,* ait Benedict XIV. (*Notif.* 72*)*. Sed hisce in rebus consuetudo locorum etiam spectanda est, quæ si legitima sit, vim legis

habere potest. Tamen, experientia teste, fideles juvenes, non semper fideliter hoc munere administrationis funguntur; circa quod parochi vigilent, et curent, ut in fine anni rationem reddant: secus in ludis, ac ingluviebus forsan fructus absument. Item parochi taxam stolæ consuetudine vel lege inductam, ne proprio marte facile mutent: sed si necessitas urgeat, res tota cum Episcopo componatur, ne gravibus dissidiis detur locus. *Del-Vecchio, n.* 286.

---

# TEXTUS BULLÆ CRUCIATÆ.

**Charissimo in Christo Filio Nostro Alphonso Hispaniarum Regi Catholico.**

Pius PP. IX.

456. «Charissime in Christo Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem: Dum infidelium furor, Catholicos principes, et populos assiduis bellis agitaret, ac variis Europæ regionibus, ipsique Italiæ extremum discrimen cum animarum pernicie minitaretur, ad tantum periculum prohibendum, decessor tuus Philippus II, Hispaniarum Rex Catholicus, ab hac Sancta Sede Apostolica Litteras accepit, quibus plures gratiæ, favoresque, tum spirituales, tum temporales, ad certum annorum intervallum tribuebantur iis ex hispanica ditione fidelibus, qui ad prælia contra infideles proficiscerentur, aut militares illas expeditiones peculiari ope sua contributa in expensas necessarias pecuniæ summa juvarent. Quod quidem indultum, nonnullis additis seu declaratis, sæpius a Romanis deinceps Pontificibus prædecessoribus Nostris, ac semel, atque iterum per Nos prorogatum fuit... eo tamen consilio, ut eleemosynæ ex concessionibus in indulto comprehensis collectæ ad pios usus erogarentur. Porro in solemni de ecclesiasticis negotiis conventione, quam cum Hispaniarum Regina catholica, die XIV. Martii anno MDCCCLI initam per Nostras Litteras Apostolicas nonis Septembris ejusdem anni, confirmavimus, articulo XL cautum est, ut in posterum in Hispanica ditione, Ordinarii Præsules Bullæ Cruciatæ proventus, in sua quisque diœcesi administret, ad eos erogandos juxta normam in ultima prorogatione Apostolici indulti præscriptam, salvis obligationibus, quibus iidem proventus vi conventionum cum Sancta Sede initarum obnoxii sunt: in conventione autem additionali inita XXV Augusti anni MDCCCLIX expresse cautum fuit, ut in posterum Bullæ Cruciatæ proventus omnes, salva eorundem parte, Sanctæ Sedi, ut superius, debita, in expensas divini cultus exclusive impendi debeant... Jam vero, quum memoratæ Bullæ Cruciatæ indultum novissime a Nobis prorogatum, prima sacri Adventus Dominica proximi venturi anni MDCCCLXXVIII finem sit habiturum, per Tuum apud Sanctam Sedem Oratorem... preces Nobis sunt exhibitæ, ut illud denuo de Apostolica Auctoritate Nostra, prorogare velimus. Nos igitur..... Apostolica auctoritate Nostra, tenore præsentium Litterarum ad duodecim annos tantum, qui a prima sacri Ad-

ventus Dominica proximi futuri anni effluere incipient, concedimus et indulgemus, ut Christi fideles utriusque sexus in regno Hispaniarum, et in Insulis, aliisve locis etiam ultramarinis, civili ditioni Majestatis tuæ subditis, commorantes, vel ad regnum, Insulas, aut ad loca eadem divertentes, qui intra annum, a consuetis publicationibus harum earumdem Litterarum de more computandum, sponte contulerint eleemosynam ab Archiepiscopo Toletano, in officium Commissarii generalis subrogato, et harum Litterarum Exequtore, pro vario eorumdem Christifidelium gradu et conditione taxatam, et in supradictos pios usus erogandam, gratiis, favoribus, et privilegis frui possint, quæ nunc declarabimus. De his vero ab Exequtore prædicto Summarium conficiendum erit, quod unusquisque ex commemoratis Christifidelibus accipere debebit, ut privilegiis, favoribus, gratiisque frui possit.»

# NOTIONES GENERALES.

457. **Bulla Cruciatæ** est *Diploma Pontificium multa privilegia, et gratias continens, regique catholico Hispaniarum primitus concessum in belli subsidium contra infideles, et nunc in divini cultus impensas.* Nominatur *Cruciatæ*; quia contra inimicos fidei crucem ferentibus concessa fuit. Ab Urbano II, anno fere 1166, originem duxit occasione expeditionis Terræ Sanctæ, in quo feliciter civitas Jerusalem a christianis recuperat est.—Similem concessit bullam Innocentius III, anno 1207, crucem accipientibus contra Albigensium bellum.—Pius II Bullam concessit Enricho IV Castellæ regi, anno 1458, in qua mentionem facit de altera Callixti III ejusdem prædecessoris ipsi regi concessa, vivis atque defunctis benefica. *(La Fuente).*

—Idem obtinuerunt catholici reges hispani a Sixto IV, annis 1478, 79, 81 et 82, cum plenaria indulgentia concessa contra mauros bellantibus.—Innocentius VIII anno 1485 Cruciatam prorogavit, et gratias ipsius extendit Regno Navarræ.—Idem fecit Julius II, anno 1509.—Deinde Leo X, anno 1519.—Postea Clemens VII, anno 1525.—Paulus III facultatem dedit Imperatori Carolo V Commissarium generalem designandi anno 1534.—Pius IV, 26 Aprilis anni 1561 Philippo II primum quinquennium subsidii concessit.—Ab anno 1536 invenimus Commissarium generalem Cruciatæ, et D. Fr. García de Loaisa, Archiepiscopum Toletanum potestatem habere bona incerta componendi per bullam, et dispensandi super irregularitate..... etc..... (*La fuente, l. 3. p 66 et 68*).

—Et a Gregorio XIII, anno 1573, amplior et favorabilior cæteris concessa est Philippo II, diciturque Bulla plumbea, seu latina, quæque cum aliqua modificatione ad præsentem usque durat per Pium IX concessam, textu infra adducendo.

458. **Divisio.** *Quadruplex est Bulla*; nempe, *indulgentiarum, lacticiniorum, defunctorum*, et *compositionis*, quibus additur *Bulla carnis* sic vulgo dicta. Hinc: 1.° Omnibus civili ditioni hispanæ subditis, etiam ultramarinis conceditur Bulla.—2.° Omnibus, et solis christianis, subditis, vel non subditis, sed per hispanicam ditionem transeuntibus, quocumque fine; quamvis post Bullæ acceptionem ad alia regna se conferant, excepto vescendi prohibitis privilegio extra Hispaniam; exceptisque etiam iis, qui Bullæ expeditionem malitiosè impedierint, vel eleemosynam pecunia furtiva dederint.—3.° Excommunicatis, hæreticis, et schismaticis, si per ipsos non

stat, quod non absolvantur ab excommunicatione, et per contritionem in gratia ponantur, poterit Bulla prodesse quoad gratias, et indulgentias; sic credendum est de pia matre Ecclesia; et ratio confirmat; nam christiani, et in Dei gratia sunt.—4.° Pro defuncto qui, adhuc vivens, Bullam vivorum petiit, potest illa accipi, et per eam ipse ab excommunicatione absolvi, et in loco sacro sepeliri, tempore interdicti, moderata pompa; quatenus permanet voluntas virtualis; secus non liceret ob contrariam rationem.—5.° Item novitii religionum, etiam invito superiore, Bullam sumere possunt, et omnibus privilegiis frui.—Item religiosi, de licentia prelati pecuniam habentes ad usum honestum, quin prælatus possit licentiam negare, et privilegia limitare, utpote a superiore ortum habentia, nempe a Papa: quod valet etiam de professis in probabiliori opinione; qui tamen peccarent contra obedientiam, si superior justa de causa licentiam negaret.

459. Solus Summus Pontifex, in quo residet plena potestas super universam Ecclesiam, potest Bullam concedere, et revocare, quæ gratia non expirat morte concedentis, uti expressum est C. *Si super gratia de offic. in* 6.°—Non potest illam revocare SS. Pontifex sine causa gravissima, aut utilitate communi adstante, et cum debita compensatione facta iis, qui illam acceperint, quando jam annus concessionis incœperit; nam dicta concessio acceptata, speciem contractus bilateralis onerosi involvit. *(Vide Fagn. in C. Relatum: ne clerici...)*—Revocatio promulgari deberet, ut ad omnium notitiam pervenire posset; aliter si quis ignorans revocationem, casu supposito, reservata peccata confiteretur, eorum absolutio, vi Bullæ data, valida esset: sic præsumitur ex mente Pontificis ad vitanda pericula animarum, ut docent *Henr.* et *Mend.*—Sicuti valide absolveretur qui, aliqua causa, confessionem suspendere debuisset, si interim revocatio Bullæ in ejus notitiam perveniret; eo quod judicium inchoatum jam erat ante revocationis scientiam, et ei finem dare posset. (V. n. 772). —Secus autem si revocatio legitime, et sufficienter intimata esset, quamvis aliquis ignorantia invincibili laboraret; tunc enim deficeret error communis, et titulus coloratus. Neque Bulla, ejusque privilegia revocantur per Jubilæum, licet in eo dicatur *omnes gratias, privilegia, et facultates revocari, etiam regibus ex quacumque causa concessas.* Ratio, quia adest contractus onerosus, et lucrativus; ideoque eleemosyna, quam fideles elargiti fuerint, reddi deberet. Et Clemens VIII, anno 1600, qui fuit Jubilæi *anni sancti*, declaravit per illum Bullæ privilegia non revocari. Idipsum declaravit Commissarius Cruciatæ ex Urbano VIII, pro anno 1625, teste *Diana*; et idem ex Gregorio XIII, ut refert *Lara.* Quod Ecclesiæ praxis confirmat.

460. **Per tempus unius anni durat Bulla**, qui, absoletis circa id inter DD. controversiis, a *consuetis publicationibus harum earumdem Litterarum de more computandus est,* ex Pio IX, ut supra adnotatur. Hinc: 1.° Qui sumit Bullam ante ejusdem publicationem, quæ ut tenet *Bardi*, fit per ejus solemnes processiones, nullo illius privilegio frui valet, usquedum publicetur.—2.° Qui illam sumit ubi jam promulgata est, et pergit quo nondum est publicata, aut viceversa, illius privilegiis probabiliter frui potest usquedum anno sequenti publicetur in loco, ubi habitet; hæc sane præsumi debet Pontificis intentio, ne is qui v. gr. Matrito Cæsaraugustam venit, Matritum redire cogatur ad accipiendam Bullam, vel pro eo tempore ejusdem privilegiis, et gratiis careat. *(Ita Sanch., Trull., Mend.).*—3.° Anno concessionis transacto, privilegiis Bullæ anni anterioris minime quis frui potest, etiamsi alteram de novo accipere non valeat.—4.° Non sufficit intentio illam sumendi, ut declaravit *Comm. Gener.* Cruciatæ in Bullæ explicat., n. 52; nec præsumptio alium pro alio esse sumpturum; nec fundata in more annorum antecedentium, præsertim si de absolutione

reservatorum sermo sit; sed necesse est quod de facto accipiatur, et eleemosyna detur, aut certo quis sciat se Bullam habere, ut suis privilegiis frui possit; porro est gratia conditionalis, et, non adimpleta conditione, minime ipsa aliquis frui potest. Tamen si quis certo sciat domi suæ, a qua abest, pro se ipso absente, Bullam accipi tali tempore, et die, ejusdem privilegiis gaudere valet; nam acquisitionis moralis certitudo eidem inest. Ita *Mend*, *Diana*, contra *Rodrig.*, *Vega*, *et Trull.*— 5.° Requiritur etiam, ut recipiens sibi eam applicet, ac prudenti diligentia retineat. *Y declaramos que los que quieran gozar de sus indulgencias y gracias, han de tomar y retener este sumario... para que cada uno pueda mostrar con qué facultad usa de ella*, ait *Comm. gener.*—Communiter sentiunt plures, ait *Comm. in S. Ligorio*, quod si quis absque culpa summarium perdiderit, ejus tamen gaudet gratiis, non vero si culpabiliter: probabile tamen est quod, accepta Bulla, et erogata eleemosyna, obtinentur gratiæ, tam si perdatur inculpabiliter, quam culpabiliter, et etiamsi voluntarie scindatur; quia, ut recte sentiunt *Trull.* et *Mend.*, non est Pontificis præceptum, sed consilium summarium asservandi. Revera sermonem tantum habet S. Pontifex de eleemosyna danda, et de Summario accipiendo; minime vero servando. (*Mend., disp. 23, in S. Lig., lib. VIII*).

461. Q. *An nominis inscriptio Bullam accipientis in ipsa sit necessaria?*

R. *Alii* negant (licet consultius illud inscribere sit); nam sine eo perficitur acceptio, et eleemosyna, unicæ res præscriptæ; verba Commissarii, ut dicunt, sunt de consilio, non vero de præcepto. Sed *alii* securius affirmant; quia Comm. general. dicit n. 72: *Es menester aplicarla nominadamente, y en particular. Para eso vereis que en el sumario de cada una de las cuatro Bulas se deja un blanco, y es para que escribais, ó hagais escribir en él vuestro propio nombre y apellido, ó de aquel para quien se destine la Bula.* At quæri posset, an hæc sit clausula solum præceptiva, an etiam irritans: cum autem de hac irritatione, et facultate irritandi nullum adsit vestigium, gratis confingi potest affirmatio. Unde si per oblivionem nomen non inscribatur, posset accipiens privilegiis Bullæ frui, sicut et ille, cui Bulla, mediocri diligentia servata, sine culpa deperditur, vel rumpitur, ait *Wigant;* quia non debet esse major obligatio in hac parte, quam in aliis rebus. *(Nuño)*. Tamen tutius sequi expedit in hac re. (V. n. 612.)

## BULLÆ ARTICULI.

462. I. «Ac primum quidem iisdem Christifidelibus omnibus et singulis, qui vere pœnitentes peccata sua intra prædictum annum confessi »fuerint, et SS. Eucharistiæ Sacramentum devote susceperint, aut si non »valeant hæc Sacramenta suscipere, id saltem contrito corde desiderent, »plenariam omnium, et singulorum suorum peccatorum indulgentiam et »remissionem, quæ proficiscentibus ad recuperationem Terræ Sanctæ con- »cedi consueverat, quæque in anno Jubilæi concedi solita est, tribuimus »et elargimur; eos tamen qui peccata sua confiteri non possint, et si id »contrito corde desiderent, supradicta plenaria indulgentia tunc solum »frui posse statuimus, si alias intra præscriptum cuique fideli ab Ecclesia »tempus confessi sint, neque in hujus nostræ concessionis confidentiam »præceptum illud adimplere neglexerint.»

Unde deducitur: 1.° Indulgentiam hanc esse plenissimam, velut anni Jubilæi:— 2.° confessionem et SS. Communionem suscipere, ad eam lucrandam, requiri:—

3.° contritionem sufficere una cum desiderio quoad cos, qui præfata sacramenta suscipere non valent:—4.° alias intra tempus cuique fideli ab Ecclesia præscriptum esse confessum:—5.° in hujus gratiæ confidentiam præceptum illud non neglexisse:—6.° hanc indulgentiam a confessario non esse applicandam, uti antea, sed sufficere pœnitentis intentionem.—Nulla indulgentia pro mortis articulo in hac Bulla habetur; in hujus defectu Sanctitas Pii IX facultatem prælatis fecit Papalem benedictionem infirmis in præfato articulo impertiendi sive per se, sive per alios sacerdotes, si illam postulent Ordinarii a Rom. Pontifice.

463. II. «Insuper omnibus et singulis Christifidelibus prædictis, ut »ipsi, dicto anno durante, possint in ecclesiis, in quibus alias divina Offi»cia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in »privato oratorio ad Divinum cultum tantum deputato, ab Ordinario visi»tando, et designando, etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non de»derint, vel per eos non steterit, quominus amoveatur; et illi qui facul»tatem ad id ab harum litterarum Executore et Commissario alias ha»buerint, etiam per horam antequam illucescat dies, et per horam post »meridiem, in sua ac familiarium, et domesticorum ac consanguineorum »suorum præsentia Missas, et alia divina Officia, per se ipsos, si presbyteri »fuerint, vel per alium, celebrari facere, et tempore interdicti illis interes»se, clausis januis, et non pulsatis campanis, et excommunicatis, ac spe»cialiter interdictis exclusis. Ita tamen, ut, si privato oratorio ad præmissa »uti voluerint, quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro exaltatione Sanc»tæ Matris Ecclesiæ, hæresum extirpatione, propagatione Catholicæ fidei, »et pace et concordia Principum christianorum fundere teneantur; nec »non durante hujusmodi interdicto, Eucharistiam, et alia Sacramenta in »dictis ecclesiis, vel oratorio, præterquam in die Paschatis, recipere; ipso»rumque Christifidelium, tempore interdicti hujusmodi, decedentium cor»pora (nisi forte vinculo excommunicationis innodati decesserint) cum »moderata funerali pompa sepeliri valeant.»

**Explanatio**: 1.° Hic agitur tantum de tempore interdicti, et etiam de quocumque interdicto Apostolico, sive locali, sive generali; sane ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Ratio: sermo est de quacumque ecclesia, vel oratorio; et est omnibus apertum, extra hoc tempus neminem Bulla indigere ad Missam audiendam, et sacramenta suscipienda in quibuscumque ecclesiis. 2.° Tempore interdicti oratoria privata publicis ecclesiis æquiparantur; ad omnes quippe se extendit prohibitio divinorum: inde est quod etiam Bullæ privilegium omnes pariter amplectitur.—Ex hisce ergo sponte fluit Bullam Cruciatæ extra interdicti tempus minime suffragari, ut ipsa fruentes in oratoriis privatis tum plures Missas celebrare, seu celebrari facere, tum ipsas audire, Ecclesiæque præcepto satisfacere possint. Scimuse quidem contrariam olim apud aliquos invaluisse sententiam; nunc autem, Romanis decretis obviam factis, jam illam sustineri non posse, nemo inter catholicos inficias ibit.

—Quæsivit Ilmus. Santandarienses Epus.: 1.° An virtute Bullæ Cruciatæ celebrari possint unoquoque die plures Missæ...—2.° *An Missæ de præcepto satisfaciant diebus festis omnes indiscriminatim, qui Missam in oratorio privato audiunt, dummodo Bullam Cruciatam habeant?* Et S. C. T. C., sub die 15 julii 1797, respondit: *Negative.* Et fac ut advertas, non quæsivisse pro fidelibus suæ diœcesis tantum, sed an omnes fideles quidem Hispaniæ. Et item generice fuit responsum.

—Novissime autem, hisce nostris diebus, anno scilicet 1867, Excmus. et Illus-

trissimus D. D. Pantaleon Monserrat, dignissimus Barchinonensis Epus., in sua Visitatione *ad sacra Limina*, sub n.° 2.°, inter alia ita se habet: *Accidit deinde, ut cum personæ extraneæ putent se posse præceptum audiendi Missam adimplere in hujusmodi Oratoriis (privatis), magnus numerus vicinorum ad sacram Synnaxim conveniat. Rogat igitur Episcopus infrascriptus declarari Bullam Cruciatæ nullo modo suffragari personis indulto, seu gratia Oratorii, non comprehensis ad implendum præceptum Missam audiendi.* Et S. C. C., die 27 jun. 1868, respondit pariter *negative. Roma, igitur, locuta est, causa finita est,* cum magno Hipponensis Ecclesiæ luminari clamemus oportet. Qui autem plura peroptet, ipsius Barchinonensis Excellentissimi necnon Ilmi. Episcopi jam prædicti ad suum Clerum, et populum instructionem, sub die 29 augusti anni 1868 subsignatam, perlegat, quæso; tantique viri auctoritate convictum iri plane non diffiteor. S. Con. Cong., 14 nov. 1648, decrevit: *Privilegium Bullæ Cruciatæ non suffragari pro hujusmodi Oratoriis et altaribus, ac Missarum celebratione* extra interdicti tempus. (*Dian. p.* 9, *tract.* 1, *resol.* 5, *M. R. P. M. Fr. Vincent. Ferrer* in opere morali, pag. 85). Et S. C., 4 jun. 1672, in Toletano idem decrevit, ut habetur lib. 27 decretorum, fol. 404. *Con estas declaraciones viene abajo la doctrina contraria... y que nosotros habíamos trasladado a nuestra obrita del apéndice al Manual de los confesores por ignorar hasta aquí tan autorizadas resoluciones, dice Solano, pág.* 427.

Adviértase que no son estas unas declaraciones *extensivas*, sino *comprensivas*, de una ley existente, esto es, explican en qué sentido deben entenderse las palabras *etiam tempore interdicti*; y asi no necesita de nueva promulgacion ni de sustitucion ó correccion de palabras en el texto original del inmortal Pio IX; y aunque la respuesta sea dada á particulares suplicantes, obliga á toda la España: de otra suerte se inferiria que los suplicantes de Santander y de Barcelona, por ejemplo, quedaron excluidos de un privilegio comun por *el crimen* de haber consultado; lo que sabria á ridiculo. Tampoco obsta el que á pesar de esas declaraciones persistan algunos en usar de un supuesto privilegio: esto solo dice la falta de sumision ó sobreabundante ignorancia. (V. n. 140).

464. **Privilegia hujus puncti.** 1.^m Communio paschalis in ipsa die Paschatis prohibetur; non vero devotionis causa.—2.^m Bulla facultatem per unam *horam antequam illucescat*, etc., celebrandi ex se minime facit, sed sustinet præexistentem facultatem jam a Commissario habitam, consideratione in omni casu habita ad jura parochialia.—3.^m Nomine *domesticorum*, etc., veniunt omnes familiares, etiam non necessarii, servientes, et viventes in eadem domo, expensis ejusdem domini, quamvis ibi sint pro tempore laboris tantum; privilegium quidem est generale, nihil distinguit, et favores sunt ampliandi: et nomine *consanguineorum* veniunt omnes consanguinei usque ad 4.^m gradum utriusque lineæ, juxta communem juris acceptionem; minime vero affines; quia non sunt consanguinei —4.^m In iisdem ecclesiis sepeliri valent interdicti tempore, etiam clerici, cum moderata pompa, juxta parochi prudentiam, nisi forte vinculo excommunionis innodati decesserint.

465. **Obligationes.** 1.^a Est fundere preces ut legitur in hoc art., quoties privilegio ipsi usi fuerint; quæ obligatio ad principales, vel dominos spectat; et sub levi tantum; saltem aliter firmari nequit.—2.^a *Probabilius* contra *plures alios*, omnes qui privilegio Bullæ tempore interdicti utuntur, Missam in festis audire tenentur in ecclesiis, vel oratoriis, si commode possint; eo quod ex una parte interdictum non tollit Ecclesiæ præceptum Missam audiendi, et ex altera illud adimplere possunt, ut supponitur, sine gravi incommodo. (*Ludov., Villal., Sanch., Trull., Potest., Mend., aliique*). (V. T. I, n. 273 et 639).—3.^a Excludendi sunt ab hoc privilegio omnes, qui causam interdicto dederunt, aut per ipsos steterit, quod interdictum non fuerit sublatum.—

*S. C. Concilii*, anno 1649, die 14 novembris, declaravit privilegium Bullæ non suffragari pro celebratione in oratoriis, et altaribus auctoritate Apostolica minime erectis.

466. III. «Insuper ut intra limites tantum hispanicæ ditionis, non »autem in aliis locis, iidem Christifideles prædicto perdurante anno, tam »quadragesimalibus, quam cæteris ejus anni diebus, quibus usus car- »nium, ovorum et lacticiniorum prohibitus est, eisdem ovis et lacticiniis, »ac etiam carnibus (de utriusque tamen medici consilio), si necessitas vel »infirma corporis valetudo, aut alia quæcumque indigentia exegerint, uti »et vesci, servata scilicet in reliquis jejunii lege, licite ac libere valeant, »Apostolica pariter auctoritate concedimus et indulgemus. Verum ad qua- »dragesimale tempus quod attinet, ab hoc indulto exceptos volumus »Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Prælatosque inferiores, nec non »regulares ecclesiasticos ordinum non militarium, et presbyteros sæcula- »res, qui ad sexaginta annorum ætatem non pervenerint.»

**Explanatio**: 1.° Per medicum spiritualem intelligi debet quilibet confessarius approbatus, etsi non sit proprius confessarius, et etiam extra confessionem.—2.° Nomine medici corporalis intelligitur, cui cura infirmorum ex officio incumbit; et in hujus defectu, non improbabile asserit *Mendo*, sufficere a viro, vel confessario in arte perito, quamquam medicus non sit, consilium accipere.—3.° Sermo est tantum de commorantibus intra limites hispanicæ ditionis, et de iis, qui Bullæ *Carnis* privilegium non habent.—4.° De illis, qui ratione infirmitatis, valetudinis, laboris, aut privationis graviter indigent fortioribus alimentis.—5.° Qui de utriusque medici consilio carnibus, vel ovis, aut lacticiniis vescitur, præcepto satisfacit, et meritum habet perinde ac si abstinentiam servaret, ex dispensatione Bullæ Pontificiæ.—6.° Hoc consilium tantum est petendum, quando de necessitate dubitatur: si enim hæc clare appareat, confessarius, et etiam ipse fidelis resolvere potest.—7.° *Servata in reliquis jejunii lege;* nempe, unica comestione, quin carnes et pisces in ea permisceantur, juxta Encyclicam Benedicti XIV, et *S. C.*, ut *n.* 440. Quoad ecclesiasticos erit infra.

Pro coronide en Breve Papæ Pii VII, 7 aug. 1801, ad faciliorem intelligentiam hispanico idiomate versum, juxta posteriores prorogationes nunc vigentes.

---

## BREVE DE SU SANTIDAD SOBRE EL USO DE CARNES.

467. Al amado hijo Patricio Martinez de Bustos, Comisario de la Bula de la Cruzada en los reinos de España, diputado por autoridad Apostólica.

### Pio VII, Papa.

Amado hijo: Salud y bendicion Apostólica: Parece que nuestro muy amado en Cristo, hijo Cárlos, rey católico de España, juzga se acerca ya el fin de esta tan perniciosa y funesta cuanto dilatada guerra con que se halla consternada la Europa y casi todo el globo de la tierra.

Habiéndole, pues, Nos por nuestras Letras Apostólicas, expedidas en forma de Breve el dia 19 de setiembre del año anterior, concedido, mediante rogárnoslo encarecidamente, que en todos los confines de su imperio pudiesen los fieles cristianos, á excepcion de algunos pocos, poner en su mesa carnes saludables, huevos y lacticinios, aun en los dias de Cuaresma y de ayuno, á reserva de algunos otros, mientras durase la actual guerra, por razon de la suma no solo carestia, sino absoluta escasez de otros géneros de comidas, que se decia ocasionar la enunciada guerra: ahora el propio Rey pide y solicita que esta licencia se limite al espacio de tiempo de seis años, por

cuanto aunque la guerra se acabe en aquel espacio de tiempo, con todo no han de recobrarse tan presto de los daños y calamidades que han sufrido los paises y las ciudades.

Nos llena de satisfaccion este presagio, y Nos tambien tenemos confianza que en breve conseguiremos por la mediacion de Jesucristo la paz y sosiego que tan vehementemente pedimos á Dios, y que están deseando no solamente los hombres, sino las casas y los campos. Y sin embargo de que ninguna cosa sea mas conducente para aplacar al Númen divino y conmover su misericordia que el ayuno, el cual exige tambien la abstinencia de las carnes y de las cosas que de ellas proceden y les son parecidas ó semejantes; y de que los males que nos oprimen y los que nos amenazan nos obligan ahora con mayor fuerza, no menos que en tiempo de san Cipriano, á que no cesemos de ocuparnos sin intermision, juntamente con todo el pueblo, en los ayunos, vigilias y oraciones (Ep. 60, Gamel, 57); lo cual juzgamos que comprende perfectamente y quiere enseñar con su ejemplo á los demás el propio Rey, segun es su excelente virtud y piedad; esto no obstante, instando la necesidad, que es una de las causas de dispensar la ley del ayuno, que muy rectamente se refieren por el concilio VIII de Toledo, nos parece debemos acceder á sus ruegos. Por tanto, con la autoridad Apostólica, por estas nuestras Letras concedemos á todos los fieles cristianos de uno y otro sexo, seglares y eclesiásticos, y aun regulares, en todos los Estados é Islas de esta y de la otra parte del Océano, que se hallan bajo la dominacion del Rey católico de España, facultad de comer en la Cuaresma y demás dias de ayuno, carnes saludables, huevos y lacticinios por tiempo de seis años, que han de contarse desde el dia de la data de las presentes Letras, y esto aun cuando en el mismo espacio de tiempo se termine ó hubiese terminado la guerra, pero no en el Miércoles de Ceniza, ni el Viernes de cada semana de Cuaresma, ni en los cuatro últimos dias de la Semana Santa ó Mayor, ni en las vigilias de la Natividad del Señor, de Pentecostés, de la Asuncion de la Beatísima Virgen María y de los santos apóstoles san Pedro y san Pablo, en los cuales dias mandamos se guarde puntualísimamente por todos y cada uno, á no ser que alguno de ellos, acaso por enfermedad, á juicio de ambos médicos esté impedido de ejecutarlo, la abstinencia ordenada por la Iglesia; y en los demás dias, declaramos abiertamente que debe observarse en todo y por todo lo que acerca de la única comida al dia, y de no haberse de mezclar en ella carnes y pescados, habiéndose propuesto por parte de los españoles la cuestion, explicó con mucha extension y claridad el papa Benedicto XIV de santa memoria, predecesor nuestro, cuyas Constituciones sobre este punto, y especialmente la que comienza *Libentissime quidem amplectimur*, su fecha 10 de junio de 1744, es nuestra voluntad se tengan aquí por plena y suficientemente expresadas.

Mas habiéndose dicho elegante y verdaderamente por san Cesáreo: «Por lo mismo que alguno no puede ayunar, tanto mas debe dar á los pobres, á fin de que pueda redimir, dando limosnas, los pecados que no le es posible curar ayunando» (Hom. 12), repetimos aquí lo que ya en las Letras del año anterior especificamos, á saber: «Que los que quieran usar de este indulto nuestro, son obligados á alguna cierta limosna que deberá tasarse uniformemente, tenida consideracion á la clase ó condicion de cada uno, y además á la otra que suele prescribirse, y exigirse por la Bula de la Cruzada; no habiendo satisfecho de ningun modo la cual doble limosna, ninguno crea que le sufragan de ninguna manera estas nuestras Letras.»

Cuya carga á la verdad es nuestra intencion imponer á los ricos, pero por ningun título á los pobres, en cuyo favor principalmente confesamos que hacemos únicamente una gracia tan benigna; y los cuales, si clamaren al Señor, los oirá, pues es misericordioso, como él mismo lo afirmó y prometió (*Exod.* XXII); y bajo el nombre de pobres no comprendemos solamente á aquellos que mendigan de puerta en puerta la limosna, y no pueden ganar de comer ni poseen absolutamente cosa ninguna, sino tambien á aquellos *cuyas facultades no son suficientes para mantenerlos ni aun con estrechez todo el año, y se ven precisados á ganar el pan con el trabajo de sus manos y con el sudor de su rostro*: todos los cuales declaramos habrán cumplido con la obligacion, rezando piadosamente ciertas oraciones ó preces á Dios, segun nuestra intencion.

Te damos, pues, comision á ti, amado hijo, supuesto que el rey Cárlos tiene tanta confianza en tu prudencia, conocimiento y sabiduría, y que ya eres Comisario, diputado por autoridad Apostólica, de la Bula de la Cruzada, y seguramente á ti solo como que ejerces este cargo, á fin de que por los medios oportunos procures y hagas se publiquen y lleguen á noticia de todos, y sean observadas estas nuestras Letras, tases las limosnas que hayan de darse por los ricos segun lo tuvieres por conveniente en el Señor; las recaudes de ellos, las deposites separadamente, y las inviertas en el alivio y socorro de los pobres necesitados, y que prescribas las preces ú oraciones que hayan de rezar los pobres, sin que nadie ose molestarte, ni perturbarte en el ejercicio ó desempeño de este encargo que ponemos á tu cuidado. Finalmente, y á fin de que no quede ninguna cosa oscura y dudosa, prevenimos tambien que en este privilegio nuestro no se contienen aquellos Regulares, que no tanto por las leyes de la Iglesia, cuanto se hayan precisados por voto á alimentarse en todo tiempo con comidas cuadragesimales, ni es nuestro ánimo eximirlos por estas Letras de la obligacion que abrazaron.

Sin que obsten las Constituciones y disposiciones Apostólicas, ni las dadas por punto general, ó en casos particulares en los Concilios universales y sinodales, ni otras cualesquiera cosas que sean en contrario. Dado en Roma en Santa María la Mayor, sellado con el sello del Pescador el dia 7 de agosto de 1801, año segundo de nuestro pontificado.—*Romualdo*, cardenal *Braschi Honesti*.—En lugar ✠ del sello del Pescador.

« Pueden gozar de esta gracia sin tomar el Sumario de carnes, pero teniendo el de Cruzada, no solamente los pobres de solemnidad, sino tambien aquellos *cuyas facultades no son suficientes para mantenerlos ni aun con estrechez todo el año, y se ven precisados á ganar el pan con el trabajo de sus manos y con el sudor de su rostro*, todos los cuales en lugar de contribuir con la limosna del sumario, tienen que rezar algunas preces (un *Padre nuestro* y *Ave María*) á intencion del romano Pontífice cada vez que hicieren uso del Indulto. » Así se puede leer en la pág. 61 del sermon y folleto de la Bula del P. Fita, aprobado por el Emo. Cardenal Arzobispo de Toledo en 15 de julio de 1878.

Urge hoy mas que nunca á los RR. párrocos, predicadores y confesores el ponderar las gracias de las Bulas á los fieles para su provecho espiritual. Unos la escarnecen por impiedad; otros la dejan por ignorancia, y muchos por indiferencia y fingida necesidad. A los primeros se les prueba cuán ridículo é insensato seria, si no fuere á la vez altamente orgulloso y herético el sobreponerse á la legislacion y disciplina de la Iglesia.—A los segundos se les enseña las riquezas que tienen encerradas en las Bulas, las que en vez de formar cargamento, constituyen alas y velas para sobrellevar cómodamente el precepto universal y satisfacer por el peso del fraude de nuestros pecados.—A los últimos se les insta á colocarse toda la ley y cada una de sus partes en el trono de su corazon; á dejar de formar coro con los cristianos anfibios ó de circunstancias; á no malversar no ya 5 rs. sino pesetas y duros en vanidades, diversiones, glotonerías para que les sobren 3 ó 5 rs. para las Bulas; y por fin, á resignarse á comer el pan con el sudor de su rostro, alejando la ociosidad. En todo un año 3 ó 5 rs. bien se pueden economizar, y no para enriquecer á los curas, sino á sí propios.

468. IV. «Item iisdem Christifidelibus, dicto anno durante, quoties »extra dies jejunio consecratos voluntarie jejunaverint, aut a jejunio legi»time impediti, pium aliud opus sive a parocho seu confessario præscri»bendum peregerint, et pro exaltatione sanctæ Matris Ecclesiæ, hæresum »extirpatione, propagatione catholicæ fidei, et concordia, et pace christia»norum principum pias Deo preces obtulerint, quindecim annos, et totidem »quadragenas indulgentiæ, et remissionis, dummodo saltem contriti sint, »misericorditer in Domino tribuimus, eosdemque participatione donamus »orationum, eleemosynarum, aliorumque piorum operum, quæ ipso illo »die, quo jejunaverint, in tota militante Ecclesia peragantur.»

**Explicatio** : 1.° Quadragena est numerus 40 dierum; et unius jejunii voluntarii maceratione, modo dicto, remittitur cuique jejunanti illa purgatorii pœna, quæ remitteretur, si per quindecim annos et sexcentos dies faceret opera illa pœnalia, quæ statuerat jus canonicum primis Ecclesiæ temporibus pro peccatis. — 2.° Hæc satisfactio pro omnibus peccatis commissis valet, tam confessis quam non, dummodo fidelis sit contritus.—3.° Jejunans, modo exposito, particeps fit omnium meritorum, et satisfactionum superabundantium, quæ ex omnibus fidelium justorum piis operibus illa die factis, exsuperant, statimque inter eos dividuntur, et jam in Ecclesiæ thesauro non reconduntur.

469. **Duo requiruntur ad hæc lucranda** : 1.° *Jejunare in die non urgente de præcepto*, quamvis votum quis habeat illo die jejunare ; siquidem magis meritorium ita est ; alias pejoris conditionis fieret votum habens; et ratio, quippe adhuc est jejunium voluntarium, sicut votum emissum. (*Wigant, in D. Ligor., lib. VIII*).— Sed si legitimum adsit impedimentum, quod sufficeret ad quemquam a jejunio ecclesiastico excusandum, faciat fidelis aliud opus pium de confessarii, vel parochi consilio ; quæ quidem commutatio etiam extra confessionem fieri potest; et, ut ait *Mendo, d.* 19, *n.* 5, sibi ipsi in melius commutare potest jejunium, et indulgentias lucrari. — 2.° *Orare* pro finibus in Bulla expressis.—Urget hunc thesaurum fidelibus proponere, et ad eum lucrandum populos excitare.

470. V. «Præterea Christifidelibus ipsis, dicto anno durante, in singulis »diebus stationum Almæ Urbis Nostræ quinque ecclesias, seu altaria, aut »in illorum defectum, quinquies unum, et idem altare ; monialibus vero »cujusvis ordinis, et instituti regularis, ac mulieribus, et puellis in qui»busvis monasteriis, seu conservatoriis degentibus, si forte ecclesias non »habuerint, capellas ab earum legitimis superioribus designandas res»pective, devote visitantibus, et in eis pias ad Deum preces ad prædictos »fines effundentibus, omnes et singulas indulgentias, et peccatorum re»missiones, ac pœnitentiarum relaxationes, alias ecclesiis tam intra quam »extra mœnia prædictæ urbis, ad quas dictæ stationes fixæ existunt, »concessas, eadem Apostolica auctoritate misericorditer in Domino conce»dimus. Imo in diebus etiam, in quibus pro stationibus urbis partialis »tantum indulgentia data est, concedimus, ut memorati Christifideles, qui »sacramentali confessione expiati, et Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento »refecti supradictam visitationem peregerint, plenariam indulgentiam »lucrari valeant, atque ut in Dominica Septuagesimæ, in Feria III post »Dominicam primam Quadragesimæ, in Sabbato post Dominicam secun»dam, in Dominicis tertia et quarta, in Feria VI, et Sabbato post Domini»cam Passionis, in Feria IV post Pascha Resurrectionis, et in Feria V et »Sabbato post Pentecosten plenariam ipsam indulgentiam pro animabus »in purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint. »

**Explic.** : 1.° Certum est concedere Bullam non tantum indulgentias in summario expressas, sed omnes alias quæ Romæ stationum sunt, tam intra quam extra muros, sive plenariæ sint, sive partiales.—2.° Ut tenet *Mendo, disp.* 20, *cap.* 3, *n.* 17, omnibus anni diebus stationes Romæ adsunt ; alii id negant. — 3.° Fideles Bullam tenentes, confessionem peragentes, et Eucharistiam suscipientes, plenariam lucrari possunt, diebus in quibus Romæ partialis tantum lucrifit indulgentia. Unde non abs re erit in medium adducere aliqua Sacræ Congregationis decreta circa hoc :

—Die 9 decembris 1763, *S. S.* concessit omnibus personis, quæ sacramenta Pœni-

tentiæ, et Eucharistiæ suscipiunt omnibus hebdomadis, ut possint omnes, et singulas indulgentias lucrari, quæ in ipsis comprehensæ præviam confessionem exigunt, absque necessitate illam repetendi, dummodo in gratia sint.—Pius VII, die 12 julii anni 1822, indulsit etiam tam laudabilem morem non habentibus, ut possint lucrari indulgentias, quæ confessionem requirunt. intra octo dies ultimam confessionem subsequentes, dummodo in gratia perseverent: insuper declaravit Communionem posse anticipari in vigiliis festivitatum, quæ indulgentiam habent, et a primis vesperis incipit obtineri.—Altero decr. 15 dec. 1841 conceditur, ut *una* confessione possint omnes indulgentiæ obtineri, quæ intra octo sequentes dies comprehenduntur, et talem conditionem requirunt.

Utrum confessio præscripta per singulas hebdomadas peragi debeat infra septem, vel potius infra octo dies?

R. *Affirmative ad partem.* 1.$^{am}$. *Negative ad* 2.$^{am}$ *partem.*—An verba infra duas hebdomadas stricte interpretanda sint, ita ut confessio peragi debeat infra 14 dies, vel potius sufficiat bina confessio in mense? R. *Affirmative ad* 1.$^{am}$ *partem. Negative ad* 2.$^{am}$. S. C. Generalis, 15 nov. 1878, a Leone XIII approbata.

Dies stationum in quibus plenaria indulgentia lucrifieri potest, uti in calce summarii enumerantur, sunt omnes dies Quadragesimæ usque ad Dominicam in *Albis* inclusive.—Dies S. Marci, Rogationum, Ascensionis Vigiliæ, et festi, Pentecostes cum sua hebdomada, tres dies *Temporum*, quatuor Dominicæ Adventus, Vigilia, et dies Nativitatis Domini, et in unaquaque Missa, et tres dies sequentes, dies Circumcisionis, et Epiphaniæ, tres Dominicæ ante Quadragesimam. Aliqui addunt novem dies festivitatum præcipuarum B. M. Virginis; sed id non deducitur neque ex Bulla Piana, neque ex Commissarii Cruciatæ summario. Aliqui contra litteram Bullæ sustinent, præter Feriam v majoris hebdomadæ, Dominicam Resurrectionis, diem Ascensionis, et tertiam stationum Nativitatis diei, ad lucrandum indulgentiam plenariam stationis Romæ, ratione Bullæ confessionem ac Communionem semper requiri.

Certo aliquæ indulgentiæ plenariæ esse debent; aliter Bulla frustra adderet: *in diebus, etiam in quibus pro stationibus urbis partialis tantum indulgentia data est, etc.*; quocirca conceduntur indulgentiæ stationum; si ergo ibi aliquæ sunt plenariæ, erunt etiam plenariæ hic.—Nihil obstat additio Bullæ quoad plenariam indulgentiam in vita; cum enim sit distincta omnino ratione originis ab aliis indulgentiis stationum, necessario exprimi debebat, ut ejus valorem sciremus. Hoc confirmatur ex illis Bullæ verbis: *atque ut in Dominica Septuagesimæ... plenariam ipsam indulgentiam pro animabus in purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint.* Eam ipsam quam pro vivis alias lucrabatur fidelis, nempe, diebus, in quibus plenaria erat Romæ.—Inde aperte etiam deduci videtur, hisce diebus non duas, sed unam lucrari fideles posse indulgentiam, hancque pro defunctis; secus non diceret *plenariam ipsam*, sed aliam, vel simpliciter plenariam, nihil addendo. Non desunt profecto auctores duplicem indulgentiam, aliam pro se, aliam vero pro defunctis, iisdem diebus acquiri posse sustinentes, visitationes nihilominus duplicantes, quibus et fidelium praxis conformis est; quæ quidem cum pietatem, devotionemque foveat, bene populi in bona fide relinqui possunt; quamvis in rigore non piorum consuetudo, sed Bullæ littera sit attendenda.—Necessaria quidem non est Bulla ad cæteras lucrandas indulgentias præter ipsas Bullæ; quia Pius IX Commissario facultatem in sua Bulla non facit suspendendi indulgentias similes, et dissimiles.

471. **Altaria.** 1.° Sufficit visitare quinque ecclesias, vel quinque altaria in una,

aut in ecclesiis diversis; nam disjunctive textus loquitur (*Mendo, d.* 20, *n.* 31): sed si quinque altaria adsint, non sufficit unum quinquies visitare; littera quippe adimplenda est, uti conditio *sine qua non*: si autem in ecclesia non adsint quinque altaria, sed duo, vel tria, aut quatuor, probabilius et securius est unum tantum quinquies visitare, quatenus textus expresse ait: *quinque ecclesias, seu altaria, aut in illorum defectum, quinquies unum et idem altare.* Nemo tenetur alias sequi ecclesias, ut quinque altaria visitare possit, si in qua visitat talis numerus desit. (*Mend.*, *Nuñ.*, *et alii communiter*).—Ut habeat rationem processionis visitatio debet esse de quo ad quem, quin retroagat; et si ita fieri nequit, ad perturbationem vitandam, ut supponitur, melius Papæ visum est in eodem loco omnes remanere. Ita probabiliter, ait *Comm. in D. Ligor.*, docent *Diana*, et *Quintanadueñas.*

2.° Sufficit ut altare approbatum ab Episcopo sit, et ad celebrandum aptum; quamvis sit in privato oratorio; favores quidem sunt ampliandi. (*Mend.*, *n.* 32, *Suar.*, *Tusc.*, *Alexander).* Et ut addunt *Trull.*, et *Henriquez*, quamvis aram non habeat; sed hoc non videtur satis probabile, cum ara sit quid substantiale altaris, et in hac re tutius est sequendum, ut periculum non lucrandi vitetur.—Necessarium non est visitationes continuatim facere, sed interrumpi possunt; nam Bulla solum petit quinque altarium, vel quinquies unius visitationem. Potest quis visitare, quamvis sit extra ecclesiam, dummodo altaria videat, vel aliter multitudini moraliter uniatur, uti contingere potest in die magni concursus; si enim hæc præsentia sufficit ad Missam audiendam, quare non ad altaria visitanda? *(Mend.*, *n.* 51). Tamen non omnino tenet paritas; et si fieri possit, tutius erit altaria videre.—Disputatur utrum qui unum altare quinquies visitat, vel quinque altaria eo loco, in quo omnia habet præsentia, debeat visitationes distinguere, surgendo, vel genuflectendo, vel alio motu corporis. Securius erit aliquo signo, aut verbo visitationes distinguere.

3.° Vocalis debet esse oratio præscripta, nisi agatur de *surdis simul et mutis*, quibus sufficit mentalis, juxta Pii IX declarationem, prout refert *Del-Vecchio*, *l.* 2, *pag.* 292. *Trull.* ait sufficere semel *Pater noster* et *Ave Maria* pro unaquaque visitatione: duo suadet *Mend.*: ad minus ter declaravit *Commissarius*: quinque juxta laudabilem consuetudinem.—Quando quis sibi ipsi lucraturus est indulgentias, requiritur status gratiæ; siquidem non relaxatur pœna, quin prius relaxetur culpa. Non requiritur autem status gratiæ, quando quis animabus purgatorii indulgentias applicat (ex *D. Thoma in Supp.*, *quæst. LXXI*, *art.* 3), bene autem ex Bened. XIV (Bulla *Inter præteritas)*; quia nemo potest alteri indulgentiam applicare, nisi prius ipse eam lucratus fuerit, seu nemo dat quod non habet. (V. n. 749). Prædictas Bullæ indulgentias potest quis sibi ipsi, vel purgatorii animabus applicare per modum suffragii.

4.° Non duplicatur indulgentia, stationes duplicando, ex decreto Innocentii XI, 7 mart. 1678, nisi duplex Bulla sumpta sit.—Nunc oratio fieri debet pro exaltatione sanctæ Matris Ecclesiæ, hæresum extirpatione, propagatione fidei catholicæ, pace atque concordia Principum christianorum, et non pro se, vel pro animabus. Ita Bulla Papæ *Pii IX.*

472. VI. «Jam vero, ut præfati Christifideles commemoratis sanctis »indulgentiis facilius frui possint, concedimus, ut ipsi bis (hoc est semel »in vita et semel in mortis articulo) valeant sibi eligere presbyterum sæ»cularem, aut regularem, qui sit confessarius per Ordinarium loci appro»batus, atque ab eo in foro conscientiæ a quibuscumque peccatis, et »censuris cuicumque Ordinario, atque etiam Sedi Apostolicæ reservatis »(*excepto hæresis crimine,* et quoad ecclesiasticos *excepta etiam censura,*

»de qua in Constitutione Benedicti XIV: *Sacramentum Pœnitentiæ)*, ab-»solvi possint, imposita semper pœnitentia salutari, aliisque injunctis, »quæ de jure injungenda sunt. Insuper ut vota simplicia per Christifi-»deles ipsos emissa, exceptis etiam *ultramarino, castitatis*, et *religionis,* »ab eodem confessario in pia alia opera, atque adjunctum his subsidium »aliquod executori harum litterarum in supra dictos pios fines trasmit-»tendum, rite commutari possint, auctoritate pariter Apostolica indul-»gemus.»

**Explic.** 1.° Confessarius debet esse approbatus ab Ordinario loci ubi fit confessio. Innocent. XIII, Bulla *Cum sint*, 19 apr. 1700. Et si approbatus sit cum limitatione circa tempus, locum, vel personas, non potest vi Bullæ ultra valide absolvere. —2.° Pœnitens virtute Bullæ absolvi potest ab omnibus vitæ anteactæ peccatis, et censuris, etiamsi Bulla fidens reservata commiserit, pro foro tantum interno, excepta *formali hæresi, vel schismate, ac complicitatis casu circa sextum cum ipso confessario.*— Item excipitur interdictum sive generale, sive locale, ac suspensio in communitatem inflicta; siquidem hæc ad externum forum spectant, neque censuræ speciem habent.— Idem dicendum de degradatione, depositione, cessatione a divinis, beneficiique privatione; de iis equidem non loquitur Bulla. Id ipsum tenendum de irregularitatibus; sunt enim inhabilitates ad forum externum pertinentes. *Solano, pag.* 270. (V. T. I, n. 287). —3.° Non potest confessarius absolvere ad reincidentiam; hoc quidem esset superiorioris vices gerere, atque facultatem amplius extendere. Ast data absolutione cum promissione parti satisfaciendi, non reviviscit censura ob satisfactionis omissionem; etenim non retroagit absolutio.—4.° Si post censuræ absolutionem casus ad judicem deferatur, monitus hic a confessario cum pœnitentis venia, mitigare poterit, et ad vitandum scandalum levem imponere pœnam; et si id evenerit ante confessarii absolutionem, poterit hic vi Bullæ absolvere pœnitentem cum onere tamen judici parendi, donec causa finiatur.—5.° Obtenta vero absolutione pro interno foro, beneficiarius adhuc retinere valet beneficium, fructusque percipere, licet reconvenire eum possit judex, et a beneficio privare, cum de internis ille non judicet. *(Solano,* et *alii).*

473. **Quoad forum externum** valida etiam erit absolutio a censuris tam a jure quam ab homine inflictis: 1.° Consignata a judice satisfactione, atque a pœnitente adimpleta, vel sufficienti data cautione, quamvis adhuc in foro judicis hic maneat. *Solano.*—2.° Quum reverâ parti læsæ satisfecerit per se vel per alios, aut intercesserit conventio inter partes; vel cum non adest pars læsa. —3.° Quando causa ad forum contentiosum non est deducta, excepto casu publicæ clerici percussionis.—4.° Cum sufficiens cautio data fuerit, si de mortis articulo agatur; in vita enim statim ac possit satisfactionem pœnitens adimplere tenetur.—Item cum monitus judex de absolutione data a confessario, ut supra, dissimularet, vel levem imponeret pœnam ad vitandum scandalum. *Solano, pag.* 268. *Valerius* addit judicem illam admittere adigi, si de absolutione constiterit sive per testes et notarium, sive per testimonium ipsius confessarii cum pœnitentis venia. Ita declaravit circa Jubilæum Gregor. XIV, anno 1591, et S. Pius V, anno 1568, declarationem extendens ad præsentia, præterita et futura, sive similia, sive dissimilia, dummodo parti læsæ fuerit satisfactum. *Mend., Rodr., Henr., Ferrar., aliique plurimi.*

Ad rem Rituale: *Caveat diligenter sacerdos, ne absolvat eos, qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant.* Unde necesse est, ut peccator scandala auferat, facta retractet, damna (quoad possit) reficiat, ex animo doleat, atque ad Ecclesiæ obedientiam, a qua publice recesserat, publice redeat, ne suspicio fide-

libus ingeratur, quod sanctum canibus fuerit datum; alias pastor sacramenta illi administrare non potest. Idem dicendum in mortis articulo de eo, qui palam et publice contra Ecclesiæ leges invexerit, nisi res sit oblivione deleta. Hæc publica retractatio extra confessionem fieri debet. *Scavini, n.* 202, *S. Pœnitent.* 10 *dec.* 1860.

474. **Cautio danda.** 1.° Quum vero sit danda ante absolutionem cautio sive pigneratitia, sive fidejussoria, parti est danda, ut videat an pignus, vel fidejussio sufficiat. Quando autem per jusjurandum præstetur cautio, satis erit quod eam accipiat confessarius, idque confirmat praxis.—2.° Si pœnitens satisfecerit, vel sufficientem dederit cautionem judicio prudentis confessarii, quam pars læsa malitia, vel futili causa admittere renuit, pro interno foro absolvi ille potest; privari etenim non decet tali beneficio alterius malitia. In exterioribus tamen se gerere debet tanquam non absolutus, donec de absolutione constet; quod si prævideat confessarius pœnitentem non obtemperaturum, illicite, etsi valide, eum absolveret. *Mend., n.* 130.—3.° Si parti non fuerit satisfactum, nec cautio sufficiens data, adhuc valida est absolutio, sed illicita, ait *Comm. in D. Lig.*; quia clausula Bullæ, quæ partis satisfactionem exigit, non est ad coarctandam facultatem absolvendi, sed ad formam juris advertendam. Alii tamen contrarium sentiunt; nam Pontifex apposuit illam conditionem *sine qua non;* ergo deficiente conditione, deficit facultas. Hæc sententia, concludit *Comm. in D. Lig.*, est tutior, et sequenda, quamvis prima sit probabilis. (Ita *Sanch.*, *Barb.*, *Diana*, *aliique).* Hæc satisfactio plerumque præequiritur ob percussionem clerici, et importat conditionem prius satisfaciendi parti læsæ, quam possit absolvi; id est, compensandi injuriam, expensas, et omnia damna ob illam percussionem incursa, quorum æstimatio executori dispensationis committitur. *S. Lig., l.* 1, *n.* 204.—Nulla forma specialis ad hanc absolutionem elargiendam requiritur; sufficit ordinaria in confessione fidelium; tamen virtute Bullæ absolvere advertendo. *(Comm. in Lig., ibidem).*—Disputatur utrum in actu confessionis, vel etiam extra, a censuris absolutio danda valida sit; at Pius IX ait *in foro conscientiæ;* unde in praxi, cum quæstio sit de materia sacramentali, tutius erit sequendum. *(Solano, pag.* 369).—4.° Causa incepta, durante Bullæ anno, consummari poterit anno finito, absque novæ Bullæ necessitate; nam fidelis gaudet privilegio jam incepto; quando vero confessio invalida fuit defectu doloris, vel integritatis, sed facta cum vero animo confitendi, virtute Bullæ tollit reservationem peccatorum et censurarum expressarum; adimpletus quippe est finis reservationis; nempe a legitimo judice judicata et absoluta sunt peccata quoad reservationem. (V. n. 786). —5.° Conceditur absolutio a reservatis non *divisive*, sed *copulative*, nempe, semel tantum in anno, et semel in mortis articulo: at bis in utroque casu duplex accipiens summarium absolvi potest, minime vero toties quoties, ut concedebat Breve Gregorii XIII. In aliquibus tamen diœcesibus, in gratiam Bullam sumentium, facultatem faciunt Episcopi, ut a reservatis synodalibus absolvi possint eo modo, quo antiquitus concessum erat.

Regulares professi utriusque sexus vi Bullæ eligere confessarium possunt, quoad non reservata, ut plures AA. sustinent, etiam sine licentia; quamvis contrarium ut prudentius, et obedientiæ magis consentaneum sit consulendum. Novitii sæcularibus æquiparantur circa hanc facultatem.—Si vero de reservatis sermo sit, adhuc cum tacita, vel expressa superiorum licentia posse sibi professos approbatum confessarium eligere, asserit *Troncoso.* Tamen in genere quoad reservata illos non posse, expresse declaraverunt S. Pius V, Clemens VIII, et Urbanus VIII. (*Ita Comm. in S. Lig.)*— Quando virtute Bullæ pœnitens absolutus fuit a censuris, vel a reservatis in articulo mortis, non adest obligatio postea comparendi; a legitimo siquidem judice absolutus

fuit: secus vero quando absolvitur in eodem articulo absque tali privilegio, sed sola ratione necessitatis.

475. **Vota commutare.** I. Vota reservata in Bulla excepta sunt: 1.° *Peregrinationis Hierosolymitanæ* devotionis causa.— 2.° *Castitatis perpetuæ ac perfectæ*, etiam conjugum de mutuo consensu, ut tenent communiter AA. (V. t. I, n. 607); et etiam solemne castitatis conjugalis ordinis militaris a Papa approbatum, quamvis contrarium probabile videatur, juxta opinionem negantem hos esse vere religiosos: nec commutari potest castitatis votum emissum ante matrimonium quoad petendum; fuit quidem perfectum, et soli Papæ subjacet.— 3.° *Profitendi in religione perfecta.*—Hinc *commutari potest:* 1.° *Votum ultramarinum* quoad accidentales conditiones; v. g. ire pedibus, mendicando, etc. — 2.° *Castitatis alterutrius conjugis* sine alterius consensu, consummato matrimonio emissum. Secus mortuo conjuge. —3.° *Induendi religiosum habitum*, religionem vovendi, vel accipiendi habitum in religione S. Jacobi, Alcantaræ, vel Calatravæ; quia dubitatur, an sint veræ religiones approbatæ, et odia restringenda. *Mend.*, *D.* 26, *n.* 132.—4.° Qualitas voti, v. gr. ingrediendi in laxiorem religionem, vel alterum monasterium, perseverandi in religione, prout distinguitur ab animo profitendi; item ingressum non differendi; in istis enim casibus commutatio non afficit substantiam voti. *Mend.*

Tria præfata vota, ut sint reservata, esse debent etiam *absoluta*, *perfecta*, *perpetua*, *totalia.* Unde commutari potest virtute Bullæ 1.° *Votum dubium*, *vel disjunctivum*, et juxta *S. Lig.*, *Salm.*, *aliosque*, licet eligatur pars reservata; adhuc enim liber est vovens ad aliam partem transire.—2.° *Votum temporale* (nisi perpetuum intelligatur ratione temporis, ut si quis castitatem per 100 annos vovisset), vel factum ob metum ab extrinseco, et probabiliter etsi levem; saltem si de castitate sermo sit; deficit siquidem perfecta libertas, et jus rescissionem petendi tribuit, etiam post acceptationem, si metum incutiens acceptator sit. *Nav.*, *Less.*, *Vidal*, *aliique*. (V. t. I, n. 587). Item si Papa materiam voti reservatam in non reservatam commutaret.

Vota conditionata de *præterito*, *præsenti*, vel de *futuro necessario* reservata sunt, utpote in rei veritate absoluta, si conditio sit pura, suspensiva, atque ad rem promissam dirigatur, et non ad objectum ipsius conditionis desideratæ; v. gr. si filius religionem voveat, si pater moriatur, hujus mortem exoptans, nullum esset votum, utpote de re mala: secus si conditionem ponat, *quum*, vel *posteaquam* moriatur pater. —Item absoluta reputantur vota pœnalia ob culpam jam commissam, vel ob eam, quæ committatur in actu vovendi; v. gr. *castitatem voveo*, *quia lascivia in infamiam me ducit*, *vel officium ob eam deperii;* nam hic promissio ad rem promissam directe fertur, et consensum non suspendit. Secus vero si voveret ad ludum non redire sub pœna Hierosolymitanæ peregrinationis: quia hic non vovet ob amorem ad votum, sed ut ob timorem a ludo detineatur. (V. *Solano*, *pag.* 375 *et* 376). (V. t. I, n. 611).

Potest tamen commutari pœna in violationem voti imposita post illius violationem; minor quippe adest obligatio in secundario quam in absoluto, et primario voto. *Mend.*, *D.* 26, *n.* 149. Item commutari potest votum non petendi commutationem voti, et duo hæc simul, et etiam votum cum intentione illud Papæ reservandi; aut non commutandi per quodvis privilegium; nam reservatio a superiore pendet.

De sola commutatione hic agitur, minime vero de dispensatione. Sermo est de votis ac juramentis; quia eamdem habent religionis rationem. (Ita *Sanch.*, *Trull.*, *Suar.*, *Diana* contra *alios*).—Commutatio fieri debet in alia pia opera moraliter æqualia, et simul in aliquod Bullæ Cruciatæ subsidium, juxta voventis facultates et devo-

tionem ; nam Bulla quantitatem non determinat: quæ eleemosyna Commissario Cruciatæ est tradenda finibus Bullæ, vel loco ad id designato, ut adest in aliquibus cathedralibus ecclesiis. Bene vero ab aliis operibus detrahi potest quod in Cruciatæ subsidium additum fuerit.—Quilibet confessarius approbatus eligi potest ad hanc commutationem virtute Bullæ; quæ commutatio, juxta communiorem sententiam, extra confessionem fieri potest. Ad hanc commutationem nulla alia requiritur causa, quam voventis voluntas, vel utilitas, et subsidium Cruciatæ. (V. t. I, n. 614, et 615.

Confessarius ad commutationem requisitus peccaret, se commutare negando, ut de dispensatione dicitur. (*Solano, pag.* 266).

476. VII. «Ad hæc, ut iidem Christifideles, non tantum semel, sed »bis singulo ab harum litterarum publicatione anno, supradictam eleemo»synam conferre, harum gratiarum Summarium sumere, atque hinc tam »pro se, quam per modum suffragii pro animabus in Purgatorio detentis, »indulgentias, concessiones, et indulta prædicta consequi, eisque intra eum»dem annum bis, ut præfertur, uti et potiri, ac dictorum bonorum spiritua»lium participes fieri valeant, in Domino pariter concedimus.»

**Explic.**: 1.° Concedit Pontifex Pius IX facultatem duplex summarium vivorum sumendi, et sic bis indulgentias in vita lucrari, utrique nempe summario concessas; et etiam facultatem bis absolvi a reservatis in vita, bis in mortis articulo, et bis stationes altarium repetendi.—*(Comm. in D. Ligor., ibidem)*.—2.° Concedit Bulla facultatem duplex summarium defunctorum in unoquoque anno sumendi pro unoquoque defuncto, et duplicem plenariam indulgentiam ibi concessam applicandi per modum suffragii.—Utile abs dubio erit, duo summaria pro uno defuncto non simul, sed successive accipere; potest enim contingere, ut anima eo tunc tanti boni incapax reperiatur, et non multo post ipsius capax jam sit effecta.—3.° Communiter consentiunt AA. non esse de præcepto in defunctorum Bulla nomen ejus animæ pro qua accipitur inscribere, nec eam conservare; nam indulgentia acquiritur actu, quo fit ejus applicatio.—4.° Existens in dominio hispanico Bullam accipere, et applicare potest pro fideli in alieno regno defuncto; Pontifex enim quoad defunctos non exigit, ut Bullam sumant personaliter existentes in hispana ditione. *(Tamb., Ferraris, aliique)*.—*Quien por este medio procura el alivio de las almas del purgatorio... tambien trata el negocio de la suya*, dice el Comisario. Utile erit populos ad hoc hortari.

477. VIII. «Ulterius eidem harum litterarum executori et Commis»sario generali potestatem facimus, ut super irregularitate cum his, qui »Ecclesiasticis censuris ligati, Missas et alia divina officia (non tamen in »contemptum Clavium) celebraverint, aut alias se divinis immiscuerint, »et super alia qualibet irregularitate ex delicto proveniente, dummodo »quis in irregularitate hujusmodi per sex menses non insorduerit, et ex»ceptis semper irregularitatibus ex homicidio, aut simonia; vel apostasia »a fide, aut hæresi, vel a mala Ordinum susceptione, vel ex alio delicto »scandalum in populo generante provenientibus, dispensare valeat, impo»sita dispensatis congrua eleemosyna in supradictos pios hujus Nostræ »concessionis fines impendenda, aliisque injunctis, quæ de jure sunt in»jungenda. Itemque ut, exceptis dignitatibus cujuscumque generis, et »cathedralium aut majorum Ecclesiarum canonicalibus, nec non benefi»ciis curam animarum annexam habentibus, convalidare possit titulos »aliorum beneficiorum sub hujusmodi irregularitate susceptorum, et super »fructibus ex illis interea perceptis compositionem decernere in eosdem »pios fines erogandam.»

Quia hæc facultas tota Commissario Cruciatæ committitur, minime vero confessariis, sufficit textum legere, et scire ad eum confugium nos habere in casibus ibi expressis.

478. IX. «Eidem facultatem tribuimus permittendi personis nobili»bus, aut qualificatis, ut Missas per horam ante lucem, ac per horam »post meridiem, per se ipsos, si presbyteri fuerint, celebrare, vel per »alium, ipsis præsentibus, celebrari facere valeant.»

Commissarius facultatem habet id permittendi personis nobilibus, aut qualificatis (non aliis), per horam ante, vel postquam rubrica generalis celebrare permittat; minime vero sola Bulla hoc privilegium alicui tribuit. *(Comm. in D. Lig., lib. VIII, dub. XI).*

479. X. «Insuper ut viros ecclesiasticos, qui ad restitutionem fruc»tuum beneficiorum simplicium tantum (quæ annexam non habeant ani»marum curam, nec personalem residentiam requirant), ex omissione »recitationis Horarum Canonicarum tenebuntur, ad congruam composi»tionem super eisdem fructibus erogandam pro medietate ecclesiis vel »aliis locis, quorum ratione Horas prædictas recitare debent, et pro alte»ra medietate in supradictos pios fines admittere possit.»

Commissarius vi Bullæ (non autem confessarius), admittere potest ad hanc compositionem. Pars ad restitutionem obligata est dividenda, et invertenda una pars in Bullas compositionis, altera vero in fabricam ecclesiæ beneficii, vel beneficiorum pro rata, ratione fructuum uniuscujusque beneficii. Parochi, Episcopi, atque similes hoc non gaudent privilegio.

480. XI. «Ad hoc, ut super occulto impedimento affinitatis ex illici»ta copula provenientis, aliqua in eosdem fines eleemosyna injuncta, »dispensare possit cum iis, qui matrimonium, altero saltem in bona fide »existente, contraxerint, quo illi matrimonium ipsum, renovato secrete »inter se consensu, rursus contrahere, et in eo postmodum remanere licite »valeant. Atque ut dispensare item valeat ad petendum debitum cum illis, »qui hujusmodi affinitatem post matrimonium contraxissent.»

Commissarius (non autem confessarius), dispensare potest super hoc impedimento occulto affinitatis.

481. XII. «Eidem quoque Commissario potestatem facimus, ut pro »foro conscientiæ tantum super injuste ablatis, seu acquisitis, compositio»nem competenter decernere possit in prædictos pios fines erogandam, »dummodo scilicet domini, quibus restitutio facienda esset, post debitam »diligentiam pro iisdem inveniendis abhibitam, reperiri non possint, et »præstito a debitoribus juramento de hac diligentia per eos facta, ac »dummodo iidem debitores in confidentiam, et sub spe hujusmodi com»positionis illa non abstulerint, seu acquisiverint.»

**Explicatio**: 1.° Bulla compositionis prodesse poterit quibus Bulla vivorum;— 2.° requiritur ut post prudentem diligentiam dominus inventus non fuerit;—3.° juramentum a debitore præstitum de hac diligentia facta; — 4.° ut in hujus compositionis confidentiam debitores bona non acquisierint; — 5.° ut eleemosynam a Commissario taxatam solvat, et ut Bullam vivorum habeat compositionem postulans, etiamsi in articulo mortis sit. *(Trull.)* Secus ipsius hæres non poterit pro defuncto Bullas sumere ad ejus bona male habita componendum: bene vero pro se ipso circa debita incerta defuncti Bullas sumere, et per eas componere poterit. Præs-

cribit Commissarius defuncti nomen in Bulla inscribere; quamvis textus nil dicat.—6.° Si immediate per Commissarium fit compositio, juxta *Enriquez*, 10 pro 100 exposcitur. Si quis autem habeat ex una parte triginta argenta, v. gr., et ex alia decem, non sufficit pro utrisque debitis unam Bullam sumere; sed duæ requiruntur, unaquæque enim Bulla uni soli conceditur, et hæc est praxis. (*Ita Comm. in D. Lig., lib. VIII, hac de re*).—7.° Si quis vero per unam Bullam minorem quantitatem componeret, quam potest, si postea aliud debitum contrahat, non potest hoc illa Bulla, etsi in quantitate compatibili sit, componere; nam Bulla componit quod invenit, non quod venit. (*Wigant, Comm. in D. Lig.*)—8.° Componi possunt cum unaquaque Bulla 58 rs. 28 marapetini.—Quinquaginta Bullas compositionis in unoquoque anno sumere quis potest, et consequenter 2941 rs. 6 marapetinos componere. Commissarius, ut Papæ delegatus, quamlibet quantitatem componere valet; et ad eum quilibet sive pœnitens, sive confessarius, sive alius accurrere potest.—9.° Non requiritur Bullæ conservatio; quia post eleemosynam erogatam, et applicationem factam, effectus ejusdem jam consummatus est; neque eam conservare expedit.

482. Resolves. 1.° Compositionem tantum de bonis incerti domini, quæ exinde debentur, vel Ecclesiæ, pauperibus, aut operibus piis, Pontifex, uti administrator supremus, facere potest, aliisque etiam facultatem ad id delegare; nam compositio injustitiæ favere nequit.—2.° Componi non possunt Missarum eleemosynæ; quia coram Deo, et dantis intentione semper domini certi sunt; neque bona ex justitia pauperibus debita, nempe pro ipsis a domino relicta; semper enim existunt hi hæredes, vel creditores, et facile sciri potest ubi sint.—3.° Neque credita debita alicui sodalitio, reipublicæ, societati, sive civili, sive religiosæ; vel quæ jura, aut leges cujusque regni disponunt; hæ siquidem leges obligant in conscientia, ob eamdem rationem.—4.° Neque quando constat bona alicujus ex tribus, aut quatuor dominis esse; non tamen constat cujusnam eorum sint; quia tunc inter illos dividenda sunt; nec postea, si verus dominus appareat, tenentur alii consortes restituere vero domino id, quod in partitione acquisiverint. (*Mend., Dicast., aliique*).—5.° Neque pro furtis minutis commissis ab iis, qui vendunt civibus vinum, oleum, etc.; nam talis restitutio facienda est eisdem civibus defraudatis, utpote aliquo modo cognitis. Ita *Croix, n.* 417, *Dian., S. Ligor., n.* 593 contra *Vazq., Tamb.*, aliosque compositionem tunc admittentes. (V. n. 336).—6.° Quando autem bona in fiduciam compositionis obtenta fuerint, vel obstricti Horas canonicas recitare neglexerint, quamvis virtute Bullæ componi nequeant, adest tamen recursus ad Commissarium, qui potest Episcopo talem committere compositionem. (*Mend., d.* 35, *n.* 43 *et* 44).

## DE CASIBUS PARTICULARIBUS QUIBUS PRODEST COMPOSITIO.

483. Probabilius fieri non potest compositio super dimidium legatorum, quæ facta fuere pro exoneranda conscientia a bonis male habitis, etsi personæ, quibus talia legata facta sunt, negligentes fuerint per annum integrum in percipiendis legatis, posteaquam talem notitiam receperunt ab hæredibus, vel testamentariis; quia in summario anni 1853 non adest clausula, annis anterioribus posita, super hanc dimidiam compositionem, neque Pii IX Bulla aliquid de hoc innuit. Et cum sint creditores certi legatarii, et de privilegio compositionis certo non constet, saltem periculosum esse videtur ob dictam negligentiam compositionem amplecti. (*Solano, pag.* 427).—Aliter

res se haberet, si post diligentem inquisitionem factam, neque legatarii, neque eorum hæredes inveniantur. Item componi per Bullas possunt fideicommissa, et donationes, cum inveniri partes nequeant. Item fieri potest per *S. Pœnitentiariam*. Controvertitur an valeat hæc compositio sine causa. *Verius*, ait *D. Ligor.*, *n.* 591 cum *Lugone*. valet, si fiat ex fructibus ecclesiasticis; secus si restitutio aliunde sit debita. Si compositione facta post debitam diligentiam, dominus compareat, docent *Salm.*, *n.* 17, *Trull.*, *Dic.*, *Lugo*, *n.* 98, *etc.*, ad nihil teneri possessorem ratione translationis dominii. Alii cum *Vill.*, *Cajet.*, dicunt restituere teneri id, in quo factus est ditior. (V. S. Ligor., n. 592).

Circa 5, 6, 7, 8, 9, 10 et 11 Bullæ compositionis articulos paucis verbis dici potest quidquid pro praxi interest. Cum compositio tantum locum habeat in casu, quo adsit obligatio restitutionis, et ignoretur cui sit facienda; vel cum res objectis piis distribui debeat, modo dicto; sequitur quod judices, vel eorum delegati, assessores, advocati, testes, accusatores, quæsitores criminales, notarii, curiales, componi possunt, cum dominum nesciant, vel scire nequeant, in casibus sequentibus: 1.º Circa bona a cliente, vel alio ejus nomine data, et percepta, ut causam justam exequantur; ex justitia sane ad id jam tenentur.—2.º Circa eadem bona percepta, ut causam injustam foveant, post contractum cum injusto cliente consummatum; et hoc in opinione eorum paucorum, qui illud pretium iniquitatis illis, ut injustum, retinere vetant. (V. n. 82). Tamen circa causas spirituales simoniam incurrerent talia pactantes, vel dantes, aut accipientes; et Bulla tantum compositionem admittit circa bona ob causas temporales male accepta; quamvis Commissarius circa simoniace percepta aliquid possit, ut ait *Trullench.*—3.º Circa damna ob culpabilem prædictorum omissionem clientibus illata, componi tantum possunt sicut usurarii, et fures, quando de domino certo eis non constet, nec constare possit.

Circa 12, 13, 14, 15, 16, 17 et 18 compositionis Bullæ articulos sufficiet sequentia notare: 1.º Componi per Bullas potest in ludibus defraudatum;—2.º ob fictam paupertatem, vel aliam fictionem perceptum; cum fictio non fuerit causa impulsiva tantum, sed etiam motiva;—3.º res inventæ, si dominus non reperiatur, in eorum opinione, qui dicunt pauperibus tunc distribuendas esse; quod præcipi nequit; nam valde controvertitur inter auctores;—4.º qui rem alterius habet in deposito, vel alio titulo in sua potestate, nisi judex designaverit dominum, cui tradenda sit, et hic inventus fuerit; vel nisi domino non invento, judex depositum repetat: secus vero si depositario onus restitutionis reddat;—5.º damna a venatoribus illata;—6.º munera, vel pecunia a meretricibus accepta, vel eis data, in opinione paucorum, qui uti injusta reputant, (V. n. 82);—7.º vini, aliorumque mercium corruptores, vel in pondere, aut mensura fraudatores. (V. n. 492). In his, et aliis similibus casibus admittit Commissarius compositionem, quando juxta auctores adest obligatio restitutionis, et dominus ignoratur, exindeque restitutio facienda est pauperibus.

Sic tandem Commis. Gen. compositionis Bullæ explanationem finit: In casibus et rebus, quæ particulariter non declarantur; siquidem facultas ac delegatio Nobis a Sua Sanctitate elargita, et concessa, generalis est, aliaque plura in quibus dicta compositio fieri potest amplectitur, ad confessariorum arbitrium ea mittimus, ut ipsi, tanquam spirituales medici, quidquid vi hujus Bullæ, Apostolicarumque facultatum in animarum, ac conscientiarum suarum levamen pariter, et satisfactionem componi poterit, præter casus in hac Bulla expressos, suis pœnitentibus dicant atque declarent. Prolixum esset in omnes facultates, artes, officiaque disserere; ut casus, in

quibus illa exercentes restituere teneantur, necnon per Bullas componi queant, exprimi possent. Hanc materiam eruditissime tractant *Mendo*, *disp.* 33, *Joan.*, *Machado*, *t.* 2, *De perfect.*, *conf.*, *Petrus de Oñate*, *t. de contract.*

484. XIII. «Denique volumus, ac jubemus, ut... Ordinarii per Hispanicam ditionem præsules in respectiva sua Diœcesi eleemosynas, seu »proventus administrent in vi Nostræ hujusmodi concessionis, percipiendos, sic ut administratio hujusmodi ecclesiastica prorsus sit, neque »laicæ potestati obnoxia, hoc est, a personis exercenda per dictos Ordinarios nominatis. Et quoniam in præcedentibus indultis, et in novissima »Cruciatæ concessione a Leone XII Decessore Nostro decreta statutum »fuerat, ut ex eleemosynis inde collectis certæ quædam summæ tum Patriarchalibus Nostris templis Lateranensi, et Vaticano, tum Apostolico »Nuntio ad Catholicum Regem, tum Nostræ Secretariæ Brevium, statutis »temporibus, solverentur, Nos pariter decernimus, ut ex pecuniis ex »Nostra hac concessione colligendis eædem ipsæ summæ per dictum Archiepiscopum Toletanum, eodem prorsus modo persolvantur. Atque ad »præcedentium eorumdem decretorum tramites Executori eidem mandamus, ut ad solutionem ipsam perficiendam, peculiari etiam sponsione »rite se obstringant.

»Item volumus ac mandamus ut Archiepiscopus Toletanus Summaria »typis edenda curet, eaque reliquis Ordinariis, juxta illorum postulationes, »distribuat... Hæc omnia, et singula concedimus, atque mandamus, non »obstantibus Nostræ et Cancellariæ Apostolicæ regula de indulgentiis ad »instar non concedendis, aliisque Sanctæ hujus Sedis, et Conciliorum »etiam generalium Constitutionibus et ordinationibus, et aliis decretis »quacumque forma editis; quibus omnibus et singulis, illis etiam, quorum peculiaris et expressa mentio esset habenda, specialiter ad harum »Nostrarum Litterarum effectum, et plenissime derogamus, cæterisque »contrariis quibuscumque. Volumus quoque, ut harum litterarum exemplis, etiam typis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, »et sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, »eadem prorsus adhibeatur fides, quæ iisdem Litteris, hoc ipso Diplomate »ostenso, haberetur. —Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo »Piscatoris die IV Decembris MDCCCLXXVII, Pontificatus nostri anno trigesimo secundo. —Pro Domino Cardinale Asquinio, D. Jacobini, Substitutus.»

485. **Bula de vivos.** Por la limosna de esta Bula deben dar 18 reales vellon las personas á quienes solamente aprovecha la llamada de ilustres, que son las siguientes: 1.º los Emmos. Cardenales, Patriarcas, Primados, Arzobispos, Obispos, Prelados inferiores y jueces eclesiásticos, que ejerzan jurisdiccion ordinaria, subdelegada, extraordinaria, parcial ó general, con tal que sea en juzgado establecido para ello y con título, como son los provisores, vicarios, visitadores y demás á estos semejantes, los inquisidores, los canónigos y los que tengan dignidades en iglesias catedrales. —2.º Los duques, marqueses, condes, vizcondes y señores de vasallos. —3.º Los comendadores mayores, los embajadores, los vireyes, los capitanes generales, y todos los demás militares que tengan grado desde coronel arriba inclusive Los consejeros de cualquiera de los Consejos de S. M.; los alcaldes de Corte, los ministros togados de las reales Chancillerías y Audiencias, y los fiscales de tribunales, entendiéndose todos, aunque sean honorarios. —4.º Los contadores de las contadurías de Hacienda y cuentas, y de la Santa Cruzada y Ordenes, el Contador general de Propios y Arbitrios, y todos los que en la Corte sirven las contadurías de rentas generales, provin-

ciales, tabaco, y otras de igual graduacion; los secretarios del Rey, con inclusion tambien de los que solo tengan honores.—5.º Los comendadores, sub-comendadores, caballeros de todas las Ordenes militares, y de la Real y distinguida Orden española de Carlos III.—6.º Los intendentes de ejército y provincia y comisarios ordenadores, aunque solo tengan honores de tales; los corregidores de las capitales de provincia, y los regidores de las ciudades y villas de voto en Cortes: como tambien las mujeres de los seglares en quienes concurran las calidades arriba dichas, viviendo sus maridos, ó si, aunque estos hayan muerto, usufructuaren los títulos expresados y sus rentas.—Las demás personas deben dar limosna de 3 rs. vn.

486. **Bula de difuntos.** La limosna de esta Bula es la de los mismos 3 reales vellon para toda clase de personas.

487. **Bula de composicion.** La limosna de esta Bula es la de 4 reales y 18 ms. vn.

488. **Bula de lacticinios.** Este privilegio fué extendido tambien á los Regulares por Pio IX en Breve de 11 de mayo de 1849, renovado en 4 de dic. de 1877, y sin él no pueden comer carnes, ni lacticinios, ni huevos en Cuaresma los presbíteros que no hayan llegado á la edad de 60 años. No alcanza el Indulto de carnes á aquellos regulares que estén obligados por voto al uso perpétuo de manjares cuadragesimales. Pio IX en 20 abril de 1866, Breve *Ad Futuram rei memoriam.* Por este indulto se concede á los presbíteros seculares y regulares (pues los inferiores no lo necesitan), estantes en terreno español la facultad de comer huevos y lacticinios en tiempo de cuaresma (exceptuados los dias desde el lunes hasta el sábado inclusive de la Semana Santa), tomando el respectivo sumario, y además el de Cruzada. El Patriarca, Primado, Arzobispo y Prelado inferior darán 27 reales vellon.

El que tenga dignidad ó canonicato en la iglesia catedral ó colegiata, si tiene de renta mas de doce mil reales anuales, 9 reales vellon.

El de la misma clase y cualquier otro eclesiástico, cuya renta no pase de doce mil reales, ni baje de trescientos ducados anuales, 4 reales y 18 maravedises vn.

Todos los demás eclesiásticos seculares y regulares, cuya renta no exceda de trescientos ducados anuales, 2 reales vellon. No tienen obligacion de tomar el sumario de lacticinios los sacerdotes de 60 años cumplidos, ni los de las órdenes militares.

489. **Bula de carne.**—Sumarios de 1.ª clase. Por este Sumario deben contribuir con la limosna de 36 rs. vn. las personas á quienes solamente aprovecha, y son las siguientes: Los Emmos. Cardenales, los Patriarcas, Arzobispos y Obispos. Los Grandes y los que tienen honores de tales. Los caballeros de la insigne Orden del Toison de Oro. Los grandes cruces de la real y distinguida Orden de Cárlos III, de la de San Fernando, de la Americana, de Isabel la Católica, y la de San Hermenegildo, los grandes Priores y Bailios de la Orden de San Juan de Jerusalen y los comendadores mayores de las Ordenes militares. Los consejeros de Estado y los que tienen honores de este Consejo, los embajadores, vireyes y capitanes generales, los tenientes generales de ejército y las mujeres y viudas de los seglares de las calidades referidas.

Sumarios de 2.ª clase. Por este Sumario deben contribuir con la limosna de 12 rs. las personas á quienes solamente aprovecha, y son las siguientes: 1.º Los Consejeros de cualquiera de los Consejos de S. M., los alcaldes de Corte, los ministros togados de las Reales Chancillerías y Audiencias, los fiscales y alguaciles mayores de estos tribunales, con inclusion de los que tengan honores de ellos y de los demás que se titulan del Consejo de S. M.—2.º Los Abades mitrados, los Priores de las Ordenes militares, los Prelados con jurisdiccion eclesiástica, los demás jueces que ejerzan jurisdiccion, las dignidades, canónigos, prebendados de las santas iglesias metropolitanas y catedrales.—3.º Los condes, marqueses, vizcondes, barones y señores de vasallos; los gobernadores y militares que tengan grado de coronel, y de ahí arriba hasta mariscal de campo inclusive; los comendadores, subcomendadores y caballeros de todas las Ordenes militares, y los de la Real y distinguida Orden española de Cárlos III, de la de San Fernando, de la Americana, de Isabel la Católica y la de San Hermenegildo.—4.º Los contadores generales de la Real Hacienda, de la santa Cruzada, de Propios y

Arbitrios, de las Ordenes y Espolios, y los secretarios del Rey, con inclusion de los que solo tengan honores.—5.º Los intendentes, contadores y tesoreros de ejército, los comisarios ordenadores y de guerra, con inclusion de los que solo tengan honores.—6.º Los intendentes y contadores de provincias, los corregidores y regidores de las ciudades y villas de voto en Cortes; los secretarios de sus Ayuntamientos y asimismo todas las personas de cualquier clase que sean, que por sueldo ó pensiones, por renta de sus mayorazgos ó hacienda, ó por ganancia de sus profesiones, oficios é industrias, manejos de cualquiera especie ó comercio, gocen, ó adquieran, ó ganen anualmente de dos mil ducados de vellon arriba, y las mujeres de los seglares inclusos en esta clase.

Sumarios de 3.ª clase. Por este, comun para todos los demás fieles de ambos estados secular y eclesiástico, deberán contribuir con la limosna de 2 reales vellon.

*Nota.*—A los eclesiásticos se les permite tomar el Sumario correspondiente á su clase, dando la mitad de la limosna por Nos tasada. Este Sumario solo sirve para los estantes en territorio español, y no fuera de él. Quedan exceptuados el miércoles de Ceniza, los viernes de Cuaresma, miércoles, jueves, viernes y sábado de la Semana Santa y las vigilias de Navidad, Pentecostés, SS. Pedro y Pablo, y Asuncion de la Vírgen santísima. Se prohibe á todos la promiscuacion en los dias de ayuno y domingos de Cuaresma. *S. Penitenciaría* 13 *febrero de* 1862.

# TRACTATUS DECIMUSTERTIUS.

# DE SACRAMENTIS IN GENERE.

490. Concil. Trid., sess. 24, c. 7, de R., hæc habet: *Ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat; præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum hæc per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis parochis pie, prudenterque... servari studeant..., necnon ut inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem sacra eloquia, et salutis monita... singulis diebus festis, vel solemnibus explanent; eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant...* Unde cum tanta sit sacramentorum dignitas, utilitas ac necessitas, accurate hanc scientiam velut thesaurum inæstimabile quærere debet sacerdos, ut digne, sancteque ea ministret. Agendum est ergo de natura, divisione, materia, forma, ministro, ac subjecto sacramentorum.

## CAPUT I.

### De Sacramentorum natura, et divisione.

491. **Definitio**: Sacramentum est *signum sensibile, et sacrum, a Christo permanenter institutum ad significandam, et conferendam gratiam.*

Dicitur 1.° *Signum sensibile; Signum*, ex D. Augustino, *est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire.* (L. 2 de Doctr. christ.) Sic v. gr. exterior corporis ablutio in baptismo, facit nos venire in cognitionem interioris ablutionis animæ. Sane cum sacramenta sint propter homines, ita debent esse hominibus accommodata, ut in illorum usu cultum Deo exhibere possint corpore et anima. *Sacrum* seu cum actu religioso.—2.° *A Christo permanenter institutum;* quia cum signum aliquod non habeat ex natura sua virtutem sacramentorum effectus significandi, et multo minus producendi; idcirco requiritur specialis ac divina determinatio, et institutio. Insuper cum tamdiu essent perduratura sacramenta, quamdiu ipsa perdurabit Religio, veluti signa unitatis, et gratiæ, necesse erat signum efficiens illius, quod significat, et permanens sicut mundus.—3.° *Ad significandam, et producendam gratiam;* nam hic est sacramentorum scopus, significandi, et

producendi gratiam, *ut filii Dei nominemur et simus.* (I Joan. III).— Hinc tria necessario in omni sacramento requiruntur; scilicet 1.° *signum sensibile ;* — 2.° *divina institutio ;* — 3.° *vis producendi gratiam a Christo promissam.*

492. **Sacramentorum novæ legis existentia, numerus, et auctor.** De fide est contra lutheranos et calvinistas in nova lege esse septem sacramenta proprie dicta a Christo D. N. instituta, nec plura, nec pauciora; quæ tria simul definivit Trid., sess. 7, c. 1, de Sacr.: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a J. C. D. N. instituta; aut esse plura, vel pauciora quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie sacramentum; anathema sit.*

Id semper in Ecclesia tum orientali, tum occidentali compertum omnino est, probatum atque retentum, ut patet ex eorum ritualibus. Id ipsum tenuerunt constanter Ecclesiæ PP., neque in aliquo Concilio est habita quæstio de hac re, nisi ad hæreticos, id negantes, damnandos.

**Pedum lotionem** nunquam inter vera sacramenta Ecclesia adnumeravit: et si Christus dixit Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum* (Joan. XIII); non significare voluit ob defectum sacramenti, sed obedientiæ. Sane hæc lotio fuit proposita velut humilitatis exemplar ministrorum Christi erga peccatores.

493. Q. *An aliqua sacramenta semper extiterint?*

R. Nega, quoad sacramenta proprie dicta, nempe quæ gratiam producunt ex *opere operato;* nullibi equidem de tali institutione, usu, fiduciaque ante Christi sacramenta in mundo aliquid invenitur.—Affirma, quoad cæremonias sacras, vel sacramentalia, uti Circumcisio, Joannis baptisma, quæ gratiam conferebant ex *opere operantis;* quatenus illa fides respiciebat Christum venturum. *D. Thom. q.* 70, *a.* 4. Hæc doctrina in Conc. Florent. fundatur, quod sic habet: *Novæ legis septem sunt sacramenta, quæ multum differunt a sacramentis antiquæ legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Idem habet Trid., sess. 7, c. 1, de Bap., quoad Joannis baptisma.

494. **Auctor sacramentorum.** Non satis constat, an Christus omnia, et singula sacramenta immediate instituerit. Tamen 1.° Conveniunt omnes, vel ipsi protestantes, Baptismi, et Eucharistiæ sacramenta fuisse immediate a Christo instituta; id aperte liquet ex S. Scriptura.— 2.° Item conveniunt omnes Christum fuisse auctorem saltem mediatum aliorum; cum nemo præter ipsum elementis physicis vim gratiam conferendi adnectere potuerit; et ita definitum habemus in Trid., sess. 7, c. 1.—3.° Probabilius sacramenta omnia immediate Christus ipse instituit; hæc quidem est doctrina conformior Trident. Qui vero oppositum nunc sentiret, addit *Gotti,* temeritatis notam non effugeret. Et sane sacramenta sunt veluti fundamenta, quibus Ecclesia tota innititur; et verisimile non est, Christum ea, quæ pro Ecclesia tanti momenti sunt, noluisse per se instituere. Hinc Apost. se, et cæteros in Apostolatu socios tantum haberi volebat ut *dispensatores mysteriorum Dei.* (I Cor. IV). (Ita *Scavini, l.* 3, *n.* 8).

495. Q. *Quare Christus septem instituit sacramenta?*

R. Quia ita voluit. Tamen *Angelicus* congruam aliquam desumit rationem ex vitæ spiritualis analogia cum vita corporea. Nam in vita naturali requiritur: 1.° ut homo nascatur; 2.° ut crescat; 3.° ut ipse nutriatur; 4.° ut medicinam sumat; 5.° ut contra hostes muniatur; 6.° ut regatur; 7.° ut species humana per generationem conservetur.—Ita in ordine supernaturali: 1.° *Baptismus* ad nativitatem; 2.° *Confirmatio* ad accretionem; 3.° *Eucharistia* ad nutrimentum; 4.° *Pœnitentia* ad medicinam; 5.° *Extrema-Unctio* ad munimen; 6.° *Ordo* ad regimen; 7.° *Matrimonium* ad fidelium propagationem. Huc facit illud (Prov. IX): *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.*

496. Q. *An omnia sacramenta sint paria dignitate?*

R. Nega, et de fide est: *Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita inter se esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.* (Trid., sess. 7, c. 3) Ratione *excellentiæ* præstat Eucharistia; nam ipsum gratiæ Auctorem continet; —ratione *necessitatis* Baptisma; —ratione *perfectionis, et ministri* Confirmatio, et Ordo: Extrema-Unctio, et Pœnitentia sunt *inferioris gradus;* in casu quippe supervenientis defectus usurpantur ad vitam christianam; sed Pœnitentia est *majoris necessitatis;* Extrema-Unctio vero *majoris perfectionis.*

497. Q. *Quomodo amplius dividuntur sacramenta?*

R. 1.° In *imprimentia characterem,* ut sunt Baptisma, Confirmatio et Ordo; et *non imprimentia,* ut cætera; —2.° In *vivorum,* et *mortuorum;* prout gratiam sanctificantem tantum adaugent, vel ad eam primario conferendam sunt instituta, uti Baptisma, et Pœnitentia; —3.° In *formata,* et *informia:* 1.ª gratiam producunt, dum suscipiuntur; 2.ª vero suum suspendunt effectum, donec obex removeatur.

498. **Sacramentorum necessitas.** I. Nulla fuit necessitas sacramenta instituendi; aliis siquidem modis poterat Deus nobis gratiam dare. Tamen congruenter id factum est; tum ut sic homo per sensibilia in cognitionem insensibilium facile perveniret; tum ut homo ibi, in corporalibus nempe, inveniret remedium, ubi habebat morbum. (Ita *Angelicus*).

II. Magna profecto est necessitas ex parte hominum ea sumendi, ratione tum gratitudinis, tum propriæ infirmitatis, ac debilitatis.—Sed alia omnibus necessaria sunt *necessitate medii,* ut Baptismus, et Pœnitentia pro iis, qui post Baptismum in mortale lapsi sunt; alia *necessitate præcepti,* ut cætera, exceptis Ordine, et Matrimonio, quæ non singulis, sed communitati necessaria tantum sunt.—Unde Trident., sess. 7, c. 4, de sacr., ait: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.*

499. Ex decreto Eugenii IV ad Armenos *omnia sacramenta tribus perficiuntur; videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.*

# CAPUT II.

## De materia, forma, et ministro sacramentorum.

500. **Materia sacramentorum** est *res præexistens, vel actus sensibilis, qui ad eorum confectionem adhibetur;* v. g. aqua in Baptismo, actus pœnitentis in Pœnitentia.

**Forma** vero *sunt verba, quibus utitur minister ad determinandum actum, vel rem illam præexistentem ad esse sacramenti.* — Triplici modo poterat Christus omnium sacramentorum *materiam, et formam* assignare: 1.° *in genere,* præcipiens aliquod signum sensibile ab Ecclesia eligendum; — 2.° *in specie,* determinans scilicet speciatim materiam, et formam, v. g. aquam pro Baptismo, et verba *Ego te baptizo,* vel alia; — 3.° *in individuo, seu in specie infima;* v. g., si in Baptismo assignasset aquam frigidam, in Eucharistia panem triticeum, etc., et pro forma talem praxim. His positis:

1.° De fide est, Christum saltem in genere omnium sacramentorum materiam, et formam determinasse; cum sit de fide omnia sacramenta a Christo esse instituta, quod saltem de generica hac institutione est accipiendum. 2.° Certum est Christum nullius sacramenti materiam, et formam in individuo designasse; hujus siquidem rei saltem nullum adest indicium.—3.° Certum est, Christum in specie designasse materiam, et formam *Baptismi,* et *Eucharistiæ;* nam id evidenter ex S. Scriptura eruitur, uti *Joan.* III, *Marc.* XIV, *Matth.* XXVI.

Quoad alia sacramenta negant satis probabiliter *Bellarm., Salm., Lugo, S. Bonav.,* etc.; si enim Christus speciatim determinasset illorum materias, et formas substantiales, non esset profecto diversitas earum in Ecclesia latina, et græca. *Alii plurimi* cum *S. Lig. n.* 12, *et S. Thoma* probabilius affirmant; quia hujusmodi potestatis nullum extat vestigium in Scriptura, nec in traditione; et Trid. expresse definivit, posse quidem Ecclesiam mutare ritus, qui adhibentur in sacramentorum administratione; *salva tamen illorum substantia.* — Nil autem ad substantiam magis confert, quam eorum materia, et forma; ergo... Ita etiam *Bened. XIV, de Syn. Diœc., l.* 8, *c.* 10.

501. **Multiplex est materia sacramentorum**: 1.° *remota,* et *proxima:* 1.ª est *ipsa res externa et sensibilis, ex qua sacramentum conficitur;* uti aqua quoad Baptismum; 2.ª vero *est illa actio, qua minister materiam remotam applicat subjecto sacramentum suscipienti;* uti ablutio in Baptismo.

2.° *Certa,* et *dubia:* 1.ª est *illa, quam certo constat ipsam esse, quam Christus determinavit;* puta aquam naturalem in Baptismo; 2.ª est *de qua dubitatur, an revera illa sit, quæ pro dato sacramento est constituta;* puta panem hordeaceum pro Eucharistia.

3.° *Essentialis,* et *accidentalis:* 1.ª est *quæ ad valorem sacramenti pertinet;* ut aqua in Baptismo; 2.ª *quæ ad majorem tantum significationem, aut reverentiam;* ut aqua benedicta in præfato sacramento.

**Multiplex etiam distinguitur sacramentorum forma**: 1.° *Abso-*

*luta*, et *conditionata :* 1.ª est *quæ absolutis verbis enuntiatur*, v. g., *ego te baptizo ;* 2.ª *vero est, cui adnectitur conditio ;* v. g. si es vivus, *ego te baptizo.*—2.° *Certa*, et *dubia;* prout *certum facit sacramentum*, *vel dubium.* —3.° *Substantialis*, et *accidentalis;* prout *necessario ad valorem requiritur, vel non.* —4.° *Deprecativa*, et *indicativa;* prout nempe *efficit deprecando*, uti in Extrema-Unctione, vel *indicando*, ut in aliis sacramentis. *(Scavini, l.* 3, *n.* 11).

502. Q. *An materia sacramentorum proxima esse debeat?*

R. I. Affirma; materia enim proxima *est illa ipsa actio, qua minister materiam remotam subjecto applicat,* sine qua applicatione sacramentum confici nequit. — Quoad qualitatem proximitatis certum est: 1.° quod in Eucharistia requiritur proximitas, seu conjunctio physica materiæ cum forma; nam pronomen demonstrativum *hoc, hic*, verificari non potest, nisi præsens sit materia;—2.° quod in aliis sacramentis ad validitatem debet inter materiam, et formam tanta esse conjunctio, ut secundum moralem hominum æstimationem, spectata cujusque sacramenti natura, una alterutram afficiat, id est, ut verba cadere censeantur in talem rem, et cum ea unum totale signum constituere. *(Bussemb., S. Lig., l.* 6, *n.* 9). Sic in Baptismo, Confirmatione, Ordine, et Extrema-Unctione requiritur talis conjunctio, ut dum minister verba profert, moraliter etiam lavare, signare, ungere, censeatur. — 3.° Tamen opus non est, ut communiter advertunt DD., una simul formam, et materiam incipere, et finire; sufficit etiam ad liceitatem, ut proferatur forma, dum applicatur materia, saltem antequam applicari desistatur; nam in composito morali, sufficit moralis simultaneitas. *(Scavini, n.* 12, *Salm., n.* 41, *S. Ligor., n.* 9.)

In Pœnitentia vero absolutio satis diu potest differri, sicut in judiciis sententia post causæ examen: alii cum *Croix, n.* 6, dicunt per unam horam, alii per unum diem, et alii amplius: reapse quamcumque dilationem absolutionis fingas, satis semper conjunctæ binæ sacramenti partes censendæ erunt, quoties moraliter intelligatur illud unum judicium peragi, addit cum *Suar., Ballerini, l.* 2, *n.* 197; seu quoties permanent actus pœnitentis, maxime cordis contritio.—In Matrimonio unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter perseverare censetur, velut in aliis contractibus. *S. Ligor., ibid.* Hæc quoad Pœnitentiam, et Matrimonium videntur accepta apud omnes: quoad alia sacramenta videntur moraliter certa; sed in praxi tutior sententia est consulenda. *Scavini.*

II. *Materia*, et *forma* applicari debent ab uno eodemque ministro, et erga idem subjectum ; secus verba formæ non verificarentur: sic in Baptismo, si unus materiam, alter vero formam applicaret, hic dicere deberet : *Tu baptizas in nomine,* etc., et non *ego te baptizo;* et tunc hoc, et illud falsum foret.

503. **In sacramentis materiam, vel formam dubiam adhibere non licet**; nam sacramentorum valor a sola Christi institutione pendet, non vero ab hominum opinione. Id confirmat prop. 1.ª ab Innoc. XI damnata : *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Qui secus agit, graviter peccat: 1.° contra religionem; quia sacramentum exponit; — 2.° contra charitatem;

quia exponit proximum sine causa; — 3.° contra justitiam, si ex officio, v. gr. parochiali, ministrare teneatur.

Excipe 1.° cum adsit vera probabilitas ex parte sacramenti, et necessitas ex parte suscipientis; nam *sacramenta propter homines.* Sic puero jam morituro, si aqua naturalis haberi nequeat, fas erit, imo necesse est Baptismum ei administrare cum aqua dubia, v. gr. liquore permixta; tamen postea, si locus sit, repeti debet cum aqua naturali sub conditione. —2.° In iis, in quibus Ecclesia supplere valet, ut in Pœnitentia evenit, si forte sacerdos jurisdictione careat, et justa adveniat causa sic ministrandi. Hoc Viva *communissimum* vocat; Sporer *moraliter certum;* Lugo, *hanc esse totius Ecclesiæ praxim*, ait.

504. **Sacramenta sub conditione.** 1.° Si conditio est de *præsenti*, vel de *præterito*, valet, vel non sacramentum, prout existit, vel non, conditio, cui alligatus est sacramenti valor.—2.° Si conditio sit de *impossibili*, vel de *futuro necessario*, valet sacramentum; nam prima nugatoria censetur, et non suspensiva secunda; nisi adsit animus suspendendi.— 3.° Si est de *futuro contingenti*, nullum est sacramentum; deest quidem connexio materiæ cum forma, nisi agatur de Matrimonio. *(S. Lig., l. 6, n. 26 cum communi).*

505. **Non licet sacramenta sub conditione conferre, vel iterare,** quoties non adsit *urgens necessitas*, aut *prudens dubium de ipsorum validitate;* esset enim jocari cum re admodum gravi, et mortale piaculum. Tamen si gravis adsit ratio, erit aliquoties obligatio; ne, si forte invalidum esset susceptum, aut non certo valide nunc suscipi possit, fructu privetur suscipiens. Unde si charitas, aut justitia, vel religio id postulat, sub conditione administrari, vel iterari possunt omnia sacramenta, et facilius magis necessaria.—1.° *Baptisma*, si absolute fieri nequeat, quia dubitatur vel de vita, vel de materia, vel de ejusdem jam susceptione: idem dic de *Ordine;* nam cum iterari nequeat, semper dubie viveret ordinatus, cum sacramentum non amplius suscipiendi periculo. *(Decret. c. 2, de Bapt.)* Imo in hisce duobus, etsi pro valore sacramenti suscepti, aut nullitate suscipiendi, multo major probabilitas militet contra rationes dubie, aut tenuiter probabiles (modo rationabiles) in oppositum. *(Ita communiter Salm., n. 56, S. Ligor., n. 28, Gury, n. 211).*—Item *Confirmatio*, ob eamdem rationem.

2.° Item *Matrimonium*, si agatur de prole legitimanda, et jam conjux sit moriturus; vel si dubitetur de alterius conjugis vita; tunc sub conditione, *si es solutus*, vel *si non es impeditus*, contrahatur.

3.° Item *Pœnitentia*, si dubitetur, an sit jam absolutus pœnitens peccati mortalis reus, sub conditione *si nondum es absolutus;* ne gratia privetur; et etiam aliquoties, si dubitetur, an sit rite dispositus, quando nempe gravis causa absolvendi adsit, uti adest pro moribundis, pueris, sponsis hic et nunc matrimonio conjungendis, et aliis; *si es dispositus. (Ita communiter Scavini, n. 14, S. Lig., n. 27 et 28).*—Item *Extrema-Unctio*, si de infirmi vita dubitetur; *si adhuc vivis.* (*Ita Rituale*).

4.° Item *Eucharistia*, si prudenter quis dubitet, an consecrationis verba protulerit; *si nondum consecravi*, ex *Rubrica missalis.* Si vero minister leviter dubitat, aut solum reflexe non recordatur, an verba formæ pronuntiaverit (uti si post consecrationem in Missa tale dubium oriatur), vel an formam mutilaverit, nil repetere potest; secus mortaliter pec-

cat, si formam, aut verbum unum ter, vel quater repetat; quia Christum ridicule agentem repræsentat, ac novum ritum, circa actionem gravissimam absque ulla ratione inducit; et cum alias hæc omittere non soleat celebrans, sed bene pronuntiat, judicium ei favet; etenim judicandum est ex communiter contingentibus, nisi valde probabiliter dubitetur, *ait Rubrica.*—Plerumque tamen scrupulosi, qui formam repetunt, a mortali excusantur; imo sæpe etiam a veniali; quia nimis agitati scrupulis, ex perplexitate, vel sine advertentia agunt, vel minus malum eligunt. *(Voit, Elbel, Gobat, Scavini, n.* 15, *Gury, n.* 201). Probabilius apponi nequit conditio, quæ cadere non possit sub humanam cognitionem; v. gr. *absolvo te, si es prædestinatus:* vel *si Deus scit quod restitues;* nam cum Deus commiserit illorum administrationem cognitioni hominum, frustra apponitur conditio supra horum cognitionem. Ita *Concina, Scavini,* etc., contra *Vivam.*

506. Q. *An conditiones tunc sint verbis exprimendæ?*

R. Perantiqua est hæc forma conditionata in Ecclesia, ut docet Bened. XIV, *de Syn., l.* 7, *c.* 6, sed quæ prius sola mente retinebatur, postea inductum est, ut verbis exprimatur. Tamen sufficit ad reverentiam sacramenti, si mente concipiatur, ut ait *S. Lig., Hom. Apost., tr.* 14, *n.* 3; licet tutius sit voce ipsam exprimere, si id expediat ad impediendam adstantium admirationem. (*S. Lig., l.* 6, *n.* 29). Sic ore proferri debet, ubi ita præscribat rubrica, ut in Baptismo conditionato, præsertim si publice conferatur; ne adstantes Baptisma absolute iterari credant.

507. **Mutatio materiæ**, et formæ in sacramentis duplex est: *substantialis,* et *accidentalis.* 1.ª circa materiam, si *ex communi hominum judicio non amplius censeatur ac illa, quam Christus instituit;* ut in Baptismo vinum pro aqua adhibere: — 2.ª vero est, *quæ licet in aliquo differat ab ea, quam adhibere solet Ecclesia, adhuc tamen eamdem naturam retinet;* uti aquæ Baptismi cineres in parva quantitate immiscere. Idem dic *circa formam:* erit mutatio *substantialis, si non amplius ejus habeatur sensus,* ut in Baptismo dicere, *ego te ungo:* erit *accidentalis,* si, *mutatis verbis, sensus idem maneat,* ut dicere *ego te abluo,* loco, *ego te baptizo.* —Jam vero omnis mutatio *substantialis* in materia, et forma sacramentum invalidat; porro non habetur amplius ritus a Christo institutus; et si voluntaria sit, grave peccatum contra religionem, et contra suscipientes constituit.—Secus quoad validitatem, si mutatio sit tantum *accidentalis:* tamen peccatum grave erit, si ex contemptu, vel notabilis fit mutatio. Sic grave erit aqua non consecrata uti in solemni Baptismo; pane azymo in Eucharistia pro Ecclesia latina. Secus veniale. (*Scavini, n.* 16, *Gury, n.* 199.

508. **Sex autem modis præcipue mutari potest forma**: *additione, detractione, variatione, corruptione, transpositione* et *interpolatione.*

1.° *Additione:* ubi videndum, an verbum additum substantialiter, vel accidentaliter sensum corrumpat. Substantialis mutatio erit dicere: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris,* etc.; aufertur enim veritas sacramenti. *(S. Thom., p.* 3, *q.* 60, *a.* 8*).* — Accidentalis vero erit dicere: *Baptizo te in nomine Patris, quem puto majorem,* etc.; nam error ministri, per sejunctam propositionem additus, sensui a Christo intento non præjudicat. *(Concina).* Sic valet Baptismus a calvinistis collatus: scilicet, auctoritate mihi per Calvinum collata, *ego te baptizo,* etc.

2.° *Detractione:* videatur an detractio pertineat ad formæ substantiam, vel non. Erit *substantialis* dicere: *ego baptizo*, omittendo *te*; deest quidem subjectum: *accidentalis* erit dicere: *te baptizo*, omittendo *ego;* nam satis includitur in verbo *baptizo*.

3.° *Variatione*: si verba substituta synonima sint, accidentalis erit variatio; adhuc enim remanet sensus; ut si loco *absolvo*, dicatur *remitto*. —Secus, si verba non sint synonima; ut si loco *absolvo*, dicatur *te ungo*.

4.° *Corruptione*, quæ facilius inducit mutationem substantialem in initio, quam in fine; ut si loco *patris*, dicatur *matris;* secus si loco *calix*, dicatur *calis:* finales inflexiones sensum plerumque non variant in communi hominum judicio. *(S. Thom., l. c., a. 7 ad 3)*.

5.° *Transpositione:* hæc generatim accidentalem facit mutationem; ut si dicatur *te absolvo ego*.

6.° *Interpolatione*, quæ substantialis erit, si tollatur orationis unitas; ut si, dicto *ego te baptizo*, multum immoretur; vel adstantes aliquid moneat ministrans, et dein addat *in nomine Patris*, etc.; quia tunc tollitur sensus formæ. Secus si, dicto *ego te baptizo*, spueret, sileret, vel silentium aliis imponeret *(tacete)*, ac illico formam concluderet, *in nomine Patris*, etc.; adhuc quippe moralis adesset unitas; licet consultius erit bene administrare, quam tunc leves aliorum defectus corrigere: *(Ita Scavini, n. 16)*. Hinc versus:

*Nil formæ ponas, nil demas, nil variabis;*
*Transmutare cave, corrumpere verba, morari.*

509. **Minister sacramentorum** est, *qui Christi nomine, cujus vices gerit, actionem sacramentalem peragit.*—Est solus homo viator; cum de ordinaria providentia ipsi tantum id tributum sit. Constat ex Scriptura: *Omnis... pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* (Hebr. v.) Tamen Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, neque hominum ministerio; et sic potest sacramenta ope Angelorum, et animarum defunctorum administrare, et sine sacramentis eorum effectus producere. *(S. Thom., p. 3, q. 64, a. 7)*.

510. *Duplex* distinguitur sacramentorum minister: *ordinarius*, scilicet, et *extraordinarius:* 1.^us^ *est, qui per legitimam ordinationem, ideoque vi muneris sui, sacramenta conficit* (matrimonio excepto ex dicendis). Est contra Lutherum, qui hanc facultatem omnibus christianis etiam pueris, ac mulieribus (et etiam diabolo) tribuit. Sed ejus doctrina diris devota fuit a Trid. *(Sess. 7, c. 10). Si quis dixerit, christianos omnes in verbo, et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.*

Ratio suadet: sane in qualibet bene constituta societate momentosa officia non cuilibet de ipsa deputantur, sed electis personis.

2.^us^ est, *qui aliqua conficit sacramenta ob peculiare privilegium, vel ob specialem delegationem, vel urgentem necessitatem;* uti quilibet fidelis conferens Baptismum puero morituro, et nondum baptizato.

# CAPUT III.

## De conditionibus ad validam, et licitam sacramentorum confectionem, atque administrationem.

Erit nunc de intentione, attentione, fide, et probitate ministri.

511. **Intentio** est *actus voluntatis in aliquem finem per media tendentis.*—Multiplex est: 1.° *actualis*, et *virtualis, habitualis*, et *interpretativa:* (V. t, I. n, 4). 1.ª est *præsens animi applicatio ad id quod agitur;* seu cum minister hic et nunc intendit sacramentum conficere:—2.ª vero est, *cum minister, etsi hic et nunc non intendat actualiter sacramentum conficere, agit tamen sola virtute intentionis actualis jam habitæ, quæ perseverare censetur, et in ipsam actionem directe influere;* uti si quis, intendens Eucharistiam conficere, ecclesiam adeat, Missam celebret; sed actu, quo consecrationis verba profert, non amplius de ipsa consecratione cogitat:—3.ª est *voluntas mere præterita, non tamen retractata, quæ quidem neque in se, neque in aliquo suo effectu perseverare censetur:*—4.ª vero est, *quæ nec actualiter adest, nec unquam extitit, sed adfutura censetur, si objectum menti occurreret.*

Porro certum est: 1.° Non requiri actualem intentionem, licet optanda sit: *Hoc non est totaliter positum in hominis potestate,* ut ait *Angelicus,* p. 3, q. 64, a. 8.—2.° Non sufficere *habitualem* in ministro ad sacramenta conficienda, vel conferenda; quia in actionem non influit; cum in dormiente esse possit; neque *interpretativam*; non est quidem vera intentio; ideo non facit ut actus, sic elicitus, sit humano modo positus.—3.° Sufficere intentionem *virtualem*, quæ satis in actionem ministri influit, ut hæc vere humana, ac deliberata dicatur. *(Ita omnes* cum *S. Ligor., n.* 16).

Idque valere docent, etsi *virtualis implicita* seu *exercita* sit: ut si sacerdos, sacris indutus vestibus, ad altare accedat, et celebret, quin expresse id intendat; nam eo ipso, quo id de solito præstat, implicite Missam celebrare vult. Imo adhuc sufficit intentio coacta ex vi, vel metu; hic enim vis, et metus voluntarium non auferunt. Hoc *Lugo* definitum refert a Conc. Toletano IV. Excipe matrimonium ob magnam, quam requirit, libertatem. *(Scavini, n.* 20, *S. Lig., n.* 18 *et* 19).

512. **Intentio interna.** I. De fide est contra Lutherum non sufficere solam intentionem faciendi actionem externam, sed requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia; scilicet actionem humanam et sacram, non autem pueri rationis expertis, vel histrionis. *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.* (Trid., sess. 7, can. 11). Non autem requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia romana; vel intentio explicita faciendi sacramentum, aut ejus producendi effectus; sed sufficit intentio generalis serio posita peragendi ritum veræ Ecclesiæ, seu quæ putatur talis, etsi non talis sit; seu faciendi quod faciunt christiani, aut quod instituit Christus, ut habeatur ritus sacer distinctus a jocis, et communibus vitæ actibus. Ita *communiter Suar., S. Ligor., n.* 20 *et seq.*, cum *D. Thoma*, qui docet valere Baptismum, *quamvis ille, qui non credit Baptismum esse sa-*

*cramentum, aut habere aliquam virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre sacramentum, tamen intendit facere quod facit Ecclesia, etsi reputet illud nihil esse. Et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti, et implicite aliquid facere intendit.* (In 4, dist. 6, q. 1, a. 3, q. 2, ad 1).— Unde valet Baptismus ab hæreticis, et judæis collatus, qui tamen Ecclesiam romanam veram esse negant; imo judæi, et pagani sacramentum conficere non intendunt, sed rident, et contemnunt: et tamen Nicolaus I, Consultus a Bulgaris de Baptismo collato a judæo, vel pagano, respondit: *Standum esse pro ejus valore, si dignoscatur fuisse collatum cum vera materia et forma;* nempe cum intentione generali faciendi quod facit, vel quod audiverit fieri ab Ecclesia.

Attamen si quis præfatam intentionem sacramentum conficiendi, vel faciendi quod facit Ecclesia, positive excluderet, non conficeret sacramentum. Patet ex hac prop. 28 diris devota ab Alexandro VIII: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere quod facit Ecclesia.*

II. Si habeatur intentio non *mimica*, seria autem faciendi solum actum externum, non vero externum sacrum, seu sacramentalem, quem Christus instituit, et Ecclesia intendit, ut induxisse dicunt Ambrosium Catherinum, sententia communis et sequenda docet non sufficere; quia deficit intentio faciendi quod facit Ecclesia; et sub conditione iterandum erit sacramentum characterem imprimens, si periculum sit in mora; secus Sedis Apost. oraculum exquiratur. (Ita *Bened. XIV, de Syn., l.* 7, *c* 4, *S. Ligor., n.* 23, *Scavini, n.* 22).—Unde narratum fuit a quodam Vicario Apostolico: In quibusdam locis, nonnuli (hæretici) baptizant cum materia, et forma debitis simultanee applicatis, sed expresse monent baptizatos, ne credant Baptismum habere ullum effectum in animam; dicunt enim ipsum esse signum mere externum aggregationis illorum sectæ. Itaque illi sæpe catholicos in derisum vertunt circa eorum fidem, et effectus Baptismi, quem vocant quidem superstitiosum. Hinc quæritur: *Utrum Baptismus ab illis hæreticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi quod voluit Christus, si expresse declaratum fuerit a ministro, antequam baptizet, Baptismum nullum habere effectum in animam?*—C. S. Officii 18 dec. 1872 respondit: *Negative; quia, non obstante errore quoad effectus Baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia*

513. Q. *Quid si minister habeat duas intentiones contrarias?*

R. 1.° Si voluntates istæ simultaneæ sint, prævalet prædominans; seu quæ eligeretur, cognita impossibilitate.— 2.° Si fuerint successivæ, valet posterior, nisi prior revocaverit, saltem virtualiter, omnem voluntatem subsequentem: tunc enim prior, modo expresse non revocetur, certe prævalet.—3.° Si adhuc dubium remanet, dubius erit sacramenti valor. Ita *Vica, Croix, Lugo, S. Ligor., n.* 24 *cum communi.*

514. Q. *An ministri intentio esse debeat determinata ad certam materiam, et personam?*

R. Affirma, determinari debet *quid*, et *cui;* secus remaneret materia in statu indifferentiæ, et actus esset omni virtute cassus: tamen non requiritur determinatio nominis personæ, Matrimonio excepto; sed sufficit intentio determinata circa personam præsentem; neque obstat error per-

sonæ, neque quod putetur esse puerum, cum sit fœmina, nisi minister revera suam intentionem alligaret ad determinatam personam (quod inconsulte ageret ), ita ut aliam omnino excluderet: id adhuc non valet quoad Eucharistiæ distributionem; cum jam sit sacramentum. *S. Lig.*, *n.* 19, *Gury, n.* 249. Si quis sine necessitate plures simul baptizaret, vel absolveret, probabilius a veniali saltem non excusaretur; at juxta *Dic.*, *Croix, aliosque* contra *Scot.*, *Con.*, *etc.*, mortaliter non peccaret.

515. **Attentio** est *applicatio mentis ad id, quod agitur.* Duplex est: *interna*, et *externa:* 1.ª *est ipsa mentis advertentia ad id quod agitur:*— 2.ª vero est, *quæ omnem actionem cum attentione interna physice incompossibilem excludit.* Hinc:

1.º *Ad sacramenti valorem* sufficit attentio, qua minister ritus humano modo persolvat; nempe, ut aliquo modo attendat ad finem operis, quod facere intendit; secus non haberetur nisi actio materialis, et etiam somniator sacramenta conferre posset; sed non requiritur, ut attendat hic et nunc, ut vult *Croix.* Sane hanc attentionem non requirit Concilium aliquod; cum tamen necessaria sacramentorum accurate describant; neque est in hominis potestate; neque Christus conditionem aliquando impossibilem requirere potest. (Ita *communissime Gury, n.* 202, *S. Lig.*, *n.* 14, *Scavini, n.* 23). *Aliqui* excipiunt Extremam-Unctionem; cum ejus forma sit *deprecativa,* et preces cum voluntaria distractione nullæ sint: sed *communius* negatur; nam hic preces non operantur quatenus preces, sed quatenus pars sacramenti. *(Scavini).*

2.º *Ad licitam sacramentorum collationem* talis requiritur attentio, ut absit voluntaria distractio: id exigit reverentia sacramento debita, ac errandi periculum. Tamen voluntaria distractio veniale non excedit, secluso erroris periculo, et excepta Eucharistia, in cujus confectione, et sumptione voluntaria distractio mortale peccatum reputatur ob maximam sacramenti dignitatem. Ita *probabiliter Scavini, Gury, S. Lig.*, *n.* 17, *et alii* contra *Mazz.*, *et Croix, n.* 443, tenentes probabile esse quod sit tantum veniale.

516. **Fides, et probitas ministri** non requiruntur ad valorem sacramenti: *quoad probitatem* de fide est contra donatistas, waldenses, husistas, et wichlephitas, qui a seculo IV Ecclesiam diro schismate lacerarunt. *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum; anathema sit.* (Trid., sess. 7, c. 12, et sess. 14, c. 10). *Quoad fidem* item de fide est ex Trid., ses. 7, c. 4, ubi ait: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*— Præiverat *Constantinop.* 1, quod *can.* 7 decernit, non esse rebaptizandos arrianos, macedonianos, novatianos; quia ritum essentialem sacramenti servabant; bene vero eunomianos, montanistas; quia formam corrumpebant.

Quoad alia sacramenta, Pœnitentia excepta, est fidei proximum, ob intimam analogiam, quod fides, et probitas in ministro ad valide ea conficienda non requiruntur; nam virtus sacramenti ex meritis ipsius Christi agit, qui per ministrum instrumentalem illa conficit, et gratiam hæc producunt ex *opere operato.* Excipitur Pœnitentia; quia hæretici publici,

et vitandi ob jurisdictionis defectum invalide administrant extra mortis articulum.

**Ad licitam sacramentorum confectionem, et administrationem** præter dicta requiritur status gratiæ, et cæremonias præscriptas servare.

517. **Status gratiæ.** I. Graviter peccat minister non habens sufficientem jurisdictionem, vel censura prohibitus, aut consecratus, qui solemniter in mortali sacramentum conficit, vel administrat; nam gravem Deo irrogat injuriam, sancta indigne tractando, et quantum in se est contemnendo, et sic Christi personam gerendo. (Ita *D. Thom.*, 3 *p., q.* 64, *a.* 6, *Gury*, *n.* 207, *Scavini, n.* 27, *S. Lig.*, *n.* 31, *cum communi).*

II. Item probabilius, etsi non solemniter administret; vel minister sacramentum conferens non sit consecratus, aut specialiter ad hoc ordinatus; nam semper clamat ratio, *sancta sancte esse tractanda:* et licet sacerdos non solemniter administrans, et laicus, utpote non consecratus, non agant uti Ecclesiæ ministri, agunt tamen ut ministri Christi, ejusque personam repræsentant: unde gravem tum Christo, tum sacramento injuriam irrogant. (Ita *S. Lig.*, *n.* 32, *Lugo, Collet, Croix, Scavini, n.* 27, *et alii).* Et ideo probabilius Matrimonium in mortali contrahens graviter peccat, indigne conficiens, et suscipiens sacramentum, etsi per procuratorem illud contrahat. — Tamen probabiliter negant *alii plurimi* cum *Salm.*, *n.* 87; quia obligatio in ministro sanctitatem habendi non oritur præcise ex ipsa Christi et sacramenti sanctitate, secundum se, sed ex ministri consecratione in ordine ad sacramenta conferenda. *(Billuart:* et *v. S. Thomam,* 3 *p., q.* 64, *art.* 6, *ad* 3). - Licet ratio intrinseca hic non videatur satis valida, tamen certo de mortali damnari nequeunt, hac innixi operantes.

518. Q. *An graviter peccet minister consecratus solemniter in mortali ministrans, urgente gravi necessitate?*

R. A mortali excusandus non est talis minister, qui sibi gravis culpæ conscius, casum necessitatis prævidere potest, ut parochus, obstetrices, vel alii sacerdotes ad ampla nosocomia, vel castra deputati. *(S. Ligor., n.* 33, *Gury, n.* 208, *cum communi).* —Secus si de aliis agatur, et periculum sit ita urgens, ut actum contritionis elicere ob temporis brevitatem non possint. Sed hæc hypotesis generatim neganda est, ait *Gury* cum *Conc.*, et *S. Lig.*, *n.* 33; nam contritionis actus præsto elici potest ope gratiæ, ut docet *Trid.*, *sess.* 6, *cap.* 11.

Q. *An graviter peccet qui extra Missæ celebrationem Eucharistiam in mortali administrat, vel tangit, aut defert?*

R. I. Affirma probabilius; gravem sane irrogat injuriam SS Eucharistiæ; nam est illius dispensator ad id specialiter consecratus; et non parum repugnat Christum tangere, ac distribuere eum, qui cum diabolo consociatur. *(Suar., S. Lig., n.* 35, *Gury. n.* 209, *cum communi).* Tamen *alii* cum *Lugo, Spor., Dian.*, censent venialiter tantum peccare; cum non agat ut causa efficiens, neque nomine Christi, sed remote ad producendam gratiam cooperetur.

II. Affirma valde probabiliter in utroque ultimo casu; indigne siquidem Corpus Christi tractat. *(Gury, S. Lig., n.* 35). Negant *alii;* nulla etenim adest sacramenti confectio nec administratio, nec apparet res tam gravis ad mortale constituendum. (*Ita Croix, Salm., Bussemb., aliique plurimi, et non improbabile hoc dicit S. Lig.)*

519. Q. *An confiteri teneatur minister sibi conscius peccati mortalis antequam sacramenta conferat?*

R. I. Affirma, si agatur de Eucharistiæ confectione, vel susceptione, et ipsi copia confessarii non desit; nam *ex Trid., sess.* 13, *c.* 7, omnes fideles communicaturi, tunc confessionem præmittere tenentur. (*Ita omnes*).

Nega probabilius, et communius quoad alia sacramenta; nulla quidem lege tale statuitur præceptum. *Sacerdos si fuerit peccati mortalis sibi conscius* (quod absit), *ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat; sed si habeat copiam confessarii, et temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.* Ita Rituale R. Cum sit de majori convenientia, sufficiet moralem adhibere diligentiam per contritionem. Et Trid. præceptum illud non imposuit, nisi casu quo agatur de Eucharistia. Excipe, si ipsi ministro de perfectæ contritionis defectu constet. (*Suar., S. Lig., n.* 34, *Gury, Ballerini, n.* 210, *et alii*). Unde probabilius non peccat, saltem graviter, confessarius in mortali confessionem audiens, sed non absolvens, vel audiens cum proposito contritionem eliciendi antequam absolvat; quia sacramentum non conficit in mortali existens. (*S. Lig., n* 36, *cum communi*).

II. Qui successive, in mortali existens, plures absolvit, probabilius tot sacrilegia committit quot dat absolutiones; nam totidem habentur judicia completa, totidemque sacramenta in statu peccati mortalis collata. *S. Lig., n.* 30, *Gury, n.* 211, *et alii* contra *Salm., n.* 46. *Viva, Lugo, n.* 558, *aliosque*, unum tantum adesse peccatum dicentes, sicut in illo, qui plura vasa sacra successive furatur, tali intentione præhabita.

Communius, et probabilius graviter non peccat qui alias functiones sacras in mortali exercet, uti solemniter Epistolam, aut Evangelium canere, chrisma, et oleum sanctum conficere, vestes benedicere, concionari, aut benedicere Matrimonium; nisi concionator publicus peccator esset; quatenus scandalum præberet, prædicationem contemni faceret, et prædicationis fini obicem poneret: alioquin præter sacramentorum confectionem, et administrationem nulla apparet gravis ratio sanctitatem sub mortali exigens in ministro, cum non ita proxime ad animæ sanctificationem sint aliæ cæremoniæ sacræ ordinatæ, neque de gravi præcepto constat. *S Lig., n.* 37.

520. **Sacramenta petere ab indigno.** 1.° Nemo præsumendus est malus, nisi probetur; nam *charitas... non cogitat malum.* (I Cor. XIII).— 2.° A ministro certe indigno ob peccatum mortale, absque gravi causa, non licet petere sacramenta, tum ob charitatem, tum ob sacramenti reverentiam. (V. T. I, n. 6). —3.° Si urget periculum mortis, vel præceptum confessionis, Communionis, Missæ audiendæ; vel relapsus periculum ex dilatione, vel manendi, licet ad horam, in mortali, cuique fas erit ab eo sacramenta petere; nam adest ratio sufficiens permittendi alterius peccatum, maxime cum sit ex malitia sua. Minor causa requiritur, ut petatur sacramentum ab eo, qui ex justitia ministrare tenetur, uti est parochus; item minor pro ministro jam parato ad ministrandum, quam pro imparato; item longe minor pro occulto, quam pro publico peccatore, ratione scandali. A ministro indigno ob aliquam censuram licet tantum petere, aut suscipere sacramenta in casu gravissimi momenti: ita petere fas est Baptismum, et Pœnitentiam, cum sint tantæ necessitatis; idem dicunt de

Extrema-Unctione, si infirmus aliter juvari non possit; de Ordine, si communitas sacerdotibus egeat; de Matrimonio, si fama contrahentium, vel prolis bonum id postulet. *(Scavini, n. 31)*. (V. t. I, n. 242).

521. **Sacramenti administrationem simulare.** Duplex est simulatio, *formalis*, et *materialis :* 1.ª est, *quando ficte quidquam ponitur, quod pertinet ad essentiam sacramenti, quo quis directe alium decipere intendit :* — 2.ª vero est, *quando adhibetur aliquod signum accidentale, quo ob justam causam proximi deceptio permittitur.* Hinc: I. Nunquam licita est *formalis* simulatio; nam in quocumque casu est mendacium valde injuriosum Christo, et sacramento, rebus tam sacris abutendo. Unde Innoc. XI hanc damnavit prop. sub. n. 29 : *Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.* Idem docet Innoc. III. Sic non licet verba absolutionis supra indispositum proferre, etsi sine intentione ; item verba consecrationis super hostiam sine intentione consecrandi ; non consecratam pro consecrata præbere; esset enim idololatria. *(Gury, n.* 222, *S. Lig., n.* 61).

II. Licita est *materialis* simulatio cum causa, secluso scandalo, et contemptu ; quia tantum occultatur veritas. Hinc recitare licet orationem super indispositum cum signo crucis, ne adstantes ipsum dimitti inabsolutum cognoscant ; vel si quis confessario mortem minetur, nisi absolvat. *(S. Thom., S. Ligor., n.* 59, *Scavini, n.* 30, *cum communi).* Idem communius dicunt de illis, qui metu gravi coacti, vel cum scientia impedimenti dirimentis, urgente gravi necessitate, matrimonium inire simulant ; quia cum desint materia, et forma, non simulatur sacramentum; ideoque tunc sponsi haberi nequeunt ut conjuges. (*Gury, n.* 222). Idem dicunt *Diana, Croix, aliique,* casu, quo quis se disponere nequeat ad Communionem, convenire posse cum parocho, ad infamiam, vel scandalum vitandum, ut hic tantum verba proferat : *Corpus Domini N. J. C. custodiat te in vitam æternam*, quin hostiam præbeat, si, nemine advertente, fieri possit ; nam tunc proprie non simulatur sacramentum.

522. **Obligatio sacramenta ministrandi.** I. Qui curam animarum non habent, tenentur tantum ex charitate; ideoque solummodo administrare debent sacramenta necessaria ad salutem, uti Baptismum, Pœnitentiam, Viaticum, vel Extremam-Unctionem, et eo magis, quo quis graviter iis indiget, et difficilius ea suscipere queat. (V. n. 754). *(Ita communissime cum S. Lig., n.* 58, *et l.* 2, *n.* 27). Ast simplex sacerdos in oppido degens, ubi ob confessariorum penuriam incolæ gravi laborant spirituali necessitate, cognoscitque confessionem ideo non frequentari, aut contemni, tutus in conscientia vivere non valet, si negligit confessiones excipere, vel se habilem reddere ad eas excipiendas, cum possit. *P. Pavone, parocho de villa, pag.* 308 : et S. Lig., l. 6, n. 625 addit : *Non video quomodo sacerdotes illi, qui ob desidiam ab hoc onere se subtrahunt, possint... excusari ab exprobratione Domini, ac a supplicio damnationis, inflicto servo illi otioso, qui talentum abscondit.* (Matth. XXV.) *Si enim proximus indiget cibo, in cibo debes ei subvenire, non in vestibus... Licet exercitium confessiones excipiendi sit opus charitatis, tamen non oritur ex simplici motivo charitatis, sed ex proprio sacerdotis officio, cui ex Christi institutione hæc obligatio est annexa, eique satisfacere debet sacerdos, quando urget populi necessitas.*

II. Qui curam animarum habent, uti Episcopi, parochi, coadjutores eorum, et viceparochi, sub gravi, et ex justitia sacramenta suis subditis ministrare præsto tenentur, quoties rationabiliter ea petant; ad hoc enim honorem, et sustentationem accipiunt curati. (*Scavini*, *Gury, n.* 213, *S. Lig.*, *n.* 58). (V. t. I, n. 744.)

523. **Sacramenta indignis deneganda.** 1.° Quilibet minister sub gravi tenetur *peccatori publico, sive publice, sive occulte petenti*, sacramenta denegare (nisi gravis causa eum excuset, vel nisi indignitas ex sacramentali confessione sit nota), tum ob sacramenti reverentiam, tum ob proximi charitatem, tum ob ministerii obligationem, dicente Christo: *Nolite dare sanctum canibus*, *neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* (Matth. VII.) Excipe Pœnitentiam, quæ quidem pro quibusvis peccatoribus est instituta, reservatione seclusa; etiam Matrimonium, justa interveniente causa; et mortis articulum: imo etsi sensibus destituatur, sub conditione absolvi potest, et debet peccator, et etiam ungi (non tamen ei Viaticum conferri potest); tunc enim præsumitur se pœnitere, et aliunde adjuvandus est in extremis meliori modo, quo possit. (V. n. 721.)— 2.° *Peccatori occulto occulte petenti* pariter negandum est sacramentum; quia in hisce adjunctis urgent charitas proximi, et reverentia sacramenti. (*Gury, n.* 218, *S. Ligor.*, *n.* 50.) - 3.° *Peccatori vere occulto publice petenti* denegandum non est sacramentum, tum ob incommoda, et scandala inde oritura; tum quia petens jus adhuc ad famam habet; tum quia sic perturbarentur, ac reformidarent fideles, et a sacramentis arcerentur. Ita *omnes* cum ipso Christo, qui Judam non repulit. Excipe ordinandum, quem Episcopus repellere tenetur, ut patet ex *Trid., sess.* 23, *c.* 5, *et* 7, *de R.*, *S. Ligor.*, *n.* 52, *et* 89: etiam publice, si aliter fieri nequeat, quod raro eveniet; et quamvis juridice delictum probari non possit, ex S. C. C. 22 mart. 1643. Idem dic de Matrimonio, cui parochus assistere prohibetur, si aliquod impedimentum extra confessionem dignoscat. (*S. Lig.*, *n.* 48).

*Peccator dicitur publice indignus*, quando ejus pessima vita, vel ejus crimen communiter noscitur, ita ut celari amplius non possit, sive publicitate juris, sive facti, sive famæ, ut sunt meretrices, concubinarii, civiliter tantum nupti, excommunicati, et similes. (*S. Lig.*, *n.* 44). Secus dicitur *occulte indignus*, si pauci tantum crimen sciant. (V. l. 1, n. 280). *Peccator dicitur publice petere*, cum ibi reperiuntur alii, nisi nullius momenti sint, ut prudens minister, pueri, et similes; aliter occulte petere censetur. (*Gury, n.* 219). Nemo tamen præsumendus est malus, nisi probetur. Ast cum ministri constituuntur quasi judices, de suscipientium dispositione prudens ac positivum judicium sibi comparare debent; v. gr. in Baptismo adultorum debent inquirere de consensu, et dispositionibus: in Pœnitentia de actibus pœnitentis: in Ordine de ordinandorum scientia, et probitate: in Matrimonio de impedimentis, si quæ adsint. Indignus monendus est ne publice petat, cum hoc non possit sine gravi peccato.

Si quis fuit publicus peccator, ut illi Eucharistia publice ministrari possit, dicunt sufficere peccatoris confessionem coram pluribus, modo illius pœnitentia brevi sit publice manifestanda; nam sic publice censetur emendatus, nisi habeat proximam peccandi occasionem, vel aliqua publica retractatio de necessitate sit prius facienda. *Scavini, n.* 43.

524. Q. *An sit denegandum sacramentum peccatori, cujus peccatum non sit simpliciter publicum, sed notum plerisque ex præsentibus?*

R. Alii affirmant cum *Conink*; quia respective ad hos, peccatum videtur esse publicum.—Alii cum *Diana* dicunt esse negandum, si ex præsentibus tantum unus, vel alter vir probus ignoret, qui putatur non evulgaturus; et hæc opinio satis probabilis est, ait *D. Lig.* Alii cum *Suarez, Ron., Scavini, D. Ligor., l.* 6, *n.* 45, probabilius docent esse concedendum; nam petens adhuc possidet famam apud omnes, qui ejus crimen ignorant.—Idem est dicendum, quando ejus crimen non est publicum ubi petit, sed alibi; ex una enim parte non est scandalum aliorum; et ex alia, negando sacramentum, sequerentur præfata incommoda, propter quæ non licet sacramenta negare occulto peccatori.—Secus dicendum esset, si notitia illius criminis facile sit ibi perventura. (Ita *S. Lig., n.* 46 contra *alios).* Hinc: 1.° *In dubio de crimine* negari non potest sacramentum. Excipe Ordinem, quia *Episcopus debet certam habere scientiam de dignitate ordinandi, cum ad Ordinem, prout directum ad publicum bonum, nemo habeat jus, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron,* ait *S. Alph., n.* 43.—2.° *In dubio de pœnitentia* certi criminis, est certo denegandum sacramentum, præsertim Eucharistia: siquidem possidet infamia. Idem dicunt *Suarez, Spor., Croix, aliique,* si habeatur publica suspicio, modo sit tam vehemens, ut morali certitudini æquivaleat. *(Croix, S. Ligor., l.* 6, *n.* 47). (V. n. 482).

525. Q. *An minister indigno sacramentum dare possit ob metum mortis, vel carcerationis, aut bonorum spoliationis?*

R. Affirmant *plures* cum *Bon., Ronc., Croix*, si non petat in odium fidei, vel in contemptum religionis, et absit scandalum; si enim infamia pœnitentis publice petentis excusat a cooperatione, ut supra diximus, multo magis mors, vel gravissima damna ministro imminentia. Tunc quidem culpa sumenti imputabitur, quatenus verum datur sacramentum et res bona, qua alter ex mera malitia abutitur. Sic permittitur ex causa, ut catholicus cum hæretica, quæ est publica peccatrix, sacramentum matrimonii ineat. Neque semper urget scandalum vitare; alioquin, *quisque prodigere semper vitam deberet ad vitandum scandalum,* ut ait *Alasia.* Scandalum satis auferri potest, si publice fiat protestatio vim esse factam. (V. T. I, n. 540). Negant *alii* probabilius cum *Concina, Scavini, S. Alph., n.* 49, præfatam paritatem non admittentes; nam peccatori occulto publice petenti conceditur sacramentum ob plura incommoda ex denegatione secutura, ut supra consignavimus; secus in hoc casu; quinimo roborem, et exemplum inde sumerent fideles, si ad reverentiam sacramenti servandam, periculo mortis se exponeret minister.

*Alii* merito idem quod *Alasia,* qui de metu mortis agit, docent, cum indignitas valori sacramenti non officit, v. gr., S. Eucharistiam peccatori porrigere; nam tunc culpa sumenti imputabitur; res enim bona datur, qua ex sua malitia alter abutitur, et scandalum per publicam protestationem aufertur: secus negant, v. gr. infantem ungere, indispositum absolvere; tunc equidem non sacramentum, sed abusus daretur; quod est intrinsece malum. Ad rem *Gousset:* Cum personam certo admittendam non esse judicabimus, erit dimittenda, vel potius ipse minister absque rumore discedat, quin ullam observationem sibi permittat, nisi de instantia personæ postulantis id fiat, cui tantum respondebit sibi displicere quod ei concedere

nequeat quod postulat. Si persona publice indigna ad sacram mensam accedat, illam prætereat sacerdos, quin eam communicet, neque dicat cur non eam communicat; neque unquam in suggestu, aut publice causas, quæ ipsum justificare possunt, revelet; alioquin ex diffamationis prætextu inquietari posset. Et ne discrimini se committat, consultius erit Episcopum consulere, qui omnibus eamdem normam tutam præscribat.

526. **Cæremoniæ sacramentorum** sunt *ritus illi, qui ex Ecclesiæ institutione in sacramentorum celebratione adhiberi solent.* Studiose omnes Ecclesiæ leges seu rubricæ circa sacramentorum administrationem servari debent cum gravitate, ac religiosa fidelium ædificatione. Conc. Trid., sess. 7, c. 13, habet: *Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* - Unde a culpa liber non erit: 1.° qui nimis celeriter omnia perfungitur, res sacras tractando, uti quasvis alias mundi vilissimas, aut vulgares;—2.° qui ob agendi consuetudinem, aut ob memoriæ defectum, vel ob vanitatem celeritati adderet verborum mutilationem, aut rubricæ omissionem, vel inutilem confabulationem, maxime in ecclesia; 3.° qui cæremonias vel mutat, vel aspernatur; et graviter peccant qui notabilem partem negligunt, aut non notabilem in se, sed cum gravi fidelium scandalo, vel ob contemptum. Secus leviter peccarent. *S. Lig., l.* 6, *n.* 42, *Scavini, n.* 45.

Cæremoniæ rite peractæ ad fidelium pietatem, et ædificationem conferunt, durissima quoque peccatorum pectora scindunt, maxime si una simul interveniat gravitas vocis et cantus, ministrorum modestia in templo ac in via. Sic perfidi Valentis Imperatoris linivit animum stupor in sacris cæremoniis a S. Basilio pie celebratis. Sic satellites a Justina missos ad S. Ambrosium trucidandum, ad pœnitentiam reduxit sacer ritus ab eis aspectus.

527. Q. *An sit de præcepto usus Ritualis Romani in sacramentorum administratione?* – R. Affirma; sic declaravit *S. C. R.* semel atque iterum, uti 7 apr. 1832,—23 maj. 1835,—10 jan. 1852, ita ut nec *Episcopi voluntas sit sufficiens dispensatio.* Idem resolvit quoad libros adhibendos in aliis benedictionibus: *nec alios adhibendos esse, dummodo non constet ab hac S. Congreg. fuisse approbatos.*

Q. *Quænam vestes sacræ ad sacramentorum administrationem requiruntur?*

R. Stola, et superpelliceum, secluso urgentis necessitatis casu, ac Pœnitentiæ sacramento quoad ultimum, generatim requiruntur. *Rochettus non est vestis sacra adhibenda in administratione sacramentorum; ac proinde ad ea administranda necessario superpelliceo utendum.* Ita S. R. C. 10 jan. 1852, in *Cœnomanensi.*—Scire tamen oportet differentiam rochetti, et superpellicei. Hoc amplum est manicas admodum amplas habens, aut etiam ex humeris pendentes alarum instar, a pectore nullo modo scissum; et est vestis communis omnibus clericis.—Illud autem minus amplum est, manicas angustas habens, et est vestis dignitatis Prælatorum sæcularium, non autem regularium, neque Canonicorum, secluso privilegio Apostolico. Ideo hujus rochetti usus prohibetur in sacris functionibus, exceptis tamen quibus de jure competit. Unde Episcopus

*Messen.* exposuit, an tolerari possit consuetudo admodum antiqua in sua diœcesi inter clericos rochetto utendi. S. R. C. 27 febr. 1847 rescripsit: *Non esse inquietandos.* Herdt, pag. 299).

Pro coronide animadverti oportet, quod commune rochettum inter nos usum nec superpelliceum, neque rochettum supra vetitum dici potest. Unde cum sit vestis communiter ab antiquo admissa, et a Prælatis tolerata, absque ullo scrupulo ea uti adhuc licere videtur. - Stola autem adhiberi non debet nisi in sacramentorum, ac sacramentalium confectione: in actu prædicationis, ubi sit usus, et in aliis actibus in Rituali Romano assignatis; minime vero ad rosarium recitandum, vel ad novenarium legendum. Stola est signum jurisdictionis, ac præeminentiæ; cujus abusus reprobatur a *S. C. R.* 10 *sep.* 1816, 11 *sep.* 1847, 7 *sep.* 1850. (*Gury, n.* 226).

# CAPUT IV.

## De sacramentorum subjecto, et effectibus, ac de sacramentalibus.

528. Subjectum sacramentorum dicitur is, *qui est capax sacramenta suscipiendi: est solus homo viator;* nam pro solis viatoribus sunt instituta; cum in iis solis omnis vera justitia, aut incipi, aut cœpta augeri possit, vel amissa reparari, ad quam producendam instituta sunt sacramenta. (*Trid., sess,* 7, *Decr. de Sacr.*)

529. Ad valide sacramenta suscipienda: I. Nulla requiritur probitas, nec vera fides in subjecto, Pœnitentia excepta, cum actus pœnitentis sint illius materia. Constat ex Ecclesiæ praxi, quæ nunquam iterum baptizari, et ordinari permisit improbos, et hæreticos homines rite baptizatos, et ordinatos: et quoad fidem expresse id definivit *Trid., sess.* 7, *c.* 13, *de Bapt.* Et merito; nam sacramentum non perficitur hominis justitia, sed Christi virtute.

II. *In infantibus, et perpetuo amentibus* ad valide sacramenta suscipienda, quorum sunt capaces, scilicet Baptismum, Confirmationem, Ordinem, et Eucharistiam, nulla requiritur dispositio, cum nullius sint capaces; pro iis supplet Ecclesia. (*Ita communiter*).

III. *In adultis* ad validam sacramenti receptionem requiritur intentio illud suscipiendi; neque enim nisi vere volenti, cum potest velle, gratia est tribuenda. Id statuunt Concilia plura, et Innoc. III, cap. *Majores de Bapt.* Excipe Eucharistiam, quæ a suscipientis voluntate non pendet, quod sit sacramentum.

IV. *In omnibus* præexigitur Baptismus ad cætera sacramenta suscipienda; nam hæc pro sola Ecclesia sunt instituta; per solum Baptismum homo fit Ecclesiæ membrum; ergo... Sic definivit Eugenius IV in celebri Decreto *ad Armenos.*

530. **Intentio requisita in adultis** *pro singulis sacramentis.* I. Ad valide suscipiendam Confirmationem, Eucharistiam, et Extremam-Unctionem, communiter dicunt, sufficere habitualem, implicitam, seu interpretativam intentionem; cum sufficiat, ut suscipiens sit subjectum capax; et aliunde cum ea nil oneris importent, facilius præsumitur consensus.

Sic hæc valide *per se* conferuntur sensibus destitutis; ac conferri possent ebriis, dormientibus, in amentiam lapsis, qui prius intentionem ea suscipiendi habuerint: imo licite ipsis conferri possent, si mortis periculo laborarent, nec constet in mortali peccato versari: alias lucidum intervallum expectari debet. *(Gury, S. Lig., n.* 81). Si ægrotus in actu mortalis peccati fuerit sensibus destitutus, *probabiliter*, ait Viva, *saltem sub conditione*, Extremam-Unctionem ei esse administrandam.

II. Ad Baptisma, et Ordinem communissime, et probabilius requiritur, et sufficit habitualis intentio prius habita, et nondum retractata; sufficit sane in hisce sacramentis, ut sit subjectum capax, quin actu modo humano agat: non autem sufficeret interpretativa; nam sine vera voluntate nemini est imponendum onus tam grave servandi Ecclesiæ leges, ac status clericalis: valet tamen Baptismus, etsi metu gravi susceptus. est quippe sufficienter voluntarius, licet informis. *(Ita Bened. XIV, Instructione* Postremo, 28 febr. 1747, *et Ecclesiæ praxis*). Imo *Croix, Suar., aliique*, probabile putant, sufficere habitualem implicitam, seu generale desiderium media ad salutem necessaria adhibendi. Sic judæum, vel ethnicum in mortis periculo baptizare liceret, si probabiliter saltem attritionem habuisse judicetur; quia in hac includitur votum omnia præcepta servandi.

III. Ad Matrimonium valide suscipiendum, et Pœnitentiam, saltem requiritur intentio virtualis, cum ibi pro materia actus suscipientis petantur: unde plena deliberatio necessaria est. Hinc moribundus sensibus destitutus, est adjuvandus, ut meliori modo quo possit absolutionem recipiat. *(S. Lig., l.* 6, *n.* 82).

531. **Attentio in subjecto adulto** ad sacramentum valide suscipiendum non requiritur; etenim actus humanus non procedit ab attentione, sed ab intentione. Præterea plura sacramenta nec virtualem intentionem requirunt; *a fortiori* ergo neque attentionem ex parte subjecti. Hinc frustra aliquando pœnitentes ex eo anguntur, quod distractiones passi fuerint, dum absolvuntur. *(Spor., Gury. n.* 229).

532. **Ad licite. et fructuose sacramenta suscipienda** prærequiritur: 1.° *In infantibus, et perpetuo amentibus* nulla dispositio: quia nullius sunt capaces.—*In adultis* requiritur quoad duo sacramenta *mortuorum* fides, spes, et dolor de peccatis actualibus juxta illud. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. (Hebr. XI). *Credere*, en actus fidei: et revera *fides*, ut ait Trid., *est fundamentum, et radix omnis justificationis*. (Sess. 4, c. 8). *Inquirentibus*, en actus doloris; nam offensor offensum quærere rationabiliter, prudenter, et fiducialiter nequit absque cordis humilitate, et dolore; nam *sine pœnitentia non fit remissio:* saltem attritio requiritur.—*Remunerator sit*, en actus spei. *Qui enim hæsitat,... non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino*. (Jacob. I). *Gury, S. Lig., n.* 86). Non autem requiritur status gratiæ, cum ad eam gignendam sint instituta.

2.° *Quoad sacramenta vivorum* prærequiritur status gratiæ; a Christo enim ordinata sunt ad eam augendam, non ad primam conferendam, nisi per accidens. Status autem gratiæ per confessionem est curandus ad Eucharistiam suscipiendam; et saltem per contritionem perfectam ad alia sacramenta suscipienda, ut supra de ministro asseruimus. Consulendum est, ut ante aliorum sacramentorum, præsertim Confirmationis, Ordinis,

et Matrimonii receptionem præmittere confessionem non omittatur; nam qui scienter sacramenta vivorum in mortali suscipiunt, gravius quidem quam illi, qui indigne conficiunt, et ministrant, peccant; quia non solum indigne illa tractant, sed gratiæ obicem ponunt. *(Gury, S. Lig., n.* 86).

533. Q. *An aliquando licitum sit sacramenta vivorum in mortali suscipere?*

R. Affirmant communius; uti si subito irruat hostis, et quin locum conterendi quis habeat, Eucharistiam sumat, ne ab hæreticis profanetur; quia tunc non intendit Eucharistiam sumere ut sacramentum, sed abscondere in pariete cordis sui ad majorem injuriam cavendam. Alii negant; nihil siquidem impurius immundo corde; aliunde illico contritionem quis elicere potest. Idem dic de laico in scamno communicantium accumbente, qui mortalis recordetur, et subito conteri nequeat. Hi tamen sacramentum susciperent sine fructu. *(Scavini, n.* 38).

534. Q. *An aliquando suscipi possint sacramenta valide, et licite, sed informia?*

R. Affirma; eveniet id, si omnia substantialia ad valorem adsint, imo etiam ad licitudinem præter aliquem latentem defectum, v. g., si ex inadvertentia adultus bona fide ad Baptismum accedens, de actualibus peccatis gravibus minime doleat; nil deficit quoad validitatem, et licitudinem; tamen subsistit obex gratiæ, scilicet peccatum actuale. Imo hæc hypotesis necessario exigit, ut inter ejusmodi sacramenta valida, sed informia, censeri possit etiam sacramentum Pœnitentiæ, si de quopiam peccato gravi inadvertenter dolorem pœnitens non concipiat; et sic de aliis. (Ita probabilius, et communius *D. Thom., Scavini, n.* 207, *Ballerini, n.* 232, contra *Scotistas*). Censent tamen *Croix, Pal.*, et *Scoto*, quod si quis Eucharistiam ita suscipiens, obicem removeat antequam species consumantur, is gratia sacramenti non carebit; quia idem est ac si tunc eam reciperet, cum adhuc entitative subsistat

535. Q. *An sacramenta valide sed illicite suscepta, remoto obice, reviviscant?*

R. Affirma, saltem pro plerisque; cum enim propter obicem maneant suspensi sacramenti effectus, eo remoto, hi reviviscere, seu agere debent, veluti flumen per suum alveum; nam effectus sacramenti valide recepti natura sua non pereunt. Hoc pro sacramentis characterem imprimentibus, uti certum admittitur; et probabiliter etiam pro sacramento Matrimonii, et Extremæ-Unctionis; quia, perdurante eodem conjugio, vel morbo, iterari non licet. *(Gury, S. Lig., n.* 87). Communiter ad gratiam consequendam, tunc solum requiritur dispositio, quæ deerat, v. g., attritio pro reviviscentia Baptismi, Extremæ-Unctionis *(Gury)*, et Pœnitentiæ, ut addit *Ballerini*.— Quoad Confirmationem, Ordinem, et Matrimonium requiritur perfecta contritio, vel attritio una cum confessione.—Si vero informis fuerit Baptismus ob solum fidei defectum, reviviscit per actum fidei cum attritione peccati infidelitatis, nisi post Baptismum alia peccata gravia committerentur; nam ob talem defectum suspensa tantum manebat gratia; et cum dein nil deficiat, nulla superest ratio, cur effectus sacramenti tunc suspensus remaneat. *(Ita Croix, Lugo, Gury, n.* 232. —Diximus *nisi post Baptismum alia peccata gravia committerentur;* quia ista remitti non possunt nisi per contritionem perfectam cum voto Pœnitentiæ sacramenti,

vel cum attritione una cum tali sacramento: secus de aliis ante Baptismum commissis. *(Croix, n. 207, Lugo, d. 9, n. 55, Gury, n. 233).*

536. **Triplex est effectus a sacramentis immediate proveniens**, nimirum: 1.° *gratia* omnibus communis: 2.° *character* Baptismo, Confirmationi, et Ordini proprius: 3.° *cognatio spiritualis* ex Baptismo, et Confirmatione proveniens, sed tantum jure ecclesiastico.

537. **Omnia sacramenta novæ legis gratiam conferunt.** I. Duplex est modus producendi gratiam; scilicet, *ex opere operantis*, et *ex opere operato*. 1.us est *cum Deus gratiam elargitur intuitu fidei ac pietatis operantis;* sic erit in eo, qui extra sacramentum actum perfectæ contritionis eliciat: - 2.us est *cum gratia confertur propter opus in se habens eam producendi efficaciam,* uti sacramenta.

II. De fide est sacramenta novæ legis continere gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem *ex opere operato* conferre. Hinc Trid., sess. 7, c. 6, ait: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre;... anathema sit.* Et c. 8: *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta* ex opere operato *non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.* Id confirmant S. Scriptura, Patrum doctrina, ac constans Ecclesiæ praxis, quæ semper validitatem Baptismi, et Confirmationis infantium admisit, etiamsi a pravo ministro conferantur: ergo neque a ministro, neque a suscipiente, sed ex *opere operato* confertur gratia. Sed de hoc infra ubi de singulis sacramentis. Tamen, licet sacramenta propria virtute gratiam conferant vi divinæ promissionis, in suscipientibus conditiones requirunt, velut ignis ad ligna inflammanda; unde majorem, vel minorem conferunt gratiam pro majori, vel minori suscipientis dispositione, ut docet *Trid., sess. 6, c. 7.* Nihil obstat quod ait Apost.: Justificari hominem per fidem (Rom. III); nam per fidem homo sibi viam ad justificationem sternit. *Fides, si non habeat opera, mortua est.* (Jacob. II). Etiam ait Christus: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* (Marc. XVI). Sed alibi etiam adjunxit: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* (Joan. XIV). *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (Matth. XIX).

III. Sacramenta producunt: 1.° gratiam actualem, habitualem, et sacramentalem:—1.a est *illuminatio intellectus, et motio voluntatis ad salutarem actum in nobis producendum ordinata.*—2.a vero est, *qua homo immediate fit justus, filius Dei adoptivus, æternæ vitæ hæres, et permanenter Deo addictus ex parte gratiæ.* Hæc dicitur etiam gratia *sanctificans.* —3.a vero est *jus habituale, quod digne sacramenta suscipiens acquirit ad actuales gratias necessarias recipiendas, ut finem cujusque sacramenti proprium assequatur.* -2.° Producunt gratiam *primam*, vel *secundam.* Prima est, *qua justificatur homo.*—Secunda vero est, *quæ præexistentem gratiam auget.*

IV. *Sacramenta mortuorum primam* ex se *conferunt gratiam;* quia primitus ad hoc sunt a Deo ordinata, ut vitam spiritualem revocent. *Per accidens* etiam conferunt *secundam gratiam,* si nempe suscipientem justificatum per charitatem jam inveniant; v. g., si adultus Baptismum susciperet perfecte contritus suorum peccatorum; vel peccator sic Pœnitentiam reciperet, aut cum solis venialibus, aut sine ullo actuali peccato non jam remisso.—*Sacramenta vivorum* primario *secundam conferunt*

*gratiam;* nam ad hanc augendam sunt a Christo instituta: tamen per accidens aliquando primam tantum conferunt; v. g., si quis bona fide, putans esse in gratia, cum mortale habet, Eucharistiam, vel Extremam-Unctionem attritus suscipiat; nam sacramenta vivorum non sustinent peccatum, modo alius non ponatur obex. *(S. Thom., p. 3, q. 79, a. 3, cum communi).*

V. Singula sacramenta præter gratiam habitualem, seu sanctificantem, suppeditant speciale auxilium respondens suo fini, seu gratiam *sacramentalem.*—Sic *Baptismus*, ut christianus vanas mundi pompas, ac illecebras, quibus renuntiavit, strenue contemnere possit;—*Confirmatio*, ut fidem, data occasione, intrepide profiteatur;—*Eucharistia*, ut in amore Christi constanter maneat, ac in eodem progrediatur;—*Pœnitentia*, ut commissa delicta detestetur, occasiones peccatorum vitet, ac in gratia perseveret;—*Extrema-Unctio*, ut infirmus animo roboretur, a peccati reliquiis purgetur, ac dæmonis insidiis facilius resistat;—*Ordo*, ut sacri ministerii functiones digne exerceat; —*Matrimonium*, ut conjuges fidem servent, cupiditates moderentur, prolem pie edoceant, et omnia conjugii onera patienter ferant, fideliterque adimpleant. Necesse minime est, ut sacramenta suscipientes signa collationis eorum, aut verba intelligant ad obtinendos effectus; quia hujusmodi effectus non consistunt *in opere operantis*, sed *in opere operato*. Est contra lutheranos, et calvinistas, aliosque novatores. Controvertitur an sacramenta physice, vel moraliter gratiam producant, scilicet, immediate virtute accepta, vel motione alterius liberi agentis ad causam physicam producendam. Cum non agant virtute sibi propria, sed instrumentali, *alii* cum *Tourn.* moraliter producere dicunt: alii vero cum *Suarez* et *communi*, physice ex illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc., utraque est probabilis. *Knoll.*

538. **Character sacramentalis** definitur: *Signum spirituale, indelebile, animæ impressum, quo homo ab aliis distinguitur, ad divina deputatur, ac idoneus fit. Essentia characteris* juxta *D. Thom.* non consistit in *initerabilitate*, neque in mera denominatione, sed in *animæ modificatione*, seu qualitate, aut spirituali potentia, quæ etiam in altera vita remanet, in beatis ad gloriam, in damnatis ad ignominiam. *(P. 3, q. 63, a. 2 et 5).*—*De fide est contra protestantes admittendum esse characterem sacramentalem*, eumque in tribus tantum sacramentis imprimi. Sic definivit *Trid., sess. 7, c. 9*: *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*—Congruenter in hisce tribus sacramentis character imprimitur, ut notat *Angelicus*: siquidem per Baptismum suscipiens adscribitur familiæ Christi, ad cætera sacramenta suscipienda deputatur, et ad fidem strenue profitendam; per Confirmationem militiæ Christi; per Ordinem ministerio Christi ad rite obeunda clericalis ministerii munia: quod in aliis sacramentis non contingit; et sic distinguitur baptizatus a non baptizato; Christi miles a non milite; clericus a laico.

539. **Sacramentalia** *sunt cæremoniæ sacræ ab Ecclesia institutæ ad quosdam effectus spirituales producendos.* Hæc gratiam producunt *ex opere operantis* tantum, nempe quatenus per illa pii motus doloris, et charitatis excitantur in nobis, quibus venialia delentur. Sex numerantur: *orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.*—*Orans*, indicat oratio-

nem dominicam, et cæteras Ecclesiæ preces.—*Tinctus*, aspersionem aquæ lustralis, quam ab Apostolica traditione manasse docent eruditi, et salutares habet effectus. Idem dicendum quoad congruentiam de sacris unctionibus ab Ecclesia institutis in diversis consecrationibus.—*Edens*, manducationem esculentorum, quæ a sacerdote benedicuntur.—*Confessus*, confessionem a diacono factam populi nomine in Cœna Domini, ac factam in Missa, et divino Officio.—*Dans*, eleemosynam.—*Benedicens*, benedictionem Episcopi, Abbatis, sacerdotis, candelarum, cinerum, palmarum, etc. *S. Ligor.*, *n.* 90, *et seq.*

Episcopo Administratori, Auxiliari, Coadjutori non licet perficere benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, ac fontis baptismalis in Sabb. S., quin Missam deinde celebret; cum id unice competat Episcopo ordinario. (*S. R. C.* 23 *sept.* 1843). Vendere res carius, quia benedictæ sunt, est injustitia, et simonia. *S. Lig.*, *n.* 94.

Q. *An res benedictæ ad profanos usus adhiberi possint?*

R. Affirma, *ex se;* quia res hujusmodi non benedicuntur benedictione *consecrativa*, sed tantum *invocativa*. Unde peccatum non est ossa agni, ova benedicta canibus projicere; neque aquam benedictam, candelas, et similía ad profanum usum adhibere (*S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 94, *Croix*, *Tamb.* contra *alios*). Missalia autem, et Biblia sacra, sicut etiam sacræ imagines ad úsum profanum adhiberi non debent. Sed adhiberi queunt aliæ chartæ, ubi incidenter, et accessorie inscribuntur nomina sacra. Ita *Croix*, *n.* 228 *cum Gob.*—Aquæ benedictæ, adveniente causa, adjungi potest aqua non benedicta, dummodo in minori quantitate fiat, ut docet *Angelicus cum communi;* et sic tota acquiritur virtus benedictæ. Utilius est domi eam habere, ac cum ipsa se signare. *Pius IX*, Brevi 28 jul. 1863, concedit omnibus fidelibus quoties se signaverint, toties 50 dies indulgentiæ, etiam purgatorii animabus applicabiles. (*V. Del-Vecch.*, *l.* 3, *n.* 211.) Item diligentissime a parochis est fovenda salutatio *Angelica* (ab Urbano II sæculo XI excogitata, ut docent eruditi, et a Gregorio XIII addita est salutatio etiam ad meridiem), indulgentiis nunc cumulata. Pius VI, 18 mart. 1781, benigne concessit, ut iis in locis in quibus deest campanarum usus, fideles corde saltem contriti, qui ter in die, primo diluculo, circa meridiem, et sub vesperam recitaverint *Angelus Domini*, vel *Regina cœli*, temp. pasch., dictas indulgentias lucrentur. Inter sacramentalia enumerantur tum *Agni cerei* a Papa benedicti, vulgo *Agnus Dei*, quos pingi, vel inaurari sub gravi prohibuit Gregorius XIII, prout refert *Azorius;* tum *Rosa aurea*, quæ in Dominica 4.ª Quadragesimæ item a Papa benedicitur, posteaque dono ad aliquem principem, vel reginam mittitur.

S. D. N. *Leo XIII PP.*, ut constat *ex S. C Indulg.* 21 *dec.* 1878, districte præcepit, ne Christifideles sub quolibet prætextu, etiam redimendi, sacras Reliquias, et Sanctorum exuvias, licet capsula reconditas, et sigillo munitas, tam in urbe, quam extra emere, aut mercari præsumant. Insuper mandavit, ut quicumque sacras Reliquias, quæ venales præstent, invenerit, locorum Ordinarios commoneat, quorum intererit opportune providere.

# TRACTATUS DE SACRAMENTIS
# IN PARTICULARI.

## DE BAPTISMO.

## CAPUT I.

### De natura, proprietatibus, et necessitate Baptismi.

540. **Baptismus** idem sonat ac *immersio, lavatio, lavacrum,* et definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo:* vel *Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem hominis regenerationem per aquæ ablutionem sub præscripta forma.*—*Triplex* adest Baptismus; scilicet, *fluminis*, seu *aquæ, flaminis*, et *sanguinis.* 1.us est mox definitus.—2.us est *ardens desiderium*, seu *votum illum suscipiendi*, cum reapse suscipi non possit; et primum tunc supplet; de fide est ex *Trid., sess.* 4, *c.* 4; — 3.us est *martyrium hominis non baptizati pro Christo perpessum.* —Duo posteriores nonnisi primi vices supplent, ideoque veri Baptismi necessitatem non infirmant; propterea ait Apost.: *Una fides, unum Baptisma.* (Ephes. IV).

541. **Baptismus est verum sacramentum**; sane concurrit 1.° *signum sensibile*, in aquæ ablutione; -2.° *divina institutio;* ut patet ex illis Christi verbis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine,* etc.; — 3.° *gratiæ collatio. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introïre in regnum Dei.* (Joan. III). Ergo potest qui renatus fuerit; ergo Dei gratiam possedit. -4.° Ecclesiæ dogmatica definitio: *Si quis dixerit, in Ecclesia Romana... non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam; anathema sit.* (Trid., sess. 7, can. 3).

542. *Baptismus est omnibus, etiam infantibus, necessarius ad salutem* post sufficientem Evangelii prædicationem, et *de necessitate medii in re, vel in voto,* sive explicito, sive implicito, præter martyrium; quia cum sit lex positiva, obligare nequit quin sit sufficienter promulgata. Hinc Apost.: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* (Rom. X). Et est de fide contra manichæos, pelagianos, aliosque hæreticos. Constat ex præfatis Christi verbis: *Nisi quis renatus fuerit...* Et ex Trid., sess. 7, c. 5, de Bapt. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.*

543. **Baptismi effectus** tres potissimi sunt, præter communes omnium sacramentorum: 1.° *Peccati originalis remissio*, et peccatorum actualium, si quæ sint, per gratiæ sanctificantis infusionem. *Quicumque baptizati estis, Christum induistis. (Gal. III.)*—2.° *Totalis pœnæ æternæ solutio* et temporalis peccatis debitæ, et largitio divinæ gratiæ. -3.° *Characteris impressio,* ac filiatio Ecclesiæ, cujus auctoritati subjicitur baptizatus. Quæ omnia constant ex Trid., sess. 5, et 7, *S. Lig., n.* 138.

544. Baptismus *flaminis*, et *sanguinis*, si adjunctam habeant perfectam ad Deum conversionem per amorem Dei super omnia, quoad collationem gratiæ, ac peccatorum remissionem eosdem effectus producunt quam Baptisma aquæ; de fide est a *Trid., sess.* 5, *c.* 4, definitum. Secus quoad characterem, et pœnæ remissionem.

*Martyrium*, si non suppetat tempus ad Baptismum aquæ suscipiendum, hunc supplet, etiam infantibus; culpam et pœnam remittit, et omnes, secluso sacramentali charactere, Baptismi effectus producit. Constat ex Ecclesiæ praxi et doctrina: *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* Innoc. III, *Decr., l.* 3, *t.* 41, *c.* 6.—Imo conformis est hæc doctrina Christi verbis: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* (Matth. x).—Infantes Christum *non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, canit Ecclesia: ergo... Tamen non sufficit tunc attritio; nam hæc solummodo cum sacramento justificat, ut commune est. In adultis vero requiritur charitas: Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate, ait *Angelicus*, ex illis Apost. verbis: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (1 Cor. xiii). *Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (1. Joan. iv, 16). Unde cum homo *externe* cum Christo incorporari non valeat per Baptisma aquæ, sufficit ut incorporetur *interne*, seu per charitatem, vel gratiam sanctificantem. *(S. Lig., l.* 6, *n.* 95 *et* 97).

---

# CAPUT II.

## De materia, et forma Baptismi.

545. **Materia remota Baptismi** est *sola aqua naturalis apta ad abluendum*. De fide est. Constat 1.° ex S. Script.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua...* — 2.° ex Trid., sess. 7, can. 2, de Bapt. *Si quis dixerit, aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa D. N. J. C.:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, *ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.*

**Naturalis et valida est** 1.° aqua fontis, putei, maris, fluminis, laci, pluvialis, sive frigida, sive calida sit;—2.° aqua mineralis, resoluta ex nive, glacie, grandine;—3.° aqua tempore nimboso defluens a pariete, arborum foliis, collecta ex rore, vel ex densatis vaporibus;—4.° aqua venenata, turbida, mixta cum alia re, modo aqua prædominans sit, ita ut in communi æstimatione adhuc censeatur aqua. *(S. Lig., n.* 103, *cum communi).*

**Materia invalida est** 1.° sanguis, lac, saliva, sudor, lachrymæ, urina;—2.° oleum, vinum, jus densum ex adipe, etc., cerevisia, succus fructuum et herbarum, lutum, atramentum;—3.° glacies, nix, pruina non resoluta, et similia, saltem sunt materia dubia, ideoque extra necessitatem adhiberi nequeunt. *(S. Lig., l.* 6, *n.* 104).

**Materia dubia est** jusculum tenuissimum, lixivium, cerevisia tenuis, humor e vite fluens, aliisque plantis, etsi arte alchimica eductus, aqua ex sale soluto, caffea, theum, lutum tenue; quia magis polluit quam lavat. *(S. Lig., n.* 103 *et* 104, *Gury, n.* 237).—*An validus sit Baptismus aqua benedicta collatus, tamen ob climatis intemperiem fœtida?*—S. R. C. 17 apr. 1830 respondit: *Baptismos collatos cum aqua corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis.*

**Materia licita Baptismi est**, extra necessitatis casum, sola aqua pura, benedicta, chrismate mixta juxta Ecclesiæ ritum, saltem pro solemni Baptismo, tum ex gravi Ecclesiæ præcepto, tum ob reverentiam sacramenti. Unde graviter peccat contra religionem, qui absque necessitate utitur aqua impura, turbida, fæculenta; vel contra Ecclesiæ præceptum, si utatur aqua non benedicta. *(S. Lig., n.* 102, *Gury, n.* 236).

546. **Materia proxima Baptismi** est *actualis applicatio remotæ subjecto capaci,* seu ablutio, quæ tribus modis fieri potest; nimirum, *immersione, aspersione,* et *infusione,* seu *effusione* juxta diversam Ecclesiæ praxim; ita ut morali judicio baptizatus lotus esse censeatur. Id constat ex formæ verbis, et ex perpetua Ecclesiæ praxi; imo ex Apost. dicente: *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* (Ephes. v).

*Ad valorem Baptismi* nil refert quocumque modo fiat, et unica sufficit ablutio, quod est contra græcos schismaticos (latinos inculpantes de recessu a fide catholica), contra quos, aliosque definit Trid., sess. 7, c. 3, de Bapt.: *Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, et magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam; anathema sit.*—*Ad liceitatem* quælibet Ecclesia sub gravi observare debet consuetudinem, quæ viget, cum res gravis sit. *(Scavini, n.* 55, *Gury, n.* 240). Hinc extra necessitatem trina aquæ effusio ex Rituali R. sub gravi petitur in Ecclesia Romana; scilicet ter infunditur aqua super caput infantis in modum crucis, una simul verba proferendo hoc modo: (Exprimatur baptizandi nomen): *N., ego te baptizo in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spi ✠ ritus Sancti.* Hæc tamen de Baptismo solemni, et publico intelligenda videntur, ait *Gury, ibid* Dein sacerdos baptizati caput mantili abstergit, ut mos est.

547. Q. *Quæ corporis pars est abluenda ad validum, et licitum Baptismum?*

R. 1.° Certo validum erit, si ablutio in capite fiat, in quo fundantur omnes sensus. — 2.° Communissime valere docent, dummodo contingat in scapulis, humeris, pectore, vel parte alia principali; nam adest vera hominis ablutio. Attamen si necessitas ad id compulerit, postea, si fieri possit, sub conditione iterandus est Baptismus; nam si caput ablui non potest, dissidium adest inter DD., ut ait Bened, XIV; et in hac re tutior quidem pars est sequenda. (*S. Thom., D. Lig., n.* 107).—3.° Si aqua tantum tangat vestes, est certo invalidus Baptismus; hominem siquidem non abluit.—4.° Si crines tangat, probabilius est validus; nam hominis partes sunt: sed tutior pars est sequenda. Hinc si baptizandus sit capillatus, *digitis sinistræ manus cæsariem ejus discriminet sacerdos, dum dextera aquam infundit:* et optimum tunc erit, si in fronte abluatur puer, ut merito ait *Scavini, n.* 56.

*Si vero aqua non fluat, vel in terram decidat, quin madefaciat,* probabilius nullum esset Baptisma; deest quippe ablutio, quæ ad ipsum requiritur; saltem dubia esset materia, quæ in casu necessitatis esset

quidem adhibenda, etsi non habeatur nisi una, vel altera aquæ gutta. *(S. Lig., n.* 107).—Communiter autem dicunt, tunc materiam esse certam, si baptizans digiti motu partem capitis, vel corporis ablueret. *(S. Lig.)*

548. Q. *An infans in necessitate baptizari possit nondum natus?*

R. Affirma probabilissime, si puer in matris utero per aliquod instrumentum aqua tangi possit, etsi secundina involutum; quia hæc habetur velut infantis pars cum umbilico continuata; maxime si ablui queat caput; etenim cum infans jam viator sit, valide baptizari potest, et necessario Christo incorporari debet. *Quod... in ea natum est,* ait D. Matth. 1. de Verbi incarnati conceptione. Tamen, quia res controvertitur, melius erit sub conditione ita eum baptizare in necessitate; et conditionate ipsum rebaptizare, si periculum vincat: *Si non es baptizatus, ego te baptizo,* etc. (*Ita Bened. XIV, S. Lig., n.* 107). De hoc parochum instruere oporteret obstetrices; nam illæ, vel chirurgus, et non parochus, in illis adjunctis, pudoris causa, Baptismum conferre debent. *(Scavini)* Si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, iterum est baptizandus: quod si aliam emiserit partem, in ea conditionate, *si es capax,* baptizetur, urgente necessitate; et rebaptizetur, si nascatur, sub forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo,* etc. *(S. Lig., n.* 107).

549. **Forma baptismi**, juxta definitionem Conc. Later. C. *Firmiter,* et *Trid., sess.* 7, *c.* 4, consistit in hisce verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* juxta illud Christi præceptum: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* (Matth. XXVIII). Hæc forma *indicativa* semper viguit in Ecclesia catholica cum accidentali discrimine, quod Ecclesia græca omittit pronomen *ego,* et ejus loco dicit: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris,* etc. Hæc forma valida est ex instructione Eugenii IV *ad Armenos,* sed in sola Ecclesia græca licita.

**Formæ Baptismi variatio.** Variatio est *substantialis,* et *accidentalis*: 1.ª est *cum non amplius verborum substantia existit, quæ sunt præscripta.* Quælibet variatio substantialis Baptismum invalidat, uti dicere: *Ego te ungo in nomine,* etc.—Vel *ego te baptizo in nominibus Patris,* etc.—Vel *in Patre, et Filio,* etc.—Vel *cum Patre, et Filio.*—Vel *in nomine Patris, per Filium.*—Vel si omittatur *te;* non enim determinatur Baptismus, seu subjectum Baptismi; aut si ejus loco dicatur *et:* uno verbo, semper ac non satis explicetur unitas essentiæ Divinæ, et personarum trinitas.—2.ª *habetur, cum sensus adhuc remanet quoad substantiam*: hæc, nisi desit ministri intentio, sacramentum non invalidat; ast venialiter saltem peccat minister ipsam scienter varians: esset 1.° Si mutetur idioma, vel substituantur verba synonima, vel latinus formam græcam adhibeat, aut vicissim.—2.° Si omittatur verbum *ego;* adhuc enim subsistit sensus: vel si omittatur *in;* latino namque idiomate ob elegantiam sæpe tacentur præpositiones. (*S. C. C.,* 12 *sept.* 1802). Tamen cum agatur de valore sacramenti, a contraria sententia non recedendum, juxta *D. Lig., n.* 112. Ideoque talis omissio a mortali non posset excusari.—3.° Si balbutiens, aut rudis formam corrumpat in fine, cum jam ab initio sensus præconceptus sit. *(S. Lig., n.* 112). Hinc Zacharias Papa validum declaravit Baptismum ob linguæ latinæ ignorantiam, ita collatum: *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, et Spiritu Sancta:* accipiuntur enim talia verba corrupta, ut significantia ex accomodatione usus, ait *Del-Vecch., l.* 3, *n.* 59. Attamen si minister studio corrumpat verba, ex intentione non faciendi quod facit Ecclesia, vel si muliebrem esse saltem aliquam personam intenderet, nullum est sacramentum. *(S. Thom.,* 3, *p. q.* 60, *a.* 7, *Scavini).*—4.° Idem dic probabilius de hoc: *Ego te bap-*

*tizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti;* vel *cum nomine Patris, Filii,* etc.; quia nominis repetitio ex se sensum non mutat: ita ex variis decisionibus *S. Pœnit.* 18 *jul.* 1825, *S. C. Conc.*, 24 *maj.* 1823, apud Fer.—5.° Probabilissime si omittatur conjunctio *et*, modo tertiæ personæ præponatur: imo inter plura nomina sæpe conjunctio *et* omittitur: et juxta *aliquos* valet si dicatur: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti.* Nullum peccatum est omittere *Amen* in fine formæ; imo incongruum esset illam vocem usurpare; cum non reperiatur in Christi verbis, neque in *Rit. Rom.* Quæritur ergo utrum adhibenda sit, vel omittenda? Resp. *S. R. C.: Strictim in casu servetur Rituale Romanum.* (9 jun. 1853).

Q. *An valeat Baptismus in nomine Christi, vel SS. Trinitatis collatus?*

R. 1.° Nega, quia per *to* Christi nullatenus exprimitur SS. Trinitas. (*S. Thom.*, 3, *p. q.* 66, *a* 6, *S. Lig.*, *n.* 112.—*C. Si revera,* 30, *de consecrat. dist.* 4). Neque obstant illa verba: *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri.* (Act. VIII). Communissime enim interpretes intelligunt Baptismum a Christo institutum ad differentiam Baptismi Joannis.—2.° Nega probabilius; nam in tali forma non sat distincte singulæ SS. Trinitatis personæ exprimuntur, sed tantum implicite, quod est contra Christi præscriptum. (Ita *S. Lig.*, *n.* 111, *cum communi*). Si quis ex importuna devotione adderet, et in nomine *B. V. Mariæ*, valeret Baptismus; quia nihil formæ demit; nisi intenderet Baptismum conferre in nomine *B. V. Mariæ*, tribuendo efficaciam talibus nominibus. *(Gury, n.* 242, *S. Lig.)* - Si dicatur *Ego te baptizo in nomine Genitoris. et Geniti, et procedentis ab utroque;* vel si loco *Filii* ponatur *Jesu Christi;* vel *in nomine trium personarum*, dubius saltem erit Baptismus; quia non ita in usu habetur SS. Trinitatem in hoc sacramento exprimere. (*Scavini, n.* 217, *S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 3).—Valeret si *Patri* præponatur *Filius*, etsi præponendo Filium, significare velit minister hunc esse principium *Patris;* aliter quidem sonat vox *Patris;* et error internus ministri valori sacramenti non præjudicat, nisi cum mente hæretica ita varietur forma. *(Scavini, n.* 217).—S. C. Officii 23 jun. 1840 declaravit nullum Baptismum sic collatum: *Ego volo ministrare tibi sacramentum Baptismi peccatorum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Valde probabiliter Baptisma fuit institutum ante Christi passionem: quum in Jordane Christus a Joanne baptizari voluit. Ita *Catechismus Rom., S August., Thom., Scavini, n.* 50. Promulgatum fuit post Resurrectionem, cum Christus Apostolos misit in universum mundum: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

---

# CAPUT III.

## De Baptismi ministro, et subjecto.

550. Baptismi minister est *ordinarius, extraordinarius,* et *necessitatis.* I. *Minister ordinarius* est, *qui vi suæ ordinationis Baptismum conferre valet :* talis et solus est *primario* Episcopus, ut colligitur ex Christi verbis ad Apostolos: *Euntes ergo docete... baptizantes,* etc. Ita docent SS. Patres, et suadet ratio; nam Episcopi jure divino Ecclesiæ bono consulere debent, ipsam pascere, ac regere; ergo etiam alumnos ad illam admittere. *Minister vero ordinarius,* sed *secundarius,* vel *publicus,* est quilibet sacerdos: constat ex praxi Ecclesiæ, ex Catechismo Rom., et ex Decr.

Eugenii IV *ad Armenos*. Hodie jure ecclesiastico, facta parœciarum distinctione, minister ordinarius est parochus, vel alius sacerdos a parocho loci, vel ab Ordinario delegatus. Unde nec Episcopus, nec parochus, seclusa delegatione, saltem præsumpta, extra suam diœcesim, vel parœciam, aut intra eam alienos licite baptizant; et etiam peccant parentes sine ordinarii ministri licentia alibi suam prolem baptizandam deferentes; nam jus proprii parochi violant. (*Gury*, *S. Lig.*, *n.* 114 *et* 115). Tamen omnes licite recipere possunt ubique Baptismum, aliaque sacramenta a parocho loci, si domicilium jam contraxerunt. Peregrini autem, et vagi baptizari queunt in qualibet ecclesia, quam elegerint: advenæ vero probabilius et communius possunt, (juxta *Salm.*, *aliosque* tenentur) sacramenta recipere a parocho loci ubi quasi domicilium jam contraxerint. *S. Lig. n.* 115.) Si mulier casu in pago non suo pariat a proprio duabus, vel tribus tantum horis distanti, potest baptizari proles etiam in ecclesia sua. *S. Lig.*, *n.* 114, *Gob.*, *Croix*, *n.* 376; et urgere potest ejus parochus, ut in sua ecclesia proles baptizetur. (Ita *Del-Vecchio*, *n.* 61).

II. *Minister extraordinarius et publicus* est diaconus, ut habet *Pontificale Rom.*, et patet *ex Act. Apost.* VIII, ubi diaconus Philippus eunucho Baptismum contulisse perhibetur.—Verum absque delegatione Episcopi, vel parochi sub gravi ei vetatur solemniter baptizare, juxta communiorem, et probabiliorem sententiam; licet parochus absit, a quo petatur facultas, et casus urgeat. Imo hæc delegatio diacono fieri nequit, nisi ob magnam necessitatem, vel Ecclesiæ utilitatem; ut si parochus graviter infirmetur, vel extraordinarie in confessionibus, aut prædicatione esset occupatus, aut esset excommunicatus, alio deficiente sacerdote; vel si permulti essent baptizandi. (*Scavini, n.* 61, *Gury, n.* 243, *S. Lig.*, *n.* 116).

III. *Minister necessitatis*, seu *privatus* est quælibet persona ratione utens, sive vir, sive fœmina, sive catholicus, sive hæreticus, sive judæus, et infidelis, qui, omissis cæremoniis, baptizat: ita ut semper *valide,* et in necessitate etiam *licite* baptizare possit; secus *reus erit perditi hominis,* ait Tertullianus. Est de fide ex Lateran. IV, cap. *Firmiter*, in Decr. fidei Eugenii IV; ex praxi fidelium, et Theologorum, ac SS. PP. consensu item firmatur.

IV. Denique *nec licite, nec valide potest quis se baptizare;* deesset siquidem diversitas ministri, et ministrati, generantis spiritualiter, et geniti. *S. Ligor.*, *n.* 117.

551. **Ordo tamen est servandus**, ut scilicet 1.° sit parochus:—2.° ex *Rituali* si adsit sacerdos, diacono præferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir fœminæ, item fidelis infideli; nisi pudoris gratia deceat fœminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum; vel nisi melius fœmina, aut infidelis sciret formam, et modum baptizandi. *S. Lig.*, *n.* 117. *Hinc rationabiliter censet Sporer cum Gob.*, ait S. Ligor., n. 117, *quod parochi tenentur sub gravi obstetrices diligenter examinare, utrum noverint necessaria ad baptizandum, cum ipsæ sub mortali teneantur addiscere modum baptizandi.*

Ex jure canonico prohibetur pater, et mater propriam prolem baptizare, si adsint alii. Si adsit sacerdos excommunicatus, in veriori sententia est laico postponendus; nam uti putridum membrum habetur.—Insuper communiter docent graviter peccare laicum, præsente sacerdote, baptizantem, etiam in necessitate (*S. Ligor.*, *n.* 117): et

controvertitur, si id fieret, præsente diacono, commissionem non habente, cum huic jus non competat, nisi ex commissione; etsi satis probabile sit, quod graviter non peccaret: si vero illud fieret, præsentibus aliis clericis inferioribus, dicunt non esse mortale, cum adsit tantum aliqualis indecentia. Qui publice baptizat, cum non sit minister ordinarius, graviter peccat; sane jus alienum in re gravi usurpat; imo clerici diaconatu inferiores ex jure fiunt irregulares, si id temere audeant; sed probabilius non ita laici; nam textus de clericis loquitur. (*Decr. Greg.*, *l. V*, *t.* 28, *de cler. nov. ord.*, *Scavini*, *n.* 61, *S. Lig.*, *n.* 114). *Omnino affirmandum*, ait *D. Lig.*, *n.* 117, *graviter peccare parentes, qui faciunt baptizare prolem a prædicante, ad evitandas pœnas edicti id præcipientis*, saltem citra extremam necessitatem; quia sic determinantur parentes ad veram religionem contemnendam, vel saltem ad honorandam falsam. *Less.*, *Pignat.*, *Holzm.*, *Croix*, *n.* 281.

**Si unus plures simul baptizaret, valide,** sed illicite citra necessitatis casum (v. gr. in mortis periculo, et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur) ageret; quia nihil ad validitatem deest; nam plurale est singulare geminatum; et solum id opponitur Rituali Rom., usui, sacramenti dignitati, ac gravi Ecclesiæ præcepto. (*Scav.*, *n.* 220, *S. Lig.*, *n.* 124). Controvertitur, an valeret Baptismus, si quis puerum in flumen projiceret. Quidquid sit, communiter docent cum *Laym.* licere aqua nimis frigida, si alia haberi nequeat, puerum baptizare mox moriturum, etsi ex hoc timeatur mors acceleranda; nam *per accidens* eveniret, et ob justam causam, damnoque proportionatam. Sed nunquam fas est puerum in flumen projicere, etsi mox decessurum; siquidem tunc malum directe sequeretur ex hac actione.

552. **Infantibus quo citius fieri valeat est administrandus Baptismus**; quia infinitis pene periculis obnoxii sunt, uti observat *Catech. rom.*; et præstat citius eos a dæmonis potestate liberare. Unde communius, et probabilius graviter peccaret qui ob desidiam ultra 10 vel 11 dies differret. (*Scav.*, *n.* 62, *S. Lig.*, 118, *aliique* contra *Pal.* et *Suar.* extendentes ad usque mensem, et usque ad duos cum causa).—Adultis bene differri potest Baptismus, ut plenius instruantur, ut docet Angelicus; non autem diu, ne tanto bono priventur.

553. **Locus ordinarius Baptisma conferendi** sub gravi, generatim loquendo, est parochialis ecclesia, vel alia ubi jus fontis est. Excipe periculi infamiæ causam, vel alterius gravis damni parentum, aut vitæ infantis; tunc etiam domi baptizare licet; item si recusant parentes sine causa puerum ad ecclesiam deferre, etsi *ex se* graviter peccent renuentes. (*Scav.*, *n* 63).—Item excipe filios regis, vel principis, vel etiam nepotes, et alii eorum descendentes. (*Clem. unica de bapt. et glosa*). Probabilius intelligantur tantum filii, etc. principum absolutam potestatem habentium. *Glosa*, *Suar.*, *Tamb.*, *Tour.*, *S Lig.*, *n* 118. Hi in eorum capella, et in aqua baptismali de more benedicta baptizentur, et cum omnibus cæremoniis consuetis, ut in aliis. (*S. Lig.*, *n.* 118). Censet *Layman* graviter peccare, qui citra necessitatem filios suos baptizari faciunt domi, vel privatim in ecclesia, ut dein cum pompa perficiantur cæremoniæ, perventis patrinis (qui jam non sunt patrini), vel matre in salutem restituta. *S. C. C.* 23 sept. 1868 hunc abusum declaravit auferendum. Et *ex S. R. C.* 16 mart. 1861 Baptismus sine rationabili causa, ab Episcopo approbanda, solemniter conferri nequit in sacristia.

554. **Baptismi iteratio.** 1.° Baptismus quidem validus nunquam est iterandus; prima etenim vice omnes ejusdem proprii effectus jam sunt obtenti. Unde non solum *invalide* agit rebaptizans, sed etiam grave com-

mittit sacrilegium, ac irregularitatem incurrit temere id audens, simul ac rebaptizatus. *(C. Litterar. II, de apost. et reiter.)* (V. T. I, n. 296).— 2.° Unus sufficit testis ocularis, probus, et fide dignus, sive masculus, sive fœmina, ad probandam Baptismi collationem; nam hic non est deceptionis periculum. – 3.° Baptisma jam valide collatum præsumitur quoad adultos, qui a parentibus catholicis nati sunt, et inter catholicos educati, tametsi nullum extet testimonium; nisi in contrarium adsint conjecturæ, seu rationabile dubium sive juris, sive facti, sive negativum, sive positivum. Refert autem *P. Zach.* apud *D. Lig., n.* 134, censuisse *S. C.* baptizandam esse quandam mulierem, eo quod nullum reperiri potuerit vestigium baptismi, nec matrimonii parentum assertorum. Et Con. Cart. V ait, *quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo esse rebaptizandos.* Et quoties adultorum Baptisma sit iterandum, prius consulatur Episcopus, et secreto fiat iteratio ad vitandas murmurationes. (*S. Lig., n.* 123, *Scav., n.* 64, *cum communi*). Ast sub conditione est baptizandus adultus, qui ab infantia fuerit raptus a barbaris, nec certo constat de ejus Baptismo. (*S Ligor., n.* 134).

555. Q. *An sint rebaptizandi infantes ab hæreticis, vel obstetricibus, vel laicis baptizati?*

R. 1.° *Quoad hæreticos*, licet *ex se* validum sit Baptisma ab ipsis collatum, verum ob persuasionem de nulla ejusdem necessitate, quæ apud protestantes vulgata est, fit, ut eorum ministri adeo oscitanter hoc sacramentum administrent, ut grave dubium ortum sit de valore Baptismi ab illis collati. Hinc receptum est, ut passim, non solum in Anglia, Gallia, Germania, verum etiam Romæ, sub *conditione* iis, qui ex diversis sectis ad Ecclesiam catholicam redeunt, iterum Baptismus conferatur; nam *absolute* sub gravi prohibuit *S. O. C.* 10 *mart.* 1770. (V. n. 680.) *Del-Vecchio, n.* 219, *S. Lig., n.* 137. — 2.° *Si Baptismus sit collatus ab obstetrice, vel alio laico,* hæc monet S. Carolus: *Si re accurate investigata, parochus exploratum habuerit puerum, forma servata, baptizatum esse, caveat omnino ne tunc sub conditione rebaptizandi formam adhibeat.* Investigatio sit circa formam, materiam, intentionem, et modum. Idem dicit *Catech. rom.* Hinc *Bened. XIV* improbat has Synodos, in quibus generatim sub conditione rebaptizari jubentur quicumque privatim fuerunt ab obstetricibus baptizati; ac parochus parentes monere debet, ut duas saltem, præter infantis matrem, personas, si fieri possit, Baptismo adesse curent, ut sic de administrationis modo fidem facere valeant. –Item investigare debet post factum, qua forma, aqua, simultaneitate materiæ et formæ, et intentione baptizaverit laicus: et tantum quando adsit probabilis suspicio erroris, vel probabile dubium invaliditatis, rebaptizet parochus. *S. Ligor., n.* 136.

Q. *Quid agere debet parochus, si certo agnoscat plures fuisse ab obstetrice, vel ab alio invalide baptizatos?*

R. 1.° *Si res publica est*, publice eos baptizare debet parochus; nam tunc nulla admiratio. — 2.° *Si vero res occulta manet,* et invalide baptizati in tenera ætate adhuc sint, eos privatim ad se vocet, et tanquam iis benedicere volens, frontem abluat aqua baptismi ad hoc parata; vel si id fieri nequeat, aqua lustrali largiter aspergat, vel eos in fronte aqua sufficienti signet (in catechismo, v. g.), pronuntians Baptismi formam. 3.° *Si de adultis sermo sit,* vel ad septennium pervenerint, *Layman* vult, ut occulte moneantur, et bene dispositi occulte baptizentur. — 4.° *Si id sciat parochus ex obstetricis confessione sacramentali,* licentiam ab ipsa obtineat præfatos de hoc monendi, et iterum ipsos prudenti modo ac convenienti baptizet. — Si hoc obtinere nequeat

parochus ab obstetrice, quia infamari timet, vel ipse id tacere debeat quacumque ex causa, in exercitiis ante primam Communionem, et si jam communicant, in primo die anni, vel alio Missionis, aut solemnitatis sub aliquo prætextu curet, ut invalide baptizati prope ipsum sistant, et in ferventi sermone circa necessitatem Baptismi, ac utilitatem votorum ejusdem renovationis, omnes adstantes vehementer hortabitur, ut una simul cum doloris actibus de commissis peccatis vota renovent; dein aspergat aquam cum aspersorio bene madefacto formam super non baptizatos recitans; et sic, salvo sigillo, ac obstetricis fama, sufficienter animarum saluti consuletur. *(Ita in resol. casuum Bened. XIV).* Si quis privatim baptizatus sit, consuetæ cæremoniæ, et ritus in ecclesia suppleri debent. Si vero invalide sit baptisatus, ast peractæ sint cæremoniæ, et solemnitates in ecclesia, Baptisma dari potest quocumque loco. (*Ita Croix, l. 6, p. 1, n. 325, S. Ligor., l. 6, n. 136*).

556. **Subjectum Baptismi** est *omnis ac solus homo viator ab Adamo descendens, nondum baptizatus.* Unde: I. *De fide est recte baptizari infantes.* Constat: 1.° ex S. Scriptura: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua...* Nemo sane dixerit, Christum a regno cœlorum infantes excludere voluisse: —2.° ex perpetua Ecclesiæ praxi: -3.° ex Conciliis: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse;... anathema sit.* (Trid., sess. 7, c. 13, de bap.)—Idem dic de perpetuo amentibus. Si vero aliquando ratione usi fuerint, et Baptismum non petierint, sub conditione essent baptizandi; non enim constat de ejus voluntate. *(Gury, n. 247).*—Neque obstat quod pueris sic onera imponantur, quin scienter ea acceptaverint; nam hic nonnisi de anticipatione agitur. Unde S. August.: *Felix necessitas, quæ nos ad meliora compellit.* Sic baptizatos ad omnia Dei et Ecclesiæ præcepta teneri definivit Trid., sess 7, c. 7: *Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; anathema sit.*

II. *Si dubium sit an infans vivat, vel an fœtus ejectus sit animatus et vivus,* quantumvis parvus sit, sub conditione, *Si vivis,* baptizandus est. Prævalet equidem sententia fœtum ab initio conceptionis animari; et cum de æterna salute agatur, pars tutior est sequenda. *(Gury, Ballerini, n. 247).* Si contingat abortum fieri, curam fœtus ne negligant matres, licet eumdem vita carere videatur, sed statim mundent os infantis et linguam; sufflent in os ejus, et sic motum cordis animare nitantur; lavent prolem vino tepente aqua mixto, et leniter fricent, nisi fœtus jam inceperit abire in putredinem. *(V. Stapf., § 481). Quod fœtus,* ait Roncaglia, *abortivos ex ignorantia obstetricum et matrum excipit latrina; quorum anima, si Baptismate non fraudaretur, Deum in æternum videret, et corpus, licet informe, esset decentius tumulandum. Sed quibus potissimum sub gravi culpa competit expellere ignorantiam? nonne parochis?*

III. *Quoad infantes monstruosos a mulieribus editos,* non a bestiis, adverte: 1.° Si formam plane bestialem referunt, non esse baptizandos.—2.° Si in capite, vel pectore hominis formam habeant, erunt baptizandi —3.° Si caput tantum sit ferinum, consulatur Episcopus; et si mortis periculum adsit, sub conditione baptizetur: *Si es capax, vel si es homo, ego te baptizo,* etc. Ita *S. Lig., n.* 125, *Baruffaldus, Scavini, n.* 70.

IV. *Si infans membra hominis geminata habeat:* 1.° Si unum sit caput et unum pectus, etsi quatuor sint brachia, vel pedes, unum est completum individuum; ideoque unum dandum Baptisma:—2.° Si duo sint capita, et duo pectora, duo sunt danda Baptismata; quia duo sunt individua:—3.° Si duo essent capita, et unum pectus, aut viceversa, unum est dandum absolute Baptisma, et alterum super aliud caput, vel super duo pectora simul conditionate, dicendo: *Si tu es alius homo. (Scavini, S. Lig., n.* 125).

557. **Expositi** sine ulla schedula, de Baptismo collato testante, sub conditione baptizandi sunt, quoties non habeatur moralis certitudo de Baptismo rite collato. *Scavini, n. 72, Gury S. Lig., et alii communiter.* Imo juxta communem sententiam sub conditione, licet schedulam habeant, nisi hæc talis sit, ut moralem pariat certitudinem; uti si a parocho noto sit scripta, vel subscripta. (Ita *Benedict. XIV, Gury, n. 249. S. Lig., n.* 135, et *S. C. C.* 15 *jan.* 1724. Id *Gousset* extendit ad pueros vagorum derelictos, etc.) Qui autem moriuntur cum dubio de valore Baptismi, in loco sacro sepeliuntur.

558. **Filii hæreticorum, et infidelium licite baptizari possunt:** 1.° si usum rationis habentes, consentiant, etsi repugnent parentes; si vero ante septennium baptizari petant, ac dubitetur de rationis usu, differendum est Baptisma, sed hic, qui postulat, retinendus est, et sic interea informandus, ut idoneus evadat Baptismo postmodum suscipiendo. Ita Benedict. XIV, Instructione *Postremo.* Item si omnino amentes a nativitate sint, ac perpetuo ita esse judicentur: et sacri ministri de iis perquirere tenentur. *S. C. de prop. fide.*—2.° Si parentes a fide defecerint, etsi unus tantum parentum fuerit fidelis; quia Ecclesia jus habet ad hos coërcendos; in praxi autem sæpe non expedit, ratione perturbationis orituræ, et periculi prolem non esse christiane instruendam:—3.° Si filii sint illico morituri; nam præter necessitatem, nullum est timendum periculum, modo secreto baptizari possint:—4.° Si unus parentum consentiat, etsi postea consilium immutet; jam enim Ecclesia jus acquisivit, etsi altero renuente:—5.° Si parentes sint nostra mancipia, vel si jure belli filii capti sint; nam tunc potius nostri juris sunt. Item si filius sit positus extra curam parentum; idem dic de filiis ab infidelibus expositis, vel derelictis, etiamsi parentes deinde eos repetant; tunc enim juri suo renuntiasse censentur. (*S. Lig., n.* 126, *et seq., Scavini, n.* 74, *cum communi*).

Secus si reluctentur parentes, maxime infideles, et filii in eorum potestate sint mansuri; nam, si ipsis tradantur, sacramento fit injuria; profanationi siquidem exponitur: si parentibus non tradantur, his injuria fit; nam *de jure naturali est, quod filius antequam habeat usum rationis sit sub cura patris*, ait Angelicus. Ita communiter Thomistæ contra Scotistas. Pro prima sententia adest S. C. O. Decretum 3 mart. 1703, S. C. C., 16 jul. 1639, *S. Lig., n.* 132. Tamen filios hæreticorum, aut apostatarum inter catholicos commorantes caute sæpe baptizare licet sine ullo discrimine; cum perversio non sit tunc adeo timenda. Aliunde filius ex iniquitate patris animæ suæ detrimentum pati non debet: ast sine Episcopi licentia casum non resolvat parochus, ob incommoda inde oritura. (*Gousset*). *V.* (*S. Lig., n.* 127).—Si proles, invitis parentibus, sit valide etsi illicite baptizata, Benedict. XIV, eam reddere parentibus prohibet ob præfata pericula; tamen in praxi hoc non semper sustinet lex civilis.

559. **Baptismus adultorum.** *Ubi commode fieri possit, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemnius conferatur; alioquin parochus ipse baptizet, statuta cœremonia.* (Ritual.) Etsi non præstet diu differre, ne tanto bono privetur baptizandus, tamen opus est eum instruere, ac rite disponere ad sacramenti reverentiam, et uberiores fructus percipiendos. Ad licite hoc sacramentum suscipiendum habere debent intentionem saltem habitualem, fidem, spem, propositum christiane vivendi, et saltem attritionem de suis peccatis, ut communius dicunt AA. cum *D. Thoma;* nisi propria culpa gravi careant. Valide confertur Baptisma etiamsi recipiatur per gravem metum, animo omnino non renuente. *Suar., S. Lig., n.* 139. Si

vero adultus, suscepto Baptismo, neget veram habuisse intentionem, non facile credatur; at si res in vero dubio remaneat, sub conditione erit baptizandus. Benedict. XIV, Instr. *Postremo.*

---

# CAPUT IV.

## De Baptismi cæremoniis, et effectibus.

560. Hæ cæremoniæ *sanctitate, antiquitate*, et *universitate* commendantur. —In tres partes dividuntur, scilicet: 1.ª est *patrini designatio;*—2.ª *nominis impositio;* 3.ª *exorcismorum applicatio.*

**Patrini designatio.** Patrinus a veteribus appellatur *susceptor, fidejussor, sponsor*, et est, quasi pater spiritualis, *qui baptizatum de sacro fonte levat, et in se ejus curam suscipit.* In solemni Baptismo unus saltem patrinus sub gravi adhiberi debet, sive vir, sive fœmina indiscriminatim sit; et sub gravi vetatur plures quam duos adhiberi; ne multiplicentur cognationes. Sic præscribit *Trid.*, *sess.* 24, *c.* 2 *de R.* Unde graviter peccaret parochus aliter agens. (*S. Lig.*, *n.* 154). Non requiritur patrinus in Baptismo privato, etsi laudabiliter adhibeatur; sed tunc non censetur eum spiritualem cognationem contrahere. (*S. Lig.*, *n.* 147 *et* 149).—Probabilius veniale non excedit adhibere duos mares, vel duas fœminas pro patrinis, modo diversi sexus ac infans non sint; alioquin multiplicarentur cognationes, quod Trid. præcavere voluit, et verius grave esset, juxta *Bon.*, *S. Lig.*, *n.* 155, *aliosque.*

**Ut aliquis valide patrinus esse possit** requiritur: 1.° ut usum rationis habeat, et ipse sit baptizatus;—2.° ut a parocho, vel a parentibus sit designatus;—3.° ut baptizatum per se, vel per procuratorem tangat dum baptizatur; —4.° ut animum habeat patrini munus gerendi. *(S. Lig.*, *n.* 146*).* Si quis filium unius suscipiat, putans esse filium alterius, probabilius cognationem contrahit, nisi expresse alterum excludat; nam ex se videtur suscipiens intentionem habere infantem præsentem suscipiendi. *S. Ligor.*, *n.* 152 contra *Sanch.*, *aliosque.*

**Valide sed illicite sunt patrini**: 1.° Abbas, monachus, monialis cujuslibet Ordinis;—2.° conjuges respectu conjugum, et parentes respectu filiorum suorum;—3.° omnes qui sunt pravis moribus, et perdita fama, ut infideles, hæretici, publice excommunicati, interdicti, publice criminosi, infames, amentes, atque fidei rudimenta ignorantes: ex *Rituali R.* Melius est baptizare sine patrinis, si necessitas cogat, quam hæreticos vocare: esset infantem tradere lupis (*Dens. Del Vecch.*, *n.* 230 *cum communi*).

*Quæritur an qui quocumque modo cooperatus, et specialim addictus fuerit legi* 29 *maji* 1855 *dictæ videlicet usurpationi ecclesiasticæ admitti possit ut patrinus in Baptismi aut Confirmationis sacramento?*—*S. Pœnitentiaria* 5 jul. 1866 respondit: *Non sufficere qualemcumque sententiam a jure vel ab homine generatim promulgatam ad personam vitandam, sed nominatim denuntiatam esse debere, præcipue scandalo et malo excluso.* Unde si ex denegatione gravia damna ipsi parocho, oppido, vel parœciæ prudenter timeri possint, non erit rejiciendus censura innodatus non vitandus (v. n. 974). Ast peccant qui apostatas, et hæreticos advocant pro suorum filiorum patrinis, et ii absolute prohibentur sive per se, sive per alios fungi officio patrini in baptismis, qui hæreticorum filiis ab hæreticis ministrantur. Ita *S. O. C.* 10 *maji* 1770.

Item in aliquibus diœcesibus prohibentur muti, impuberes; qui præcepto paschali non fecerunt satis, nondum confirmati, clerici, exteri, ignotique. *(Scavini n.* 85). Sed quoad præceptum paschale omittentes hodie prudentius admitti queunt, sive ob ingentem numerum omittentium, sive ob occasionem inde exurgentem ad meliorem frugem ipsos revocandi. *(Del-Vecchio* in Compendio, n. 457).

Audiatur nunc *A. Tarinus:* Curet parochus caute et prudenter agere, maxime nostris temporibus, ne excludat aliquem ab officio patrini, nisi sermo sit de persona evidenter a jure canonico exclusa, vel de publico peccatore, uti tali noto ab omnibus, præsertim si ex dejectione ortum haberent scandala, discordiæ, damna gravia parocho, vel suis parochianis. Exinde prudentia non erit repudiare aliquem, eo quod præceptum paschale non adimplevit, nisi hic habitualiter recessisset ab eo, ac ita in parœcia notus, vel ipse sese jactasset de præcepti violatione, aut de ejusdem contemptu. In dubio satius erit ad Ordinarium confugere, et ab eo in scriptis negativam consequi, ut si opus fuerit cum illis defendere se possit parochus.

Audiendus est etiam *Gousset:* Requiritur non parva prudentia ad peccatorem publicum repellendum. Parochus conquirere tenetur circa personæ electæ mores, ut hæc patrini munere fungatur: casu quo admittere eam nequeat, admoneat, ne ad cæremoniam compareat: si esset civiliter tantum conjugata, minime admittere eam potest parochus, nisi prius coram Ecclesia matrimonium celebrare consenserit, vel saltem coram duobus testibus promitteret sese disponere, et quanto citius nuptialem benedictionem recipere. Si jam cum infante ad ecclesiam venerint, et necesse sit patrinum monere, vel repellere, secreto et suaviter fiat, quin causam ostendat ad controversias impediendas: tamen si exinde puer solus in ecclesia relinquatur, modo unus adsit patrinus, tunc cæremoniam ac Baptismum perficiet parochus.—Cavendum est ne solemnitates pro spuriis, vel a matrimonio civiliter tantum contracto natis adhibeantur; nempe sonitus organi, et æris campani; quia iis indigni prorsus reputantur, ut respondit quoad substantiam *S. C. C.*, 31 *jul.* 1867.

561. **Patrinorum obligationes** sunt: 1.ª baptizandum sacro fonti præsentare, et pro eo respondere, si hic nequeat;—2.ª adimplere circa ipsum in parentum defectu, vel in casu necessitatis, officium magistri quoad fidem, mores, et doctrinam christianam. Ab hac obligatione solvuntur cum prudenter præsumere queant, quod baptizatus a parentibus, vel magistris diligenter instruatur (*S. Thom.*, *S. Lig.*, *n.* 147); quæ suppositio vix hodie locum habet ex *Gousset.*

562. **Nominis impositio.** *Curet parochus, ne obscœna, fabulosa, vel ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum, ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri possit, Sanctorum,* monet Rituale. Unde infert *Croix,* peccatum non esse nomen alicujus non Sancti imponere, cum hoc monitum sit, non præceptum: Constitutiones Tarraconenses imperiose Sanctorum nomina exigunt. Neque illicitum est nomen in Baptismo impositum propria auctoritate mutare: cum id nullibi vetitum inveniatur. Ex S. R. C., 20 sept. 1840, licet in Confirmatione, præter nomen baptismale, aliud Sancti imponere. Nomen designatur a parentibus, vel patrinis, et in eorum defectu a parocho. –Interrogationes in Baptismi collatione facere non licet lingua vernacula, neque vernacule iterare etiam postquam latine factæ sunt, ex *S. R. C.*, 12 *sept.* 1847, 12 *aug.* 1854, *et* 31 *aug.* 1867.—Si dubitetur, an sit vir vel fœmina, et urgeat mortis periculum, sine nomine baptizari potest. *(Croix, n.* 330, *Scavini, n.* 84*).* Permittitur usus stolæ violaceæ ex una parte, albæ ex altera. *S. R. C.* 26 *mart.* 1859.

563. III. **Exorcismorum applicatio.** Huc venit *abrenuntiatio satanæ; fidei professio; olei sancti, ac olei chrismatis unctio; cerei accensi traditio; impositio vestis albæ* cum debitæ formæ prolatione, cæteræque cæremoniæ. Cæterum cæremonias negligere in notabili parte mortale est. Imo communiter putant, seclusa necessitate, mortale esse: 1.° solemniter baptizare sine patrinis, aut admittere patrinos non designatos, vel extra ecclesiam;—2.° in aqua non consecrata;—3.° sine chrismatis, aut olei catechumenorum unctione;—4.° vel cum chrismate, et oleo alterius anni consecrato, si recens haberi possit; non autem olea consecranda, etsi deceat, ultimi anni esse debent. *(S. R. C., 22 mart.* 1862).

Verum ex *S. R. C.*, 19 *sept.* 1859, omitti non debet chrismatis et olei unctio, eo quod recens non adhuc haberi potuit, nec eorum defectus est ratio differendi Baptisma, etsi ad breve tempus. Imo in tali defectu etiam suo tempore benedictio fontis baptismalis fieri debet cum chrismate et oleo præcedentis anni, non autem differri. *(Scavini, n.* 82, *et S. R. C.*, 19 *sept.* 1859, *apud Gury, n.* 254*)*.—Si aqua sit defactura intra annum, aqua non benedicta minori in quantitate permisceatur; si autem prorsus deficiat, a proximiori parœcia, vel ab alia poscatur. Cum renovatur fons, quidquid præcedentis anni superest, in baptisterio, vel sacrario effundendum est. Sacrarium, seu fovea, habeatur ad hanc aquam mittendam, et eam in qua lavantur corporalia et purificatoria.

Si Baptismus solemniter collatus sit nullus, communius non sunt repetendæ cæremoniæ. *(Suarez)*. Sed melius erit eas iterare. (*S. Antoninus, Scavani, S. Lig., n.* 144).—Si puer domi fuerit baptizatus ob necessitatem, ad ecclesiam dein est deferendus, ut omissa sub gravi suppleantur, (*Scavini, n.* 83.) quod moris non est in hæreticis conversis; ne plebs putet nos eorum Baptismum improbare (*Lagm., n.* 10).—Si supplendæ sint cæremoniæ super adultum valide a catholico baptizatum, cæremoniæ, quæ pro infantium Baptismo assignantur, sunt adhibendæ; si vero sint supplendæ super adultum ab hæretico baptizatum, servandæ sunt pro adultorum Baptismo assignatæ, ex *S. R. C.*, 27 *aug.* 1836.—Si sacerdos in necessitate extra ecclesiam baptizat, omittere debet omnes cæremonias, quæ Baptismum præcedunt; quæ sequuntur, adhibere, si possit; secus, ut supra, in ecclesia postea suppleantur. (*S. R. C.*, 22 *sept.* 1820). *Herdt.*—Post Baptismum adnotet parochus de vice in vicem sine mora annum, diem et horam nativitatis; si Baptismus sit collatus sub conditione, vel sine cæremoniis; vel utrum infans sit expositus, etc. Ita *Rit. Rom.* Multi enim de mortali eum damnant, si hæc negligat. (*Scavini, n.* 86).

# DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

## CAPUT I.

### De natura, materia, et forma Confirmationis.

564. **Confirmatio** definitur: *Sacramentum a Christo institutum, quo per manus impositionem, et chrismatis in fronte unctionem, sub præscripta verborum forma, baptizato datur Spiritus Sanctus ad fidem intre-*

*pide profitendam.* De fide est contra lutheranos, et calvinistas a Trid. definitum, Confirmationem verum esse sacramentum a Baptismo distinctum: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum, et proprium sacramentum...; anathema sit.* (Sess. 7, c. 1, de Conf.). — Et Eugenius IV in decreto fidei ait: *Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide.*—Evincitur etiam ex S. Scriptura: *Cum autem audissent Apostoli,... quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum S.* (Act. VIII).—Accedit perpetuus, ac universalis consensus omnium Ecclesiarum, ac SS. PP. — Firmat ratio. Continet omnia ad sacramentum necessaria: 1.° adest signum sensibile in manuum impositione: *Imponebant manus super illos;*—2.° divinæ gratiæ collatio: *et accipiebant Spiritum S.;*—3.° divina institutio; cum ritus externus a sola Dei institutione hanc vim habere queat. (V. n. 501).

Probabilius dicunt, eo temporis intervallo Confirmationem fuisse institutam, quod a Resurrectione ad Ascensionem fluxit. *Iis diebus*, ait Leo Magnus, *magna confirmata sunt sacramenta, magna revelata sunt mysteria.* (Serm. de Asc. Dom.) *Scavini, n.* 89. Item probabilius *juxta aliquos* in nocte Cœnæ fuit institutum, ut expresse docet S. Fabianus Papa: *Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis, et lavit eorum pedes (sicut a sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt), chrisma conficere docuit.* Et ob hanc causam forsan in Cœna Domini chrisma consecratur.

565. **Materia remota Confirmationis** est chrisma ex oleo olivarum, et balsamo confectum, ab Episcopo benedictum. *(Ita communiter cum Angelico, 3 p., q.* 72, *a.* 2). Constat ex decreto Con. Florent. *de sacramentis.* Hinc 1.° oleum olivarum est de necessitate sacramenti; cum enim simpliciter oleum dicitur, illud semper intelligitur;—2.° item balsamum de necessitate præcepti Ecclesiæ, et *probabilius, ac communius cum D. Thom., et Catech. R.*, etiam de necessitate sacramenti; nam Eugenius IV ad *Armenos* docet Confirmationis materiam esse *chrisma ex oleo et balsamo confectum; Bellarminus* refert S. Clementem jam mentionem fecisse *fragantiæ odoris chrismatis;*—3.° chrisma de necessitate sacramenti benedicendum est, ut probat constans traditio, et probabilius, ac communius ab Episcopo. Eugenius IV materiam Confirmationis dicit *chrisma ab Episcopo benedictum.* Tamen sicut Papa chrismandi facultatem committere potest simplici sacerdoti, ita pariter videtur posse eidem committere ipsam chrismatis benedictionem, ut satis probabiliter dicunt AA.; sed quia agitur de valore sacramenti, pars tutior est sequenda citra necessitatis casum; sic, fatente Benedict. XIV, in necessitate erit sub conditione conferenda Confirmatio, etiam oleo solo sine balsamo permixto. (*S. Lig., n.* 162).—Etsi non requiritur de necessitate sacramenti, chrisma ex gravi Ecclesiæ præcepto feria V in Cœna Domini est benedicendum. Sub gravi prohibetur uti chrismate anni elapsi. In hac re solus Papa dispensat, ut docet Benedict. XIV, Const. *Cum ab anno,* 1741. (*Scavini, n.* 91).

566. **Materia proxima Confirmationis** probabilius, et communius est ipsa chrismatis unctio, quam agit Episcopus in confirmandi fronte, et simultanea illa manus impositio super chrismandum, dum dicit: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis,* etc. Constat ex declaratione Benedict. XIV Epist. Encycl. *Ex quo primum,* 1 mart. 1756, data ad Episco-

pos ritus græci, ubi sic habet: *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur; nimirum in Ecclesia latina Confirmationis sacramentum conferri, adhibito sacro chrismate sive oleo olivarum balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister formæ verba profert.* Ex his apparet ad nil requiri generalem manuum impositionem quoad essentiam. (*Gury, Scavini, S. Lig., n.* 164). Confirmat praxis Ecclesiæ, quæ semper tenuit chrismatis unctionem cum simultanea manuum impositione materiam esse hujus sacramenti; non vero primam manuum tantum impositionem super omnes factam; nam *S. C. de propaganda Fide*, 6 *aug*. 1840, declaravit: Non esse repetendam neque sub conditione Confirmationem, si illa prima manuum impositio omissa fuerit. (*Scavini, n.* 92).

Unctio de necessitate præcepti et sacramenti in fronte facienda est; imo et in forma Crucis, ut verba formæ verificentur. Ita communiter, et constat ex praxi Ecclesiæ, ex *Sacramentario* Greg. Magni, et ex decreto Eug. IV ad *Armenos*.—Negat *Scavini, n.* 92, posse Episcopum unctionem facere ope penicilli, seu alterius instrumenti; quia deficeret immediata manus impositio, quæ necessario requiritur; et advertere debet Episcopus, addit, ne chrisma in pollice deficiat.—Si Episcopus infirmum habet pollicem dexteræ manus, licite unctiones peragere poterit alio digito, etiam pollice sinistræ manus; sed si id agat sine causa, communius dicunt graviter peccare: alii vero probabilius venialiter peccare docent; cum non videatur gravis inordinatio. (*Scavini, n.* 94, *S. Lig., l.* 6, *n.* 165).

567. **Forma Confirmationis** juxta communem ac sequendam sententiam consistit in istis verbis, quæ ab Episcopo latino proferuntur actu, quo dictam unctionem operatur: *Signo te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ita *S. Thom., Catechismus R.*, et decretum Eugenii IV ad *Armenos*.—Ad essentiam pertinent verba *signo*, vel *confirmo* (si diceretur *corroboro*, mutatio esset accidentalis) *te signo crucis; chrismate salutis;* expressio *Trinitatis.* (*Ita communiter cum Angelico, 3 p., q. 72, a. 4, S. Lig., n.* 168).—Communiter dicunt valere formam apud græcos usitatam: *Signaculum doni Spiritus Sancti* (prævia SS. Trinitatis invocatione), ubi juxta illius linguæ genus subintelligitur, *datur tibi*; secus dicendum foret græcos sacramentum Confirmationis non habere, quod durum esset. Constat ex Epist. Encycl. Benedict. XIV, *Ex quo primum*, et ex declaratione Urbani VIII.

# CAPUT II.

## De ministro, subjecto, et necessitate Confirmationis.

568. **Minister Confirmationis** est solus Episcopus: de fide est, ut declaravit Innocent. III, et definivit Trid., sess. 7, c. 3: *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit.* Sed non dicit an jure divino, vel ecclesiastico solum esse Episcopum; et sic hoc inter DD. controvertitur.—*Minister extraordinarius, ex speciali Papæ delegatione*, est simplex sacerdos, modo utatur chrismate ab Episcopo benedicto. Constat ex decreto ad *Armenos*, ex praxi Ecclesiæ, et ex Bulla Benedict. XIV, *Eo quamvis tempore*, qui indulsit, ut cophtis sacerdotes misionarii in necessitate Con-

firmationem darent; et ex concessione S. Greg. Magni.—Episcopus valide, etsi illicite, non subditos confirmare potest sine Ordinarii licentia; quia Confirmatio est actus ordinis et jurisdictionis fori externi; unde graviter peccat confirmando etiam suos subditos in aliena diœcesi absque illius loci Ordinarii voluntate, et ipso jure incurrit suspensionem a Pontificalibus, ex Trid., sess. 6, c. 5, de R. Potest tamen extraneos confirmare in sua, eo modo, quo etiam absolvere alienos pœnitentes; quia nisi aliter constet, semper præsumitur tacitus consensus aliorum Episcoporum; et talis est praxis. Ita *probabilius, et communius Gury, n.* 268, *S. Lig., n.* 173.

**Episcopus confirmare tenetur:** 1.° Subditos petentes, quoties commode possit, si ad aliud proximum tempus differre nequeat.—2.° Aliquoties opportunitatem suis subditis præbere tenetur hoc sacramentum suscipiendi. Graviter peccaret, si longo tempore id differret; v. gr. per octo. aut decem annos; nec diœcesim circumiret, saltem per præcipua loca, nisi morali impossibilitate excusetur. (*Gury, S. Lig., n.* 175, *cum communi).*—3.° Probabiliter saltem graviter non peccat Episcopus moribundum confirmare omittens, aut peste laborantes; non est quippe sacramentum ad salutem necessarium, et excusat incommoditas: id confirmat communis praxis, licet præstat imitari S. Carolum, qui etiam illis tribuit. (*Gury, S. Lig., n.* 125).

*Hoc sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora, et loco ex causa ad arbitrium Episcopi.* (Ita *Pontificale).* Jejunium tam in confirmante, quam in confirmato, de quo in jure canonico habetur, hodie est tantum de consilio. Invaluit usus hoc sacramentum conferendi etiam tempore vespertino, ac non jejunis. (*S. Ligor., n.* 184).— Præscribit *Pontificale*, ut Episcopus amictum super rochettum induat (vel superpelliceum, si sit religiosus) ac stolam; pluviali albi coloris, mitra, et baculo utatur.—At *S. C. de propaganda fide* declaravit sufficere quod Episcopus sola stola adhibita super rochettum (vel superpelliceum, si religiosus), confirmet, ait *Del-Vecchio in comp., n.* 479, cum *S. Lig., n.* 184.

569. **Subjectum Confirmationis** est *omnis et solus homo viator baptizatus, et nondum confirmatus, quamvis rationis usu careat*, uti mos fuit in latina Ecclesia usque ad sæculum XIII, et nunc etiam est in Hispania, et apud Græcos, infantes, et amentes confirmandi, ut *in Resurrectione* (hi) *perfecti appareant.* (Ita *S. Thom., p.* 3, *q.* 72, *a.* 8 *ad* 4). —Verum *maxime convenit sacramentum iis* (pueris), *differre usque ad annum septimum*, ex Catec. Rom., et Pontific., ut uberior fructus percipiatur. (*S. Lig., n.* 180).

Q. *An sit obligatio sacramentum Confirmationis suscipiendi?*

R. 1.° Necessarium non est *necessitate medii;* nam per sola alia sacramenta (uti per Baptismum, et Pœnitentiam) etiam vita æterna obtinetur.— 2.° Controvertitur an sub gravi omnes fideles hoc sacramentum suscipere teneantur. *Alii* cum *SS. Antonin., et Bona-Ventura* affirmant ex præcepto naturali, divino, et ecclesiastico, quod expresse nullibi invenitur. *Alii* vero multo *communius* cum *D. Thoma, Scavini, n.* 90, sub levi obligant, nisi ratione scandali, vel gravis proprii periculi; nam ad superandas tentationes plura alia sunt media.—Quod clarius apparet, deducitur ex Bulla Benedict. XIV, *Etsi pastoralis*, ubi ait: *Eos gravis peccati reos teneri, si cum possunt, ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt:* sed quia *Scavini, Gury, Ballerini, n.* 270, *aliique*, de græcis invalide confirmatis, qui primam ut validam habebant, id esse dictum, interpretantur, quæstionem sapientibus remittimus; asserendo quod in praxi omnes sunt fortiter adhortandi ad sacramentum hoc suscipiendum; et nemini generatim sub gravi obligatio est imponenda.

570. **Dispositiones in confirmandis requisitæ.** In *infantibus* sufficit

Baptismum suscepisse.—In *adultis* requiritur ad *validitatem* intentio saltem interpretativa: ad *liceitatem* requiritur: 1.° status gratiæ; unde septennes confiteri ante expedit;—2.° scire fidei rudimenta, et ea, quæ ad Pœnitentiæ, et Confirmationis sacramenta spectant. *Ita communiter* cum Benedict. XIV, qui Coust. *Etsi*, prohibet confirmare eos, qui parum sunt instructi in doctrina christiana. Parochi ergo esse debet illos disponere tempore opportuno. *(Del-Vecchio)*.—Mos est ut nullus confirmetur, quin schedulam a parocho subsignatam exhibeat. In dubio, etsi sub conditione quis confirmari valeat, non tamen tenetur, si vere probabiliter credat esse confirmatum. *(Gury, n.* 270).

571. **Cæremoniæ Confirmationis** sunt: 1.° Unius patrini sub gravi designatio (si fieri potest), viri pro pueris, et fœminæ pro puellis juxta *Pontificale*, et praxim Ecclesiæ (alia seclusa consuetudine) a parentibus facta, et in defectu, ab Episcopo; et quidem sub gravi requiritur, ut sit jam confirmatus, et diversus a patrino baptismi, nisi aliqua adsit causa in contrarium. *(Scavini, n.* 98).—2.° Patrinus alicubi manum dexteram super dextrum humerum confirmandi ponit: *Quod sic sufficere* respondit *S. R. C.*, 20 *sept.* 1749.—3.° Patrinus esse nequit regularis, nisi persona confirmanda esset pariter regularis; neque publicus censuratus, vel gravioribus criminibus illaqueatus, aut fidei rudimenta ignorans ex *Pontificali*.— 4.° *Alapa* comitatur leviter inflicta in confirmati maxilla, ut Confirmationis recordetur, ac præsertim ut sciat paratum esse debere ad omnia fortiter pro Christo toleranda, quam, scandalo secluso, omittere grave non est.—5.° Abstergitur ab aliquo sacerdote frons confirmati gossipio postea comburendo.—6.° Sequitur communis benedictio ab Episcopo impertita; quæ cum simplex sit cæremonia, obligare non videtur, facta admonitione, ne ante illam ab Ecclesia discedatur. (Ita *communiter cum Tamburini*). Imo illam admonitionem esse omittendam docent *Pal.*, *et Laym.*, si magnus sit populi concursus, ut aliis fiat locus. *(S. Lig., n.* 188).—7.° Locus proprius est ecclesia; sed probabilius grave non est extra ipsam confirmare, cum nullibi appareat gravis irreverentia; quælibet levis causa ab omni peccato excusare videtur. *(Scavini, n* 233).—8.° Adnotare in libro ad hoc oportet confirmatos, tum ut parochus sciat quinam non sunt confirmati, tum ut dein attestationes facere valeat.

572. **Effectus Confirmationis** sunt: 1.° gratia sanctificans;—2.° gratia sacramentalis;—3.° character, ut patet ex dictis de sacramentis in genere;—4.° cognatio spiritualis ex jure ecclesiastico.—Tamen per accidens ex doctrina *Angelici* primam gratiam conferre valet; ut si quis in mortali existens bona fide, seu contritionem habere credens, attritus Confirmationem accipiat.

---

# DE EUCHARISTIA.

Eucharistia dupliciter considerari potest; in fieri, et in facto esse; seu in actu conversionis specierum, et ut corpus, et sanguis Christi jam sub illis continentur: item: 1.° ut est sacramentum, quod homines sanctificat;—2.° ut est sacrificium, quod Deum colit, et placat.—Denominatur etiam *Eulogia*, id est benedictio, *Pascha*, *Synaxis*, id est collectio; quia multi convenire solent fideles ad sacrificium, ut participes fiant corporis Domini.

# I.—DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO.

## CAPUT I.

### De natura, et institutione Eucharistiæ.

573. **Eucharistiæ sacramentum** definitur: *Sacramentum a Christo D. N. institutum ad spiritualem animæ refectionem, in qua corpus, et sanguis Christi vere, realiter, et substantialiter sub speciebus panis, et vini continentur.*—*Eucharistia est verum sacramentum* continens vere, et realiter præsens corpus, animam, et divinitatem Christi. Constat 1.°: quia adest signum sensibile per species panis, et vini: —2.° quia vim habet gratiam conferendi. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam... Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Joan. VI):—3.° quia adest divina institutio. Constat ex verbis promissionis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* (Joan. VI).—Item ex verbis institutionis: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate: hoc est corpus meum.* (I Cor. c. XI, Matth., XXVI).—Item ex definitione Trid., sess. 13, c. 1: *Si quis negaverit, in SS. Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem una cum anima, et divinitate D. N. J. Christi, ac proinde totum Christum..., anathema sit.* Accedit constans traditio, consensus Patrum, et omnium fidelium persuasio.

**Eucharistia consistit in re permanente**, et non in usu, vel sumptione. Constat 1.° ex ipsa institutione; nam Christus prius consecratoria verba protulit, et consecravit; ac dein sub speciebus permanens ad manducandum suum corpus, et ad bibendum suum sanguinem Apostolis porrexit:—2.° ex traditione, et perpetua Ecclesiæ praxi: ab ipso Apostolorum tempore Eucharistia domi servabatur, ad absentes, et ægrotos deferebatur:—3.° ex Trid. definitione: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus, et sanguinem D. N. J. C., sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante, vel post; et in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.* (Sess. 13, c. 4). Id suadet ratio: nam Eucharistia tanquam cibus fuit instituta; et cibus independenter ab ejus usu natura sua existit.

574. **Transubstantiatio** est *vera conversio totius substantiæ panis, et vini in corpus, et sanguinem Christi; ita ut, peracta consecratione, nil de pane, et vino remaneat, solis speciebus exceptis.* Constat hæc 1.° ex illis Christi verbis: *Hoc est corpus meum;* quod verum non esset, remanente panis substantia simul cum Christi corpore:—2.° ex traditione:—3.° ex definitione Ecclesiæ, præcipue ex Trid., sess. 13, c. 2, ubi sic habet: *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, et vini una cum corpore, et sanguine D. N. J. C.; negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime* transubstantiationem *appellat; anathema sit.*—Et quid dedit Christus discipulis suis ad manducandum, nisi corpus pro ipsis tradendum? (I Cor. XI). Christus verum suum corpus morti tradidit; ergo...

Q. *An totus Christus sub utraque specie, vel in qualibet utriusque speciei parte contineatur?*

R. Christus totus in utraque, et in qualibet etsi minima speciei parte continetur, saltem *separatione facta;* cum enim corpus Christi sit vivum, omnes ejus partes vi naturalis concomitantiæ inseparabiles sunt; nam *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* (Rom. VI). Divinitas eodem modo subsistit propter admirabilem unionem hypostaticam, qua corpus, et anima personæ Verbi conjunguntur.—Constat ex Trid., sess. 13, c. 3: *Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.*—Item ex Decreto Con. Florent. ad *Armenos.* Corpus Christi est sub unaquaque specie eo modo, quo anima est in corpore, ut tenent *D. Thom., Suar.*, etc. Dicitur *separatione facta;* nam de fide non est ante divisionem totum Christum sub singulis specierum partibus etiam contineri; licet omnino certum videatur; quia fractio efficere nequit, ut Christus totus sit, ubi antea totus non erat. (*Del Vecchio, n.* 110).

575. Q. *Quandiu Christus manet realiter præsens in Eucharistia?*

R. Quandiu integræ remanent species; et desinit sub eis esse, quando ita corrumpuntur, ut juxta hominum æstimationem panis, et vinum esse non videantur; quod a diversa diversorum hominum virtute digestiva est repetendum, ac eorum diversis circumstantiis: dicere cum *Lugo* post unum minutum in laico; in sacerdote postquam vestibus sacris est exutus, vel post quinque *Pater* et *Ave*, aut medium quadrantem, ut opinant plurimi *AA.*, est rem ignotam asserere. *Nec raro contigisse scimus,* ait *Ballerini, n.* 273, *ut concitato vomitu post longius spatium, semihoræ, v. gr., aut etiam horæ, sacramentales species tantum non integræ redditæ fuerint.*—Diutius requiritur tempus in Sacerdote, qui in Missa sub utraque specie, et cum Hostia majori communicat, quam in laico. (*Gury, S. Lig., n.* 474). In dubio tenendum est species non esse corruptas. (*Croix, S. Lig., n.* 424).

Q. *An Eucharistia sit unum, vel duplex sacramentum?*

R. Est unicum sacramentum; nam licet adsint plura signa, seu species physice distinctæ, ordinantur tamen ad unam specie refectionem spiritualem, et gratiam conferendam. (*S. Thom., p.* 3. *q.* 73, *a.* 2, *S. Lig., n.* 191, *et* 199). Tamen si physice spectetur Eucharistia, nil obstat, quod numero plurali species sacramentales sacramenta appellentur. Sic in sacra Liturgia habetur: v. gr. *Purificent nos sacramenta, quæ sumpsimus.* (*S. Lig., n.* 190).

576. **Eucharistiæ institutio.** Immediate Christus Eucharistiam instituit in ultima Cœna, quam cum Apostolis celebravit pridie quam pateretur. *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis. et ait: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum.* (Matth. XXVI).—Christum Eucharistiam in ultima cœna instituisse, et quidem Feria V, commune est, et constat: 1.° ex S. Scriptura. Sane Matth. XXVI habetur, Christum ab Apostolis fuisse interrogatum, *ubi* vellet parari sibi *comedere Pascha;* et ipso imperante, *paraverunt.* Jesus discubuit cum discipulis: et Marc., c. XIV, dicitur, Christum *primo die Azymorum quando Pascha immolabant* (Judæi), fecisse Pascha cum discipulis suis; atqui hæc dies erat luna 14.ª, et quidem Feria V sub vesperis, ut patet ex Levit., c. XXIII. Ergo... 2.° ex Joan., XIX, ubi ait: *Judæi ergo (quoniam Parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora Sabbato... rogaverunt Pilatum.* Si ergo Feria VI Christus fuit occisus, Feria V Eucharistiam instituit; nam *pridie quam pateretur* ipsam instituit:—3.° ex Trid.; nam sess. 22, c. 1, legitur, quod Christus,

*celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabant, novum instituit Pascha.*

577. Q. *Quid si Apostoli statim post Christi mortem consecrassent?*

R. In triduo Christi mortis si quis Apostolorum consecrasset, corpus fuisset sub specie panis sine sanguine, et anima; similiter sub specie vini fuisset sanguis sine corpore, et anima, sicut erat in rei veritate. Quod si species panis fuisset conservata post Resurrectionem, fuisset sub illa specie sanguis, et anima ratione connexionis, quam habuissent cum corpore vivo; tale enim est substantialiter corpus Christi in hoc sacramento, quale est in rerum natura. (*Bill., S. Thom., 3 p., q.* 81, *a.* 4. *Scavini, n.* 110).

# CAPUT II.

## De materia, et forma Eucharistiæ.

578. I. **Materia remota Eucharistiæ** est panis, et vinum. Constat de fide: 1.° ex S. Scriptura, ex ipsa institutione, et ex hujusmodi facultatis Apostolis concessione; nam Christus panem, et vinum adhibuit, idque Apostolis facere imperavit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. XXII): —2.° ex definitione Later., c. *Firmiter*, ex Flor. in decreto ad *Armenos*, et ex Trid., sess. 13: —3.° ex perpetua traditione, et praxi utriusque Ecclesiæ latinæ, et græcæ.

II. *Panis triticeus esse debet ad Eucharistiæ validitatem cum aqua naturali confectus, et vinum de vite*, ut ex communi verborum acceptione sensus præsefert. *De fide est*, ait *Scavini, n.* 124. Constat ex Conc. Flor.: *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite.* Id sustinetur ex perpetua traditione, et universali Ecclesiæ praxi. Hinc invalida materia est 1.° panis ex oryza, milio indico, hordeo, amylo, phaseolis, fabis, pisis, lentibus, nucibus, avena, panico, castaneis, amygdalis, et similibus rebus præparatus; non est quidem panis triticeus, neque usualis: —2.° massa triticea cruda, vel frixa sine aqua; vel panis triticeus alio liquore, aut butyro, lacte, ovis confectus; quia non est panis usualis:—3.° hostiæ rubræ alteriusve coloris non naturalis; nam per admixtionem cinnabaris, alteriusve materiæ notabiliter alterantur. Sed *modica permixtio non solvit speciem; quia id quod est modicum, quodammodo assumitur a plurimo* (ait *Angelicus*, 3 *p., q.* 74, *a.* 3 *ad* 3):—4.° panis ex siligine, et ex farre (spelta) probabilius, et communius est materia invalida; communiter quippe a divitibus adhiberi non solet: in praxi ergo illicita omnino est. (*Scavini, n.* 124, *S. Lig., n.* 200).

III. *Ad liceitatem requiritur sub gravi panis azymus penes latinos, et fermentatus penes græcos*, etsi uterque validus est. *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem.* Conc. Florent, in *Decreto unionis.* Si vero latinus, vel græcus sacerdos transeat per loca ubi deest ecclesia sui ritus, communiter, et probabilisime docent *Suar., Antoine, Tour., Scavini, n.* 247, cuilibet fas esse ritum servare prout libuerit; nam quisque se conformare potest loco ubi degit. Bulla *Etsi pastoralis* Bened. XIV, 1742, aliter

statuens, intelligitur, si celebretur in loco proprii domicilii : tunc probabilius neque ad Viaticum administrandum licet; cum id non sit ægro simpliciter necessarium. —Christus in azymo consecravit ; sane Eucharistiam instituit prima die azymorum (*Matth.* xxvi), quando judæis domi conservare aliquod frustulum fermentati non licebat; ergo latini perfectius agunt quam græci.

579. **Vinum.** Solum vinum de vite est materia ad Eucharistiam apta. De fide est ex decreto ad *Armenos ;* et *generatio,* seu *genimen vitis* vocatur liquor, quo ad hanc institutionem usus est Christus. Id confirmat Ecclesiæ praxis, ac constans traditio. Unde :

**Est invalida materia** 1.° liquor quilibet ex aliis fructibus expressus ; quia vinum de vite non est : — 2.° succus ex uvis omnino acerbis ; cum sit tantum via ad vinum :—3.° vinum in pane imbibitum ; non enim est potus ; vel ad dimidiam, aut tertiam partem decoctum *(Scavini) ;* seu per decoctionem ita imminutum, ut julapium sit, non vinum : minime autem vetatur aliquantisper ebullire illud facere ob quemcumque finem ; in communi siquidem acceptione, ac in rei veritate vinum permanet, modo spiritus non extrahatur ; quod, uti compertum est, non extrahitur ebulliendo modo, quo fit vinum *album* sic vocatum. Non vero satius est vinum mellifluum adhibere, aut valde veter ; quia non parum Christi sanguinis in calice, et purificatorio remanet inhonoratum : — 4.° spiritus vini, cum proprie vinum non sit:—5.° vinum acre, seu acetum, vel vappa, seu adeo dissipatum, ut amplius virtutem vini non habeat.

**Erit materia apta, sed graviter illicita,** 1.° vinum aromatibus simpliciter conditum ; nisi tanta sit alteratio, ut in communi æstimatione vinum non amplius censeatur :—2.° mustum, nisi in necessitate adhibeatur, ob fæces, quas secum permixtas habet. Hinc Julius Papa : *Si necesse fuerit, botrus in calice exprimatur;* nam species vini habet :—3.° vinum acescens, si incipiat corrumpi ; quia etiam sic gravis irreverentia sacramento irrogari videtur. *(Ita communiter cum Gury, n.* 279. *S. Lig., n.* 207). *Rubrica, tit.* 4, *n.* 2, vero sic habet: *Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre.... conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat.*—At si haberet aliquod tantum initium acrimoniæ, et aliud vinum substitui non possit, nonnisi levis esset deordinatio: et ita ajunt accipiendam esse Rubricam Missalis. *(Scav., n.* 126). —*Spor., Croix, S. Lig. et alii* probabiliter dicunt quod, deficiente alio vino, licet, ut solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens, sive non notabiliter acidum.— *Vix reipsa cum his cohærere præcedentia videntur* (ait *Ballerini); nam si probabiliter licet adhibere vinum paulisper acescens, quomodo gravis culpæ reus est quisquis vinum adhibet, quod incipit acescere?*

Qui vero post consecrationem rationabiliter dubitat, an vinum fuerit acidum, aliud legitimum consecrare debet sub conditione ; nam periculum relinquendi sacramentum mutilum est justa causa sic repetendi consecrationem, cum integritas Sacrificii sit de jure divino. Illud autem de quo dubitatur, an sit consecratum, ante purificationem sumatur. *(Scavini).*—Vinum congelatum, si resolvatur, adhiberi poterit; cum vini naturam habeat: secus erit graviter prohibitum ob sacramenti reverentiam, quamvis verius sit materia *de se* apta. Ait Rubrica: *Si sanguis congeletur, involvatur calix pannis calefactis... donec liquefiat.* Unde contraria *Concinæ* opinio non pollet solida probabilitate. (*S. Lig., n.* 207).

580. **Aqua vino in calice miscenda** est, saltem ex gravi Ecclesiæ præcepto, non de necessitate sacramenti : unde, si fuerit omissa, non amplius post consecrationem est injicienda. *Si quis dixerit,... aquam non*

*miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.* (Trid., sess. 22, c. 9). Christus D. ita fecisse creditur, eo quod, ut quidam dicunt, tunc talis erat usus vinum bibendi; et quia sic commemoratur quod ex Christi latere aqua simul cum sanguine exivit. *(Trid., sess.* 22, *c.* 7 *et* 8). Hæc mixtio naturalis aquæ, non vero rosaceæ, vel artificialis, sub gravi fieri debet: 1.° in ipso Sacro, et in ipso calice, qui ad Eucharistiæ consecrationem adhibetur:—2.° in modicissima quantitate; id est, injiciantur tres, vel quatuor guttulæ, et generatim non excedat octo, vel decem. *(Scavini, n.* 127, *Gury, n.* 280, *S. Lig., n.* 210). Aliqui probabiliter dicunt sine scrupulo posse immitti aquam usque ad octavam vini partem; *alii* usque ad quintam. Si casu nimium aquæ ceciderit, aliquid vini est addendum. *(S. Lig., n.* 208).

Sufficit unam guttulam aquæ infundere, ut pro certo habet *Suarez* contra *Habert;* quia Rubrica ait *parum aquæ*; et Eugenius IV *aqua modicissima.*

Quamvis non sit de fide, est certo tenendum, aquam illam in sanguinem converti; nam Trid. ait, post consecrationem solas species panis, et vini remanere; secus particula demonstrativa *hic* non demonstraret totum, quod est in calice. Probabilius videtur, quod aqua vino mixta fit quid unum; et sic prius convertitur in vinum usuale, postea in sanguinem; quia non convertitur in sanguinem nisi materia consecrabilis; hæc autem ex Florent. et Trid. est *solum vinum*; ergo... Inconsulte agunt qui in caupona vinum ad Missæ sacrificium emunt, ob periculum commixtionis sive aquæ, sive spiritus vini, sive alterius compositionis, ut non raro evenit. Insuper circa sacristas, ac pueros ministros non parum est invigilandum, ne vinum bibant, et deinde aquam infundant, quod aliquoties accidit; tutius erit illud clausum habere.

581. **Materia proxima consecrationis**: quoad validitatem requiritur 1.° ut sit physice præsens: aliter per pronomen demonstrativum *hoc, hic,* demonstraretur præsens id, quod non esset præsens; requiritur ergo conjunctio physica materiæ cum forma.—Unde materia non valde a celebrante distare potest, ut sensu aliquo ipsam percipiat; nam id vere præsens censetur, quod humano modo demonstrari valet, sive in individuo, sive in alio contentum, v. gr. particulæ in vase, vel phyxide inclusæ, sive in cumulo contentæ, etsi velo, palla, vel quovis modo tectæ. *Gury, S. Lig. n.* 212. Aliter dicendum de hostia post parietem, vel in tabernaculo, vel extra sensus posita; vel si materia ita parva sit, ut percipi nequeat; demonstrari sane non posset per pronomen *hoc, hic,* nec esset signum ibi sensibile:—2.° ut per Ministri intentionem in individuo sit determinata; cum enim forma sit demonstrativa, exigit determinationem rei demonstratæ; secus minister non consecraret ex intentionis defectu. Non requiritur tamen intentio determinativa *actualis,* sed sufficit *virtualis. (Gury, Scavini, S. Lig., n.* 211 *et* 214). Hinc:

1.° Qui habet coram se undecim hostias, et consecrare non vult nisi decem, non eas determinando, ex Rubrica non consecrat.—2.° Si autem post consecrationem advertat sacerdos duas esse hostias, licet unam putaret, ambas sumat; porro ambæ sunt consecratæ; nam semper prævalet absoluta intentio consecrandi materiam sibi præsentem, abstractione seclusa.—3.° Si autem id evenerit post offertorium, unam reponat, quam dein sumat, uti panem benedictum.—4.° Tum ex Rubrica, tum ad omnes angores tollendos (loquendo de pane), oportet, ut sacerdos materiam consecrandam illico super corporale ponat, etiam ciborium, et hæc una sit illius intentio consecrandi materiam intra corporale positam, quin numerum designet.—5.° Si particulæ non

consecratæ consecratis misceantur, totus cumulus, sub intentione consecrandi non consecratas, consecretur (*Scavini, n.* 128); vel potius totum cumulum consecret sacerdos sub conditione, si non sint consecratæ, ut valide consecrentur; aliter in consecrando hostias non consecratas deficit quidem vera determinatio materiæ. (Ita *S. Lig., n.* 216). Sed parum differri videtur utraque opinio quoad terminum intentionis.

582. Ad licitam consecrationem requiritur: I. *Ut sacerdos Missalis Rubricas omnino servet,* materia consecranda sit decens, et munda ob reverentiam sacramento debitam: et curandum ut orbicularis formæ sit hostia, et major pro celebrantibus, minor pro cæteris; item ut hostiæ sint tenues, nitidæ, non ante 15 circiter dies confectæ.

II. *Consecrare sine causa hostiam maculatam, vel fractam,* veniale non excedit, nisi adsit scandalum, aut macula, vel fractura sit enormis. Imo etsi notabiliter fracta, vel maculata, si post oblationem id deprehendatur, amoto scandalo, licite consecratur; jam enim Deo est dicata. *(Ita Scavini, n.* 124, *S. Lig., n.* 199).—Materia in corporali est reponenda; imo et in petra sacra, juxta Bened. XIV *de sacrif. Missæ, sect.* 2, *n.* 139; et calix, vel ciborium consecrandum ad liceitatem est discooperiendum. *(Gury, n.* 281).

III. *Sic si quis ad altare plures hostias consecrandas attulerit*; vel ante sacrificium de consecrandis hostiis jam super altare positis monitus fuerit; vel animadverterit ab alio eas afferri, ut consecrentur, etsi dum consecrat, non ita expresse ipsarum meminerit; vel etiam ad oblationem, aut consecrationem ciborium non detexerit, modo sint in corporali, valide consecrat; nam intentio præcedens virtualiter quidem perseverat. *(Ita Gury, n.* 282, *S. Lig., n.* 216). Secus probabilius dicendum, si ciborium extra corporale fuerit relictum; quia intentio sic consecrandi grave peccatum esset; proindeque illa non est præsumenda. *(Ita S. Lig., n.* 217). Alii probabiliter cum *Ballerini* affirmant; modo sit præsens ciborium (non ita si essent particulæ in capsula, vel positæ eo loco, ubi sacerdos non potuerit satis præsentes censere); jam enim adfuit positiva voluntas consecrandi illud ciborium, et virtualiter perseverat, utpote non retractata, et licite; nam ad illicitudinem non advertit. Quidquid sit, in praxi rationabiliter ait Bened. XIV *de Sacr. Mis., l.* 3, *c.* 18, *n.* 6, ciborium denuo consecrandum sub conditione; vel ut dicunt *alii* cum *Tour.* illas particulas esse sumendas post sanguinem: *Et ego addo post ablutionem,* ait D. Alph., l. 6, n. 217, *sed ante purificationem, et non videtur adesse justa causa illas consecrandi sub conditione, cum jam sumi possint.*

IV. *Si parvæ hostiæ pro communicando populo sacerdoti offerantur post oblationem ante cœptam præfationem*, licite eas consecrare valet, suppleta mentaliter oblatione, ut docent plures cum *Dian., Garant.*—Imo etiamsi Canon sit inceptus, quando plures sine Communione remanerent, ut docent *communiter Tamb., Salm., Bened. XIV de Sacr. Mis., l.* 3. *c.* 18. *n.* 5.—Si vero remaneret tantum unus, potius ei dari potest pars hostiæ magnæ; et sufficit pro causa, si communicaturus diu spectare Communionem deberet. (*Croix, S. Anton., cum communi*).—Ad licitam materiæ consecrationem requiritur, ut non sit major quantitas, quam tempore opportuno absumi possit; alias periculum esset, ne species corrumpantur. *(Bon., S. Lig., n.* 218).

V. *Particulæ consecrandæ recentes esse debent.* Optandum foret, ut non excederent octo dies, aut quindecim, vel ad summum mensem a tempore quo confectæ sunt. Incuria parochorum, et aliorum hac de re grave peccatum constituere potest ex *Gardellini.* Non una tantum vice vermiculi in ciborio aliquarum ecclesiarum visi sunt, et particulæ non parum ab ipsis esæ.—Usus hostias consecrandi a sex, vel tribus mensibus confectas est ingens abusus *ex S. R. C.* 16 *dec.* 1826; et si hunc abusum tolerat

parochus, iis hostiis uti nequeunt ejus vicarii, aliique sacerdotes. (*Del-Vecchio).*— Ad omnes abusus præcavendos circa rem maximi momenti, desiderandum esset, ut omnes parochi hostias, ac vinum ad sacrificium in domo sua conficerent, aut saltem a domo aliqua religiosa ea sumerent, minime a laicis, et a cauponis.

**Renovatio particularum in ciborio.** 1.° Si particulæ consecrandæ multæ sint, satius in pyxide ponuntur; si paucæ, in alia patena imponi queunt; nunquam vero in alio corporali complicato. (*S. R. C.*, 12 *aug.* 1864).—2.° Novas particulas consecratas cum veteribus miscere non licet, nisi statim omnes distribui possint. (*S. R. C.*, 3 *sept.* 1672).—3.° Renovatio fieri debet quolibet octiduo, vel hyemali tempore saltem quintadecima die, ut omnino vult *Bened. XIV*, Const. *Etsi*, et *de Sacr. Mis. Cæremoniale Episcopor.* renovationem particularum octavo quoque die faciendam præscribit. S. R. C., 3 sept. 1672 habet: *In renovatione, quæ quolibet octavo die fieri debet, consumi debent tum hostiæ, tum particulæ, quæ existunt in tabernaculo post sumptionem SS. sanguinis ante purificationem.* Ita etiam respondit 7 *apr.* 1753, et 9 *sept.* 1763.—Qui ultra mensem differunt, præsertim si humidum est tempus, a peccato gravi difficulter excusari valent ex *Ramsee.*—4.° Potest sacerdos plures simul sumere particulas, quin ad singulas sumptiones se iterum signet; nam una est communio; v. gr. 20 aut 30, juxta *Elbel, n.* 77: imo 50 vel 60, juxta *Croix, n.* 501; si major quantitas hostiarum absumenda foret, sacerdos eas in pluribus Missis divisim, aut plures sacerdotes successive celebrantes sumere valent. Attamen consecrari non debent, nisi quot sufficientes esse videantur. (*Gury, n.* 315).—5.° Particulas autem minutiores in ciborio repertas conjiciat sacerdos in calicem, easque, superinfuso vino, sumat, et novas hostias in ciborio omnino vacuo deponat. Potest vinum in ciborium infundere, ad minimas particulas colligendas, et in calicem mittat. *Croix, n.* 502, *Gury.* Sed postea aquam etiam infundere consultius erit, ne fragmenta pyxidi fortius adhæreant cum vino.—6.° Si ex inadvertentia sacerdos prius ablutionem sumpsisset, adhuc ciborium purificare valet, et reliquias sumere; nam pro sumptione moraliter una reputatur. (*Ita Croix, Elbel, Tamb., Gury*) Sed cum prædictæ particulæ non sint de eodem Sacrificio, tutius erit, præsertim si nulla adsit causa, die sequenti eas absumere.

583. **Guttæ calici adhærentes:** 1.° Qui consecrare intendit guttas calici exterius adhærentes graviter peccat; ideoque censentur non consecratæ, nisi expresse eas consecrare intendat: de interius adhærentibus dubium est; quia non satis lex aliqua id resolvit: probabilius a majori quantitate separatæ non censentur consecratæ; porro non videtur esse intentio Ecclesiæ, nec celebrantis consecrare nisi vinum per modum unius. *(Ita communius cum Gury, n.* 284, *Suar., Laym.) Gabant* jubet eas abstergi; quod probat consuetudo. *Tamb.*, et *Croix* dicunt nullum peccatum esse id omittere; imo nec expedire, si eas advertas, quando, discooperto calice, jamjam es consecraturus; multo ergo minus post consecrationem. (*S. Lig., n.* 219).—2.° In praxi vero ad tollendos angores satius erit, ut mos est, guttulas a fundo separatas abstergere, ac deinde intentionem efformare consecrandi omne consecrabile intra calicem existens: et quoad hostiam, integram formam, ac particulas ipsi adjunctas, ut habeatur materiæ determinatio: et si sermo sit de particulis ad populum communicandum, consecrandi omnes intra ciborium, vel supra patenam, aut corporale hic et nunc existentes; et sic semper habetur physica materiæ determinatio. *(S. Lig., l* 6, *n.* 214).

*Si parochus majori hostia careat*, celebrare debet cum particula, ut populus præcepto satisfaciat, illum præmonendo, ut admiratio auferatur. (Ita *Pasq., Gobat, aliique).* Quoad hostiam, in qua non appareat Crucifixi imago, S. R. C. respondit 26 apr. 1834: *Servetur consuetudo.*

*Si consecratio unius speciei sine altera* casu accidat, nemo dubitat quin valida sit: ita etiam communiter si sacerdos positivam habeat intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera. *(S. Lig., n.* 196). *Lugo, d.* 19, *n.* 102 *et* 103, ait: *Cum enim consecratio cujuslibet speciei sit absoluta, statim habet suum effectum ante consecrationem alterius speciei.*

584. **Forma Eucharistiæ.** *Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum* (sacerdos), ait Eugenius IV ad *Armenos.*—Duplex est, sicut duplex quoque est materia.

**Forma pro consecratione panis**: *Hoc est enim corpus meum* (Matth. XXVI): assertive a sacerdote in Christi persona prolata. Hæc autem verba, aut æquivalentia, omnino essentialia sunt, si verbum *enim* excipias; quod omittere veniale est; non enim reperitur in verbis Christi, nec constat de gravi materia, sed ad verba præcedentia propter continuationem additur. Constat ex Conc. Florent. in Decr. *Unionis*; ex Trid., sess. 13, c. 1; ex ipsa divina institutione; ex universali Ecclesiæ praxi, et ex præscripto in Missali Romano.—*Ad essentiam* probabilius, et communius non pertinent verba antecedentia: *Qui pridie quam pateretur*, etc.; non sunt equidem verba Christi: neque illa: *accipite, et manducate;* cum hic Christus solum commemoret usus Sacramenti. Sed *contrariam sententiam non audeo improbabilem dicere,* ait *S. Lig., n.* 222; tanto magis, quia juxta rubricas, si quando ob dubium de consecratione forma est repetenda, incipiendum est a verbis: *Qui pridie*... et *simili modo*... Sufficit essentialia verba in persona Christi proferre cum intentione faciendi quod fecit Christus, id est consecrandi. *(Scavini, n.* 129, *S. Thom., S. Ligor., n.* 220).

**Forma pro consecratione vini** in hisce verbis consistit: *Hic est enim Calix sanguinis mei, novi, et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Constat pariter *ex Luc.* XXII, *Matth.* XXVI, *I Cor.* XI, ex traditione, et Ecclesiæ praxi.—*Verba essentialia* communius sunt: *Hic est calix sanguinis mei;* vel quod idem est: *Hic est sanguis meus.* Sunt qui requirunt sequentia: *novi, et æterni Testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* ut exprimatur virtus passionis Christi; ideo pars tutior sequenda; agitur sane de valore sacramenti. Communius essentialia non sunt illa antecedentia: *Simili modo,* etc.; nam hæc historice tantum proferuntur. Ast omnia verba tam præcedentia quam concomitantia sine gravissimo peccato omitti nequeunt. (*Scavini, n.* 129, *S. Lig., n.* 223). Pronomen *hoc*, et *hic* substantive positum in propositione practica, significant confuse id, quod existit in fine prolationis verborum (*Varceno, p.* 54): et manet idem sensus, cum voces ita institutæ sint, ut si aliquando ex vitiosa latinitate proferantur, idem significant. (*Del-Vecchio*). Hinc:

**Valida, sed illicita est consecratio** si dicatur: *Hic cibus est corpus meum.* —*Hic calix est sanguis meus.*—Item si proferas *colpus*, vel *copus*, pro *corpus* e naturali vitio sacerdotis difficilis, vel impossibilis pronuntiationis; et tunc nec peccare videtur: —item *meus* pro *meum*,—*es* pro *est*,—*calis* pro *calix*,—*sanguis*, vel *xanguinis* pro *sanguinis*, etc. Item si dicatur: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*, ut habet *S. Luc.* XXII. Hinc deducitur, non posse saltem excusari a veniali, qui debitam diligentiam non adhibet ad verba consecrationis rite pronuntianda. ( *Ita Gury, n.* 286, *S. Lig., n.* 221).

**Invalida erit consecratio** 1.° si dicatur: *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum*; secus si substantive, sed per errorem grammaticalem ponatur *hic*, loco *hoc;* item si dicatur *caro*, loco *corpus*; non enim tunc comprehendit ossa, nervos, etc.; nisi juxta *alios* per illud *caro* idem intelligere aliquis vellet ac corpus.—2.° *Hoc corpus est meum ; — hic sanguis est meus* ; hæc quippe verba non habent sensum, quo id significent, quod operari debent. *(Gury, S. Lig., cum cummuni).* — 3.° *Hoc corpus meum;* quia ibi non subauditur verbum *est,* sicut aliquoties in aliis verbis adjunctis evenit.

585. Q. *Quomodo sunt proferenda verba consecrationis?*

R. *Distincte, reverenter, continua serie, et naturaliter, quemadmodum fert ratio sermonis communis quidem, sed gravis, et serii. (Collet, de sanctis mysteriis, c.* 5). Hinc graviter improbandi sunt: 1.° qui talem ponunt moram inter singula verba, imo inter aliquod verbum, v. gr., *Hoc,* vel *Hic,* ut nexum, et sensum plane dissolvant; item qui verba ita demisse proferunt, ut seipsos audire nequeant. (V. T. I, n. 689). Et fac ut advertas hic agi de valore sacramenti; —2.° qui unumquodque verbum ita violenter emittunt, ut capite trementes convulsionibus agitari videantur; — 3.° qui verba repetunt, quod facile mortale ex se fiet; isti ut nil omittant, omnia pervertunt (V. n. 512);—4.° qui ita præcipites, tono libero, et profano verba proferunt, ut non videantur Jesum appellare, nisi ad proprium judicium. *(Gousset).* Quod omne pios contristat, simplices stupefacit, et libertinos ad risum provocat.

586. **Eucharistiæ effectus** præcipui sunt sequentes: 1.° *Unio specialis cum Christo: Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* (Joan. VI).—2.° *Augmentum gratiæ,* ut patet ex illis Christi verbis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita... Caro enim mea vere est cibus.* (Joan. VI).—3.° *Adeptio gloriæ: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum:... et ego resuscitabo eum in novissimo die.* (Joan. VI).—4.° *Remissio venialium;* nam *Trid.* ait, Eucharistiam esse *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservamur* (Sess. 13, c. 2); tum ob fervorem spiritus, tum ob largitiores gratias susceptas: non autem remittuntur venialia actu placentia, vel ibi actu admissa; imo ex parte, mensuram charitatis lædunt. (V. *S. Thom.,* 3 *p., q.* 79, *a.* 4).—5.° *Remissio pœnæ temporalis peccato debitæ,* secundum modum devotionis, ut ait Angelicus, p. 3, q. 79, a. 5.—6.° *Debilitatio habituum malorum, præservatio a peccatis, et vitiorum emendatio;* quæ omnia fluunt a gratia habituali, sacramentali, et habitibus infusis. Cum per modum cibi sit instituta Eucharistia, eosdem spirituales effectus producit in anima, quos materialis refectio in corpore. —7.° Demum *Eucharistia concupiscentiæ fomitem minuit, bonas cogitationes excitat, corpus sanctificat;* ac etiam non sumentibus prodest, tam vivis, quam defunctis; tum ratione sacrificii, quod pro aliis offertur; tum ratione sacramenti vi communionis Sanctorum, seu membrorum inter se in religione; non vero *ex opere operato* in sacramenti ratione. (*Lugo, S. Lig., n.* 269).

# CAPUT III.

## De ministro Eucharistiæ.

587. **Minister consecrationis** est *omnis, et solus sacerdos;* nam solis sacerdotibus, tribuens facultatem consecrandi, ait Christus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et est de fide contra montanistas, waldenses, et lutheranos. *Si quis dixerit, illis verbis* hoc facite in meam commemorationem; *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum; anathema sit.* (Trid., sess. 22, c. 2). Idque definierant jam antea Nicænum I, et Lateran. IV. Firmatur constanti traditione, et SS. PP.

**Distributionis minister** quoad liceitatem alius est *ordinarius*, et alius *extraordinarius;* nam quoad validitatem a quolibet administrari potest; quia Eucharistia *per se* jam subsistit. 1.° *Soli presbyteri* sunt ministri *ordinarii* dispensationis Eucharistiæ. *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus Communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent, qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens jure ac merito retineri debet,* ait Trid., sess. 13, c. 8. —2.° *Diaconi* vi ordinationis sunt ministri *extraordinarii.* Constat ex variis Conciliis, uti Nicæno I generali, Carthagin. IV, etc., et ex praxi priorum sæculorum, in quibus ex delegatione Episcoporum, vel presbyterorum passim diaconi Eucharistiam ministrabant.

Q. *An quilibet sacerdos Eucharistiam administrare indiscriminatim valeat?*

R. Nega; nam solus Episcopus, et parochus jure ordinario Eucharistiam dispensare possunt; porro ad hoc requiritur jurisdictio, non de necessitate sacramenti, sed pro debito ministrandi ordine; quia pastoris est oves suas pascere. Constat etiam ex variis Conciliis, v. gr., Carthagin. I, c. 7, et ex universali Ecclesiæ praxi. Hinc qui contra positivum dissensum Ordinarii, vel parochi eam ministrat, graviter peccat, usurpando in re gravi alienum jus. *(Ita omnes).* Quando autem parochus licentiam celebrandi in sua ecclesia aliis concedit (vel ipsam habent), semper concedere censetur ex hodierna consuetudine (prima, et paschali Communione, ac Viatico exceptis) licentiam quoque Eucharistiam ministrandi, nisi contrarium exprimat: et in quacumque ecclesia sacerdos Missam celebret, Eucharistiam fidelibus, qui ejusdem participes fieri cupiant, distribuere potest. *(Ballerini, Scav., Gury, n.* 289). Ideo nisi adsit gravis causa, id parochus prohibere non debet, ait *Del-Vecchio.* Sed curandum est, ut, si plures sint communicandi, et festum sit de præcepto, ne fideles tædio afficiantur, nimium expectando, distributio finita Missa fiat. *(Scavini, n.* 133).

588. Q. *Quænam necessitas requiritur, ut diaconus Eucharistiam licite ministret?*

R. Sufficit gravis necessitas; nimirum ut nullus adsit sacerdos, qui commode Eucharistiam ministrare possit, etsi non agatur de moribundo communicando. *(Ita communiter cum S. Lig., n.* 237). Imo ex commissione parochi etiam in magno festo, quo sacerdos est occupatus confessionibus, concionibus, etc., ac in similibus casibus. *Quint., Diana.* Omnes vero conveniunt, quod in extrema necessitate, absente sacer-

dote, diaconus tenetur Viaticum ministrare, adhuc sine commissione. Diaconus, dum Eucharistiam ministrat, debet esse indutus superpelliceo, et stola transversa. *(Holz., Croix, S. Lig., ibid.)*.—Nil impedit, quominus diaconus stola transversa Sacramentum in ostensorio simpliciter exponat, præsente sacerdote, qui benedictionem impertiatur. Item, ad nuratione seclusa, Sacramentum privatim transferre potest de uno ad alterum altare. (*Scavini, n.* 132). – Quoad alios clericos minores et laicos, juxta hodiernam disciplinam ac consuetudinem, dicendum est non licere eis Eucharistiam ministrare; nam id fieri non posset sine gravi scandalo, et admiratione *(Scavini)*. Plures tamen cum *Suar., Cajet., Dian., et Habert* Viaticum administrare in necessitate moribundo etiam laicis permittunt; quia nulla fit injuria sacramento, nec contrariæ consuetudini; cum hic casus rarissime accidat. *S. Ligor., n.* 237. Alia vero est praxis.

589. Q. *Quandonam regulares SS. Eucharistiam ministrare queunt?*

R. Semper in suis ecclesiis, vel per se, vel per alios sacerdotes, devotionis causa, exceptis: 1.° die paschali ad implendum præceptum; nam administratio Eucharistiæ tantum est vetita regularibus, quando præceptum Communionis obligat. *S Ligor., n.* 239 *et* 240; et Romæ feria V in cœna Domini quoad sæculares monasterio non servientes, etsi jam antea præcepto annuæ Communionis fecerint satis. Ita ex privilegiis SS. Pontificum *Pauli III, Pauli IV, aliorumque*, et ex *S. C. C.*—Tamen asserunt legitimam consuetudinem adesse, quæ jurisdictionem præbet. (S. *Lig., n.* 240, *aliique)*.—2.° In aliis ecclesiis non valent, nisi de licentia saltem præsumpta parochorum, aut superiorum; nec extra ecclesias, excepto necessitatis casu. Si autem facere id præsumant per modum Viatici (citra necessitatem, v. gr. in mortis articulo, et parochus non possit, aut nolit dare), excommunicationem latæ sententiæ incurrunt, ex Const. *Apost. Sedis*, Romano Pontifici reservatam. (S. *Lig., n.* 240).

590. **Eucharistiam ministrare tenentur**: 1.° Qui curam animarum habent ex justitia Eucharistiam dispensare tenentur suis subditis, ac etiam inquirere debent infirmos, Eucharistiam non petentes, ut eam ipsis ministrent; sane id exigit pastoris officium, oves quærere in tanto discrimine constitutas. Colligitur etiam ex jure canonico, *Tit. de Celebrat. Miss.* (*Gury, n.* 292). Pestis tempore *Silvius*, et *alii* cum *Benedict. XIV de Synod. diœc., l.* 13, *c.* 19, dicunt etiam cum vitæ periculo parochum Eucharistiam ministrare teneri, nisi id per alium fiat; *alii* id negant valde probabiliter cum *S. Lig., n.* 233, cum non sit ad salutem necessaria. (V. t. I, n. 745.)—2.° Quilibet sacerdos, deficiente parocho, Eucharistiam morituro sub gravi ministrare tenetur ex charitate. Secus in aliis casibus; deficiente enim necessitate, non urget charitatis præceptum. *(Gury, n.* 291). Tamen ægre Christi ministrorum nomen habent, qui ob suam segnitiem distribuere Eucharistiam renuunt, maxime cum fideles sive expresse, sive tacite ipsam petunt.

591. **Ad licitam Eucharistiæ distributionem** sequentia requiruntur: 1.° immunitas a censura, irregularitate, et a gravi culpa;—2.° ut dispensatio juxta Ecclesiæ ritum fiat, id est lotis manibus, cum cotta, superpelliceo, stola coloris respondentis officio diei, et lumine. Unde graviter peccaret minister, si, extra necessitatis casum, Communionem distribueret sine ulla veste sacra; hoc siquidem valde indecens est. *(Gury, S. Lig., n.* 241, *cum communi)*.—Venialiter peccat qui solam omittit stolam, vel lumen, aut solitam confessionem; vel si Eucharistiam transfert sine vestibus sacris de loco ad locum. (*Croix, Reuter, Gury, n.* 295, *et*

*alii*).—3.º In casu necessitatis, ut si infirmus jamjam sit moriturus, communius hæc omnia omitti possunt sine ullo peccato, ne infirmus tanto privetur subsidio; nam sacramenta propter homines. (*Croix*, *S. Lig.*, *n.* 241, *Scavini, n.* 133). Nulli plures particulæ tradantur, neque grandiores, sed consuetæ. *S. R. C.* 12 *febr.* 1679, *Inn. XII.*—4.º Ut pollice, et indice utatur, secluso casu necessitatis; quia index, et pollex ex ritu Ecclesiæ ad hoc munus exercendum specialiter sunt destinati, etsi tota manus sit consecrata. (*Scavini, Gury, S. Lig.*, *n.* 244). Probabiliter cæteros adhibere valet digitos sacerdos, si nequeat illis uti ob chiragram, vel aliud impedimentum, ut habent *Tolet.*, *Croix*, *Arr.*, *Leand.*, *aliique. Gobat* dicit sacerdotem peccaturum tantum venialiter, qui sine causa digitis ultimis tangeret hostiam. — 5.º Si vero sacerdos Communionem deferat infirmo, et remaneant particulæ in ciborio, poterit eas illi dare statim post particulam; censetur enim moraliter una Communio; item pyxidis ablutionem ipsi tradere potest. Ita *Lugo*, *n.* 80, *S. Ligor.*, *n.* 251, *aliique.*

592. **Particulas dividere.** Quando particulæ non sufficiunt, servetur consuetudo consecratas dividendi, si adsit necessitas, v. gr. si desit aliqua Missa, vel fideles expectare non possint. (*S. R.* C., 16 *mart.* 1833). Tum Christus non frangitur, sed a se ipso separatur, et totus in quavis particula datur. At sacerdos hostias tunc dividere debet tantum in duas, vel tres partes; secus vix posset cum debita reverentia Communio dari. (*Croix*, *n.* 508, *Gury, n.* 303). Item in casu Viatici, vel si communicaturus esset unus, vel alter fidelis, qui absque incommodo Communionem expectare non valent, potest sacerdos, deficientibus particulis, partem majoris detrahere. (*Gury, S. Lig.*, *n.* 277).—Si desit minister deserviens, aut alius communicaturus aptus, suppleat sacerdos, nunquam autem mulier, nisi sit monialis intra claustrum. (*Scavini*, *Gury*, *cum communi*). In Communione monialium *Misereatur, Ecce Agnus*, etc., dicenda sunt versus moniales, non versus populum. (*Scavini*). — Antiphona autem *O sacrum convivium*, et versiculi *Domine exaudi*, *Dominus vobiscum*, - cum propria oratione sunt de præcepto. (*S. R.* C., 24 *sept.* 1842). Hujusmodi verba voce mediocriter elata dicenda videntur, cum iis a ministro respondendum sit.

593. **Genuflectere debet sacerdos**: 1.º immediate post apertum tabernaculum; — 2.º immediate antequam vertatur ad populum, ut dicat *Misereatur*, etc.;—3.º immediate versus ad altare, antequam sumat ciborium; — 4.º immediate antequam ciborium cooperiat; - 5.º immediate antequam tabernaculi januam claudat. (*S. R. C.*, 23 *dec.* 1862, *Scavini*, *n.* 252).

Denique digitis ablutis, et ciborio in tabernaculo reposito, versus jam ad populum dextera manu, elevata et extensa (ex *S. R. C.*, 12 *aug.* 1854 non cum pyxide, ex *S. R. C.*, 23 *maj.* 1835, nisi super infirmos), benedici[t] eos, qui communicarunt, dicens: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris*, etc Antea osculari altare non debet. (*S. R. C.*, 15 *mart.* 1833).

Quæritur an in administranda fidelibus sacra Communione liceat loco tobalearu[m] linearum uti tabellis ex metallo; vel ejusmodi usus tolerari possit in iis diœcesibus in quibus fuit introductus? *S. R. C.* 20 *mart.* 1875 respondit: *Non esse interloquendu[m] nihilominus significare Rmo. Episcopo Alexandrio non esse improbandum usum tobalearu[m] linearum.*

594. **Tempus Eucharistiam distribuendi.** Extra Viaticum, sub gra[vi] administrari nequit tempore interdicti localis; neque nocte Nativitatis D. N. J. C neque Feria VI in Parasceve. Sic ex pluribus Decretis. Quoad Sabbatum Sanctu[m]

respondit S. R. C. 7 sept. 1850: *Post Missam Sabbati Sancti, non vero intra, licet poscentibus distribuere Communionem.*—Cæteris autem diebus in omnibus horis quibus Missam sive ex consuetudine, sive ex peculiari indulto celebrare licet; imo ut communiter docent cum *S. Lig.*, *n.* 252, ministrari potest qualibet hora diei, excepta parte extrema et noctu, vel sub vesperas; quia de hac re nulla extat prohibitio. Nec obstat decretum *S. R. C.* 1816, permittens Communionis administrationem a tempore ad tempus, quo in qualibet ecclesia celebrantur Missæ in *die magni concursus.* Decretum enim illud non est exclusivum, cum S. C. responsum dederit juxta postulatum; in eo agebatur præcise de *die magni concursus ad Indulgentiam plenariam, seu Jubilæum lucrandum.* (Ita *Gury, n.* 297).

595. Q. *An Communio intra Missam sit distribuenda?*

R. Ex usu recepto dari potest Communio quovis tempore, ante, vel post, vel intra Missam, et in omnibus Missis, etiam defunctorum, licet cum particulis præconsecratis, data rationabili causa, *uti si fidelibus grave sit expectare, seu debeant citius domum adire, vel si secus deberent carere Communione*, sive immediate post Missam, sive immediate quoque ante eamdem Missam: in utroque tamen casu omittenda est benedictio. Hoc decreto etiam statuitur in Missis defunctorum violacea paramenta adhiberi non posse pro Eucharistiæ distributione, nisi in ecclesia die 2 novembris, ubi fit expositio pro oratione 40 horarum ex decreto *S. R. C.* 27 *jun.*, *et* 23 *jul.* 1868. *(Scavini, Gury, n.* 298, *cum communi).*—Imo facillime ac frequenter est concedenda Communio extra Missam omnibus indiscriminatim, præsertim domesticis curis, aut negotiis pressis, ut quantocius expediantur; aliter enim sacra mensa fraudari sæpe cogerentur; et congruentius ab iis, qui in confessionario non sedent, ut sic præsto expediantur omnes.

Sacerdos in Missa postquam se communicavit, sermonem habere potest (vulgo plática de Comunion), S. R. C. 17 sept. 1857, *ad altare, et de consensu Ordinarii.*—In Communione extra Missam semper adhibenda est bursa cum corporali. S. *R. C.* 27 *febr.* 1847.—Si adest necessitas tolerari potest, ut sacerdos paratus calicem præ manibus habens in transitu ascendat ad altare, in quo adest SS. Eucharistia, et Communionem distribuat. *S. R. C.* 12 *mart.* 1836.—Sacerdos Communionem ministrans tenere prohibetur patenam, mento communicantium illam supponendo. *S. R. C.* 12 *aug.* 1854.—Communio primum est administranda ministris servientibus, ratione ministerii. *S. R. C.* 13 *jul.* 1658. —Oratio concludenda est: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in Unitate*, etc. *Rituale Rom. nuper approbatum.*—In Communione monialium sacerdos descendere et reverti debet per gradus anteriores, non vero laterales altaris. *S. R. C.* 15 *sept.* 1736.

Hodie receptum est, Eucharistiam in omnibus ecclesiis publicis tribui posse; nam in oratoriis privatis neque particulis in Missa consecratis, sine expressa Ordinarii licentia, dari potest, ex Benedict. XIV, de *sacr. Miss.*, *l.* 3, *c.* 18, et Epist, 2 jun. 1751, juxta quam nec ibi pœnitentiæ sacramentum administrare licet. Si fieri possit non in carcere, vel alio loco indecoro distribuatur Communio, sed extra in decenti loco.

# CAPUT IV.

## De modo SS. Eucharistiam asservandi, et exponendi.

596. **Eucharistiam asservare licet** in cathedralibus, et in parœciis: verum in illis non est asservanda in altari majori, sed in capella propter functiones pontificales. *Scavini, n.* 241. Permittitur in ecclesiis regularium vota solemnia emittentium, atque in ecclesiis monialium in clausura viventium ex decreto *S. C. C.*, 15 *maj.* 1700. In uno tantum altari servari potest, designando ab Episcopo, ex *S. R. C.*, 21 *jul.* 1696: et merito, ne alias minuatur ejus reverentia. — Episcopus permittere non valet, Eucharistiam asservari in publicis oratoriis, aut privatis, absque Pontificio indulto, nisi adsit immemorabilis consuetudo, et non constet ab initio fuisse asservatam ex sola Ordinarii licentia. *S. Lig., n.* 424, *S. R. C.*, 27 *apr.* 1709, *et S. C. C.* 28 *jul.* 1708. —In tabernaculo esse non debent vasa sacrorum oleorum, vel Sanctorum Reliquiæ, vel aliud. S. *R. C.* 3 *maj.* 1693. Perutile foret octavarium Nativitatis Domini, mensem S. Cordis Jesu, item quamlibet tertiam mensis Dominicam, cum SS. Sacramenti expositione celebrare. Præstat sane ut pastor, et ipse sollicitus sit, populumque suum hortetur ad visitandum SSm. Sacramentum, ac omni studio curet talem promovere cultum, atque fideles ab irreverentiis retrahere. — Pro Eucharistia asservanda hodie ordinarie adeunda est S. *R. C.*, vel *Secretaria Brevium. Scavini*, *n.* 241.—Si in rurali ecclesia permittatur jugiter SS. Eucharistiam asservari, ibi residere tenetur sacerdos, et quotidie celebrare, ex S. *R. C.* 16 *mart.* 1833. Hinc:

I. SS. Eucharistia in tabernaculo mundo (in medio altaris, ex *S. R. C.* 1863), asservanda est, bene clauso, et in decenti pyxide super corporale reposita, albo velo cooperta; et tabernaculum cooperiri debet conopeo ex tela serica, vel ex lana, aut gossipio. (*Rit. Rom.*) — *S. R. C.* 21 *jul.* 1855). In Hispania tabernaculum operire non viget.

II. *Lampades coram eo* (tabernaculo) *plures, vel saltem una diu, noctuque perpetuo colluceat. (Rit. Rom.)* Graviter peccat qui asservare lumen coram SS. Sacramento negligit, si tempus sit notabile, quod juxta plures erit integer dies, vel aliquot integræ noctes; secus si per horam tantum. *Ita Quint., Dian., Bussemb., aliique*, quibus adhærere videntur *S. Lig., l.* 6. *n.* 248, *et Gury, n.* 310. *March.* obligationem, et consuetudinem tam universalem negat.

III. Requiritur ad præfatam lampadem nutriendam oleum olivarum, in quantum fieri possit. Quæsitum fuit a nonnullis RR. Galliarum Antistitibus, utrum in casu, attentis difficultatibus oleum olivarum comparandi, et ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quæ ex vegetalibus habentur, ipso non excluso petroleo.—Emmi. et Rmi. Patres sacris tuendis Ritibus præpositi, omnibus accurate perpensis, ac diligentissime examinatis, rescribendum censuerunt. *Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit, vegetalibus.* (9 jul. 1864). Et Pius IX 14 iisdem mense, et anno id confirmavit. Unde, urgente necessitate, etiam petroleum Episcopus permittere valet. Ita *S. R. C.* 20 *mart.* 1869.

597. Q. *An ciborium esse debeat consecratum?*

R. Nega communius ac probabilius; nam in Rituali R. benedictio ciborii, seu

pyxidis inter eas recensetur, quæ unctione chrismatis non indigent. In praxi consulen la est benedictio. Idem dic de circulo, seu lunula, in qua reponitur hostia consecrata, cum in ostensorio exponitur. (*Gury*, *S. Lig.*, *n.* 248, 384 *et* 385). Sufficit ergo ut sit benedicta.—Nil jure communi statuitur utrum esse debeat ex auro, vel argento; videtur calici et patenæ æquiparandum, ideoque ex auro, vel argento, aut saltem ex stanno intus deaurato, si ecclesia sit valde pauper. *De consecr.*, *dist.* 1, *c.* 45. (V. infra, ubi de calice).

598. **Expositionis Eucharistiæ** publicæ venerationi usus est antiquus, et salutaris, qui a vanis retrahit, atque ad devotionem excitat. Quia tamen frequentata vilescunt, videndum, an iis in locis ubi expositio fit, augeatur, vel minuatur devotio, et cultus erga Sacramentum, et sic deducatur, an sit omittenda, vel facienda expositio, et tantum fiat cum debita Ordinarii licentia. *S. R. C.* 8 *jun.* 1669, 7 *jun.* 1681, *et Bened. XIV.*—Publicam expositionem cum ornatu, et splendore fieri oportet, et saltem cum 12 cereis accensis; aut 20 Romæ, ex *Instructione Clementina.* Privata vero, seu ea, quæ fieri solet, urgente tempestate, fiat, quin pyxis a tabernaculo extrahatur, sed velata in aperto tabernaculi ostiolo cum sacerdotis assistentia, stola ac superpelliceo induti, relinquatur, sex saltem cereis collocatis, quin populus benedicatur; preces tamen cum fidelibus convocatis fundantur. (S. *C. Episcop.* 9 *dec.* 1820, S. *Lig.*, *n.* 424).

Expositio quam privatus ad publicam devotionem promovendam fieri procurat, publica videtur. S. *Ligor.*

Hac de re notandum: 1.° In altari expositionis aulæum etiam in Dominica Pentecostes albi coloris esse debet. *S. R. C.* 19 *dec.* 1829.—2.° Sanctorum reliquiæ in eo non sunt collocandæ ex *S. R. C. sept.* 1741, et ex instructione Clementis XI, § 4, neque imagines Sanctorum, neque animarum purgatorii, etsi toleranda sit consuetudo, si adsit, recitandi preces pro defunctis. *S. R. C.* 16 *dec.* 1828.—3.° Amovendæ sunt ab altari tabellæ, quæ ob celebrantis commoditatem ponuntur. *S. R. C.* 20 *dec.* 1864.—4.° Omnes cujusque conditionis ante illud transeuntes, seu ad illud accedentes, seu ab illo recedentes, genu utroque genuflectere debent. *S. R. C.* 16 *aug.* 1651. Abusus est genuflectere postea unico genu. Item incongrue videtur illo modo genuflectere tam in choro quam extra, antequam sedile capiatur, quin homo progrediatur.

Illicitum est Eucharistiam contra incendia, et tempestates deferre; tum quia id novum esset ac periculosum; tum quia tentationem Dei saperet. Ita Benedict. XIV, Const. *Cum ut*, 27 jul. 1755, novum ritum privata auctoritate inducere vetans. Idem dicendum videtur paritate rationis de alicujus Sancti Reliquia, vel imagine, de ligno Crucis, et similibus. Licet tamen, ingruente tempestate, ostiolum tabernaculi aperire, ibique orare. S*cavini*, *n.* 240. Mos est in aliquibus locis, circa januam ecclesiæ lignum Stæ. Crucis deferre.—In processione est deferendum SS. Sacramentum: 1. *Manibus* celebrantis humerali velo coopertis dextera ad nodum, sinistra ad pedem, ostensorium tenentis. *S. R. C.* 24 *jul.* 1858, etc.—2.° *Ante faciem.*—3.° *Sub baldachino*, cum diacono et subdiacono hinc inde pluvialis extremitates tenentibus.—4.° *In silentio*, scilicet hymnos submissa voce recitando, nisi in casu quo cæteri non cantent, vel inconcinne. *Merati*, *Gardall.*, etc.

# CAPUT V.

## De subjecto, et necessitate Eucharistiæ.

599. **Subjectum capax Eucharistiæ** sacramentaliter, et fructuose suscipiendæ est *solus homo viator, baptizatus, et mentis compos. Baptizatus;* quia Baptisma est janua aliorum sacramentorum. — *Viator;* nam cibus mortuo non prodest. Homo non baptizatus, seu graviter indispositus, materialiter, at non spiritualiter, id est, sine fructu Eucharistiam reciperet. Hinc ait Apostolus: *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* (I Cor. XI).

600. **Eucharistiæ necessitas.** Realis sumptio Eucharistiæ necessaria non est *necessitate medii;* nam cum Christo incorporatio necessaria *necessitate medii* ad salutem jam in Baptismo est facta: *Quicumque... baptizati estis, Christum induistis.* (Gal. III). *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* (Rom. VIII). Si enim esset ita necessaria, omnibus esset necessaria; atqui Eucharistia non est omnibus necessaria. Est de fide ex Trid.: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.* (Sess. 21, c. 4). Si ita non esset, neque Christus communi hominum saluti bene provideret; quod suspicari nefas est. Est vero necessaria, in voto implicito saltem, *necessitate medii*, veluti omnia alia Dei præcepta.

Eucharistia est necessaria *necessitate præcepti divini*, dicente Apostolis Christo: 1.° quoad confectionem et simul sumptionem: *Hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. XXII). 2.° Et omnibus in genere: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* (Joann. VI). Et non dicit J. C. *Nisi quis*, ut in Baptismo; in quo patet differentia necessitatis inter utrumque. De præcepto ecclesiastico jam diximus in tertio Ecclesiæ præcepto.—*Non est necessaria sumptio Eucharistiæ sub utraque specie,* nisi solis sacerdotibus celebrantibus; etenim hi sacrificium complere debent; non fidelibus, qui tantum de eo participes fieri aliquando tenentur, partem sumendo, in qua alioquin totus Christus vivus una cum sanguine continetur. *Si quis manducaverit ex hoc pane*, ait Christus, *vivet in æternum.* (Joan. VI, 52). Præceptum ergo non est de speciebus, sed de re. (V. Luc. XXIV). Unde habet Trid., sess. 21, c. 1: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, et singulos Christifideles utramque speciem SS. Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.* Et sic nil refert quod prioribus sæculis praxis Ecclesiæ fuerit dandi Communionem fidelibus sub utraque specie, et postea mutata sit disciplina, scilicet, ad effusionis periculum vitandum, abstemios alliciendos, et hæreticos confutandos, separationem non admittentes.

601. **Divinum præceptum Communionis** sub gravi obligat *per se*, et *per accidens*. I. *Per se:* 1.° In proximo mortis periculo; nam Eucharistia est instituta ut Viaticum confortans adversus salutis hostes. — 2.° Sæpius in vita; quia etiam est instituta per modum spiritualis refectionis, qua anima nutritur, et confortatur; et sicut corpus frequenti cibo indiget, ita et anima. Tametsi Christus tempus non fixerit, jam Ecclesiæ suæ id statuendum reliquit; unde per paschalem Communionem utrumque præceptum adimpletur. (*S. Lig., n.* 295).

II. *Obligat per accidens;* nimirum si est necessaria Communio ad superandam aliquam gravem tentationem. Hoc tamen raro eveniet, ait

*Gury*, *n.* 318, cum ad id sufficere possint alia media, v. g., orationes, pœnitentiæ. (*S. Lig.*). At in praxi non raro, sed valde frequenter accidit, quod fideles nisi sæpius in anno Communionem suscipiant, tentationes carnis præcipue non vincunt; nam relicta Communione, ut plurimum, non consociatur homo orationibus, et pœnitentiis ad resistendum necessariis. Unde nihil plus curare debet parochus, et quilibet sacerdos, quam sacramentorum frequentiam, ad salutem animarum; et licet idem dici queat de aliis mediis, tamen hoc est præcipuum.

602. Q. *Quando communicare possunt, et quando tenentur pueri, amentes, semifatui, muti, surdi, epileptici, energumeni, et capite damnati?*

R. I. *Pueris*, ante rationis usum, in Ecclesia latina, neque in mortis articulo dare licet Communionem ad irreverentiam avertendam. (V. n. 426).

II. *Amentes*, si tales perpetuo sint, pueris æquiparantur. Sic ex *Rit. Rom.* Secus, ut ait Angelicus: S*i prius, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi: nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expulsionis.* (3 p., q. 80, a. 9). (*Ita Catech. Conc. Trid.*, S. *Lig.*, *n.* 302). Præsumitur enim ipsos eam petere; et forsan est illis necessaria, si nonnisi attriti sint. Sic dicunt sufficere in mortis articulo, quod fatuus alias pie vixerit. (S. *Lig.*, *n.* 302, *Scavini*, *n.* 134). Excipiunt DD. si certo præsumatur talis in amentiam incidisse penitus impœnitens.

III. S*emifatuis* est danda Communio, quando sufficientem habent discretionem ad distinguendum panem cœlestem a terreno, saltem tempore paschali, et in morte; cum urgeat præceptum: S. *Ligor.*, *n.* 303; et si aliquem percipiant fructum, nempe, cum aliquali devotione accedant, non apparet ratio, cur pluries accedere non possint. (S*anch.*, *Ballerini*, *n.* 321).—Item *delirantibus* in morte dari potest Communio, secluso irreverentiæ periculo, quod probari licet, porrigendo eis antea particulam non consecratam. (*Gury*, S. *Lig.*, *n.* 292).—*Destituti sensibus* a præcepto sane excusantur ob impotentiam; tamen parochus non dispensatur ab onere Communionem ipsis ministrandi, si ante rationis amissionem fuerint dispositi; cum sacramenta ex opere operato in eis operentur, secluso semper irreverentiæ periculo, aut hostiam non deglutiendi. (*Gury*, *n.* 321, *Gousset*, *n.* 232, *cum communi*).

IV. S*urdi-muti* a nativitate, si sufficienter instructi sint, ac discretionem habeant, sicut cæteri fideles communicare queunt: imo expedit ut sæpius communicent; plurimis siquidem aliis mediis carent ad superandas tentationes quam cæteri. Si ex signis constet eos aliqualem discretionem habere, ac notionem mysteriorum Dei, ejusdemque legis. nil obstat quin communicent saltem in Paschate, et in morte; imo sæpius. Secus si nulla in eis appareat discretio. (*S. Lig.*, *n.* 303). Præstat, ut saltem omnes parochi aliquali instructione polleant ad *surdo mutos* instruendos, ac ad confessionem admittendos. In quot parœciis reperiuntur illi miseri, ignari, a sacramentis rejecti, ac in vitia injecti ob talem defectum! Est deneganda sane *mutis, surdis ac simul cæcis a nativitate*; cum in illis nulla discretio inveniri possit.

V. *Epilepticis* negatur Communio, quando in actuali paroxysmo versantur, ob proximum irreverentiæ periculum; secus in aliis temporibus. (*S. Lig.*, *n.* 303 *cum communi*).—*Obsessis* a dæmone neganda est Communio, quando non sunt sui compotes; secus concedenda: imo pluries in anno recte communicant juxta confessarii prudentiam; cum hoc sit speciale remedium ad dæmones arcendos. (*V. S. Thom.* **3** ***p***, *q.* 80, *a* 9).

VI. *Capite damnatis* est danda Communio, etiam non jejunis. (*Ita* S. *C. de propag.*

*fide* 5 jul. 1841, et Benedict. XIV *de syn.*, *l.* 7, *c.* 11). Hanc praxim, quam maxime suadet Gousset, n. 230, et *magis conformem pietati christianæ* vocat usum SS. Eucharistiam illis ministrandi. Imo contrarium usum improbat S. Pius V.

---

# CAPUT VI.

## Dispositiones ad Eucharistiam suscipiendam,

Duplex est dispositio ad fructuose sumendam Eucharistiam; ex *parte animæ*, et ex *parte corporis*.—Iterum duplex est dispositio ex parte animæ, *remota*, scilicet, et *proxima*.

603. Praeparatio remota ex parte animae consistit in immunitate a *censura*, et a *mortali peccato*. 1.° *A censura;* nam hæc spiritualibus bonis privat; urgente tamen necessitate ad vitandum scandalum, communicare fas est, si occulta sit censura, deficiente, qui eam absolvere valeat; cum juris ecclesiastici tantum sit hæc prohibitio.- 2.° *A mortali peccato,* saltem ut ita prudenter existimetur; secus gravissimum committitur sacrilegium. *Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit: non dijudicans Corpus Domini.* (I Cor. XI). Imo non sufficit, ut status gratiæ per contritionem acquiratur, sed, excepto necessitatis casu ac simul confessarii copia deficiente, requiritur, ut per sacramentalem confessionem, et absolutionem quispiam disponatur. Si quis vero contrarium docere, prædicare, aut pertinaciter asserere, aut defendere præsumpserit, etsi publice disputando, ipso facto excomunicatus est, ex *Trid.; sess.* 13, *c.* 11, idque deducit Concilium ex præfatis Apostoli verbis. Unde communius tenent *Suar.*, *n.* 25, *Lugo*, *n.* 69, *Salm.*, *n.* 25, S. *Lig. n.* 256 ex Christi præcepto præmittendam esse probationem; quæ ex Trid. est sacramentalis confessio. Hinc:

I. *Qui dubius est, an mortale commiserit*, vel consenserit pravæ cogitationi, per se confiteri non tenetur, sed sufficit, et tenetur conteri, ne periculo se exponat; quia reapse sibi conscius mortalis non est, nec adest obligatio incerta peccata confitendi; etiamsi consultius semper erit confiteri ante Communionem; cum ordinarie difficultate non careat contritio, et semper ad tranquillitatem prosit confessio. (*Del-Vecchio, n.* 143, *S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 475).

II. *Idem dicendum est si adsit vera necessitas communicandi, vel celebrandi;* ita ut prudentum judicio grave confessionis præceptum cessare præsumatur; quæ profecto non erit 1.°—magna devotio, indulgentia, vel honorarium lucrari; 2.° –onus Missæ dicendæ ex beneficio: vel necessitas personalis Missam in festo audiendi; 3.°—neque populi admiratio, si per aliquem diem quis non celebret, neque Communionis paschalis præceptum, et similia. (*Gousset, S. Lig. n.* 261).—Secus dicendum, – 1.° si Communio, aut Missa omitti nequeat absque gravi infamia, vel scandalo; uti si sacerdos die festo, vel festo devotionis populi, vel ut populus Sacro intersit, celebrare teneatur;— 2.° vel ad matrimonium benedicendum, aut ad celebranda funera, quibus familia assistere vult, nec commode differri possunt; — 3.° si ad ægrotum in mortis imminenti periculo communicandum, —4.° vel si alio die populum jam convocave-

rit, et aliquis non suppeditetur prætextus ad suspendendam celebrationem, quod perraro eveniet. Idem dicatur, quando ratione infamiæ, scandali, vel infirmitatis, mortalium confessio compleri nequit; tunc sufficit contritio de omnibus, et absolutio. *(Ita omnes cum Trid., l. c.).*—5.° Si sacerdos post consecrationem mortale committat, vel antea commissi recordetur, elicita contritione, sacrificium prosequi tenetur absque interruptione. Si vero id eveniat ante consecrationem, et præsertim ante Canonem, tunc confiteri debet, si possit absque infamia, vel scandalo. Ita *Salm. n.* 501, *S. Thom.*, *S. Ligor. n.* 262 etc. Si confiteri nequeat, Missam deserere debet ante consecrationem seclusa infamia, vel scandalo. Ita probabilius *Lugo, Silv.*, *S. Thom.*, *D. Lig.*, *ibid.*, et *alii* contra *alios.*

III. *Si desit confessarii copia.* Confessarii copia deesse censetur 1.° si nullus sit confessarius præsens, et spectatis adjunctis debilitatis, distantiæ, brevitatis temporis, et occupationis, sine gravi difficultate adire ad absentem nequeat. *Alii* requirunt distantiam duarum leucarum; *alii* unam cum dimidia; *alii* unam, seclusa itineris asperitate, aliisque præfatis circumstantiis, quæ semper attendi debent. Unde si jamjam sacerdos est celebraturus, 50 passuum distantia excusare poterit. (*Ita Pal. n.* 6. *Gury, n.* 325, *S. Lig.*, *n.* 264).

2.° Si alius sacerdos adsit, sed jurisdictione carens, aut idiomatis ignarus; vel excommunicatus; vel non habens facultatem a reservatis absolvendi, si pœnitens solis reservatis sit ligatus; vel cui confiteri non possis sine gravi tuo damno, vel alieno. Tamen si pœnitens advertat se non habere nisi attritionem, probabilius confiteri tenetur, saltem aliquod veniale, vel mortale jam remissum, ut a reservatis indirecte absolvatur. (*Scavini, n.* 143, *S. Lig.*, *n.* 265 *cum communi*). Non autem deesse censetur copia confessarii, quia nullus adest suæ confraternitatis; aut adsit alius etsi junior, indoctus, notior. (*Gousset, S. Lig.*, *n.* 264).

604. Q. *An qui communicavit sibi conscius peccati mortalis quamprimum confiteri teneatur?*

R. Affirma quoad sacerdotem: *Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebravit, quamprimum confiteatur.* (Sic Trid., c. 7).—Et Alexander VII has 38, et 39 prop. damnavit: *Mandatum Trident. factum sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum:—Illa particula, quamprimum, intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.*—Probabilius nega quoad laicum; quia *Trid.* tantum de sacerdotibus loquitur. (*Ita communiter cum Gury*, S. *Ligor.. n.* 268).

*Illud quamprimum intelligitur*, juxta juris regulam, intra triduum; et bene sic interpretari licet, cum hoc sit tantum præceptum ecclesiasticum. (*Gury*, S. *Ligor.*, *n.* 266).—Contingere tamen potest quod eadem die, et forsan eadem hora confiteri teneatur sacerdos ille; uti si tunc confessarium habet, quo postea per plures dies carebit; vel si cras eadem urgeat celebrandi necessitas, nec cras confiteri possit. (S. *Lig.*, *n.* 266 *Del-Vecchio in comp.*, *n.* 524.—*Tamen sacerdos iterum celebrare nequit*, antequam confessus fuerit; non fuit quippe excusatus a confessione, nisi ob instantem necessitatem.—Excipe, si die, vel diebus sequentibus instet eadem necessitas celebrandi, nec etiam per ipsos dies adsit copia confessarii. (*Gury, Ballerini, n.* 327).

Hinc: 1.° non tenetur confiteri *quamprimum* sacerdos celebrans post confessionem, in qua inculpabiliter oblitus est alicujus peccati mortalis, si peccati post celebrationem meminerit; quia non celebravit conscius illius peccati: — 2.° neque

satis probabiliter, etsi ante celebrationem peccati meminerit; non est enim celebrans conscius peccati mortalis sine prævia confessione: aliunde illud peccatum est jam indirecte remissum; non est ergo mortale in conscientia; ideoque sufficienter se probavit. *(Del Vecchio). Gury* hoc dicit *probabilius; probabile* ait S. *Ligor.*, *n.* 267; item *alii* contra *Lugo.* et *Suar.*:—3.° non tenetur *quamprimum* confiteri sacrilege celebrans, non urgente necessitate, vel non deficiente copia confessarii; nam Trid. præceptum prorsus ordinatur ad incutiendum metum iis, qui necessitatis prætextu a confessione se excusant. (Ita *Gury*. S. *Lig*, *n.* 266, *cum communi*).

605 Q. *An qui recordatur gravis peccati, quod inculpabiliter in confessione est oblitus, ante Communionem illud confiteri teneatur?*

R. Nega, si absque scandalo, v. g., si jam sacræ mensæ assideat, vel ni difficulter iterum confiteri nequeat; licet enim adesset confessionis præceptum, non urget cum tanto incommodo. (*Ita omnes.* ait *Gury*).—Probabilius nec actum contritionis elicere, neque confiteri illud ante Communionem tenetur, etiamsi posset sine incommodo; peccatum siquidem involuntarie omissum est certo indirecte remissum; ergo jam non est pœnitens sibi conscius gravis peccati. Sufficit ut quando confiteatur, illud confessario subjiciat. *(Ita Gury, S. Lig., n.* 157, *Collet, Pontas, Gousset, n.* 249, contra *plures alios)*. In praxi consultius erit rursus confiteri. *(S. Lig*, *Ballerini, n.* 326).

*Affectus ad aliquod peccatum veniale fructum Communionis impedit;* nam ex illa parte obicem gratia reperit: tamen non totum fructum impedit; pios quidem motus experiri valet peccator; et quoad aliam partem bene potest ipsa gratia operari. (Ita probabilius *Suar.*, S. *Lig.*, *n.* 270, *cum communi*).

60.6 Præparatio proxima ex parte animæ ea est, quam fidelis jamjam communicaturus acquirere conatur per actus *fidei, spei, charitatis, contritionis, humilitatis, desiderii;* porro gratia juxta dispositionem subjectivam operatur. Quo autem minus de nobis in nobis invenit Deus, eo magis de suis nos replet. *Ita S. Teresia.*

Dispositio ex parte corporis consistit in *jejunio*, et *decentia.*

607. I. Jejunium naturale. Ex gravi Ecclesiæ præcepto requiritur totalis abstinentia cibi, et potus a media nocte illius diei. A jure Apostolico censet *D. Augustinus* esse præceptum, quod firmatur universali Ecclesiæ consuetudine, ac unanimi traditione; ab omnibus Ritualibus, et Catechismis Ecclesiæ, et a Conciliis, præsertim *Constantiensi, sess.* 13, ubi legitur: *quod hujusmodi sacramentum non debet confici post cœnam, nec a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure, vel Ecclesia concesso.*

Hoc præceptum non admittit parvitatem, neque ex *parte temporis*, neque ex *parte rei*. Ex *parte temporis*, cum quis post primum ictum horologii aliquid sumat, licet ante ultimum, non amplius communicare valet; non enim amplius est jejunus. Si in civitate plura sint horologia, videtur sequendum quod melius ordinatum existit, vel juxta quod regitur civitas; nam Ecclesia in temporis designatione eam regulam sequi solet, quæ omnia hominum negotia in singulis locis publice dirigit. S. *Ligor.*, *n.* 282, *cum communi.* Hinc Emms. Card. Archiep. Neapolitanus a S. Pœnitentiaria quæsivit: 1.° *Possuntne fideles Neapoli in servando naturali jejunio, aliisque Ecclesiæ obligationibus, sequi horologia horas indicantia juxta tempus medium romanum?* 2.° *An potius ea horologia sequi debeant, quæ verum tempus Neapolitanum signant?* S. Pœnitentiaria mature perpensis expositis, respondit: *Ad primam partem affirmative; ad secundam negative.* (Die 18 jun. 1873).

*Ex parte rei :* unde si quid minimum, licet per modum medicinæ sumatur, sub gravi communicare prohibetur. Tamen, ut communiter dicúnt AA., ad hoc requiritur : I. *Ut sumatur ab extrinseco, et in stomachum trajiciatur;* nam res, quæ manducantur, ab extra proveniunt. Hinc sanguis effluens ex ore, lingua, gingivis jejunium non frangit. Secus si quis sanguinem ex fronte manantem, vel aliquid immissum noctu in os, post mediam noctem trajiceret; esset ab extra, et continuata comestio. Item qui se lavando, vel jusculum, aut vinum degustando, aliquam guttulam cum saliva voluntarie trajiciat, præfata ratione. *(Scavini, n.* 138, *Gury, n.* 330, *Lugo, S.* Lig., *n.* 279, *cum communi).* Secus si involuntarie. Ita *omnes* ait *D. Ligor., ibid.*

II. *Ut sumatur per modum cibi, vel potationis ;* quia juxta communem sensum hoc tantum modo frangitur naturale jejunium. Unde si quid hauriatur per modum salivæ, aut respirationis, v. g., pulvis per os, vel nares casu attractus, pluvia, nix, aut musca, nullatenus jejunium frangit. *(S. Thom., D. Lig., n.* 280). Item si reliquiæ cibi in ore relictæ casu deglutiantur, ex *Rubrica.* Secus si data opera ; videtur enim sic nova comestio, ut communius docent AA. cum *D. Ligor., n.* 279 contra *Suar., Elbel, Dian., aliosque,* dicentes, illas cibi reliquias, cum non recipiantur ab extrinseco, moraliter reputandas esse partes comestionis præcedentis diei, quæ novam non constituunt comestionem. Primæ opinioni adhæret *Benedict. XIV,* si particulæ a dentibus avulsæ, satis sensibiles sint. At non adest obligatio eas a dentibus extrahendi, etsi secus prævideatur eas facile deglutiendas esse ; tum quia per modum salivæ deglutiuntur; tum quia hoc scrupulis obnoxium esset, ac onus nimis grave, ad quod non præsumitur Ecclesiam obligare velle. *(Scavini, n.* 138, *Frassinetti, Lugo, Benedict. XIV).*—Hinc sacerdos, qui in Nativitate cum sanguine muscam bibit, vel aquam, etsi inadvertenter, imo etiamsi per vim, nequit amplius alias Missas celebrare, si ipsam deglutiendo, vel deinde id advertat; quia illam sumpsit per modum, quo sumitur cibus, et potus. (Ita *Lugo, n.* 35, *Croix, Concina, Fagundez,* cum communi).

III. *Ut res sumpta habeat rationem cibi, vel potus ;* nempe ut sit res in sto nacho alterabilis, vel digestibilis, et apta ad nutritionem, uti palea, charta, cera, folia arborum, pulvis medicinalis, et similia : secus juxta communem acceptionem non esset comestio nec potatio. Sic nemo dicitur manducare vitrum, capillos, ungues, ferrum, lignum, ossicula fructuum omnino depurata, et similia. *(Ita communiter D. Lig., n.* 281).

608. Q. *An solvat jejunium fumus per os, vel pulvis tabaci per nares sumpti ?*

R. Nega cum communi ; fumus siquidem non est cibus, neque potus, et hoc valet etsi fumus voluntarie in stomachum immittatur ; vel aliquid pulveris involuntarie transmittatur ; eo quod licet sit materia nutritiva, non sumitur per modum comestionis. *(Ita Gury, n.* 331; *S. Lig., n.* 280). Saltem *id licet ex usu cohonestante,* ut ait Benedict. XIV. Consultius semper erit, ut sacerdotes, maxime coram laicis, ab hoc se abstineant ob motiva de facili prævidenda ; ac rationabili causa deficiente, esset passio sensualis; passioni favere, optima præparatio ad Communionem esse nequit.—Idem dicendum videtur de ciborum fumo, et de odore. *(Gury).*—Item de aliquid masticare, semper ac omnino expuatur succus ; et si casu modicum succi deglutiatur,

per modum salivæ trajicitur. Omnes conveniunt tamen id esse indecens; ideoque veniale, si absit rationabilis causa. (*S. Lig.*, *n.* 280, *Scavini*, *n.* 139).

609. *An communicare possit qui sive negative, sive positive dubitat, utrum post mediam noctem jejunium naturale solverit?* —Affirma probabilius; quia eo in casu lex prohibens non videtur certa, et tanquam dubia non obligat; nam possidet libertas communicare volentis. (*Gury, Ballerini, n.* 332, *S. Lig.*, *l.* 1, *n.* 38 39, *et l.* 6, *n.* 282. (*v. T. I. n.* 55 )

610. **Causæ a jejunio excusantes pro Communione.** Cum sermo sit de lege Ecclesiæ, quælibet gravis causa excusat. Tales sunt: I. *Periculum mortis* sive proveniat ex morbo naturali, sive ex judicis sententia, sive ex hominis malitia, puta si mortis metu quis obligetur ad celebrandum non jejunus (sed non in contemptum legis). *S. Lig.*, *n.* 389. Et sufficit gravis timor, seu prudens judicium talis periculi, præsertim quando timendum est, ne clara infirmus ratione destituatur, vel repentina morte corripiatur. —DD. pro uno eodemque habent *articulum* et *periculum* mortis, quoad S. Viatici obligationem; tum id dandi, tum accipiendi: nam *articulus* est *quando mors proxime instat, et moraliter est certa*: *periculum* vero est, *quando adest probabile dubium, et frequenter solet in tali casu mors accidere.* S. Alph., l. 6, n. 285, monet *in hoc non esse scrupulose procedendum, cum in Concilio Const., sess.* 13, *simpliciter infirmi excipiantur a lege jejunii*, seu ut ait Conc. *in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure, vel ab Ecclesia concesso, vel admisso.* Imo graviter arguendi sunt parochi, et parentes, aut conjuncti infirmorum, ait *Gury*, *n.* 334, qui ex incuria, aut vano timore administrationem S. Viatici ita protrahunt, ut absque Eucharistia decedere periclitentur. (*S. Lig.*, *H. A.*, *n.* 46).

II. *Periculum profanationis* ab hæreticis, vel impiis, si non sumatur: tunc Eucharistia etiam sumi potest ab eo, qui eadem die jam communicavit, ne in ejus irreverentiam cedat quod in illius honorem inductum est. (*Scavini*, *n.* 140).

III. *Periculum scandali, vel gravis infamiæ*; ut si sacerdos post consecrationem, vel etiam jam Missam inchoaturus coram populo, recordetur se non esse jejunum, quod alii ignorant; neque causam innoxiam adducere valeat; ideoque timet murmurationes, suspiciones, judicia temeraria, et vera scandala, si non celebret. Secus si tantum perturbationem, vel incommodum aliquod secuturum. *Croix*, *n.* 583, *Gob.*, *S. Lig.*, *n.* 287, qui ait: *quidam putant vix fieri posse*; *eo quod occurri possit scandalo dicendo, sacerdotem casu aliquid sumpsisse.* Maxime si ejus nota sanctitas fiduciam populi jam attraxit, ut ait *Luzerne*. Si recordetur ante consecrationem, et maxime ante Canonem, debet utique desistere a Missa, si possit sine infamia, aut scandalo. Ita communiter *S. Lig.*, *n.* 287.

IV. *Necessitas perficiendi Sacrificium*, cum id de jure divino sit. Hinc si sacerdos post consecrationem recordetur jejunum non esse, perficere tenetur Missam, etiam non jejunus.—Item si sacerdos celebrans, hostia consecrata, moriatur; ab altero tunc non jejuno, si non adsit jejunus, etsi jam celebraverit, Missa est perficienda. *Nec aliquid per hoc derogatur unitati Sacramenti; quia omnes unum sumus in Christo propter fidei unitatem*, ait D. Thom., in 4, d. 8, q. 2, a. 4. *S. R.* C. 16 *dec.* 1823 declaravit, quod Missam nequit eo die celebrare sacerdos etiam jejunus, qui Sacrificium ab altero subita morte extincto interruptum complevit, etsi a purificatione se abstinuerit. Si id evenerit in die Veneris Sancti, et alius

sacerdos jejunus non adsit, in tabernaculo recludenda est hostia; nam illa non est vera Missa. (*S. R.* C. 8 *mart.* 1825).

V. *Unio moralis ejusdem Sacrificii;* v. gr., si sacerdos post Missam, vel sumpta ablutione, fragmenta a se consecrata reperiat, ea sumere debet, etiam in sacrario, modo vestibus sacris adhuc sit indutus: si vestibus sacris sit exutus, vel fragmenta alterius Sacrificii sint (aut integra hostia relicta), in tabernaculo ea reponat; vel alteri sacerdoti eodem mane celebraturo ea reservet; et si reverenter servare nequeat, ipsa sumat. *S. Lig., n.* 251. Sic licet ad deglutienda fragmenta ablutionem sumere, etsi potus ante trajiciatur; nam talis sumptio moraliter una censetur. Ita *Rubrica, Benedict. XIV, et communiter.*—Particulæ autem extra corporale inventæ, in dubio an sint consecratæ, sumendæ sunt post ablutionem. Ita *Gob., Ron., Henr.,* apud *Croix, n.* 408.

VI. *Dispensatio R. Pontificis;* agit sane in re suæ potestatis. Demum quælibet gravis causa; cum sermo sit de lege ecclesiastica.

611. Q. *An dare liceat aliquando Communionem infirmo non jejuno, nec periculose decumbenti, vel ei qui naturale jejunium, licet non decumbat, servare nequeat?*

R. *Aliqui* absolute affirmant cum *Elbel; alii* id tantum concedunt in Paschate; *alii communius cum Suar., Gury, n.* 334, *Scavini, n.* 254, et *Bouvier* absolute negant, etiam in Paschate, et talis est praxis; nec Pontifex dispensare solet, nisi raro, et gravi de causa ob reverentiam Sacramenti. *Gury* ait: *Videtur vero tunc adesse ratio sufficiens, cur interdum Eucharistia post mediam noctem infirmo administrari possit. Et quidem juxta doctissimos theologos Romæ interrogatos, nullum dubium est quoad casum Communionis annuæ seu Paschalis, quæ non mero jure ecclesiastico, sed etiam divino præcipitur; quia divinum mandatum humano præstantius est.* Certum est nihil importare, quod communicare volens post comestionem, modo turbatio absit, vel eam repellere nitatur, non dormierit. (*S. Lig., n.* 289).

621. Q. *Licetne aliquid sumere, vel expuere statim post Communionem?*

R. Ad 1.^m Olim non licebat usque ad horam sextam. Hodie ex decentia post sumptionem tanti Sacramenti mora aliqua est servanda ad alios cibos sumendos, saltem quamdiu species consecratæ in stomacho remaneant: (ex *Croix* saltem ad quadrantem, nisi adsit rationabilis causa aliter agendi:) secus a veniali non excusatur sumens. (*S. Lig., n.* 283, *cum communi*).

Ad 2.^m Per se illicitum non est expuere post Communionem, modo nullum particulæ fragmentum in ore remanserit; diversa quidem est via per quam ejiciuntur sputa, ac via cibi et potus. Congruum est, ut communicans per aliquod temporis intervallum ab expuendo abstineat; v. gr., per quadrantem, citra necessitatem. (*S. Lig., n.* 283).

613. II Corporis decentia etiam requiritur, quæ consistit in eo, quod communicandus nihil in vultu, incessu, ac vestitu præseferat, quod oculos offendat, ac Sacramentum dedeceat. Tamen per se nulla est obligatio a Communione abstinendi propter corporis naturales maculas, aut morbos; nam animæ puritatem præcipue requirit S. Eucharistia. Si tamen externæ maculæ sint valde notabiles, et brevi cessare debeant, consultius erit Communionem differre; secus si diutius durant. (*Ita communiter cum Gury, n.* 336). Hinc:

1.° *Sacerdotes lepra infecti*, aut alia infirmitate horrorem excitante, in occulto celebrare possunt, non in publico ex jure canonico; et more laicorum communicantes, vult Rituale, ut cotta, et stola sint induti, quod omittere veniale est. Alii clerici cotta induti in presbyterio communicent, extra populum: diaconi cum stola pendente ab humero sinistro ex Cæremoniali Episcoporum. *(S. Ligor.*, *n.* 276, *Scavini*, *n.* 141).

2.° *Milites communicaturi* ad S. mensam, depositis armis, congrue accedunt; exceptis militibus S. Joan. Hierosol., qui hoc signo utuntur ad religionis defensionem. Nulla tamen lege ad id utrique obligantur. (S. *Lig.*, *n.* 271 *et* 276).

3.° *Mulieres modesto ornatu* ad S. mensam accedere debent. Hinc S. Carolus graviter monet, ut modeste accedant, pectore cooperto, et sine vano ornatu; et, si quæ nimis aperte esset immodesta, ei Communio denegetur. Consultius tamen erit privatim eam corrigere, vel per aliam mulierem monere facere, quam publice in ecclesia ipsam corripere, aut repellere, ut recte ait *Frassinetti*.

4.° Si *pollutio voluntaria paulo antea habita fuerit*, aut *actus conjugalis ob solam voluptatem*, communiter docent saltem sub levi a Communione abstinere debere id agens, etsi contritus et confessus sit, nisi aliud exigat justa causa: adest quippe aliqua indecentia. (*Scavini*. *S. Lig*., *n* 272). Idem communiter dicunt de involuntaria pollutione, quæ turbationem imaginationis relinquat; sed tunc sufficit, ut homo repellere hanc conetur. (*S. Thom*., *in* 4, *d*. 9, *q*. 1, *a*. 4, *S. Lig*., *l*. 6. *n*. 272). Ab illa levi culpa quævis causa excusat, ut recte dicunt *Antoine*, *Scavini*, *n*. 137; v. gr., indulgentia lucranda, solemnitas occurrens, specialis devotio, difficultas redeundi, quæ sæpissime adest.

Sapienter monent ne confessarius pœnitentem aliquid de hisce rebus interroget, absque gravi necessitate. Quod si a muliere interrogetur, quid agere debeat, si ipso die Communionis vir debitum petat, respondeat confessarius, ut reddat et communicet, etsi frequenter; sane nullum peccatum committit reddens neque petens ob honestum finem; secus incassum a sacramentis repelleretur; cum in illis, ut plurimum, nulla perturbatio remaneat, ut ipsæ fatentur; et sic vitantur importunæ, ac periculosæ interrogationes, et inutiles timores. *(S. Lig.*, *n*. 275, *Lugo*, *n*. 14, *Sanch*., *n*. 4, etc.

# CAPUT VII.

## De Viatico.

614. **Viatici susceptio sub gravi obligat in periculo mortis.** Constat: 1.° Ex praxi fidelium, qui nonnisi cum gravi scandalo audirent, infirmum eo tempore communicare nolle.—2.° Ex Conc. Nicæno I, quod jubet *antiquam hanc legis regulam necessario observandam*. – 3.° Ex ratione; nam in maximo periculo maxima remedia sunt adhibenda. Hinc periculose navigaturi, vel præliaturi, mulieres difficulter parituræ, ad mortem a judice, etc., damnati, aliique in mortis periculo constituti, sub gravi communicare tenentur, cum moraliter possint. *(Scavini*, *n*. 120, *S. Lig*., *n*. 291). Excipe si ob vomitum, vel tussim componi cum Sacramenti reverentia nequeat Communio; uti si adeo sit frequens, ut non valeat infirmus particulam trajicere, vel sine ipsam ejiciendi periculo; quod respectu

tussis raro eveniet; cum sit diversa via per quam cibus in stomachum trajicitur. Si autem vomitus per sex horas saltem cessaverit, et etiam minus, ad experimentum aliquid, vel particula non consecrata ægroto dari potest. Idem dicendum de frænesi, alioque simili morbo ex Rit. Romano. (*S. Lig.*, *n.* 291). Hinc:

I. *Si infirmus facile Viaticum sumere possit jejunus*, die sequenti expectare tenetur. Secus si adsit mortis periculum, vel si commode expectare nequeat, puta si esset deferenda Eucharistia intempesta nocte, vel si differri deberet opportuna medicina: tunc Ecclesia dispensat in re sua; ideoque parochus non est scrupulose angendus, inquirendo, an possit vel non die sequenti. *Conc. Const.*, *Rituale Rom.*, *Scavini*, *n.* 120.

II. *Pueri doli capaces, et cibum istum a materiali discernendi*, licet ætatem ad communicandum requisitam non attigerint, Viaticum suscipere adiguntur ex præcepto naturali et divino. Ita communissime *Bened. XIV, de Synod. Diœc.*, *l.* 7, *c.* 12, *S. Lig* , *n.* 293.—Item in dubio de capacitate; nam sacramenta propter homines. *Lugo*, *n.* 38. (V. n. 443).—Graviter igitur errant parochi, qui Viaticum hujusmodi pueris administrare nolunt. Ita *Gury*, *Gousset*, *n.* 233. *S. Lig.*, *n.* 301. Curet ergo parochus eos brevi instruere, ac etiam parentes emollire, qui non raro ad majores exequias excusandas injuste filium suum Communionem suscipere impediunt.

615 Q. *An qui mane communicaverit, si eadem die in periculum mortis incidat, Viaticum adhuc sumere teneatur?*

R. *Alii* affirmant, quia tunc solum urget præceptum, et non mane: *alii* negant; quia Ecclesiæ praxis sub gravi prohibet bis in die communicare: *alii* dicunt id liberum esse infirmo; quia tempus idem moraliter est: *alii* cum *Lugo*, Scavini, *n.* 122, S. *Ligor.*, *n.* 285 probabilius negant de morte naturali; quia jam in periculo mortis versabatur in hoc casu: at affirmant de morbo violento v. g. apoplexia, contraria ratione. Unde concludit Benedict. XIV: *In tanta opinionum varietate...... integrum erit parocho cam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit.* (De Synd., l. 7. c. 81). —Si paucis ante diebus ex devotione communicaverit, probabilius saltem, Viaticum sumere tenetur; nam hoc præceptum ex interpretatione Ecclesiæ urget in mortis periculo contra animæ hostes; et nemo implere valet præceptum, quod nondum urget, vel extra tempus, quo illud implere tenetur. *Gury*, S. *Lig.*, *Salm.*, *Bill.*, *aliiqu*. contra *plures alios cum Lugo* dicentes, præceptum Communionis quoad substantiam jam esse impletum. S. *Alph.* dicit, hanc opinionem esse *satis probabilem*, saltem si periculum mortis naturaliter accidat; etenim jam moraliter cœpit imminere. —Curet parochus, vel quilibet sacerdos post Viaticum infirmum adjuvare ad gratias agendas, virtutum actus exercendos; fiat tamen moderate, suaviter, quiete, ferventer, ad intervalla, ne gravetur ægrotus. (S. *Lig.*, *n.* 242 *et* 291).

616. Q. *An pluries deferri possit Eucharistia infirmis non jejunis, seu per modum Viatici?*

R. Affirma, non solum novo mortis recurrente periculo, sed eodem perdurante *iterum ac tertio, præsertim si ægrotus exposcit*, ait Benedict. XIV *De Synod.*, *l.* 7, *c.* 12; et pœnam comminatur *in parochos, qui ægrotis devote postulantibus iterum et tertio Eucharistiam deferre detrectant falsis prætextibus*. Ratio, quia eadem perdurat causa, nempe ut ægrotus præsidium contra hostes habeat. (Ita S. *Lig.*, *n.* 295, *cum communi*). Quoad temporis distantiam ab una ad aliam Communionem adest controversia.

Distare debere circiter octo diebus docent *communiter AA. cum Gury*, S. *Lig.*, *in praxi*, *Conf.*, *n.* 266: et tunc adhibeatur forma solita: *Corpus Domini N. J. C. custodiat.....*

etc. *Scavini, n.* 121. Sed *alii non pauci* pluries permittunt; et *aliqui cum Laym., Escob., Roncag., Hurt.*, non improbabiliter dicunt, Viaticum posse etiam sequenti die repeti; cum infirmus solitus erat sæpe communicare, et immineat morale mortis periculum: *imo Castropal., Armil., Tamb., et Dic. admittunt universe posse repeti quolibet die.* (Ita S. Lig., H. A., tr. 3, n. 47).—*Et hæc quidem opportunissime commemoranda veniunt,* ait Ballerini, *ut quorumdam aut timidorum nimis, aut morosorum difficultatibus occurratur.*—Etiam decumbentibus jejunis, tamen impeditis ad ecclesiam adire, frequenter deferri potest Eucharistia, ac expedit, dummodo non desit dispositio. Parochus debet, quantum in ipso est, infirmos ad frequentem Communionem adhortari. (*Gousset, n.* 235, *Gury, n.* 308)

617. Q. *An Eucharistiam sacerdos deferre possit ad infirmos, nocte, secreto, incedens equo, capite cooperto, vel currendo?*

R. 1.° Excepta necessitatis causa, non licet Eucharistiam *deferre nocte*; sic *Rit. Rom.*: et si necessitas urget, deferatur qualibet hora noctis, sed sine strepitu, et campanulæ sonitu. (*Gury, n.* 305, *Scavini, n.* 120).—Neque licet Eucharistiam *deferre secreto, per se*; sed *deferri debet manifeste atque honorifice*, ut ait *Rit. Rom.* Excipe loca hæreticorum, et ubi manifeste deferri nequit absque incommodo, vel irreverentia, aut secus infirmus graviter exponeretur, quia ægroti familia absolute opponitur, ut fiat domi cæremonia religiosa. Id tamen absque Episcopi licentia, ubi consuli possit, fieri non debet. (*Gury, Scavini, Gousset*). Sed in hoc casu, ex Inst. Benedict. XIV Const. *Inter omnigenas*, confirmata a Pio IX 25 febr. 1853, *sacerdos stolam semper habeat coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur.* Probabiliter omitti queunt illa verba: *Accipe N. Viaticum*, casu magnæ tristitiæ infirmi. Ita S. *Lig.*

2.° Viaticum ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem, ut a parocho deferri possit equitando, *indulget* S. R. C. 22 jan. 1740 in *Laudensi*, de consensu tamen Episcopi. *Quint. Elbel. n.* 74, *Gob.*, S. *Carolus* id concedunt, de Episcopi licentia nil dicendo. Nunquam autem licet pyxidem dare portandam laico, sed si sacerdos sit fatigatus, in bursa collo suspensa illam gestare debet. Sic *Rit. Rom.* et S. *R. C.* (*Gury, n.* 307).—Neque licet Eucharistiam in itinere *deferre capite cooperto*, ob reverentiam Sacramenti, S. *R. C.* 3 mart. 1633, 23 jan. 1695, et 1700: et si sacerdos rheumate, vel alia infirmitate laborat, abstinere debet a deferendo SS. Sacramento, ac id muneris alteri committere, nisi usus pileoli ipsi indultus fuerit. S. *R. C.* 23 maj. 1846. Juxta *plures* Episcopus licentiam concedere potest pileolum in itinere deferendi; secus in oppido. (*Herdt*).—Urgente tamen necessitate *in deferendo Viatico currere licet*; quia necessitas excusare potest a majori reverentia in incessu. (*Ita probabiliter Gob., Croix, n.* 604, *Gury, n.* 306 *et alii* contra *alios*).

618. Q. *Quid agendum, si sacerdos ad infirmum cum SS. Sacramento adveniens, eum indispositum ad absolvendum inveniat, vel ille confiteri renuat?*

R. 1.° Satagere debet confessarius, prouti melius potuerit, pœnitentem ad meliorem frugem adducere. 2.° Si infirmus obduretur; v. gr. si occasionem proximam peccati abrumpere, vel gravem restitutionem certo debitam promittere renuat, absolvi sane non potest. Tunc, si fuit incepta confessio, inducendus est, ut publice declaret, se nolle adhuc Eucharistiam suscipere; et sic evanescit difficultas.—3.° Si vero id declarare nolit, et communicare velit, Eucharistia ei administranda est, ne reveletur confessionis sigillum. (*Gousset, n.* 237, *Gury, n.* 308). Secus si neque confiteri incepit; tunc enim non revelatur nisi obstinatio, in quo consentit infirmus.

619. Q. *An sacerdos celebrare possit non jejunus ad dandum Viaticum?*

R. Nega; nam adest praxis contraria, et præceptum Communionis, etsi divinum, non obligat, si non possit ea reverenter dari; cum non sit tantæ necessitatis. (*Ita communiter* Scavini, *n.* 245, *Suar.*, *Salm*, S. *Antonin.*, S. *Lig.*, *n.* 289). Tamen *alii* cum *Concina* affirmant; quia præceptum Communionis, cum sit de jure divino, prævalere debet juri ecclesiastico; et si licet moribundum communicare non jejunum, a pari licere debet sacerdoti, ut illum communicare possit. Huic adhæret S. *Lig. ibid.*, si infirmus nec Pœnitentiam, nec Extremam-Unctionem propter aliquod accidens suscipere queat; poterit enim esse Eucharistia eo in casu sacramentum necessitatis, ut nempe ille ex attrito fiat contritus. In praxi rarissime id accidet.

620. **Sacramenta Episcopo ægroto ministrare** spectat *ad digniorem Capituli cathedralis.* (S. *R. C.* 22 nov. 1861). Episcopus antequam communicet, rochetto indutus et stola, præsente SS. Sacramento, profitetur catholicam fidem, forma præscripta a S. Pio V (S. R. C. 1831), et cœremoniali Episcoporum. Viaticum autem Episcopo, et sacerdoti more solito ministratur. (*Scavini*, 245). Emolumenta funerum causa Episcopi ad Canonicos cathedralis pertinent, non ad parochum ; neque huic juri Canonici renuntiare possunt, cum inductum sit, ut consulatur dignitati, et honori Episcoporum. (S. C. C. 24 *mart.* 1873).

Tempore sacrificii Missæ administrari potest SS. Viaticum etiam in paramentis nigri coloris absque *Psalmi* Miserere recitatione, et quin celebrans altare e conspectu suo amittat. *S. R. C.* 19 *dec. de* 1829.—Tempore paschali in domo infirmi non dicitur *Vidi aquam*, nec oratio *Spiritum*, sed est servandum Rituale. S. *R. C.* 11 *febr.* 1702. Parochus deferens Viaticum Feria VI in Parasceve private et submissa voce recitare valet Psalmos consuetos cum *Gloria Patri*, cum stola et pluviali albi coloris; et dimittere potest populum benedictione extra ecclesiam; quia in publica ecclesia non debet recondi. S. *R. C.* 15 *maj.* 1745 in *Lucana.*—In Communione extra Missam adhiberi non potest cappa, mozzeta, aut caputium, nec pluviale. (S. R. C., 27 *aug.* 1822).

# CAPUT VIII.

## De Communione frequenti.

621. **Communio frequens** dicitur *non solum quotidiana, sed etiam quæ plusquam semel, aut bis in hebdomada fit;* non autem singulis tantum Dominicis peracta. (*Ita communiter*).—Nulla regula omnino certa circa frequentem Communionem dari potest; hoc siquidem a majori, vel minori conscientiæ puritate, et fructu a S. Eucharistia percepto pendet; ideoque id quod magis singulis profuturum existiment confessarii, præscribere debent. Hæc est præcipua regula.—Primitus fere singulis diebus fideles communicabant, ut refert *Cardinalis Bona;* sed fidelium numero crescente, et sanctitate diminuente, a sæculo VI statutum fuit, *ut fideles omnes singulis Dominicis communicarent, nisi criminali peccato, et manifesto impedirentur.* (Scavini, n. 149). —Trid., sess. 22, c. 6, ait: *Optaret quidem Sancta Synodus, ut singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* Ita etiam SS. Ecclesiæ Patres, qui semper enixe Communionem fidelibus commendarunt. Sufficit præ oculis habere hominis necessitates, ac SS. Eucharistiæ fructus.

Unde frequens Communio est magnopere laudanda, atque a parochis, nec non a confessariis, et concionatoribus sedulo fidelibus suadenda. Ipse Catechismus Romanus, p. 2, n. 4, explicans desiderium S. Conc. Trid., ut omnes sacrificio Missæ adstantes communicent, docet, esse officium parochi sedulo hortari fideles non modo ad frequentem Communionem, sed etiam quotidianam, cum obligatione illos instruendi, quod sicut corpus, ita et anima eget quotidiano alimento. Hoc Episcopis omnibus inculcavit *Innocent. XI*, decreto *S. C. C.* 1679, declarans nihil obstare, quod sint laici, negotiatores, conjugati, vel ipsi pueri, qui frequenter communicant, modo propria munera non negligantur. *Neque facile dixeris eos sacerdotes ex solida devotione quotidie celebraturos, quos nunc conspicis clericos sacram Mensam fastidire, et forsan etiam frequenter accedentes irridere. De hisce pessime vaticinamur*, ait *Scavini, n.* 150. In hoc quidam errant ob nimiam indulgentiam, alii vero ob nimium rigorem, ait S. *Lig., n.* 149.

622. **Frecuenter communicare licet:** I. *Expedit Communionem pluries concedere aliquibus, qui sunt in periculo labendi in peccata lethalia*, ut vires recipiant ad resistendum. *(S. Lig., Prax. Conf., n.* 149). —Item iis, qui licet debiles, officia boni christiani servant; tum Deum amare, colere, et orare gestiunt, tum etiam orationi mentali, cum possunt, operam dant; nec in culpas deliberatas sæpius labuntur.

II. *Item iis, qui, sublato jam affectu ad venialia, et superata majori parte pravarum suarum inclinationum*, ita ut a venialibus plene deliberatis cavere studeant, magnum communicandi desiderium habent, etsi aliquando in veniale libere cadant ob meram fragilitatem, sed cito eos pœnitet, ac se emendare proponunt, non videtur deneganda Communio, etiam quotidiana. (*S. Lig., n.* 150 *et* 153, *cum Salesio, c.* 21.)

III. *Item iis, qui communicando se crescere in divino amore experiuntur*, nec in ipsis minui Sacramenti reverentiam, concedi debet Communio etiam quotidiana: *Unde si aliquis experimentaliter*, ait Angelicus, *cognosceret ex quotidiana Communione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare.* (In 4. sent., d. 12, q. 3, a. 1). El alibi ait S. Doctor: *Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstineatur. Amor, tamen, et spes ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori.* Idem ait *P. Granada*. Excipe, ordinarie loquendo, unum diem in quavis hebdomada, et tempus illud, quo directores privare velint suos pœnitentes a Communione, ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem; aut ob aliam justam causam. (*S. Lig., n.* 152). Tamen ad has probationes, non modo diuturna experientia, ac doctrina in animarum directione necessaria est, verum etiam divini luminis copia, et cœlesti illo bono, quod discretionem spirituum appellant, singulariter eminere debent confessarii; non equidem omnibus eadem adhibenda est regula: sic v. g., non expedit eum mortificare privatione Communionis, qui in ariditate ac tædio inculpabili ingemit; nam ex Sacramento vires acquirit; secus in desperationem fere conjicitur.

IV. *Ad Communionem semel in hebdomada concedendam* hæc satis sunt: 1.° immunitas a mortali;—2.° Communionis desiderium;—3.° confessarii consilium, ut omnis hallucinatio auferatur. (*Scavini, n.* 149). Si ergo confessarius vult animas valde proficere, curet ut ad sacram Communionem frequenter, ac non imparatæ, accedant, et postea in gratiarum actione immorentur: *Paucissimi sunt directores*, ait S. Alph., *qui sedulo*

*id faciunt; quia paucissimi sunt sacerdotes, qui, post Missæ sacrificium, cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt.* (Prax. Conf., n. 156.)

Ad rem Rituale R. *Moneantur communicantes, ut, sumpto Sacramento, non statim ab ecclesia discedant, aut colloquantur* ((neque ipsi sacerdotes in Sacrario, et multo magis ne ibi fument, quod insuper fidelibus scandalum est), *ne statim oculis circumspiciant, aut expuant; neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species ore decidant; sed qua par est devotione, aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima passione dominica, in cujus memoriale hoc mysterium celebratur et sumitur.*

623. **Deneganda est frequens Communio**: 1.° Iis, qui sæpe in peccata gravia labuntur, nec solliciti sunt de agenda pœnitentia, ac de sua emendatione. *Bened. XIV, De Syn.* — 2.° Iis, qui accedunt ad Communionem cum affectu ad peccata venialia sine ullo desiderio se ab iis liberandi, sufficit semel in hebdomada communicare; et aliquando expedit Communionem octiduanam ipsis interdicere, tanto magis, quod sententia communior tenet, recipere Eucharistiam cum peccato levi actuali, aut cum affectu ad ipsum, novam constituere culpam ratione irreverentiæ. (*S. Lig., Prax. Conf., n.* 149). — 3.° Quibusdam puellis vanitatibus deditis; superbia, irreverentia et inobedientia erga parentes, ac suos præceptores pollentibus; ac illis, quæ ob zelotipiam erga suos confessarios excellere cæteris discupiunt, octiduam Communionem tantum permitti decet, si eas pœnitet, ac enixe se emendare proponant.—Hinc si frequenter communicando a venialibus non se abstinent; vel si voluptatibus sensuum, visus, auditus, linguæque adhæreant; aut si splendide vestiendo, superflue edendo, se impatientes monstrando, mundanum honorem ostendendo, alios censurando, ægre obediendo, et similia factitando, habitum peccati, et affectum ad illud revelant, admirationem, et scandalum fidelibus parant, a frequenti Communione arceantur. (*Del-Vecchio, S. Lig., n.* 155).

Tandem concludere placet cum *Clericato* a Benedict. XIV valde laudato: *Nullus est, cui menstrua Communio consuli non possit: pauci, quibus Communio hebdomadaria sit prohibenda: paucissimi, quibus quotidiana sit concedenda.* Tamen in aliquo Novendiali sæpius utilis est quotidiana Communio.—Salesius circa præfatam doctrinam ait: *Si quærunt a te, cur ita frequenter communices, respondeas illis, quod duplex personarum genus debet sæpius communicare; perfecti scilicet, ut ad perfectionem valeant pervenire; fortes, ne debiles fiant; debiles, ut fortes evadant; infirmi, ut curentur; bene valentes, ne infirmentur..., qui mundanis negotiis non sunt implicati, debent sæpius communicare, quia habent opportunitatem; qui vero hujusmodi negotiis detinentur, quia egent Communione.* (Vida Devota, c. 21, *S. Lig., n.* 153).—Tamen sciant mulierculæ indigne Communionem appetentes, et omnes ipsi frequenti Communioni adversantes, *falsissimo principio* inniti, ut dixit Gury, n. 344, ex S. Lig. Praxi. *Supponunt enim Communionem esse mercedem virtutis; cum juxta doctrinam SS. Patrum, Eucharistia sit medium virtutis acquirendæ.*

624. **Communio spiritualis**: *contingit*, ait Angelicus, *spiritualiter manducare Christum prout est sub speciebus hujus Sacramenti, in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc Sacramentum.* Conficitur triplici actu.—1.° *Fidei.*—2.° *Desiderii.*—3.° *Petitionis.* Potissima enim, perutilisque pars hujus suavissimæ praxis

in eo residet, ut quis in mente volvens, tum quæ immensam Domini nostri charitatem permoverunt ad hanc cœlestem dapem nobis parandam, tum quæ ad ejusdem participationem nos invitant, impelluntque, in ardens prorumpat desiderium hac mensa fruendi, atque ejusmodi affectui cum actibus fidei, humilitatis, amorisque insistens, effusissimam Domini Salvatoris benignitatem magna cum fiducia roget, ut illam gratiarum ubertatem, quam præsentia sua animam nostram invisens tribuere consuescit, etiam nunc misericorditer elargiri dignetur. (Ita *Ballerini, n.* 345).—Hæc a SS. Patribus, et a Trid., sess. 13, c. 8, commendatur; hæc cor ardentius incendit; Eucharistiam diutius colit; præmium amplius meretur; a confessariis ergo, et concionatoribus vehementius est fidelibus suadenda. Hanc omni loco et tempore exercere fas est, et quidem sæpius in die, ac in qualibet diei hora, quamvis ipsius Missæ tempus sit opportunius.

Q. *An graviter peccet qui in mortali spiritualiter communicat?*

R. Affirma, si absque ullo doloris actu præmisso Deum velit in corde suo sistere una cum peccato mortali; nam hoc esset Deum sociare cum Belial. Secus si eum pœniteat, etsi non perfecto corde conteratur; bona quidem erit hæc pœnitentia; sed non consequetur speciales gratias, quæ huic Communioni adnectuntur, ob charitatis defectum. Hinc Trid., l. c., vivam requirit fidem charitate informatam. *(Scavini, n.* 152). At in praxi a peccato, ut plurimum saltem, excusantur fideles, licet in mortali spiritualiter communicent; tum quia animo præfatam societatem cum Belial minime concipiunt; tum quia in vehementi desiderio cum Christo manendi jam includitur contritio, seu actus charitatis.

---

# II.—DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO.

## CAPUT I.

### De sacrificii Missæ natura, efficacia, et speciebus.

625. **Sacrificium** quod a *sacro faciendo* dicitur, in genere definitur: *Oblatio Deo facta rei substantialis per ejusdem realem, vel moraliter æquivalentem destructionem legitime instituta, ad agnoscendum Dei supremum dominium, et in statu lapso ad profitendam divinam justitiam, propriumque reatum.* (Huter, t. 3, n. 437.) In hac definitione habetur ratio formalis sacrificii, quæ non est in mutatione, sed in allata protestatione. Sic ratio sacrificii Missæ est realis Christi præsentia in Eucharistia, et repræsentatio sacrificii Crucis. Ita *Perrone*.— Hinc Missa definiri potest: *Celebratio Eucharistiæ sub utraque specie secundum ritum a Christo institutum, et Ecclesiæ traditum, cum dixit:* Hoc facite in meam commemorationem. (*Luc.* XXII, *Huter., n.* 442.)

**Multiplex est sacrificium.**—1.° *Ratione temporis* aliud est *legis naturæ*, aliud *legis scriptæ*, aliud *legis novæ*.—2.° *Ratione materiæ* aliud dicebatur *Victima seu hostia*; cum Deo offerebantur animalia: aliud *immolatio*; quando res solidæ inanimes, ut terræ fruges, offerebantur: aliud *libamen*; quum offerebantur liquida, ut

vinum.—3.° *Ratione modi* aliud dicebatur *holocaustum* ; si res oblata comburebatur: aliud *hostia pacifica*; cum *prima pars* cremabatur, *secunda* cedebat in usum sacerdotum, et *tertia* in usum offerentium: aliud *hostia pro peccato*, in quo una pars in honorem Dei comburebatur, et alia in sacerdotum usum cedebat, qui in atrio templi vescebantur.—4.° *Ratione finis* vocabatur *latreuticum*, si totum in honorem Dei offerebatur; *eucharisticum*, si in gratiarum actionem; *propitiatorium*, si ad satisfaciendum Deo pro peccatis; *impetratorium*, si ad beneficia a Deo per Christi merta impetranda.—5.° *Ratione sanctificationis* aliud est *absolutum*, quod in se omnem rationem sacrificii habet, tale fuit Christi sacrificium; aliud *commemorativum*, seu *relativum*, uti est Missæ sacrificium.

De natura veræ religionis est, *seu ex naturali ratione procedit*, ut ait Angelicus, *quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in modum debitæ subjectionis et honoris ; secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii.* Hinc est quod in omnibus humanitatis sæculis in usu fuerunt sacrificia, ad Deum placandum sanguinis effusione.

626. **Missa est verum novæ legis sacrificium**, et de fide est a Trid. (Sess. 22, c. 1) definitum contra calvinistas, socinianos, et rationalistas omnes: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, et proprium sacrificium ; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari ; anathema sit.* — Ratio: Christus in Cruce verum ac plenum obtulit sacrificium; Missa est veluti reiteratio, seu commemoratio illius sacrificii ; ergo... Missa quidem est oblatio a Christo instituta, in qua mystice mactatur ipse Christus, uti aperte liquet ex ejusdem verbis, in institutione Apostolis, eorumque successoribus directis : *Hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. XXII).

Quocirca Altaris sacrificium a sacrificio Crucis differt, non quidem *essentialiter*, sed tantum *accidentaliter;* nempe quoad modum offerendi; nam 1.° in Crucis sacrificio mors *realis* intercessit, in hoc autem mystica tantum; — 2.° in illo hostia realis (Redemptor) per se ipsam obtulit in ara Crucis; in hoc illa ipsa offertur per sacerdotum ministerium;—3.° ibi acquisivit Victima meritum, et solvit nostræ redemptionis pretium; hic illa ipsa nobis applicantur merita. Unde incruentum Missæ sacrificium idem profecto est ac cruentum Crucis, non solum quia eadem offertur Victima, sed etiam quia eadem est formalis ratio sacrificii. Adest realis Christi præsentia, ut est demonstratum ; et habetur repræsentatio ejusdem crucifixionis et mortis in distincta utriusque symboli, seu in panis et vini consecratione, separatione, immutatione, et destructione. Et si deest realis mactatio victimæ, nil refert; nam non est illa de sacrificii essentia : sic hircus in veteri lege non occidebatur, sed in desertum emittebatur; quod multo magis currit in sacrificio commemorativo Crucis, cum ea jam præcesserit in sacrificio absoluto. Idipsum evincitur ex quamplurimis conciliis, ex unanimi Patrum consensu, ac liturgiis omnibus. Tamen sacrificium ultimæ Cœnæ suum habebat valorem ex futuro Crucis sacrificio; et sic non fuit in illo tunc consummatum redemptionis opus. Hinc Concilium Ephesinum, an. 431, Eucharistiam vocat *sanctum, vivificum, incruentumque sacrificium ;* et sic SS. Ecclesiæ Patres.

*Missæ sacrificium rationes habet omnium sacrificiorum veteris legis* : 1.° est *Latreuticum*, quatenus Deo offertur in supremi ejus dominii agnitionem.— 2.° *Eucharisticum;* in gratiarum siquidem actionem pro beneficiis a Deo collatis eidem offertur.—3.° *Propitiatorium;* quia offertur pro remissione peccatorum.—4.° *Impetratorium;* nam offertur ad obtinenda a Deo beneficia per Christi mortem. Constat ex *Trid., sess.* 22, *c.* 2.

627. **Essentia Missæ sacrificii** verius in sola consecratione consistit. Ratio 1.ª Essentia hujus sacrificii ea continetur in actione, quam sacerdos nomine, et vice Christi peragit; atqui in consecratione maxime sacerdos Christi personam induit: ergo... 2.ª Actio sacrificialis functio esse debet potestatis Ordinis, qua solus sacerdos constituitur par ad sacrificandum; atqui in sola consecratione invenitur talis actio: ergo... Revera oblatio omnibus licet; Communionem accipiunt et laici, imo quondam sibi ipsis ministrare poterant: ergo... 3.ª Sacrificium Missæ est repetitio sacrificii Cœnæ, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem;* atqui præter consecrationem non constat, aliam a Christo adhibitam fuisse actionem, in qua consistere possit sacrificii ratio: ergo... 4.ª Hanc commemorationem contineri consecratione distincta panis et vini demonstratione non eget; ea siquidem repræsentatur sanguinis effusio, qua in primis continetur ratio sacrificii cruenti; Eucharistia est hujusmodi repræsentatio, in qua habetur tamen mystica sanguinis effusio, imo realiter adest ipsa victima, seu Christus: ergo et tota hujus sacrificii ratio. 5.ª Destructio non debet esse semper *physica*, sed sufficit *moralis*, seu *æquivalens*, uti effusio vini in libationibus: quocirca licet consecratione non destruatur substantialiter victima, destruitur quidem humano modo, quatenus accipit statum decliviorem et talem, quo redditur inutilis ad humanos usus, et Christus, magnus sacerdos, per quandam suæ SSmæ. humanitatis exinanitionem accipit statum cibi et potus. Ita *card. Franzelin, th.* 16, *Huter, n.* 460 *et* 461, *Lugo, d.* 19, *sect.* 5. Unde victimæ participatio ad sacrificii essentiam non spectat, sed ad ritus integritatem, quem Christus instituit, adeo ut nunquam liceat eam omittere. *Huter, Suarez, disp.* 75.

Ex contrariis sententiis aliæ sunt minoris momenti, antiquatæ et falsæ aliæ, ut v. g. sacrificium consistere in *oblatione vocali*, quæ antecedit, vel consequitur consecrationem, ut tenent alii cum *Azorio;*—vel in Communione cum *Pignatelli;*—vel partim in consecratione, et partim in sumptione cum *Bellarmino, S. Lig., n.* 305, *Scavini*, quæ opinio merito est a non paucis recepta; nam prius est vivere quam mori. Attamen obvia et hodie communiter recepta est *Lessii* sententia, secundum quam consecratio est vere sacrificativa; quia conserationis verba, quantum est de se, separant corpus a sanguine, et inster mystici gladii dissolvunt illud compositum, atque ideo sacramentaliter mactant illud, et in altari ponunt tanquam victimam occisam. Item probabilius et communius ad essentiam sacrificii requiritur utriusque speciei consecratio; secus non realiter repræsentaretur sacrificium Crucis, nec impleretur Christi præceptum ac institutio dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem.*—Sic Rubrica præcipit, ut si utraque species haberi nequeat, interrumpatur Missa, nisi jam una species sit consecrata. (*S. Lig., n.* 306).—*Si igitur corpus Christi miraculose appareat sub specie infantis, aut carnis, et sanguinis,* non est sumendus; quia tantum sub specie cibi, et potus sumi voluit, dicens: *Hoc facite*, etc. Si ita permaneret, consulendum sacerdoti, quod iterum corpus et sanguinem Domini consecraret et sumeret. (*V. Angelicum, p.* 3, *q.* 76).

628. **Minister sacrificii Missæ** duplex est, *primarius,* nempe, et *secundarius:* 1.ª (de fide) est *ipse Christus, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit.* (Trid., sess, 22, c. 2). Et Lateran., cap. *Firmiter* declarat: *Christum in hoc mysterio simul esse sacer-*

*dotem et sacrificium.* Unde sacerdotes loquuntur in persona Christi, verba consecrationis proferentes. — 2.º *vero est quilibet sacerdos valide ordinatus, qui Christi persona sacrificium offert;* nam talem instituit, ordinavitque Christus in Apostolorum persona, ut vere et realiter offerret, et sacrificaret, per ea verba: *Hoc facite, etc.* Hinc Trident.: *Si quis dixerit, illis verbis:* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum; anathema sit.* (Sess. 22, c. 2).— Imo etiam fideles sub aliquo respectu offerentes sunt: 1.º quatenus sunt membra Ecclesiæ, qui de ejus bonis participant;—2.º quatenus sacrificio assistunt;—3.º quando curant, ut sacerdos pro ipsis specialiter celebret. *S. Lig., n.* 307.

629. **Valor Missæ** est *efficacia illa, quam habet sacrificium, tum ex dignitate principalis offerentis, qui est Christus, tum ex rei oblatæ dignitate, quæ iterum Christus est.* Hinc colligitur Missæ valorem ex parte Victimæ infinitum esse; etenim Missa est oblatio Victimæ infiniti pretii, quæ est Christus.—Tamen infinitus esse nequit ejus valor ex parte hominum, seu quoad applicationem singulis hominibus factam; nam creaturæ infinitum fructum percipiendi sunt incapaces; etsi major, vel minor esse possit, pro majori, vel minori capacitate, seu dispositione.

Q. *Utrum applicatio efficaciæ Missæ fiat indefinite juxta capacitatem eorum, pro quibus offertur?*

R. Juxta probabiliorem, et hodie communissimam sententiam, applicatio *indefinite* fit juxta capacitatem fidelium, pro quibus offertur; cum enim valor sacrificii sit ex se infinitus, innumeris hominibus applicari valet, quin exhauriri queat; ideoque et juxta omnium illorum finitam capacitatem. (*Ita Gury, n.* 352, *S. Ligor., n.* 312). *Alii* absque solida ratione contrarium tenent; quia ex voluntate Christi effectus supponitur limitatus. Tamen in praxi sacerdoti fas non est plura recipere stipendia pro uno eodemque sacrificio: 1.º quia stipendium datur propter sustentationem; quoties itaque ministro sua tribuitur sustentatio, deest titulus cur aliud recipiat stipendium: —2.º cum contraria opinio adhuc sit probabilis, qui ab uno stipendium accipit, idem sacrificium pro aliis, nisi sub tacita conditione, applicare nequit; nimirum, dummodo nil stipendium conferenti detrahatur, versus quem obligationem titulo justitiæ contraxit. (*S. Lig., n.* 312).—*Ballerini, n.* 352 *cum Lugo*, sustinet quod uno eodemque sacrificio potest celebrans justitiæ obligationem satisfacere erga stipendium offerentem, et simul gratitudinis, vel fidelitatis, aut liberalitatis erga alterum; quia cum valor Missæ sit infinitus, et aliud non recipiatur stipendium, nil detrahitur id offerenti, et de superabundanti fructu succurritur alteri.

630. **Fructus Missæ** sunt *bona illa, quæ intuitu sacrificii Deus confert.* Unde fructus a valore differt, veluti effectus a causa.—Missæ fructus distinguitur ex parte *offerentis*, et ex parte *Victimæ.*

I. *Ex parte offerentis,* cum duplex sit offerens, Christus, scilicet, et sacerdos, duplicis generis est fructus; nempe, *ex opere operato,* et *ex opere operantis. Prior* ex Christo offerente provenit; nam intuitu meritorum Christi ac ejus passionis recipitur. *Posterior* provenit ex offerente sacerdote, seu recipitur intuitu meriti et devotionis celebrantis. Hinc profluit quod, ad sacrificii fructus *ex opere operato*, nil obsit nec prosit sanctitas sacerdotis; secus vero *ex opere operantis.*

II. *Ex parte Victimæ* triplex distinguitur fructus Missæ, nempe *generalis, specialis, et specialissimus.*—1.º *Generalis* est ille, *qui sacrificio respondet,*

*prout celebrans operatur totius Ecclesiæ nomine:* hunc fideles, etiam inscii, per modum *impetrationis* ac *propitiationis* recipiant, non vero per modum *satisfactionis;* secus quilibet justus immensæ pœnæ remissionem quotidie ex millenis Sacrificiis, quæ offeruntur, etiam inscius acciperet, quod *incredibile apparet,* ait *Gury, n.* 351.—De hoc fructu generali abundantius participant inservientes, cooperantes, et adstantes; et uberius quo major sit eorum devotio et sanctitas, utpote *ex opere operantis.*

2.° *Fructus specialis* ille est, *qui advenit ei, cui sacerdos specialiter Missam applicat.* Hic ex *opere operato* de sacrificio participat, uti est *impetratorium, propitiatorium,* vel etiam *satisfactorium,* si nihil obstat. 1.m impetrat auxilium ad pœnitentiam, aliasque gratias;—2.m est propitiatio pro peccatis nostris, ut docet Trid., sess. 22, cap. 2: *Hujus* (sacrificii) *oblatione placatus Dominus gratiam, et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.*—3.m per se remittit immediate pœnas peccatorum hominibus justis, etiam in purgatorio.

3.° *Fructus specialissimus* est ille, *qui sacerdoti offerenti obvenit, uti persona privata offerens, vel actum meritorium exercens;* nam ex eo quod sit offerens, spoliatus non censetur communi capacitate fructum specialem veluti cæteri fideles saltem acquirendi.—Controvertitur an possit celebrans aliis hunc fructum applicare: negant plures cum *Scavini, n.* 180; cum enim sit actio ipsius offerentis, impedire non potest quominus ipsi prosit. Illud tamen certum est, ob hujusmodi fructus applicationem recipere aliud stipendium non licere: quod tamen intellige, nisi hoc ipsum cum consensu dantis aliud stipendium fiat, ait *Ballerini, n.* 351.

231. **Sacrificium Missæ offerre licet** pro aliis etiam in particulari. Ita declaravit Concilium Constantiense, et Pius VI, Bulla *Auctorem fidei,* contrariam damnans propositionem. Unde offerri potest pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis, sive justis, sive peccatoribus: 1.° *pro infantibus,* ut Deus eos in timore suo ad adultam ætatem perducat:—2.° *pro energumenis,* ut eos Deus a malo spiritu liberet:—3.° *pro catechumenis,* ut in fide confirmentur:—4.° probabilius etiam *pro infidelibus,* ut ad fidem veniant. Idque est conformare se Christo, qui pro omnibus se obtulit. (Ita *Scavini, Gury, S. Lig., n.* 309, *Benedict. XIV, Ballerini, n.* 349.—5.° Licite, ac utiliter offertur *pro defunctis,* et de fide est contra lutheranos, et calvinistas. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis... non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* (Trid., sess. 22, can. 3).—Patet ex libro II Machab., c. XII. Ex Apost., ad Hebr. 5, sacerdotis est offerre sacrificia pro peccatis.—Ex traditione ac universalis Ecclesiæ praxi. Attamen pœna temporalis non remittitur defunctis certa lege, sed solum per modum suffragii, prout Deo illud acceptare placuerit. Hinc prudenter iterantur sacrificia pro uno eodemque defuncto:—6.° *pro peccatoribus, hæreticis,* vel *excommunicatis toleratis,* ut Deus, sacrificio placatus, gratiam et donum pœnitentiæ eis concedat. At non licet nomine Ecclesiæ, vel ut sacerdos est minister Christi pro *vitandis;* cum id a jure sit prohibitum. (V. l. 1, n. 246). Tamen potest adhuc illud offerre pro ipsis nomine proprio, seu quatenus est opus proprium suæ personæ privatæ. (Ita *Scavini, n.* 181, *Gury, S. Lig., n.* 308, *cum communi).* Item Missas celebrare licet in honorem Sanctorum; nimirum ut demus gratias Deo pro beneficiis ipsis collatis, et ut eorum intercessionem apud Deum obtineamus. *Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.* (Trid., sess. 22, can 5).—7.° *pro damnatis* nunquam licet Missam offerre; quia *in inferno nulla est redemptio.*

Q. *An liceat Sacerdotibus Missam offerre pro turcarum, aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro Missæ applicatione recipere?*— S. R. C. 12 jul. 1865, respondit: *Affirmative, modo non adsit scandalum, ac nihil in Missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet, nihil mali, aut erroris, aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse.*

Q. *An possit, aut debeat celebrari Missa, ac percipi eleemosyna pro græco-schismatico, qui enixe oret atque instet, ut Missa applicetur pro ipso, sive in ecclesia adstante, sive extra ecclesiam manente?* S. O. C., probante Gregorio XVI, respondit: *Juxta exposita non licere, nisi constet expresse, eleemosynam a schismatico præberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem.*

632. Q. *An Missa de* requiem *magis prosit defunctis, quam Missa de sanctis?*
R. Nega, ex parte sacrificii oblati, seu quoad substantiam; nam semper idem est.—Affirma, ex parte orationum; quia istæ in illa sunt ad hoc determinatæ, quarum defectum devotio supplere facile potest; vel intercessio Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur. *(Ita* S. *Lig., n.* 301).—Missam de *requiem* diebus permissis applicare licet pro vivo, modo qui eleemosynam dedit, expresse oppositum non declaraverit. S. R. C. 29 *nov.* 1856.

633. **Missarum species** multiplex est: 1.° *Solemnis*, si cum cantu, thure, diacono, et subdiacono celebretur. — 2.° *Missa cantata*, seu *major*, quæ cum cantu sine ministris celebratur. *Improprie* etiam solemnis dicitur, uti est Missa parochialis, et conventualis, quæ *media* ab aliis dicitur. *Quæsitum fuit an hæc Missa sit solemnis, et acquiratur indulgentia data pro assistentia Missæ solemni.* S. C. Indulg. 14 nov. 1724 respondit: *Negative.*—3.° *Missa lecta*, seu *minor*.—4.° *Publica*, ad quam populus concurrit.—5.° *Privata*, ad quam non admittitur cantus, nec concursus.—6.° Adest Missa *præsanctificatorum* appellata, et ab aliquibus *sicca*, quæ celebratur in die *Veneris Sancti*, pro qua acceptari nequit eleemosyna, cum verum sacrificium non sit.

634. **Missa votiva** ea dicitur, *quæ celebratur extra ordinem Officii.* Dividitur in *privatam*, et *solemnem*, prout celebratur pro arbitrio celebrantis, vel pro re gravi, seu publica causa. Unde 1.° *Missa votiva privata* sive legatur, sive solemniter cantetur, permittitur in omnibus semiduplicibus, simplicibus, et feriis non privilegiatis.—2.° Prohibetur autem in omnibus duplicibus, et Dominicis; infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, et Nativitatis Domini; in feria 4.ª Cinerum, et tota hebdomada Sancta; in vigiliis Epiphaniæ, Pentecostes, et Nativitatis Domini. Ita *Rubrica, et* S. *R. C.* 28 *sept.* 1675, 16 *sept.* 1730, etc. (Herdt, n. 124).—3.° Communiter tamen docent AA. mortale non esse, sed veniale, secluso scandalo, vel contemptu, diebus vetitis eam celebrare; in hoc siquidem notabilis perversio ritus non videtur; si tamen excipiantur festa solemnia (saltem si tunc diceretur publice Missa votiva, difficulter a gravi excusari posset), maxime si Missa esset de *Requiem.* S. *Lig.*, *n.* 420, *Scavini, n.* 189.

**Missa votiva solemnis** pro re gravi, vel publica causa: 1.° permittitur, cum Ordinarii licentia, in omnibus diebus et festis, exceptis duplicibus 1.æ classis, Dominicis 1.æ classis, uti *Palmarum*, feriis Cinerum, et majoris hebdomadæ, vigiliis Pentecostes, et Nativitatis Domini. S. *R.* C. 27 *mart.* 1779.—2.° In hisce diebus, si præscribatur Missa votiva solemnis, celebranda est Missa diei, cujus orationi principali sub una conclusione addenda est oratio Missæ votivæ. S. *R.* C. 12 *sept.* 1767. —3.° Hæc vero Missa diei in reliquis celebranda est cum omnibus orationibus, Gloria, Credo, etc., vel sine illis, prout ejus ritus et qualitas exigunt. *Herdt.*—

4.° Ut autem hæc Missa votiva diebus non exceptis cantari possit, opus est ut solemniter, seu cum ministris sacris, vel saltem, si illi desint, in cantu celebretur. *Rubrica generalis.*— 5.° Missa votiva solemnis dici debet cum *Gloria, Credo. Ita Missa est*, et *unica oratione. Clem. XII*, *Const.* 9, *die* 1, *sept.* 1730, S. *R.* C. 27 *mart.* 1779, *Merati, n.* 44. Si Missa votiva solemnis, quæ propriam habet *Præfationem* cantetur in octava, quæ habet *Communicantes* proprium, *Præfatio* erit de Missa votiva, et *Communicantes* de octava. S. R. C. 16 *jun.* 1863. — 6.° Causa gravis, et publica requisita ad celebrandam Missam votivam solemnem est spiritualis, vel temporalis necessitas, quæ saltem majorem communitatis partem afficiat, uti pro obtinenda pace, pluvia, serenitate, etc., pro avertendo malo, v. gr., peste; pro acquirendo beneficio, uti Pontificis, Episcopi, vel Regis sanitate; pro gratiarum actione ob contagii cessationem, vel ob pluviæ beneficium, etc.: item in coronatione imaginis B. V. Mariæ, aut in publica et extraordinaria festivitate, puta in centenario translationis Reliquiæ alicujus Sancti, quæ causæ fingi non debent. Hinc alicujus privati infirmitas, religiosi, vel monialis professio, electio abbatissæ, prima Ordinati Missa, festum titularis alicujus confraternitatis, et similes non sufficiunt. S. R. C. 24 *jul.* 1683. Quotiescumque autem celebretur Missa votiva solemnis, gravi adstante causa, pro eadem applicari debet, uti ex se patet. Non ergo licitum erit Missam, v. gr. pro Pontificis electione cum paramentis violaceis peragere, et ipsam pro defunctis applicare.

635. **Missa votiva pro precibus 40 horarum** permittitur omnibus diebus, exceptis duplicibus 1.æ et 2.æ cl., Dominicis 1.æ et 2.æ cl., feria 4.a Cinerum, Hebdomada Sancta, diebus infra octavas Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes, vigiliisque Nativitatis Domini et Pentecostes. *Gardell., Herdt.* In his Missis unica tantum dicitur oratio, si alia conventualis cantetur. Item dicitur *Gloria*, et *Credo*, excepto die intermedio, si celebretur de pace, vel alia necessitate in colore violaceo, quæ est sine *Gloria*, et extra Dominicam etiam sine *Credo*; nam prima et tertia die cantatur Missa de SS. Sacramento, et die intermedia de pace, vel alia necessitate arbitrio Episcopi juxta dec. 23 maj. 1835. *Herdt.* Sed hæc Missa intermedia extra Romam non obligat. *Scavini, l.* 4, *n.* 372.—Diebus supra exceptis cantanda est Missa diei, cujus principali orationi additur oratio Missæ votivæ sub una conclusione; deinde sub distincta conclusione fiunt cæteræ commemorationes præscriptæ, et in reliquis Missa celebratur juxta ritum et qualitatem Missæ diei. *Gardell., Herdt.*—In aliis diebus quum exponitur SS. Sacramentum, ut in tertia cujuslibet mensis Dominica, post orationes præscriptas fit commemoratio tantum SS. Sacramenti. S. R. C. 16 *febr.* 1737, *et dec.* 12 *sept.* 1840. *Gloria* nunquam dicitur in Missis votivis privatis quantumvis solemnibus, nisi in Missa: 1.° B. V. M. in Sabbato.—2.° Angelorum.—3.° Sanctorum in ipsorum die festivo.—*Orationes* saltem tres ejusdem temporis semper dici debent, etiamsi Missa solemniter cantetur.

In Missa votiva solemni, quæ celebratur pro re gravi, seu publica Ecclesiæ causa, ac etiam Missa *aurea*, votiva solemnitatis Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, SS. Petri et Pauli, et Patroni loci translata in Dominicam, item in precibus 40 horarum, atque ob titulum Ecclesiæ, vel concursum populi juxta Rubricas gen., quæ omnes more solemnis votivæ celebrantur, certum est: — 1.° non esse dicendas communes orationes, ut in privatis; ast utique una tantum est dicenda oratio absque ulla commemoratione Officii diei, dum præter votivam alia cantatur Missa conventualis, ut in cathedralibus, collegiatis, aliisque, in quibus Officium publice agitur juxta *dec.* 13 *jun.* 1671, 16 *febr.* 1737.—2.° Idem videtur dicendum de illis ecclesiis, in quibus alia Missa conventualis legitur, ex S. R. C. 14 *febr.* 1705, *et* 27 *mart.* 1779.—3.° Quoad parochiales

ecclesias, et ubi una tantum celebratur Missa, eaque votiva, faciendæ sunt commemorationes Officii diei, saltem eæ, quæ fiunt in festo solemni, nempe de Dominica, octava privilegiata, Feria majori, item de festo duplici, et semiduplici, non autem de octava communi, simplici, et vigilia, juxta *Guyetum* et *Mer*. (V. Herdt, n. 127).—4.° Si denique in his ecclesiis præter Missam votivam cantetur, vel legatur alia Missa de Officio diei, ex *dec.* 18 *febr.* 1791, faciendæ sunt aliæ commemorationes, si non fuerit celebrata Missa conventualis de die. In dec. vero 22 jul. 1848 dicitur: *Cantetur una Missa solemnis de festo illo more votivo, cum unica oratione.* Sermo erat de votiva solemnitatis Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, etc., translatæ in Dominicam. Unde, relictis dubiis, in praxi sequendum est directorium diœcesanum juxta dec. 23 maj. 1835; et si directorium nihil præscribat, teneri potest consuetudo, nisi aliud a S. R. C. decernatur. Ita concludit *Herdt*.

Sic si unica Missa solemnis, et hæc votiva, celebretur in Dominica, fieri non debet commemoratio Sanctorum, et Dominicæ occurrentis, neque dici debet Evangelium ejusdem in fine; secus si cum ea Missa recitetur etiam Officium. S. R. C. ad *Compostellanam*. (V. Herdt, n. 127 ad III). Durante expositione SS. Sacramenti, occasione 40 Horarum, regulariter celebrari nequit Missa privata de *Requiem*, neque cantanda Missa defunctorum pro adimplenda mente testatoris, sive anniversario faciendo *S. R. C.* 2 *dec.* 1684.

**Missa in cantu.** In Missa solemni non permittuntur in altari duo *missalia*, unum in cornu epistolæ, aliud in cornu evangelii, privilegio excepto. *S. R. C.* 7 *sept.* 1816. —An celebrante solemniter prima vice novo sacerdote, presbyter assistens possit aspergere populum in Dominica, et deinde ad sacristiam accedere, et sacerdotem ipsum ad altare adducere cum ministris? S. R. C. 11 maj. 1837 respondit: *Negative in omnibus.*—An Episcopus tolerare possit quod Canonici Missam solemnem cum diacono et subdiacono aliquando cantent, nulla adhibita incensatione, et sæpe sæpius id faciant in Missis de *Requiem* cantatis cum assistentia diaconi et subdiaconi, qui semper Canonici sunt? S. R. C. 29 nov. 1856 respondit: *Negative.*—Eliminandus est abusus, ut laici vestes sacras induant, et ita in functionibus serviant. S. R. C. 11 *sept.* 1847.

Deficiente subdiacono pro Missa solemni, data necessitate, potest permitti, ut substituatur clericus saltem tonsura insignitus, qui inserviat Missæ solemni, sed paratus absque manipulo. S. R. C. 22 *jul.* 1848.—In benedictione Missæ cantatæ, Canonici stant se profunde inclinantes, alii genuflectunt. S. R. C. 27 *aug.* 1836.—An etiam sacerdos dicere debeat submisse in Missa solemni: Ite, Missa est? *Negative.*

Benedicamus Domino, et requiescant in pace? *Affirmative.* S. R. C. 7 *sept.* 1816.

Exposito SS. Sacramento, illa tantum omitti debent oscula, quæ specialiter Sacramentum expositum dumtaxat respiciunt; non illa, quæ ad ritum Missæ solemnis proprie pertinent. S. R. C. 12 *aug.* 1854. Item *die* 11 *sept.* 1847 declaravit in ipsis diebus semiduplicibus non posse cum cantu celebrari duas Missas votivas de eodem Sancto.—Missæ privatæ celebrandæ non sunt in altari majori, dum in choro dicuntur Horæ; neque in altaribus, quæ sunt e conspectu chori. S. R. C. 2 *maj.* 1620.

**Missa benedictionis sponsorum.** 1.° Missa hæc est votiva privata, ut declaravit S. R. C. 28 febr. 1818; proinde semper est dicenda sine *Gloria* et *Credo*, cum tribus orationibus, et cum *Benedicamus Domino*, et Evangelio S. Joannis in fine. 1.ª oratio est propria de votiva; 2.ª de quo fit Officium; 3.ª vero quæ aliunde dicenda foret secundo loco in Missa de Officio. Decretum hoc Pius VII, 3 mart. 1818, probavit.—2.° Missa pro sponsis dici potest in duplicibus sive minoribus, sive majo-

ribus; et in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. Ita S. R. C. 7 *sept.* 1850 in *Veronen.* Non vero in Dominicis, aliisque festis de præcepto; nec in duplicibus 1.æ et 2.æ classis. In hisce diebus Missa dicitur de festo diei cum commemoratione pro *sponso* et *sponsa*, et diversa festi conclusione; hæc commemoratio fit primo loco post alias a Rubrica præscriptas; ideoque præstat iis, quæ a Superiore sunt imperatæ. S. R. C. 20 *apr.* 1822, *et* S. R. C. 20 *dec.* 1783, *et* 7 *jan.* 1784.—3.° Commemoratio pro sponsis fieri nequit infra octavam Epiphaniæ, Corporis Christi, nec in vigilia Pentecostes. Benedictio nuptialis solemnis nonnisi in Missa impertienda est. S. R. C. 14 *aug.* 1858, *et* 26 *mart.* 1859, *et* 31 *aug.* 1867.—4.° Sacerdos etiamsi Missam pro nuptiis assignatam dicat, applicare eam non tenetur pro sponsis, nisi ab iis eleemosynam accipiat. S. O. C. 1 *sept.* 1841. In eadem Missa potest plures benedicere, sed nihil in ipsa immutetur. S. R. C. 27 *aug.* 1836. Color hujus Missæ votivæ ex rubrica est albus.

Quæritur: *Utrum Canonicus habens usum rochetti et cappæ, vel mozzetæ teneatur ea insignia deponere, et induere superpelliceum.—1: ad sacram Communionem administrandam extra Missam?—2: ad celebrandum Matrimonium?—3: ad impertiendam benedictionem nuptialem, si aliquando detur extra Missam?—4: in omni benedictione extra Missam?* Resp. *Sacramenta administranda sunt cum cotta et stola, depositis cappa, aut mozzeta; potest tamen cotta superimponi rochetto.* Ideoque *ad* 1 *affirmative*: ita etiam ad 2 et 4. *Ad 3 benedictio nuptialis dari non potest extra Missam, ideoque non est locus dubio. S. R. C.* 31 *aug.* 1867.

Dummodo de primis nuptiis agatur dari potest nuptialis benedictio, quæ est in Missa, quamvis mulier gravida sit, vel filios genuerit, sive ex legitimo matrimonio sine tali benedictione inito, sive ex fornicatione. *S. C. de prop. fide, jun.* 1841.

In festo S. Cordis Jesu non fit commemoratio de Sacramento. *S. R. C.* 6 *sept.* 1834. *(V. Herdt, pag.* 223). Si processio expositionis SS. Sacramenti immediate post Missam fiat, utitur sacerdos pluviali et paramentis ut in Missa, quamvis coloris *viol.*, aut *virid.* sint; velum autem semper albi coloris esse debet. Extra Missam vero paramenta processionis alba erunt.—Missa festiva solemnis de Titulari Patrono, vel de alio Sancto, etsi ritus simplicis, ob concursum, et populi devotionem, celebrari potest propria die, etsi ejus Officium alia de causa sit impeditum, exceptis præfatis diebus.

Utrum servanda sit consuetudo ab immemorabili invecta celebrandi in altari, ubi publice discoopertum manet SS. Sacramentum, præter Missam expositionis, aliam quæ præcipua est solemnitatis, cuique magnus populi concursus adest. *S. R. C.* 27 *sept.* 1864 respondit: *Attenta consuetudine immemorabili tolerari posse.*

Q. *An obligatus Missam votivam dicere, vel de Requiem, ratione eleemosynæ, vel capellaniæ, in diebus permissis, satisfaciat Missam currentem celebrando?* — R. Affirma communissime, et etiam probabiliter; nam votiva tantum permittitur; proindeque decentius est se conformare universali Ecclesiæ præscripto. *Suar., Salm., n.* 125, *S. Lig., n.* 422 contra *Laym., Tamb.*—Tenentur Canonici omnino ad cantandam Missam de die, ut lucrentur distributiones. *S. R.* C. 28 *jan.* 1612.—Non debent dici Missæ votivæ, seu Collectæ Missarum Nativitatis D., Epiphaniæ, Paschatis, Assumptionis B. V., et omnium similium festorum, etiam Sanctorum, quæ proprios habent *Introitus* etc., ut declaravit Paulus V. In aliis vero votivis, in quibus ritus et veritas verborum non violatur, nihil prohibet quin ipsæ dici possint, licet melius sit dicere Missam

votivam Missalis. *Merati, Gav.* etc.—De quocumque Sancto ex martyrologio, vel canonizato, dici potest Missa votiva. *V. S. Lig., n.* 423.

**Missa privata** licita est, ac utilis; nam minister nomine totius Ecclesiæ respondet; et celebrans Christi vices gerit, Crucis sacrificium commemorans: proindeque per has Missas SS. Trinitati tribuitur laus et gloria, Angelis lætitia, peccatoribus venia, justis subsidium, et gratia, in purgationis loco existentibus refrigerium, Christi Ecclesiæ speciale beneficium, ipsi celebranti contra infirmitates medicina, et remedium contra quotidiana peccata.—Unde contra lutheranos, jansenistas, etc. *Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.* (*Trid.*, sess. 22, can. 8). Sacerdos ad celebrandum pergens, et Calicem manu tenens, accipere potest aquam benedictam, et se signare, si commode fieri potest. *S. R.* C. 27 *mart.* 1779.—Item potest cineres distribuere; sed non sibi prius eas imponere, genuflexus ante altare. *S. R.* C. *in Veron.* 16 *mart.* 1832.—In Missis privatis nemini licet, præterquam solis Episcopis, adhibere clericum ministrantem qui *missali* assistat, etc. Sed omnes, præter Episcopos, debent calicem ad altare deferre, illum detegere, et cooperire in Missa privata, ad sacrarium deferre, missale aperire et claudere, et reliqua. *S. R.* C. 20 *jul.* 1680, 31 *maj.* 1817, *et passim.*—Usus parvi cochlearis non est prohibitus. *S. R.* C. 6 *febr.* 1858.

636. **Missæ defunctorum** sunt quæ in paramentis nigris cum propriis cæremoniis celebrantur, quæ *diebus a rubrica vetitis sub gravi prohibentur,* ait *Del-Vecchio, l.* 3, *n.* 188, ex decreto *S. R. C.* 5 *aug.* 1663, approbato ab Alexandro VII.

Unica permittitur Missa exequialis solemnis, præsente cadavere, (modo conventualis, seu parochialis non impediatur, vel officia divina) omnibus diebus præter sequentes. 1.° In triduo sacro. majoris hebdomadæ:—2.° In duplicibus 1.æ cl., quæ festiva sunt de præcepto, et cum multo apparatu exteriori et solemnitate, qualia sunt festa Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis Domini, SS. Corporis Christi, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, Patroni principalis loci, et in omnibus loci ecclesiis, necnon in Dominicis, in quas eorumdem solemnitas festorum transfertur in Galliæ territorio, ex *S. R. C.* 23 *maj.* 1835.—3.° Item prohibetur in festo principalis Patroni, seu titularis ecclesiæ, licet non sit patronus loci. *S. R. C.* (inter alias) 7 *sept.* 1816.—4.° Tempore expositionis SS. Sacramenti; et si reponi nequit Sacramentum, est anticipanda, vel differenda Missa exequialis. *Gardell.*—5.° Item in festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ, ubi est de præcepto in populo. *S. R. C.* 7 *sept.* 1816.—Permittitur in Dominicis 1.æ cl., ex *S. R. C.* 23 *sept.* 1837, uti Palmarum, prima Adventus, Passionis, in Albis, etc.: item in feriis secundis et tertiis Paschatis, et Pentecostes, ex *S.* R. *C.* 2 *sept.* 1741. Item in feriis 2.a, 3.a et 4.a majoris hebdomadæ, et similibus, atque in festis 1.æ cl., quæ non sunt de præcepto, vel de præcepto sed absque præfata solemnitate. *S. R. C.* 9 *apr.* 1808, etc.

In festo anniversario dedicationis propriæ ecclesiæ potest celebrari Missa de *Requiem* cum cantu, præsente cadavere. *S. R.* C. 12 *nov.* 1831, et 16 *apr.* 1853.

**Corpore sepulto sine Missa** ad vesperam ob rationabilem causam, vel in die, qua Missa exequialis præsente cadavere excluditur, prohibetur Missa exequialis in duplicibus 1.æ et 2.æ classis, et in Dominicis, ac festis

de præcepto. *S. R.* C. 11 *apr.* 1840, 7 *sept.* 1816. Permittitur vero omnibus aliis diebus, excepto triduo sacro hebdomadæ Sanctæ: consequenter licet celebrare infra octavas privilegiatas, feria 4.ª Cinerum, et in vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes. Hæc Missa exequialis, ut privilegio gaudeat, tantum transferri potest in sequentem diem, seu in primam per Rubricas non impeditam post sepulturam. *S. R. C.* 18 *dec.* 1779, 7 *sept.* 1816.

Corpore nondum sepulto, sed non præsente ob civiles præscriptiones, vel aliam rationabilem causam, Missa exequialis prohibetur duplicibus 1.æ classis, licet non festivis de præcepto. *S. R. C.* 3 *aug.* 1839, etc. Permittitur autem in Dominicis, in duplicibus 2.æ cl., et diebus inferioris ritus etiam festivis de præcepto. *S. R. C.* 22 *mart.* 1862: item in aliis feriis et vigiliis, ut supra. —Si corpore sepulto Missa exequialis differatur ad tempus bene visum, non gaudet privilegio cantandi in duplici; et tunc celebranda est Missa quotidiana extra diem depositionis, 3, 7, 30ᵐ, et anniversarium, semper cum oratione *Inclina*, vel *Quæsumus.* (V. *Herdt, n.* 129 *et* 130). Missa exequialis, ut in duplici celebrari possit, debet cantari. *S. R. C.* 17 *jun.* 1844.

Ad celebrandum in cantu Missam de *Requiem* duplici non impedito die 3, 7, 30, sufficit voluntas consanguineorum, amicorum, vel testamenti executorum. S. R. C. 22 *mart.* 1862.—In Missis de *Requiem* cum cantu saltem quatuor candelæ ad altare sunt accendendæ. S. R. C. 12 *aug.* 1854. Hinc:

1.° Missæ defunctorum privatæ, etsi corpore præsenti, dici nequeunt in duplicibus, aliisque a rubrica exceptis. *S. R.* C. 19 *jun.* 1752, *Ubi adest consuetudo recitandi Missam lectam defunctorum in obitu pauperis defuncti retineri potest.* S. R. C. 12 sept. 1844.—2.° In Missis quotidianis *de Requiem*, quæ decantantur, una oratio tantum est dicenda (excepta prima die mensis, et feria secunda), si celebrentur cum diacono et subdiacono (*S. R.* C. 16 *apr.* 1853).—Si pro uno defuncto sit, dicenda erit oratio conveniens personæ. (*S. R.* C. 17 *jun.* 1875).—Unica oratio dici debet in Missa *de Requiem* cum cantu pro anima illius, quam designavit eleemosynam exhibens. (*S. R. C.* 12 *aug.* 1854). Orationes in quibus N. non invenitur, tam in Officio, quam in Missa, sine nomine sunt legendæ. (*S. R.* C. *ut supra, et* 7 *apr.* 1832, 22 *mart.* 1862).—3.° In funere, vel anniversario sacerdotis dici potest tam Missa prima, ut in commememoratione omnium defunctorum, quam secunda, ut in die obitus, dummodo oratio sit *Deus qui inter Apostolicos.* (*S. R.* C. 29 *jun.* 1752).

Q. *An in funeribus adventitiis, quæ ex mera devotione fidelium proveniunt, possint decantari Missæ* de Requiem *in diebus, quibus rubrica obstat ratione duplicitatis?* S. R. C. respondit 7 sept. 1861: *Negative.* In Missis *de Requiem* cum cantu sunt canenda: *Absolve, Dies iræ, Introitus, Offertorium, Postcommunio;* et in ea saltem quatuor candelæ ad altare sunt accendendæ. *S. R.* C. 11 *sept.* 1849, 12 *aug.* 1854.—Missas acceptatas pro defunctis, etiam de Officio currenti celebrare licet diebus, quibus rubrica Missas *de Requiem* permittit, dummodo fideles expresse non rogaverint dici Missam *de Requiem.* (*S. R.* C. 5 *aug.* 1662 *et* 12 *sept.* 1840).—Celebrans ad intentionem dantis eleemosynam, Missam dicere potest *de Requiem*, etsi prorsus ignoret quænam sit illius intentio, pro defunctis necne. (*S. R.* C. 29 *nov.* 1856).—In Missis defunctorum *de Requiem* privatis et quotidianis sacerdos indiscriminatim dicere debet primam orationem, *Deus qui inter Apostolicos*, primo loco in missali assignatam.

(S. R. C. 16 *sept.* 1865).—In Missis quotidianis, quæ pro defunctis celebrantur, possunt quidem plures dici orationes quam tres; sed curandum, ut sint numero impares, et aliquando pro illa *Deus veniæ* impune subrogatur alia, v. gr., pro patre, matre, etc., dummodo ultimo loco dicatur illa *Fidelium.* (S. R. C. *in Aquen.*, 2 sept. 1741).—Variari potest 2.ª oratio *Deus veniæ largitor*, cui subrogatur alia, v. gr. pro quo Missa applicatur. (S. R. C. 25 sept. 1837 *in Mutinen.*)

**Anniversaria** pro die obitus permittuntur omnibus diebus, etiam in duplici minori et majori. Prohibentur autem in Dominicis et omnibus festis de præcepto in populo, ac in duplicibus 1.æ et 2.æ cl. S. R. C. 20 *nov.* 1628, *et* 13 *sept.* 1704. Item infra octavas et ferias privilegiatas ut supra. S. R. C. 2 *sept.* 1714, etc. Si anniversaria diebus exceptis occurrant, anticipari, vel transferri debent in primam diem non impeditam (absque ulla variatione in collectis). S. R. C. 22 *dec.* 1753, etc.: alias nullo gaudent privilegio. S. R. C. 3 *dec.* 1701. Sufficit Missam cantare sine sacris ministris; et in minori ecclesia, in qua Missa cantari non solet, Missa lecta videtur etiam gaudere iisdem privilegiis, ex S. R. C. 19 *jun.* 1700.

Q. *An Anniversaria quæ celebrantur a capitulis, collegiis, confraternitatibus, etc., pro omnibus in genere Canonicis, confratribus, etc., defunctis, possintne celebrari, si recurrat festum duplex? Negative.* (S. R. C. 5 *dec.* 1733, *et* 12 *nov.* 1831).

Anniversaria pro defunctis ad instantiam vivorum, si cadant in diem impeditam, transferri debent ad diem non impeditam festo duplici. (S. R. C. 21 *jul.* 1855). Idem dicendum si fundata sint absque dierum assignatione. S. R. C. 23 *aug.* 1766.

Anniversaria dies computatur a die obitus. S. R. C. 19 *jun.* 1700: et per diem obitus intelligitur ab instanti mortis usque ad sepulturam. (S. R. C. 23 *aug.* 1766, *et* 21 *jul.* 1855).—Alias privilegio non gaudent.

**Defunctorum exequiæ.** In depositione defunctorum in verbis illis: *Non intres in judicium*, etc., quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *serva tua*, aut *servis tuis* absque rubricæ læsione (S. R. C. 31 *aug.* 1697, *et* 12 *aug.* 1854); in aliis variandum semper est.

Ubi ex dispositione testatoris singulis diebus canendum est in ecclesia responsorium pro defunctis privatim recitabitur in choro in festis 1 et 2 cl., octavis privilegiatis, et in hebdomada majori. *S. R. C.* 8 *jul.* 1741.—Feretrum etiamsi in eo recondatur corpus puellæ innuptæ, cooperiri debet panno nigro, minime vero albo in signum virginitatis. S. *R. C.* 21 *jul.* 1855.—Duplicatio antiphonarum, præter diem commemorationis omnium defunctorum et depositionis defuncti, fiat in Officio defunctorum in die 3, 7, 30, et in anniversario. *(S. R. C. mart.* 1738*)*.—Invitatorium semper est didicendum, si recitantur tres nocturni; non autem si dicatur unum tantum, nisi cadaver præsens sit. *(S. R. C.* 9 *maj.* 1739, *et* 3 *maj.* 1817).—

Quoad funebrem laudationem in ecclesia, obtenta debita facultate, post Missam est habenda; et qui illam recitat, veste talari nigri coloris sine superpelliceo sit indutus, et si regularis sit, cum suo habitu. (*Cabalieri, Del-Vecchio, l.* 4, *n.* 56*)*.

In exequiis sacerdotis crux locetur ad caput defuncti inter feretrum, et altare. *S. R. C.* 13 *sept.* 1746. Pro subdiaconis, et diaconis more laicorum.—Absolutio permittitur omnibus diebus, quibus Missa de *Requiem:*

aliis vero diebus non convenit, ut post Missam diei absolutio in nigris peragatur. *S. R. C.* 16 *dec.* 1828, *et* 16 *mart.* 1833. —Post Missam absolutio ad feretrum facienda est ab illo, qui Missam celebravit, non ab alio sacerdote: hoc enim jure gaudet tantum Episcopus. *S. R. C.* 12 *aug.* 1854. —In fine absolutionis mortuorum dicendum est *Requiescat*, vel *Requiescant* prout pro uno, vel pro pluribus fiat. In Missa vero semper *Requiescant*. *S. R. C.* 16 *dec.* 1678. In choro genuflectitur ab iis qui non sunt prælati ad confessionem cum suo Psalmo.—In Missis autem feriarum Adventus, Quadragesimæ, quatuor Temporum, et vigiliarum, in quibus jejunatur, ac in Missis defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad orationes, et dicto per celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini*, et ad orationes post Communionem, et super populum, excepta vigilia Paschæ, Pentecostes, Nativitatis D., et quatuor Temporibus Pentecostes.—Similiter ab omnibus genuflectitur, quando elevatur Sacramentum. *Rubrica.*

Q. An in parochia, in qua præter parochum nullus est alius sacerdos, si in diebus S. Marci, et Rogationum, et in vigilia Pentecostes occurrat sepultura, quæ anticipari, vel differri non possit, facienda sit sepultura sine Missa defunctorum, vel potius omittenda functio diei? R. *Affirmative ad primam partem*, *negative ad secundam*. S. R. C. id servari mandavit 3 jul. 1869.

---

# CAPUT II.

## De obligatione celebrandi ratione sacerdotii, officii, stipendii, et beneficii.

637. **Rationi sacerdotii.** Omnes sacerdotes ratione sacerdotii sub gravi aliquando celebrare tenentur. Constat ex illis Christi verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. XXII). 2.° Ex Trid., quod in præfatis Christi verbis præceptum reperit. (*Vide* l. 1, *n.* 755).

**Ratione oficii.** Omnes pastores qui actu curam animarum exercent; sint illi perpetui, aut temporanei, et ad nutum amoviles, sive sæculares, sive regulares, quamvis contraria atque immemorabili fulciantur consuetudine, aut congruis et præstitutis destituantur redditibus, diebus præscriptis, celebrare tenentur jure divino, naturali, et ecclesiastico pro ovibus suis. Constat 1.° ex Trid., sess. 23, c. 1, de R., et ex Bened. XIV, Const. *Cum semper oblatas.*—2.° Ex *S. C.* C. 24 *aug.* 1877.—3.° Ex ratione; nam ad hoc vocatus est pastor, ut animas pascat. Hinc personalis obligatio hæc est, et nulla valet in contrarium consuetudo, ut respondit *S.* C. C. 25 *sept.* 1847, *in Mechlin.*, et 24 aug. 1878. (V. T. I, n. 747).

An festum Patroni alicujus ecclesiæ consecratæ, aut solummodo benedictæ celebrari debeat duplex 1 classis cum octava quoad Missam et Officium a presbyteris dictæ ecclesiæ addictis? *S. R. C.* 28 *sept.* 1872 respondit: *Affirmative ad utrumque.*

**Ratione stipendii:** I. Olim fidelibus sacerdotibus celebrantibus panem et vinum offerebant, et quod supererat de sacrificio, ac pauperum

eleemosyna, in victum eorumdem clericorum cedebat. Dein fuit permissum oleum offerre, spicas, uvas, etc. Demum hæc permissio complexa est ipsam pecuniam, quæ in arcam mittebatur suo tempore distribuenda in ministrorum, et pauperum sustentationem. Successivè invaluit usus, ut pecunia ipsis celebrantibus traderetur, qui pro offerentibus Missam applicarent. Licite potest sacerdos stipendium accipere pro unaquaque Missa, non tanquam pretium, quod simonia esset, sed pro honesta sustentatione, juxta illud: *Quis militat suis stipendiis unquam? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant?* (I Cor. IX). Imo etiam pro extrinseco labore Missæ, v. g., si tali hora, vel loco, aut solemnitate sit celebranda. Id firmat universalis Ecclesiæ praxis.

638. **Stipendia Missarum, quum ea non taxavit testator, sunt taxanda** juxta loci stipendium ab Ordinario statutum, vel a synodalibus, aut a consuetudine, vel juxta morem civitatis, vel provinciæ pro Missis privatis vigentem, et non ad executoris testamentarii arbitrium; cui taxæ etiam regulares se conformare tenentur.—Si vero ipse testator id consignaverit infra loci morem, ab Ordinario sunt reducendæ Missæ juxta debitam proportionem. Sic statuit *S. C. Card. Concil. Trid. ann.* 1655, et Bened. XIV, *Inst.* 56, *n.* 10, quoad onera perpetua Missarum. Ita S. *Lig.*, *n.* 320, *Gury*, *n.* 373, *Gousset*, *n.* 295, *Scavini*, *l.* 4, *n.* 419. Hinc: 1.° Certum est non posse sacerdotes stipendium excedens exigere; hoc siquidem injustum esset, et magna pareret scandala. (*Ita communiter Suar.*, S. *Ligor.*, *n.* 320).—Ast probabilius, et communius pacisci queunt de Missarum justo stipendio secundum taxam, vel consuetudinem; nam licet non detur stipendium ut pretium Missæ, attamen cum tribuatur ex justitia pro sustentatione sacerdotis, ut dicit S. *Thomas,* nihil obstat quod in pactum deduci possit. (*S. Lig.*, *n.* 320).—2.° Qui autem jam acceptavit exiguum stipendium pro Missis celebrandis, non potest Missarum numerum reducere, prout sancivit Innocent. VII in Bulla *Nuper.* (*S. Lig.*, *ibid.*).—3.° Episcopus prohibere potest, ne sacerdotes stipendium accipiant minus justo; alias quodammodo vilesceret sane Missæ sacrificium. (*Ita probabilius Suar.*, *S. Lig.*, *ibid.*). At sicut quilibet ex charitate, vel amicitia minus stipendium admittere valet, sic etiam ex dantis liberalitate majus recipere licet. Nunquam tamen fas est sacerdoti per unam Missam duplici satisfacere stipendio; contraria propositio 8.ª fuit ab Alexandro VII diris devota, quæ sic jacet: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa accipere; applicando petenti partem etiam specialissimi fructus ipsimet celebranti correspondentem.* Secus dic de Missis gratuito promissis, quæ quidem nec onus contractus proprie dicti, nec justitiæ rationem induunt. *Gury, Varceno, aliique.*

*An sacerdos ad bonos libros divulgandos possit per stipendium certis Missis a se celebrandis æquivalens eos emere, et postea vendere, pretio currenti in librorum commercio, ita ut notabile lucrum inde percipiat?*—Negative prorsus; nam prohibetur quælibet negotiatio occasione Missarum celebrandarum ob turpis lucri speciem. (*S. Pœnit.*, 19 *nov.* 1863).

*Demum quæsitum fuit* 1.° *An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda, et pœnis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum, vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis incitamentis et præmiis, vel alio quocumque modo, Missarum*

*eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros, aliasve merces rependunt.* — (S. Cong. 9 sept. 1874 respondit : *Affirmative.*—2.° *An hæc agendi ratio ita cohonestari valeat, vel quia nulla facta imminutione, tot Missæ a memoratis collectoribus celebrandæ committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant; vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis Missarum carentibus, subvenitur?*—S. C. resp.: *Negative.*—3.° *An hujusmodi eleemosynarum collectiones, et erogationes tunc etiam improbandæ et coercendæ, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum, et bonorum operum usum, et incrementum impenditur?*—S. C. resp.: *Affirmative.*—4.° *An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi, atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus, vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem præmii nomine?*—S. C. resp.: *Affirmative.* —5.° *An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros, aliasve merces, harum pretio sive imminuto, sive integro?*—S. C. respondit : *Affirmative.*—6.° *An illicite agant ii, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros, vel alias merces, seclusa quavis negotiationis, vel turpis lucri specie?*—S. C. C. eodem die 9 sept. 1874 respondit: *Negative.*

Ratio præfatæ prohibitionis est; quia dedecet ut moderatores diariorum propria auctoritate, non exiguum quemdam Missarum numerum congerant, et cui, quo loco, et quo tempore ipsis placuerit, Missas celebrandas committant contra mentem ac prohibitionem Bened. XIV, Const. *Quanta cura*: cum innumera ex iis incommoda evenire possint; inter quæ, præter turpis lucri mercimonium, illud præ cæteris adnotandum, fieri non posse, ut tot susceptis obligationibus intra breve tempus satisfiat. *(Ita Ballerini, n.* 375).—Hinc ratio patet cur *S. C. C.*, 24 *apr.* 1875 ad dubium : *An, et quomodo sustinendum sit decretum Episcopi Calatanisiaden., absolute prohibens sacerdotibus suæ diœcesis, ne libros, vel diaria religiosa pro Missis celebrandis, vel celebratis, recipiant,* in casu respondendum censuerit: *Negative in omnibus;* et nihilominus 9 *sept.* 1874, *in Resp.* 5 *sup. relato*, morem recipiendi libros pro celebrandis Missis improbaverit? Nimirum in postremo hoc casu, cooperatio apparet ad improbatam ibi praxim colligendi, et committendi Missas celebrandas; quæ prava circumstantia alioqui, cum abesse possit, hinc non generatim hæc diariorum, seu librorum receptionem pro celebratis Missis interdicendam esse censuit. (Ita *Ballerini).*

Denique propositum fuit hoc dubium : *An, et quomodo improbandi sint moderatores, vel administratores diariorum religiosorum, qui sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente in casu?* S. C. maji 1875 respondit: *Negative, dummodo nihil detrahatur fundatorum, vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum et tempus celebrationis Missarum, exclusa quacumque studiosa collectione eleemosynarum Missarum, et dato, cui de jure, testimonio de secuta Missarum celebratione.* Præcedentia explicat hoc responsum, in quo simul incommoda indicantur, quorum causa alias

eadem *S. C.* hanc praxim improbaverat: prohibetur scilicet negotiatio, quæ fit ope Missarum, non vero si emas libros, et pro æquivalenti pretio Missas applices. (Ita *Varceno, ex S. C.* C. 9 *sept.* 1874, et *Gury, n.* 374 ex *S. Pœnitentiaria*, 6 *oct.* 1862.

639. Q. *An sacerdos possit alteri Missam tradere celebrandam, retenta stipendii parte?*

R. I. Nega, quum pro qualibet Missa accipitur determinata eleemosyna; nam id graviter prohibuit S. C. C., Decreto approbato ab Urbano VIII, confirmato ab Innocent. XII, et a Bened. XIV, Encyclica *Quanta cura*, 30 jun. 1741; et ad hanc doctrinam (quæ est *S. Ligor., n.* 321), appellat S. C. C., 20 *aug.* 1860. Quo in casu probabilius et communius docent sacerdoti celebranti restituendum esse quod retentum fuit; quia Missa est data tali stipendio celebranda, et ad celebrantis sustentationem. *S. Lig., n.* 322, *Gury, n.* 372. Unde Pius IX, Const. *Apostolicæ Sedis*, excommunicationem tulit in lucrum captantes ex Missarum eleemosynis. (V. T. I, n. 258).

II. Affirma: 1.° Si sacerdos celebrans omnino sponte (nec rogatus) excessum remittat.—2.° Si stipendii excessus, non Missæ intuitu, sed præcipue amicitiæ, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis tali sacerdoti tribuatur, dummodo moralis habeatur certitudo de hisce finibus; tunc enim rationem stipendii non habet.—3.° Si sermo sit de Missis, quas beneficiati, capellani, parochi, et alii celebrare devinciuntur ratione suorum beneficiorum, et redditus certi annuatim sint constituti. (S. C. C. 25 *jul.* 1874). Præfati dummodo justam taxam communem tribuant, satis adimplent; etenim non omnes præbendæ fructus celebrationi respondent. Ita etiam constat ex Bulla *Nuper* Innocent. XII, 23 nov. 1691. (*Scavini, n.* 164, *S. Lig., n.* 321).

Quæritur: 1.° *Multæ in ecclesiis parochialibus Missæ cantandæ fundatæ sunt, quibus a fundatoribus assignata est dos pinguior ab administratoribus administranda; ex qua parochi... eleemosynam ordinarie majorem percipiunt; nullo tamen sacerdote a fundatoribus ad has Missas celebrandas expresse vocato.*—2.° *In celebrandis matrimoniis, exequiisque defunctorum, jure stolæ parocho certa portio adsignata est pinguior quam Missis manualibus.*—3.° *Plurimæ per annum parochis a fidelibus offeruntur eleemosynæ pro Missis cantandis, sive secundum taxam ab Ordinario statutam, sive etiam sponte traduntur pinguiores.—Hinc quæritur, an parochi impediti possint per alios has Missas, et functiones peragere, sibi retinendo partem eleemosynæ.* S. C. C. 25 jul. 1874, respondit: Ad 1.m *Integram eleemosynam a parocho solvendam esse pro Missis sive lectis, sive cantatis.* Ad 2.m *Cum agatur de juribus stolæ, satis esse, si parochus retribuat celebranti eleemosynam ordinariam.* Ad 3.m *Integram eleemosynam solvendam esse, nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynæ oblatum fuisse intuitu personæ ipsius parochi.*

640. **Resolves.** 1.° *Graviter peccat sacerdos celebrare Missam omittens, licet stipendium pro illa acceptum non sit materia gravis,* nisi adeo tenue sit stipendium, ut gratis Missa promissa appareat; nam stipendium dans grave patitur spirituale detrimentum. *(Gury, S. Lig., aliique communiter* contra *alios.)*—2.° *Sacerdos, cui pingue stipendium offertur pro hodierna die, hoc retento, satis probabiliter rogare potest alium sacerdotem, ut pro ipso celebret, promittens se die sequenti celebraturum pro eo,*

*qui ordinario stipendio sit celebraturus;* saltem graviter reprehendi nequit, tam si est dives, quam pauper sacerdos; nam paupertas auferre non valet turpis lucri speciem, ubi invenitur. Ratio est, quia hoc non est retinere partem pretii, quod damnatur, sed tantum permutare Missas, et dies, quod praxis firmat, et mutuus, ac spontaneus celebrantium consensus. *Croix, l.* 6, *p.* 2, *n.* 134, *Mazz., Ballerini, n.* 372: *et S. Lig.*, licet contrarium sentiat cum *Concina*, *merito tamen id non audet* damnare de peccato gravi, ait de ipso *Concina, n.* 322.—3.° *Procurator, vel executor testamenti Missas sibi commissas celebrare faciens alio, ubi est minor taxa, non potest excessum sibi retinere;* quia nullum titulum habet, quo lucrum illud sibi retinere possit; facit ergo turpem quæstum ex eleemosynis. *(S. Lig., n.* 322 *cum communi).*—4.° *Administratores ecclesiarum aliquid sibi retinere non valent ex Missarum eleemosynis pro expensis altarium, luminum, etc.*, nisi *alios non habeant redditus; et tunc nullatenus debent excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subeundæ. Et nihilominus eo etiam in casu curandum est, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas...* S. C. C. Decret. confirmato ab Innocent XII ad num. 7.—*Archipresbyterum non teneri ad ministranda utensilia iis, qui celebrant in sua ecclesia ex obligatione beneficii, seu capellaniæ. Quoad Missas vero adventitias teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat eas in sua ecclesia celebrari; nec teneri ad Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes*, statuit S. C. C. 6 jul. 1726 apud Bened. XIV. *Not.* 56, *n.* 13, *S. Lig., n.* 322.

641. **Missas mutare, ecclesiam, diem, ac horam, non mutato stipendio.** I. Qui non celebrat in ecclesia, altari, die, et hora ipsi a fundatore designata, graviter peccat, et ad stipendii restitutionem, saltem si id sæpius agat sine justa causa, aut dispensatione, tenetur, si fundator ecclesiam, altare, diem, et horam assignaverit ob motivum satis grave, v. gr. ob specialem devotionem, aut ob populi, vel familiæ commoditatem, licet consentiant ejus hæredes; cum in re gravi fraudetur illius voluntas. Secus nonnisi leviter peccat, si id agat sine justa causa; nam Missa eadem est quoad substantiam. *Gury, n.* 377, *S. Lig., n.* 329.—Idem dicunt quoad Missæ qualitatem, uti votivam, vel de *Requiem*, nisi tali die sit prohibita. Ita *S. R. C.* 12 *sept.* 1840. Item quoad Missas manuales. *S. Lig., n.* 328.

II. Nonnisi venialiter peccat si præfata mutatio fiat raro, et agatur de pluribus Missis a fundatore relictis, puta semel, aut bis in mense, et levior erit mutatio horæ, vel altaris, quam ecclesiæ. Item si certo constet nullam adesse specialem causam, vel illam cessasse. Verum non liceret anticipare, si Missa sit celebranda pro defunctis talis loci, vel familiæ; qui enim moriuntur post anticipationem, suffragio fraudarentur. *Scavini, n.* 166.

III. Nullo modo peccat ille, qui alibi celebrat ex justa causa: 1.° si altare sit execratum, ecclesia restauretur, vel si ad ejusdem ecclesiæ, vel populi utilitatem redundaret; 2.° si capellanus morbo detineatur, vel studiis operam daret, vel aliis opportunis negotiis; 3.° si nonnisi cum magna molestia ad ecclesiam designatam se conferre queat; 4.° si egressus e sacristia celebraturus altare jam viderit occupatum. *Salm., S. Lig. de privil., n.* 60 *cum communi.* Item si celebret in altari privilegiato, vel diem anticipat absque alius detrimento; quia melius bono fundatoris

consulit. *Scavini.*—Additur *sine dispensatione*, quam quidem elargiri potest Papa, cum sit omnium sacrorum moderator. Dicunt *Concina*, *Roncagl.*, *Croix*, *aliique* non posse Episcopum dispensare quoad diem, locum, et horam, si fundator hæc determinaverit ob gravem causam adhuc subsistentem, nisi ei in fundatione sit data facultas. Aliter potest; nam ejus est bono suæ diœcesis consulere, quod in pluribus diœcesibus inductum est. *Scav.*, *n.* 166. Cæterum, dispensata localitate, adhuc subsistit manutentio ecclesiæ reddenda, cum manutentio sit quædam dos illius. Obtenta vero a Papa facultate quovis loco celebrandi, ubique celebrare licet, etiam extra diœcesim: si autem hanc facultatem fecerit Episcopus, semper intelligitur in ejus diœcesi: idque ratione jurisdictionis obtinetur.

IV. Obligatus ex stipendio ad celebrandum in altari privilegiato pro defuncto, legere debet Missam de *Requiem*, quum ritus id permittit; alias indulgentiam non lucratur: si vero ritus talem Missam prohibet, lucratur indulgentiam, legendo Missam diei. S. R. C. 11 *apr.* 1840. Ast ex S. C. R. 29 *febr.* 1864, *sacerdos ad lucrandam indulgentiam diem spectare adigitur, quo Missam de Requiem celebrare possit, dummodo tamen ejusmodi dies intra eam hebdomadam recurrat...* Secus infideliter ageret cum alterius detrimento; et si bona fide id fecerit, indulgentiam plenariam pro iis defunctis, quibus Missam applicuit, lucrari tenetur toties quoties diebus non impeditis sive ratione rubricæ, sive solemnitatis, sive expositionis SS. Sacramenti, *ex decreto* 11 *apr.* 1864, usus non est indumentis nigris. S. *Indulg.* C. 22 *febr.* 1847. Alias saltem excessum restituere debet, si stipendium majus ordinario ad hoc acceperit. *Gury, S. Lig.*, *n.* 329.

642. Dilatio celebrationis promissæ. Qui, accepto stipendio, diu Missam celebrare differt, graviter peccat; violat enim contractum justitiæ in re gravi. (Ita S. C. C. 21 *jun.*, *an.* 1525, et Innocent. XII, Bulla *Nuper*, et signanter n. 68, ubi legitur: *Eleemosynas manuales, et quotidianas ita demum sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant.* Et eadem *S. Congr.*, auctoritate Urbani VIII, declaravit, decretum non intelligi absolute, sed sacerdotes *posse nova onera suscipere, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.* Unde:

1.° Certum est graviter peccare sacerdotem, si petitam Missam pro aliqua urgente gratia impetranda, v. gr. pro felici partu, evadendo periculo, lite vincenda, agonizante, et similibus, omittat celebrare intra tempus urgenti necessitati aptum; quia circumstantia temporis tunc pertinet ad rei substantiam: hinc, transacto eo tempore, sacerdos stipendium restituere tenetur, etiamsi postea celebraverit, et monere dantem adigitur. (Ita *Scavini*, *n.* 165, *S. Ligor.*, *n.* 317, *Lugo*, *Bonc.*, *Tour.*, *Gury*, *n.* 369, *cum communi*).—2.° Certum est quod si quis tibi det eleemosynam, ut pro ipso celebres hodierna, aut certa festivitate, peccas, si postea Sacrum facias. *S. Lig.*: *Lugo* admittit illud facere posse die crastina.—3.° Quamvis Missarum onera suscepta *infra modicum tempus*, nempe, intra mensem, ex S. C. 17 *jul.* 1655, sint implenda, tamen si ita fieri nequeat, cum consensu illa tribuentis, sufficit ut celebrentur, satisfactis oneribus antea susceptis; nam eo in casu decretum non prohibet, ut accipiatur eleemosyna pro iisdem Missis juxta benefactoris consensum celebrandis: secus tali deficiente consensu. Ita eadem S. C. *Card. Concil. Trident.* (*Scavini*, *l.* 4, *n.* 419).—4.° Extra præfatos casus probabilius graviter non

peccat, qui Missam pro vivis promissam intra duos menses celebrat; et gravis reputanda est dilatio unius mensis pro defunctis. (*Salm., Tour., p.* 791, *Lugo, n.* 45, S. *Lig., Notificatione ad clerum* 1764, *Scavini, n.* 165 *cum communi: Gury, n.* 369, addit *pro recenter defunctis).* Secus si ultra duos contra paucos AA, vel unum respective mensem.—5.° Qui autem legata, capellanias, aut beneficia possident cum onere Missarum, sufficit ut intra annum, seclusa alia præscriptione, eas celebrent. Gravis reputatur, finito anno, ultra duos saltem menses dilatio, præsertim si defunctis essent applicandæ. (Ita *communiter*).—Quoad eleemosynas in animarum capsula a fidelibus erogatas, satis est ut identidem, cum suppetit tempus juxta regionis morem, Missæ celebrentur; nam id sciunt fideles, proindeque consentire videntur: semper tamen consultius erit quolibet mense eas celebrare. (*Scavini, l.* 3, *n.* 265). Stipendio penuria ab aliquibus in medium prolata graviorem facere videtur dilationem.

643. **Obligatio celebrandi ratione beneficii.** 1.° Beneficiatus sub gravi tenetur ex justitia, vel per se, vel per alium ad illum Missarum numerum, quæ in fundatione sunt impositæ ratione contractus inter patronum, et ipsum beneficiatum. Si præcisis verbis sit statutum, ut beneficiatus celebret *per se ipsum,* seclusa necessitate, non potest per alium. Tamen communius celebrare valet quatuor, vel sex diebus in anno pro se, vel pro amico, aut conjunctis, modo stipendium non accipiat; nam rationabiliter præsumitur consensus fundatoris: item reverentiæ causa abstinere a celebrando potest semel in hebdomada (*C. Significasti de præb.);* nisi aliter constet de fundatoris voluntate, vel intersit ecclesiæ necessitas; aut si in fundatione cautum sit, ut Missa quotidie *celebretur per se, vel per alium;* et etiam tunc sufficit si unam tantum applicet in die Nativitatis Dom.—2.° Si beneficiatus, vel capellanus, de quo supra, infirmetur, substituere alium non tenetur, neque Missas omissas deinde compensare, si infirmitas sit brevis, et fundator expresse non declaraverit, quod nunquam Missa deesse debeat; quia prudenter præsumitur fundatoris voluntas.—3.° Infirmitas brevis, alii cum *Laym., Salm., et Concil. Mediol. VII* eam extendunt ad mensem;—*alii* cum *Lugo, et Conc.* ad duos menses;—*alii* cum *Barbosa* ad 10 dies;—*alii* communius cum *Anacl., et Scavini, n.* 169, ad 15 dies.—Pro hac *Pitonius* affert declarationem *S. C. C.* 17 *nov.* 1695; si tamen beneficiatus per seipsum celebrare teneatur. *S. Lig.* omnes opiniones dicit esse probabiles.—Si infirmitas diutius perseveret, beneficiatus celebrare tenetur per alium, vel dispensationem petere, nisi in necessitate versetur. *(Scavini, S. Lig., n.* 333).

644. *An Missa fundata semper sit pro fundatore applicanda; vel an possit applicari Missa pro celebrantis intentione, et preces pro fundatore?*

R. In capellaniis, et beneficiis cum onere Missarum regulariter Sacrificium pro fundatore est applicandum, etsi dicatur simpliciter celebrandum esse. Unde sola præsentia, vel cantus, aut preces non sufficerent; sic enim communiter accipitur nomen *celebrare:* idque valet, non obstante quacumque observantia in contrarium; sic constat ex quamplurimis S. Cong. responsis.—Excipe 1.° si celebratio demandata sit pro commodo populi, monialium, vel infirmorum. *(S. Cong.* 22 *nov.* 1727 in *Novarien.)*—2.° Si fundator certum numerum Missarum præscribat, et aliquas aperte pro anima sua expresserit, et quoad alias nil dixerit.—3.° Si ab initio tenues fuerint redditus prudentum judicio, ita ut non sufficerent

ad honestam beneficiati sustentationem, si etiam Sacrum applicare debuisset. Ita pluries declaravit *S. Cong.* uti 13 *febr.* 1702, et 17 *jun.* 1729, 21 *mart.* 1868. *(Scavini, n.* 269).

Quæsitum fuit: 1.° *An Capitulum* Spalten. *teneatur quotidie Missam conventualem applicare pro benefactoribus?* et quatenus affirmative.— 2.° *An et quæ exemptio ab hac applicatione sit eidem indulgenda, attenta tenuitate præbendarum?*—3.° *An, supposita dicta applicatione Missæ conventualis, teneatur* Capitulum *in posterum continuare in celebratione aliarum Missarum, et quotidiana recitatione precum cum applicatione pro benefactoribus in casu,* etc.?—*S.* Cong. *anno* 1729 respondit: *Ad* 1.m *et* 2.m *indulgeri posse, ut Missa applicetur diebus tantum festis de præcepto.*—*Ad* 3.m *affirmative.*

*An deficientibus redditibus possit beneficiatus propria auctoritate Missas minuere?* R. 1.° Si deficiant ex toto, vel quia capitale pro Missis periit, vel quia otiosum ac infructiferum absque sua culpa manet, non tenetur Missas celebrare. (S. C. C. 7 *jan.* 1687.)—2.° Si ex parte tantum, et fundator ipse congruum stipendium pro qualibet Missa designavit; adhuc imminuere potest beneficiatus, vel potius res præstabilita habetur a fundatore.—3.° Si eleemosyna in genere tantum sit designata pro unoquoque anno, tunc probabilius, et communius ad S. Sedem est recurrendum; talis quidem est praxis, præceptum et ratio *(Scavini, S. Lig., n.* 331); nam Episcopus onera Missarum reducere, vel moderari non valet. (S. C. C. 20 *jul.* 1682, apud *S. Lig. n.* 331, et *Trid., sess.* 25, *can.* 8). —Excipe 1.° Si id ipsi concessit testator, dummodo certe constet.—2.° Si intercesserit conventio inter vivos cum Episcopo.—3.° Si deprehendat in prima oneris acceptatione redditus oneri non respondere. *(Scavini, n.* 263).

645. **Causæ autem, ob quas S. Sedes Missas reducere solet,** sunt: paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, decrementum reddituum, vel stipendii currentis augmentum, majores expensæ ad victum necessariæ, necessitas fabricæ; sed ex *S. C. Cardinalium Conc. Trid.* ad Apostolicam Sedem recurrendum est. (Ita *Bened. XIV*, Bulla *Nuper, an.* 1697).

**Ordo reductionis:** quando reductio facienda est *ex decremento reddituum,* tabulæ fundationis inspiciendæ sunt, et quod fundator præscripsit, præstetur. Si nil definitum habeatur, iterum videndum est, an patroni heredes teneantur, et possint supplere de proprio; quo in casu erunt cogendi. Secus en regulæ: 1.° Reducantur alia pia onera, v. gr., eleemosynæ: — 2.° Reductio non extendatur ad Missas, quarum celebratione ecclesia se obstrinxit ex inito contractu, nisi consentiat altera pars. Hinc etiam patronorum consensus requiri solet: — 3.° Prius reducantur, vel tollantur Missæ in cantu, quam lectæ; — 4.° Componatur reductio ad taxam Missæ manualis non perpetuæ. *(Scavini, n.* 263, *S. Lig., n.* 331).—Erunt cogendi ad celebrationem hæredes, aut beneficiarii, quando onus Missarum, seu legatum est *demonstrative,* id est, cum in toto asse gravatur; secus quando est *taxative,* si redditus modo dicto deficiant. *(Ita S. C. C.—Scavini, n.* 263, *Varceno, cum communi).*—Dignoscitur an sit legatum *demonstrativum,* vel *taxativum* ex verbis ipsius fundatoris: v. gr. si incipit *a quantitate,* uti si dixerit: *Titulo legati relinquo tale prædium, vel tales redditus pro anima mea singulis annis in perpetuum,* erit taxative. Secus si incipiat *pro onere;* uti si dicat: *volo tot Missas in perpetuum celebrari pro anima mea,* erit demonstrative.

646. Q. *Quid si moriatur sacerdos, et plures relinquat Missas non adimpletas?*

R. Recurrat ad R. Pontificem per organum Congr. *Fabricæ S. Petri* in Vaticano, condonationem, vel compositionem petens hæres, vel executor testamentarius. Pro obtinenda compositione requiritur: 1.º quod non fuerit omissa celebratio, animo illam obtinendi; alias gratia non suffragatur. 2.º Ut non sit recidivus: si talis sit, exprimi debet in supplicatione ex stylo Curiæ. Item exprimendum est an obtenta jam fuerit aliqua immutatio illarum Missarum; nam tunc esset reductio de reductione. —Si adhuc vivit sacerdos, et eas celebrare nequeat, nec stipendia solvere, ad S. Pœnit. fiat recursus, si res occulta manet, per confessarium, verum nomen reticendo. *(Scavini, n.* 264).

647. **De numero Missarum, et stipendiorum.** I. Certum est in regno hispano, et lusitano sacerdotes posse in die omnium fidelium defunctorum 3 Missas celebrare. — Item certum est in regno Aragoniæ proprie dicto, Valentiæ, Catalauniæ et Majoricæ (Mallorca), eodem die posse eleemosynam percipere regulares pro tribus, sæculares pro duabus Missis; et in reliquo Hispaniæ, et in Lusitania pro una tantum, ut decrevit Benedict. XIV (indulto *Quod expensis*, anno 1748) juxta antiquissimam consuetudinem ipsorum dicens: « At vero, cum retroactis temporibus in regno Aragoniæ duæ Missæ a sacerdotibus sæcularibus, tres autem a regularibus in die commemorationis omnium fidelium defunctorum celebrarentur, duplex quoque ab illis, seu respective triplex eleemosyna acciperetur.» *(Benedit. XIV de sacrificio Missæ, pag.* 401). «Cum ubique fere receptum sit, ut in solemnitate Nativitatis Domini pro tribus Missis tria recipiantur charitativa stipendia. Ideoque de illis, qui ante hoc tempus in Aragoniæ regno duas, vel tres respective Missas pro dicta die celebrantes, duas, vel tres eleemosynas accipiebant, nihil innovandum censemus.» Hinc hodie in præfatis locis, et diebus celebrare licet 3 Missas, cum tribus eleemosynis in die Nativitatis D., et cum duabus in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. Unde ab orientalibus non ita facile id usurpari potest, etsi apud nos degant, ut notat Benedict. XIV Const. *In superiori*, 1755.

**Facultas binandi**: I. Ex hodierna Ecclesiæ praxi, et ex præscriptione Innocent. III, *Decret. l. III, t.* 41, *c.* 3, *et* ex Brevi *Declaratis* Bened. XIV, 16 mart. 1746, si adsit gravis causa ab Episcopo specialiter approbata, bis in eodem die, et non amplius, ex citato Brevi Bened. XIV celebrare licet. *(S. Lig., n.* 351). Juxta communem theologorum sententiam adest causa sufficiens binandi: 1.º Cum parochus duas habet parœcias, nec incolæ unius ad aliam se conferre valent, nec alter sit sacerdos, qui Missam in die festo celebret.—2.º Quum in eadem altera populi pars nimis distet ab ecclesia, ac difficulter convenire potest pro Missa in festo, nec alius sit sacerdos. Ad hoc sufficiet, si communitas aliqua viginti personis constans, uno milliario ab ecclesia distet, uti responsum fuit Episcopo *Lingonensi*, an. 1847 apud *Gury, n.* 383.—3.º Cum populus in ecclesia parochiali nimis angusta confluere totus nequit, et alius non habetur presbyter ibi celebraturus. Tunc enim Episcopus non generaliter, sed in casibus particularibus, permittere potest, ut parochus, vel alius sacerdos bis in eadem ecclesia, seu parœcia die festo non suppresso celebret. Secus de suppressis festis sine Papæ venia. (S. C. 1837, *Scav., n.* 271, *Gury, n.* 383).

II. Stricte tamen prohibetur a S. C. C., 25 *sept.* 1858, probante *Pio IX*, duplex stipendium accipere, vel etiam titulo paupertatis, etsi secundum in pium usum impendatur, ex eadem S. C. 21 *mart.* 1863. Excipe, si aliquid intuitu tantum laboris et incommodi tribuatur, Episcopi arbitrio, ex eadem S. C. C., 23 *mart.* 1861. (V. t. I, n. 747). Ipsa S. C. C., 14 *sept.* 1878, concessit hanc 2.am Missam applicari posse pro lubitu celebrantis, ac etiam pro confratribus defunctis; nam ad ipsam applicandam non adstringitur justitiæ, sed charitatis vinculo.

Imo Parochus, qui duas habet parœcias distinctas, ambas Missas pro populo applicare tenetur *gratis* (seu ratione beneficii), diebus festis sive per se, sive per alios, si binandi facultate careat, sive altera die in hebdomada, non obstante reddituum tenuitate, ex S. C. C. 9 *maj.* 1874. Si unio sit talis, ut unica prorsus parœcia fiat, tunc unius pro populo Missæ applicatio sufficit. (*S. Lig.*, *n.* 351, *Scavini, n.* 271). Pius IX in sua instructione, 11 mart. 1858, pro casu iterationis Missæ statuit, ut cum sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, diligentissime in prima Sanguinem sorbeat, et finita Missa rursus pro eadem parte guttas sorbeat, quod nullimode omittendum est; quia Sacrificium moraliter durat, et superextantibus adhuc vini speciebus ex divino præcepto compleri debet. Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquæ fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam (quin in terram decidat) ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas dimittat. In altera vero Missa in calicem mittatur, vel si non redeat sacerdos, in piscinam dimittatur.

Q. *Quid de præcepto Episcopi non admittendi ad celebrandam Missam peregrinum, et exterum sacerdotem sine litteris sui Ordinarii commendatiis?* R. *Trid. præscriptio, sess.* 23, C. 6 *de R, et sess.* 22 *de observ. in celebr. Missæ*, est intelligenda de peregrino ignoto; non autem de extraneis bene notis, ut communiter docent *Sanch.*, *Barb.*, *Ferraris*, *Wiestner*, *Schmalzgrüeber*, *Scavini, n.* 262, *et alii.* Probabiliter in ecclesiis Regularium tunc celebrare licet, utpote a jurisdictione Episcoporum exemptis. *S. Lig.*, *n.* 371.

648. **Altare dicitur fixum seu locale, et portatile.** Altaria fixa duplicis sunt generis: alia quæ structuram habent stabilem et immobilem, in cujus medio est lapis consecratus amovibilis; alia quæ insuper habent mensam cum ipso lapide conjunctam, ita ut et altare et lapis sint quid unum.—Pius IX ex decreto S. C. *Indulg.* 26 *mart.* 1867 declaravit, sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis etiam amovibilis ponatur. Quando indultum postulatur altaris privilegiati, exprimi debet, an sit fixum, vel portatile; secus si portatile sit, privilegiatum non manet. (*S.* C. 20 *mart.* 1846). — Privilegium reviviscit, si destructa ecclesia in eodem loco reædificetur (*S.* C. *Ind.* 30 *aug.* 1847); et sufficit, ut ecclesia, vel oratorium publicum sit benedictum. (*S.* C. *I.* 17 *apr.* 1752). Manet indulgentia etsi altare sub eadem invocatione de novo ædificatum fuerit in alio loco, sed in eadem ecclesia. (*S.* C. *I.* 13 *sept.* 1723).—Indulgentia altaris privilegiati non impedit etiam lucrari alias indulgentias defunctis applicabiles ratione Communionis ex *S.* C. *I.* 10 *maj.* 1844. Applicare licet Missam pro uno, et indulgentiam altaris privilegiati pro alio; sed quoad hanc sine eleemosyna. (*S.* C. *I.* 31 *jun.* 1848).—Status gratiæ non

requiritur, ut indulgentia altaris privilegiati valide applicetur; quia ex divinæ Victimæ oblatione pendet.—Commune est, catechumenis defunctis, qui in fide et charitate mortui sunt, hanc indulgentiam applicari posse. —Sacerdos privilegio personali altaris privilegiati gaudens in quocumque altari celebrare potest. *(S. C. I. 16 febr.* 1852).

---

# CAPUT III.

## De tempore, loco, et applicatione Missæ.

649. **Tempus celebrationis.** I. Quotidie celebrare licet in Ecclesia romani ritus, excepto sub gravi pro omnibus die Veneris S., et pro Missis privatis Sabbato, et Feria V majoris Hebdomadæ. *(Ita omnes; et constat ex variis S. R. C. Decretis).* In Ecclesia ritus ambrosiani quavis Feria VI in Quadragesima celebrare Missam prohibetur, et Communionem distribuere, infirmo excepto; licet quoad Communionem nunc ita rigurose non obtinet præscriptio.

II. Speciali privilegio secluso, celebrare non licet ante auroram, et post meridiem. Commune tamen est Missam terminare licere circa auroram, et illam incipere parum post meridiem, moraliter tempus accipiendo, et non mathematice. Benedict. XIII, et Clem. XII declararunt in hoc tolerari posse latitudinem tertiæ partis horæ, tum ante auroram, tum post meridiem. (*S. Lig., n.* 341-346). Communius, et probabilius docent mortale esse absque gravi causa integra hora ante auroram Missam incipere, aut post meridiem. *(S. Lig., n.* 346). Pro privilegio celebrandi una hora post meridiem, vel ante auroram, intelligitur valde probabiliter hora ante, vel post tempus concessum aliis non privilegiatis; secus parum prodesset privilegium. (*Suar., Gury, n.* 381, *S. Lig.*)

650. **Justæ causæ tempus celebrationis antevertendi** sunt: 1.ª *Necessitas;* v. gr. ut detur Viaticum morituro; quo in casu commune est, media nocte celebrare licere. *(S. Lig., l.* 6, *n.* 343).—2.ª *Mos rationabilis,* ut famuli, et opifices Sacrum audire valeant; tunc summo mane, non autem post meridiem, celebrare licet. (*S. Lig.)* —3.ª *Missa solemnis* in nocte Nativitatis, etsi ante mediam noctem incipiat; jam enim est inchoata illa solemnitas. *(Scavini, n.* 161). *Non licet in media nocte Nativitatis D. celebrare successive alias duas* (Missas), *nec Communionem sacram exhibere.* (S. R. C. 18 dec. 1762 apud *S. Lig., ibid.*)—4.ª *Missa privata* post solemnem in festivitate, etsi ista protrahatur probabiliter ad duas horas post meridiem, ne magna populi pars Sacro careat. (S. *Lig.*) —5.ª *Causa itineris, funeris alicuius magnatis,* vel *concionis,* aut *publicæ supplicationis,* in quibus casibus Sacrum anticipari, aut postponi per horam potest. (S. *Lig.*)—6.ª *Privilegium* a Papa, vel ab Episcopo, etiam sibi, concessum in aliquo casu particulari; nam potest Episcopus justis de causis dispensare tam secum, quam cum aliis ad celebrandum post meridiem; sicut etiam superiores regulares. (*Lugo, Salm., S. Lig., n.* 344).

651. **Locus celebrandi.** I. Est ecclesia, eaque consecrata, vel saltem benedicta, quæ non sit interdicta, polluta, execrata; idque sub gravi; ita ut, sine speciali privilegio, vel necessitatis casu, graviter peccet, qui celebret in oratorio privato,

extra ecclesiam, vel in ecclesia quocumque modo a lege interdicta. *(Scavini, n.* 162, *Trid., sess.* 22). (V. t. I, n. 637).

II. Episcopus non amplius potest, ut olim, facultatem celebrandi in domibus, neque in oratoriis privatis concedere. Constat ex *Trid., sess.* 22, ex declaratione S. C. C. 27 *maj.* 1617, *et* 23 *jun.* 1847. Excipitur *communius* cum *D. Lig., n.* 64 *de priv.*, si graves adsint causæ, et urgentes, ac per modum actus transeuntis sive necessitatis, sive infirmitatis, et quousque illa causa perduret: uti 1.° Si ecclesia sit diruta.—2.° Si quis sacerdos longam peragat per loca deserta peregrinationem, vel infidelium.—3.° Quum ecclesia non est capax populi, ita ut multi Missa carerent.—4.° Si exercitus inveniatur in castris, vel navigantium multitudo in littore maris. Ita communiter cum *S. Lig., n.* 359, S. C. C. 27 *maj.* 1617, *et* 20 *dec.* 1856. Potest tamen facultatem concedere Sacrum faciendi in oratoriis publicis, ibique cæteras functiones sacras peragendi, modo hæ non sint stricte parochiales. Licet in oratoriis, et in palatiis Episcoporum, etsi vacet sedes episcopalis, ex S. C. R. 8 *apr.* 1854. *(Gury, n.* 386). (V. T. I. n. 737). Insuper Episcopi, ex *cap. ult. de privil. in* 6, ex Bulla *Apostolici Ministerii* Innocent. XIII, 4 maj. 1723, et ex Bulla Bened. XIII, cum a suis diœcesibus sint absentes, celebrare possunt per se, vel per alios in domibus, in quibus morantur: *Occasione visitationis, vel itineris*, etc. *S. Lig., n.* 63, *de priv.*

III. Consuetudo obtinet in castris ab ecclesia remotis celebrandi pro militibus diebus festis, debitis cautionibus adhibitis. Item extra ecclesiam celebrari potest, cum sacræ ædes destructæ, vel in ruinam jamjam corruunt, vel populum in solemni festo templum non capit. Item in portu pro appulsu navis. *S. Lig., n.* 356.—Ut celebrari in navibus super mari possit, Pontificium requiritur privilegium; et exigitur ut cœlum tranquillum sit ac serenum, navis a littore amota, diaconus, vel presbyter assistens, seu invigilans calicis curæ. (*Gousset*) Id posterius inter nos non viget.

652. **Ecclesiæ profanatio** fit per actus jure expressos, præcipue per *execrationem*, et *pollutionem;* ita ut non amplius anniversarium Dedicationis celebrari queat. (S. R. C. 15 *sept.* 1815)

I. *Execratur* si parietes in majori parte destruantur; vel omnis, aut major saltem pars simul eorum crustæ auferatur.—Secus si minor pars, vel per intervalla fiant reparationes, etsi tota demum nova fiat ecclesia; nam quævis pars accedens consecrata manet; quia major pars trahit ad se minorem; consecratio enim præsertim inhæret parietibus. Item si totum reficiatur pavimentum, vel si corruat tectum eadem ratione; neque execratur per hominum spurcitias, vel animalium ibi stabulatorum; vel hæreticorum exercitium; etsi deceat, ut per Episcopum, vel sacerdotem utpote polluta reconcilietur. *(S. Lig., n.* 367 *et* 368).—Ecclesia consecrata, quæ militaribus stationibus, et excubiis per biduum inservivit, profanata est censenda, et reconciliari ad cautelam indiget. (S. R. C. 27 *febr.* 1847). Aqua benedicta, quæ pro una consecratione superfuit, adhiberi nequit pro alia. (S. R. C. 9 *febr.* 1867).—Oratoria privata consecrari non valent, nec ritu in Rituali R. præscripto pro publicis oratoriis benedicuntur; ideoque sufficit, ut aqua lustrali aspergantur generali precum formula. (S. R. C. 11 *mart.* 1820).

II. *Pollitur ecclesia, et cœmeterium* per notas, et graviter injuriosas actiones loco sacro patratas: 1.° per injustum et voluntarium homicidium, vel si quis extra ecclesiam existens sclopo alterum in ecclesia existentem occidat.—2.° Per sanguinis effusionem graviter injuriosam; aut per vulnus graviter nocivum, etsi sanguinis effusio extra ecclesiam fiat, ut ait *Del-Vecchio.* Secus si vulnus extra eveniat, et sanguis intra effundatur, etsi ibi moriatur vulneratus: vel si non sit copiosa sanguinis effusio;

aut si ex levi vulnere, aut e naribus, v. gr., ex puerorum rixa effluat; nam in iis non reputatur gravis culpa: aliter probabilius esset, si talis effusio inter adultos contingeret. *(Del-Vecchio, S. Lig., n.* 365).—3.° Polluitur per voluntariam pollutionem.—4.° Per non baptizati seu infidelis sepulturam; non autem probabilius si sit catechumenus; quia non habetur proprie ut infidelis. *(Gousset)*. (V. T. I, n. 468, etc.) Sed hæc crimina notoria esse debent, ita ut nullo modo celari possint, juxta *Gury*.—Item polluta habetur ecclesia, si ab Episcopo publice excommunicato consecrata sit. (*S. Antoninus*).

III. *In ecclesia execrata, vel polluta sub gravi celebrare prohibetur citra necessitatem*, nisi prius reconcilietur. In necessitate (v. gr., si populus aliam ecclesiam non habet, ubi Missam audiat), cum Episcopi venia, si adiri queat, aliter sine ea, celebrare licet. Non ideo reconciliata manet, eo quod Sacrum ibi fuit celebratum, *ex S. C. C., S. Lig., n.* 361. - Vix profanata ecclesia, statim auferatur divinum Sacramentum, si in parœcia, vel vicino loco alia ecclesia præsto habeatur.—Si profanetur ecclesia tempore quo Sacrum fit, Missam abrumpat sacerdos, Canone nondum incepto, ex rubrica missalis; licet, juxta *Gousset*. adhuc Missam continuare possit, si dies festus sit, et prævideat parochus gravia secus oritura incommoda, et adsit jam tranquillitas.

653. Applicatio sacrificii Missæ est *determinatio personæ, in cujus utilitatem vult sacerdos, ut Sacrificium specialiter cedat. Necessaria non est specialis Missæ applicatio:* 1.° quoad fructum *generalem;* nam sufficit, ut sacerdos celebrare velit juxta Ecclesiæ mentem, quæ intentio saltem implicite in generali intentione celebrandi includitur; 2.° neque quoad fructum *specialissimum;* hic siquidem ipsi celebranti *per se,* seu veluti ex *opere operato* applicatur; maxime juxta illos non paucos, qui putant alteri illum applicare non posse.

Secus 1.° quando celebrans ad id stipendium, seu honorarium accepit, et semper quoad fructum *specialem;* cum enim solus sacerdos celebrans personam Christi gerat, ita solus fructum ejusdem Sacrificii applicare potest, et debet: verum cum ita Christi personam gerat veluti conductus in alterius utilitatem, ex justitia illi applicare tenetur *specialem* fructum Sacrificii.—2.° Quoad Missam nemini promissam aliquam applicationem fructus *specialis* etiam facere debet sacerdos; tum quia in ejus ordinatione ex Christi institutione accepit potestatem Sacrificium conficiendi, et ideo ejusdem fructum applicandi, ne remaneat inutilis talis fructus; tum quia, si nulla fieret applicatio, vel fieret incapaci, non esset ratio, cur uni magis quam alteri prodesset; quocirca fructus non applicatus in thesauro generali Ecclesiæ remaneret; proindeque minus utilis hic et nunc particularibus evaderet. *(Bill., Gury, n.* 354, *Scavini, n.* 183).

654. Q. *An talis applicatio debeat esse actualis?*

R. Verius et communius sufficit habitualis; nam applicatio ista fit per modum donationis; ideoque per intentionem semel habitam sacerdos jam donavit fructum Sacrificii sui; proinde cui donavit, debetur, et obveniet, cum Missa celebretur, nisi revocetur donatio. *(Gury, S. Lig., n.* 335). —Expedit applicationem Missæ facere in ipsa præparatione, antequam inchoetur.—Si ante, vel in ipsa consecratione saltem secundæ speciei Sacrificium non fuit specialiter applicatum, non amplius valide applicari potest: quia Sacrificium producit effectum *ex opere operato,* quando existit; atqui a consecratione saltem incipit; ergo... Unde pro tali Missa postea applicata stipendium acceptare nequit celebrans. (*Scav., n.* 183, S. *Lig.*, *n.* 335).

655. Q. *Quid si sacerdos immemor prioris intentionis novam eliciat?*

R. Audiatur *Lugo*, *d.* 8, *n.* 121-133: 1.° Si hodie velis Sacrum omnino crastinum applicare pro Petro, ita ut hæc applicatio ex nunc præferatur cuilibet ex oblivione hujus faciendæ; cras vero applices Sacrum pro alio, non censebitur revocata applicatio hodierna; fuit equidem magis universalis, et revocatoria crastinæ; secus prævalere videtur posterior; modo expresse non revocetur, ut ait *S. Ligor.*, *l.* 6, *n.* 24; — 2.° Si utraque voluntas esset æqualis, prævaleret posterior, sicut posterius testamentum semper prævalet priori. — Videat ergo sacerdos, qualis intentio in ejus mente prædominans fuerit. In praxi, cum alterutra valida sit, satis erit alia vice Sacrum ei applicare, cui applicatum non fuit. (*Ita Gury*, *n.* 355).

656. Q. *An celebrantis intentio esse debeat explicite determinata?*

R. I. Nega; sufficit enim ut *implicite* determinetur, quin persona, vel ejus nomen sciatur. Sic valet, si dicas: *Offero hoc Sacrificium pro quo superior vult* Sacrum *fieri*; — *pro quo exigit fundatio*; — *pro omnibus animabus purgatorii*; — *pro anima purgante majori auxilio indigenti, aut magis Deo grata*; — *pro eo, cui applicare teneor* (si pro uno tantum applicare tenearis); vel si plures ignotæ adsint intentiones, sufficere videtur successive *offerre juxta ordinem* Deo magis placitum ad contractam obligationem rite adimplendam; — *pro persona, vel intentione, mente, vel scripto determinata in principio hebdomadæ*; — *pro eo, qui dedit stipendium* (si unus tantum stipendium una cum intentione dederit, ut pro ipso applicetur; secus si intentio sit, ut pro aliis offeratur); pro *intentione dantis* (si unus tantum dederit). — Si vero fuerint plures intentiones, vel stipendia dantes ac ignoti, ut sæpe evenit ob diversas causas; tunc si ipse sacerdos stipendia recipiens eas celebret, satisfacit successive celebrando juxta intentionis prioritatem dantium. — Si ex iis forte distribuat, eodem ordine juxta prioritatem intentionis dantium distribuat; ac ut ita eas recipiens celebret, consultius erit eum de hoc advertere, vel pro eo intentionem efformare, de hoc ipsum certiorando.

Major difficultas est, si quis stipendia accipiat a sacrista, vel ab alio, qui multa stipendia a diversis confuse collegit, confuseque distribuit; tunc, si omnes accipientes ex illis stipendiis, sive conventionaliter, sive non, præfato ordine prioris intentionis dantium celebrent, vel juxta ordinem eorumdem, qui adhuc jus habent, ut pro ipsis applicetur Missa, determiminata manet applicatio; secus forsan omnes pro uno eodemque Missam applicabunt; v. g. si omnes pro primo dante applicent; quod non omnes advertunt. Instruantur ergo sacristæ collectores circa dictum ordinem.

II. Profecto non valet ista applicatio: *offero pro eo, qui prius mihi det stipendium, vel ut Deus Sacrum istud applicet*; nam deficit personæ determinatio: neque valet si quis acceperit stipendia a 10 personis, celebrando cum intentione confusa et indeterminata decem Missas; nulla quippe esset ratio, cur uni potius quam alteri Missa applicetur; et sic nulli applicatur. (*Gury*, *n.* 355 *et* 356, S. *Lig.*, *n.* 335, *cum communi*).

Secus si quamlibet Missam applicare intenderet decem illis personis, singulis nempe decem partem cujuslibet Missæ, veluti uni personæ; cum enim fructus Missæ sit divisibilis, unusquisque in singulis decem Missis decimam fructus partem accipiet, et sic in ultima recipiet totum quod suum est. (*Gury*, S. *Lig.*, *cum communi*). Et in communissima eorum sententia, de qua supra, in qualibet Missa debitum fructum unusquisque

totum perçiperet. Decima igitur completa, quisque fructum percepisset novies majorem, quam si pro singulis una applicata fuisset Missa. (Ita *Ballerini*).

657. Q. *An valeat applicatio facta vivo, quem mortuum credis, si tantum pro eo jam mortuo celebrare debuisses?*

R. *Nega prorsus*, merito ait *P. Gury*; imo probabilius est etiam invalida; causa equidem applicationis hic, et nunc non existit, et effectus suspendi nequit; nam agitur de conditione futura nondum expleta; unde celebrans non adimplet neque finem, neque tempus a dante statutum; ergo ob ejusmodi errorem stipendii sui jacturam subire debet. *(Ita Gury, n. 358, Del-Vecchio, in comp., n. 578, cum communi).* —Affirmant *Ballerini*, et *Varceno;* quia satisfactorius Sacrificii fructus etiam vivo prodesse potest, et a purgatorii pœnis postea eximere. Ad casum forte chimericum hæc resolutio spectat, et paulo benignior videri merito poterit. Non quæritur an poterit prodesse, vel non; nam in quantum non celebretur tempore, ac juxta intentionem dantis, huic vivo prodesse poterit Sacrificium; sed non juxta præcipuum ipsius finem; nec adeo certum est postea eum eximere a pœnis purgatorii post celebratam Missam promeritis; etenim *sacrificium producit effectum, quando existit*, ut ait *Scavini, n.* 183. (V. n. 642).

# CAPUT IV.

## De requisitis ad Missæ celebrationem.

658. Hæc generatim sub gravi ad Missam requiruntur a Rubrica, ex quamplurimis decretis *S. R. C.*, et communi DD. — I. *Altare lapideum ab Episcopo consecratum*, fixum, vel portatile, id est, ara in altari inserta, quæ ampla sit, ut hostiam, particulasque consecratas, et majorem saltem calicis partem capiat; tum quia altare Christum significat, qui petra in Scripturis nominatur; tum quia corpus Christi in lapideo sepulchro reconditum fuit. *(S. Lig., n.* 379).

II. *Mappa triplex benedicta*, ex lino, vel cannabe confecta, et sufficiunt duæ, una duplicata: superior ex Rubrica a lateribus usque ad terram pertingere debet. *Altare operiatur tribus mappis... ab Episcopo, vel ab alio habente potestatem benedictis.* Celebrare sine ulla mappa communius non excusatur a mortali. Celebrare supra mappam non benedictam, veniale non excedit, et cum causa, neque veniale erit. *(S. Lig., n.* 375).

III. *Vestes sacræ ab Episcopo benedictæ*, vel ab alio facultatem habente; scilicet *amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta, dalmatica*, et *tunicella* generatim in Missis solemnibus.—Unde 1.° Mortale est celebrare sine ulla veste sacra.—2.° Item celebrare sine casula, vel alba, vel sine manipulo et stola simul; aut cum ipsis non benedictis, nisi excuset gravis necessitas.—3.° Probabiliter grave non est celebrare sine manipulo, vel sine cingulo, aut amictu, vel cum ipsis non benedictis, saltem pro iis, qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros. Unde ab his omnibus rationabilis causa facile excusat, v. g., necessitas die festo celebrandi, fervor devotionis, etc. *(Gury, n.* 392, *Tamb.).*—*S. Lig. n.* 377, ait : Verius affirmandum cum communi, grave esse celebrare sine stola, et manipulo; aut cum stola, vel

manipulo non benedicto; quia majores communiter æstimantur hæ vestes, et deficit cultus sacrificio debitus; quod negant *Palud.*, *Silv.*, *Henr.*, etc. *Probabiliter*, addit, *excusat gravis necessitas.*—Cordulæ amicti, et manipuli nulla benedictione indigent, cum ad commoditatem deserviant.—Si albæ manica abscindatur, vel cingulum ita rumpatur, ut neutra pars cingere possit, vel stola humeros cooperire nequat, execrantur. (*Scav.*, *n.* 175).

IV. *Corporale benedictum* sub gravi, extra casum necessitatis; nam tunc sine corporali celebrare licet. (*S. Lig.*, *n.* 386, *cum communi*). Item palla benedicta; sed probabiliter mortale non est sine hac celebrare; quia olim palla erat ipsum corporale. *Gury, Sotus, Scavini, aliique: Non obstantibus decretis a S. R. C. editis, licet in sacrificio Missæ uti palla a parte superiore drappo serico cooperta, dummodo palla linea subnecta calicem cooperiat, et pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa.* (Ita S. *R.* C. 10 *jun.* 1852).—Item requiritur *purificatorium*, quod probabilius benedictum esse non debet, ex *S. R. C.* 7 *sept.* 1816. Imo si purificatorium facile haberi non possit, probabiliter sine eo celebrare licet; ac ejus loco adhiberi potest strophiolum, seu frustum telæ mundum, quod postea ad profanos usus non adhibeatur. (*Gury*, *S. Lig.*, *n.* 389. *Suar.*, *Gavant.*)

Celebrare sine *bursa*, *birreto*, *velo*, *legile*, *manutergio*, *tabulis secretarum*, vel *tintinnabulo*, nullum peccatum est, scandalo præcluso. Veniale est celebrare sine aulæo, nisi altare sit ex marmore, vel alio modo omnis indecentia sublata sit. Tintinnabulum non pulsatur in privatis Missis, cum fit expositio SS. Sacramenti, vel processio ejusdem per ecclesiam. (*Scav.*, *n.* 175). Pluviale non est benedicendum, nec velum, ac bursa. (*Del-Vecchio*).

V. *Color autem paramentorum* probabilius de præcepto est, non tamen gravi, scandalo secluso, uti esset si die Paschatis, vel alio solemni, vestibus nigris Missa celebraretur. (*Scav.*, *l. c.*, *S. Lig.*, *n.* 378). Hinc omnis rationabilis causa excusat; satius erit unoquoque die facere Sacrum cum quocumque colore, quam illud omittere, ait *Sporer*, cui adhærent *S. Lig.*, et *Gury*, *n.* 393.—Omnino reprobantur paramenta varii coloris (de todos colores), quæ *propter flores cujusque coloris immixtos, non pauci volunt*, ait Gury, *omni festo adhiberi posse*. Hæc *S. R. C.* prohibuit die 23 *sept.* 1837, ideoque illum colorem tantum repræsentare possunt, qui primarius et prædominans est.—Pariter ex *S. R. C.* 11 *sept.* 1847 in *Attrebatensi* reprobantur paramenta ex telis sericis vitreis confecta.

Omnino prohibentur paramenta *flavi*, et *cærulei* coloris a *S. R. C.* 12 *nov.* 1831. Tamen permittuntur paramenta ex aurea tela, saltem maxima ex parte contexta (non vitrea), quæ juxta *Urbis* usum pro albo, et rubro colore adhibentur. (*S. R. C.* 28 *apr.* 1866). *Amictus*, *albæ*, *mappulæ*, si quæ ex gossipio habentur, adhiberi interea possunt, usquedum consumantur..., sed *corporalia*, *pallæ*, *purificatoria*, post lapsum unius mensis a publicatione hujus decreti, linea omnino sint, vel ex cannabe. (*Decret. Gen.* 19 *maj.* 1819). Casulæ hoc decreto non comprehenduntur. (*S. R. C.* 23 *maj.* 1855). Idem ex S. *R. C.* dic de tela quadam ex lino, et gossipio subtilissimo composita.—Item improbatur fundum rubrum sub velo transparenti mittere in sacris vestibus, nempe in fimbriis. (*S. R. C.* 17 *aug.* 1833).

*Stolam non esse adhibendam, præterquam in collatione, et confectione sacramentorum; ideoque cousuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino auferendum*, declaravit *S. R. C.* 7 *sept.* 1816, Pontifice probante, 11 *sept.* 1847, *et* 9 *sept.* 1850. Permittitur in actu prædicationis, ubi est consuetudo, non autem in oratione funebri; et in confectione sacramentalium, in processionibus, et in eo, qui exequias persolvit

(*S. R. C.* 21 *jul.* 1855); non autem in Vesperis etiam solemnibus (*S. R. C.* 27 *aug.* 1836, *et* 7 *sept.* 1850). (V. n. 527). – Cingulum etsi album, et lineum congruentius sit, potest tamen esse coloris paramentorum, et sericum. (*S. R. C.* 7 *jun.* 1709, *et* 22 *jun.* 1701) —Vestes sacras conficere licet ex profanis; sed erunt benedicendæ, si execratæ fuerint.

VI. *Calix cum patena sub gravi ab Episcopo consecratus;* nam præceptum circa rem gravem versatur. (*S. Lig., n.* 379, *Gury, n.* 394, *Gousset, n.* 323).—Calix ex hodierna disciplina esse debet *vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata ab Episcopo benedictus.* Ita Rubrica, et *S. R. C.*

Q. 1.° *An fabricari possint calices pro S. sacrificio Missæ, quorum cuppæ sint ex metallo, aurichalco, vel cupro confectæ?—2.° An hujusmodi cuppæ etsi inauratæ licite consecrari queant ab Episcopo?—3.° An tolerari possit quod ecclesiæ, quæ prædictos calices jam habent, eorumdem usum valeant retinere?* S. R. C. 16 mart. 1876 et 28 maj 1877 respondit: *Ad* 1.m *Serventur rubricæ.* — *Ad* 2.m *Provisum in primo.* — *Ad* 3.m *Abusum esse interdicendum, congruo tamen assignato tempore, ut de aliis calicibus provideantur.* Unde hodie sustineri amplius non posse videtur calices ex stanno vel cupro confectos, licet *Gury. Scavini, n.* 175, *et alii* ratione necessitatis, vel paupertatis ecclesiæ ex stanno vel cupro inaurato permiserint. Non autem permittitur calix ligneus, vel vitreus, aut lapideus. (*Scavini*). Pius IX, 6 dec. 1866, calices æris *alluminii* argentatos, ac in cuppa etiam inauratos Paulo Morin quibusdam conditionibus conficere indulget.—Execratur calix 1.° si notabiliter frangatur cuppa,—2.° si cuppa pedi affixa ab ipso separetur (secus si tornatilis sit),—3.° si in fundo perforetur,—4.° si de novo deauretur. *(S. R. C.* 14 *jun.* 1845). Ita *Scavini, l.* 3, *n.* 175, *S. Lig., n.* 370. Non tamen execratur, si artifici traditur ad parvam fissuram, vel aliam jacturam reficiendam, cum ictu mallei reparari possit, sive igni ponatur, sive non. (*Gousset*).

Casu quo per longum usum inauratio deperdatur, probabilius nova consecratio non requiritur ad celebrandum cum ipso; nam calix semel consecratus, totus per modum unius consecratus manet. (*Ita S. Lig., n.* 370, *Silv., Ferraris, Scavini, n.* 175, afferens decret. *S. R. C.* 12 *jan.* 1669).—Communius, et probabilius calices, et alia benedicta non remanent, cum illis non benedictis celebrando; quia etsi sic dicantur sacrari, non tamen sic deputantur ad Sacrificium, ut oportet, ac fit per specialem benedictionem. (S. *Lig., n.* 380). Si vestibus sacris, aut calice impie usi fuerint hæretici ad usus profanos, benedictionem non amittunt. *(S. Lig., n.* 376).

*Ciborium*, et *lunula* ostensorii debent benedici, non consecrari. *(S. R. C.* 16 *nov.* 1649, et *Benedict. XIV).* Ex cæremoniali Episcoporum aurea, vel argentea intus deaurata esse debet pyxis, saltem ejus cuppa. In summitate ostensorii crux visibilis apponi debet ex *S. R. C.* 11 *sept.* 1847. Ob paupertatem tamen, periculum furum, aliamve similem causam, ciborium fieri potest ex cupro deaurato: *S. R. C.* 31 *aug.* 1867 *in una S. Hippolyti;* non autem ex ligno, vitro, neque ære, nisi per inaurationem æruginis periculum præcaveatur. Idem dicendum de lunula ostensorii, et de vase portatili pro deferendo Viatico. Secus dic de ostensorio; quia cum species immediate non tangat, ex ære, vel stanno illud efformare licet. (*Del-Vec., n.* 475).

VII. *Missale* continens saltem integrum Canonem. Mortale non esse communissime docent quandoque sine missali celebrare, si haberi nequeat, et celebrans memoriter bene totam Missam sciat, ac removeatur scandalum. Mortale tamen est sacerdotem ritus Romani missali regularium, vel aliorum uti, scilicet juxta eorum ritum, etiam in eorum ecclesiis, si proprius ritus servari possit. (Ita *communiter Croix cum S. Ligor.,*

n. 390, *Scavini*, n. 175). Olim missalia habentia in Canone, *pro Rege nostro*, erant suspensa; sed hodie in hoc non est faciendus scrupulus ex consuetudine. *Croix*, n. 369, *S. Lig.*, n. 390. —Confessarii autem, et capellani monialium possunt quidem dicere Missas Sanctorum, de quibus ipsæ Officium recitant cum missali Romano, non autem proprias illius Ordinis. S. R. C. 1 *dec.* 1717 *annuente Clem. XI.* Quilibet sacerdos celebrans in ecclesiis Ordinis S. August. (vel privilegium habentis) etiam monialium, potest legere Missas proprias Ordinis a S. Sede Apost. specialiter concessas. Ex rescripto S. M. Clementis PP. XIV, 18 jun. 1773.

VIII. *Crux cum crucifixo* communiter sub levi. (*Gury*, n. 399, *Scavini*, n. 175, *S. Ligor.*, n. 393). Crux in Missæ celebratione non exigua sit, sed præemineat inter candelabra, ita ut sacerdos, et populus commode eam intueri valeant, ex Bened. XIV, Const. *Accepimus*, 16 jul. 1746, et S. R. C. 17 sept 1822. Si in altari adsit magna statua Crucifixi, hæc sufficit ad celebrandum (S. R. C. 16 *jan.* 1683); nec est de præcepto quod Crux sit benedicta. (S. R. C. 12 *jul.* 1704).—Si Missa celebratur in altari ubi SS. Sacramentum est publice expositum, ex S. R. C. 14 *maj.* 1717, Crux de more collocari debet; sed cum hoc decretum non sit receptum, ex Benedict. XIV de *Sacrif. Missæ*, potest exponi, vel non, juxta locorum morem.

IX. *Duplex candela accensa ex cera :* mortale est celebrare sine ullo lumine, etsi urgeat necessitas Viaticum ministrandi; et ideo si ante consecrationem deficiat lumen, a celebrando est desistendum, nisi intra quadrantem candelæ reaccendi possint. Si peracta consecratione lumen extinguatur, nec aliud haberi possit, sine lumine est perficiendum Sacrificium.—Veniale erit cum uno tantum lumine celebrare, ut communius dicunt AA. cum *S. Lig.*, n. 394, *Scavini*, et *Gury*. Non est obligatio tertiam candelam post *Sanctus* accendendi, ut habet Rubrica; quia hodie obsolevit usus, ait *Scavini*, *l. c.* cum *S. Lig.*, n. 394.

Mortale est cum candelis ex sebo, vel oleo, vel ex stearina celebrare sola devotione. Constat ex declaratione S. R. C. 16 *sept.* 1843, et 7 *sept.* 1850, et 10 *dec.* 1857, et ex Pii IX mandato ad Episcop. *Carolin.* Ratio ; quia *talis usus est indecentissimus, et prorsus alienus ab universali Ecclesiæ consuetudine* (ut ait D. Lig., l. 6, n. 394, cum communi), et addit : *Verum communiter, et probabiliter dicunt licitum esse celebrare cum oleo, vel sebo in necessitate*, secluso scandalo. — *Probabilius, et communius puto* (cum uno lumine cereo) *id esse tantum veniale ; a quo puto proinde quamcumque causam rationabilem, adhuc solius devotionis, secluso scandalo, excusare.*—Non licet in Missa privata nisi usum pontificalium habentibus cum quatuor candelis, et duobus ministris celebrare ex *decreto* 9 *febr.* 1675 ap. Benedict. XIV, *Notif.* 29, n. 16 ; vel nisi agatur de aliquo festo, vel Missa conventuali, aut parochiali. (S. R. C. 12 *sept.* 1857). —Decreto generali 31 mart. 1817, probante Pio VII, in sacris functionibus non licet Dignitatibus, et Canonicis, imo etsi sint *pontificalium privilegio cohonestati*, ex S. R. C. 29 *jan.* 1752, palmatoriam adhibere, nisi apostolico privilegio donentur. Hoc jus solummodo Cardinalibus, atque Episcopis competit. (*Del-Vecchio*, n. 176).

X. *Minister masculus inserviens* sub gravi, nisi adsit pontificia dispensatio, vel urgeat necessitas, v. gr., dandi Viaticum, vel ut populus Missam in festo audiat. (*Ita communiter*, *S. Lig.*, n. 319).—Probabiliter docent, quod incœpta Missa, saltem facta oblatione, permittitur celebranti sine ministro pergere, si iste abscesserit, et de brevi non revertatur.—Fœmina in jure sub gravi prohibetur. (*C.* 1, *Inhibendum*). Tamen S. R. C. 27 *aug.* 1835 declaravit, sacerdotem omnibus sibi prius dispositis, ne mulieres immediate altari inserviant, uti posse ministerio mulieris tantum pro responsis, urgente necessitate.—Curet sacerdos, ut minister instructus sit, bene ac

distincte verba proferat, et habitu decenti accedat; et deinde scrupulum non faciat, si male pronuntiet; nec facile in actu errores corrigat, ne turbationem ingerat: sed suppleat omissa a ministro, ut monet *Croix*, si ea minima non sint. *(Scav., S. Lig., n.* 391).

XI. *Denique celebrans non accedat ad celebrandum nisi talari veste indutus, cum clericali tonsura. decenti collari, et calceis*, prout requirit majestas tanti Sacrificii, et populis veneratio ingerenda, ait *Scavini, n.* 175, *ex S. Lig., n.* 402, *et Rubrica missalis.*

659. **Celebrare cum paramentis immundis, aut notabiliter attritis.** 1.° Mortale est uti corporali, mappis, alba, vel planeta valde immundis, aut scissis. *(Ita communiter cum Gury).*—2.° Veniale autem erit, si valde immunda non sint. Imo nullum peccatum, si alia haberi non possint, et si ipse sacerdos, vel alii omittere Sacrum de præcepto alias deberent, etiamsi sint notabiliter immunda. (*S. Lig., n.* 376, *Gury, n.* 397).—Tamen metu mortis, aut gravissimi damni, modo non fiat in contemptum religionis, *plures* cum *Azor.* dicunt licere aliquando celebrare sine vestibus sacris, et altari; quod negat *S. Lig., n.* 377, *cum aliis plurimis.* Circa paramentorum munditiam parum aliqui tuti conscientiæ esse debent, cum in illorum immunditia depictus videatur squalor animæ eorum.

660. **Lotio corporalis, pallæ, et purificatorii.** Prima lotio a sacerdote, vel diaconis, aut subdiaconis, vel saltem clericis tonsuratis fieri, et aqua lotionis in sacrarium mitti debet; si secus fiat, a veniali excusari non possunt id agentes, ex *Cap. Nemo* 40 *de consecr.* Ita communius *S. Ligor., n.* 387.—Quæsitum fuit an moniales possint cum Ordinarii licentia primo abluere corporalia, pallas, et purificatoria? S. R. C. 12 *sept.* 1857 respondit: *Negative. (Scavini, l.* 4, *n.* 410).

*Benedictio calicis, patenæ, altaris, et indumentorum ad Missam celebrandam, campanas baptizare, cæteræque benedictiones, quæ unctionem requirunt*, ad Episcopos privative spectant; non autem delegare valent absque indulto pontificio. Ideoque non possunt Abbates, neque Vicarii Capitulares sine speciali privilegio, cum potestatem ordinis episcopalis non habeant. (S. R. C. 16 *maji* 1744, *S. Lig., n.* 378). Novas tamen cruces, primos ecclesiæ lapides, novas ecclesias, et cœmeteria benedicere possunt Vicarii Capitulares; item cœmeteria, vel ecclesiam pollutam reconciliare, nisi prius fuerit consecrata. *(Del-Vecchio, Marchetti).*

# CAPUT V.

## De Missæ rubricis, et de defectibus occurrentibus.

661. I. Sanctum et pium est omne quo utitur Ecclesia in Missæ cæremoniis: de fide id habemus: *Si quis dixerit, cæremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.* (Trid., sess. 22, can. 7).—Unde rubricæ Missæ aliæ sunt *præceptivæ*, aliæ *directivæ:* primæ obligant sub gravi, vel sub levi, juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, et significationis ab Ecclesia intentæ.

Controvertitur, an omnes rubricæ sint præceptivæ: *alii* afirmant quoad eas, quæ intra Missam præcipiuntur: *alii* etiam ad manuum lotionem, et orationes in vestibus sacris induendis a rubrica indictas exten-

dunt: *alii* rubricas omnes esse *præceptivas* volunt: *alii* omnes esse *directivas*. Tamen hodie fere omnes recentiores *præceptivas* esse ad Missam spectantes conveniunt cum *S. Lig.*, *n.* 399, *Scavini, del-Vecchio, n.* 172, *Gury, n.* 403, *Varceno, p.* 93; nam omnes communiter conveniunt, in eo quod decreta *S. R. C.* obligant in conscientia. (V. T. I, n. 141). —Quocirca a veniali saltem non excusabitur juxta hanc rationabilem sententiam ille, qui omittit benedictiones, altaris deosculationes, inclinationes, genuflexiones, vel qui advertenter non genuflectit usque ad terram; vel eas perturbat, nimis celeriter, aut nimis prolixe ipsas agens. —Quoad orationes præparatorias, et post Missam assignatas, communiter dicunt satis esse, *ut celebraturus orationi aliquantulum vacet*, ut ait rubrica. *(S. Lig* , *n.* 399 *et* 410, *Scavini, n.* 172). Adsunt etiam decreta, et declarationes S. R. C. circa ritus ad declaranda omnia dubia, quæ habentur, uti pontificia oracula, ex Sixto V.—Sane tuta conscientia ad majora vitanda mala consuetudini diœcesis se conformare licet in rebus levioribus, vel quæ non cedunt in deformitatem cultus publici, quod aliqui intelligendum esse dicunt etiam de ecclesia particulari, scilicet tantum de ecclesia cathedrali; secus nimis lata aperiretur via abusibus. *(Scav., n.* 172).

Ex præfatis duo pro praxi sunt deducenda: 1.° quod fervidus sacerdos maxima cura, ac solicitudine omnes servabit rubricas, summa reverentia tremens ante tantum Sacramentum;—2.° ast tepidus parum curans de suæ animæ salute, ac de SS. Sacramenti reverentia, faciliter omnes rubricas pessundabit, quin de eo monitiones sustinere possit. De hisce quæri potest cum Tertulliano: *Sacrificant, an insultant?* Item redarguendus est abusus confabulandi et ridendi, dum sacerdos se parat, vel parare deberet ad Missam, aut vix ab altari recedit, quod etiam fidelibus scandalum generat: sic interiorem suum statum quidam sacerdotes ostendunt.

662. Q. *An infirmus celebrare possit, etsi non omnes rubricas servare valeat?* R. Affirma, si leviores, tantum omittat, præsertim si privatim celebret. Mortale est totam celebrare Missam capite cooperto.—Probabiliter illicitum non est ex rationabili causa celebrare sine dispensatione cum pileolo, Canone, et scandalo seclusis; tunc populum de ipsa causa monere sufficere videtur. *(S. Lig., n.* 387). Qui non posset celebrare sine baculo, licite illo uti valet. Ita *Croix, n.* 492, *Vazq., Dic., Gob.* Si absque utroque brachio super altare innixo, privatim adhuc permittit *Gob. Hoc tamen puto*, ait *D. Lig., l.* 6, *n.* 402, *non excedere veniale, a quo videtur excusari posse, qui ob infirmitatem nequiret rectus stare, et ex sua devotione vellet celebrare, modo vitetur populi admiratio.* Idem dicunt *Croix, P. Conc.*, etc., de illo, qui hostiam elevare non posset, cætera vero posset.

663. **Missa concordare debet cum Officio**, quod quis recitavit, dummodo cum colore ecclesiæ, in qua celebrat, aptetur. (Ita S. R. C. 12 *nov.* 1741, *et* 7 *maj.* 1746). Secus celebrare debet de Sancto, cujus Officium celebrat illa ecclesia, si est duplex. (S. R. C. 4 *sept.* 1746).—Et tunc dicere nequit Missam votivam cum colore illi ecclesiæ respondenti, nisi id permittat præfatæ ecclesiæ ritus. (S. R. C. 11 *sept.* 1747). In oratoriis privatis Missa semper concordare debet cum Officio celebrantis. (S. R. C. 12 *mart.* 1831).—Qui ob infirmitatem quotidie ex indulto Missam dicit votivam, etiam in Dominica debet *Credo* omittere. S. R. C. 12 *nov.* 1806: et unam tantum in die Nativitatis D. celebrare potest. S. R. C. 11 *apr.* 1840.

664. **Orationes collectæ** non sunt dicendæ præter a rubrica as-

signatas. S. R. C. 12 *aug.* 1854 *in Lucianen.* Parochi, eorumque coadjutores ab Ordinario eis dati, ad Officium Titularis ecclesiæ parochialis sub ritu duplici 1.æ classis cum octava tenentur; non vero alii clerici illi ecclesiæ adscripti, ubi choraliter Officium non recitatur: ast tenentur omnes clerici ad Officium Titularis, tanquam Patroni loci, seu locorum, ubi sub utroque præcepto, uti festus habetur. Ita *S. R. C.* 11 *aug.* 1877. Parochus (non autem coadjutores ejus) ad Officium etiam tenetur Titularis ecclesiæ filialis (vulgo sufraganea): secus si sacellum præter parochiale non sit stricte filiale declaratum. *S. R. C.* 11 *aug.* 1877. In oratione *A cunctis* ad litteram N. nominetur patronus, seu titularis illius ecclesiæ, ubi celebratur, nisi in ipsa oratione jam fuerit nominatus. (S. R. C. 23 *sept.* 1837). Si titularis illius ecclesiæ sit Angelus, S. Joannes Baptista, S. Joseph, horum nomina præponuntur SS. Apostolis. *(Scavini).*—Si celebretur in oratorio, quod patronum, vel titularem non habet, patronus civitatis, vel loci nominetur. (S. R. C. 1840).—In orationibus non sunt apponenda cognomina Sanctorum, nisi *Chrysostomi, Chrysologi*, et *Cœlestini.* (S. R. C. 7 *dec.* 1844).—In Dominicis Adventus, et Quadragesimæ non omittatur imperata collecta, exceptis Palmarum, et quarta Adventus in concursu cum vigilia Nativitatis: item vigilia Pentecostes. (S. R. C. 20 *apr.* 1822).—Collecta præcepta pro re gravi non dicitur in duplicibus 1.æ classis; in dup. vero 2.æ classis ad libitum in Missa privata; omittatur in solemni, et conventuali. (S. R. C. 23 *maj.* 1832). Collecta ab Ordinario præscripta etiam in ecclesia Regularium, aliisque exemptis est recitanda. S. R.C. 3 *apr.* 1821. Dum cantatur (vel legitur) Missa coram Ven. Sacramento, post omnes orationes illius diei facienda est comm. de Sacramento, sed ante imperatas ab Episcopo. Ita *S. R. C.* 18 *sept.* 1877.—Tertia oratio *ad libitum* in concursu cum alia ab Ordinario præcepta, utraque recitanda est, sed tertio loco ea, quæ *ad libitum*, et quarto loco imperata ab Ordinario. S. R. C. *aug.* 1709. Dicitur ad libitum; quia arbitrio celebrantis relinquitur ipsam eligere ex Missali romano, non autem ipsam omittere. S. R. C. 12 *aug.* 1854. Et si rubrica præcipiat pro Papa, semper utraque erit dicenda. (S. R. C. 23 *maji* 1835).—Si cessaverit causa, vel sit impetratus effectus, et Ordinarius hujusmodi mandata revocare non soleat, proprio motu *Collecta* omitti potest, ut habetur in libro *Manuale decretorum.*

—Importuna devotione alias *collectas* præter imperatas addere in Missa, etsi ex eodem missali sumptas, veniale erit; cum sit contra decretum. *(S. R. C.* 12 *aug.* 1834). *Ita communiter*, ait *S. Lig.*, *n.* 411 *et* 412, *nisi animo novum ritum introducendi id ageretur*; nam tunc grave esset. —Probabiliter autem dicunt *Croix*, et *Pasq.*, quod licet satius sit servare rubricam, non tamen est vetitum ex aliqua causa, vel devotione addere unam *collectam*. Interest autem calendarium diœcesis ante Missam perspicere, ne omittatur aliqua oratio ex imperatis, ut sæpe evenit, etiam in cantatis. Sic orationes concludi debent:

> *Per Dominum* dicas, cum Patrem presbyter ores;
> Cum Christum memoras, *Per eumdem* dicere debes;
> Cum Christo loqueris, *Qui vivis* dicere quæras;
> *Qui tecum* si sit Collectæ finis in illo;
> Et si Spiritus almus, *Ejusdem* dicere debes.

Quando cantatur *Te Deum* sine processione, sufficit versus, *Benedicamus... Benedictus... Domine exaudi*, cum unica oratione: *Deus, cujus*

*misericordiæ*. (S. R. C. 11 sept. 1847, in *Veron.*)—Omnibus liberum est uti parvo cochleari pro aqua in calicem infundenda; nam rubrica mere dicit benedicendam ampullam aquæ, ac dein guttulas calici infundendas. S. R. C. 6 *febr.* 1858 respondit: *Usum parvi cochlearis non esse prohibitum.*

665. **Missa est celebranda latine, alte, breviter, clare, devote, exacte.** I. *Latina lingua* est dicenda Missa; contrarium proscribit Trident. sub anathemate, sess. 22, c. 9, item Clemens XI, Const. *Unigenitus*, et Pius VI, Const. *Auctorem fidei*. Et suadet ratio; tum quia infinitæ esse deberent liturgicæ versiones, non sine perversionis sensus periculo; tum quia in contemptum venirent sacra. Populi de facili per pastorum explanationes Sacrificii magnitudinem cognoscere valent.

II. *Alte*, ita ut a circumstantibus audiri queat quod non submissa voce dici debet, prout præcipit rubrica; secus, deficiente causa, a veniali culpa non excusatur, juxta *S. Lig.*, *n.* 415, *Scavini, n.* 265: excipe verba consecrationis; quæ tamen si ipse sacerdos non audiret, Sacramentum exponeret periculo nullitatis, quod grave est; et leve esset quoad cætera; nam rubrica præcipit ut celebrans *ita pronuntiet, ut ipsemet se audiat. S. Lig.*, *n.* 414. Item, si alte dicantur, quæ submisse dici debent: at *Gavantus*, et *Quarti* mortale esset putant, et consentit *Croix* quoad verba consecrationis, si audiantur ad decem passus, ubi magna esset populi pars; sed hoc non audent probare *P. Concina*, et *Scavini*. Tamen hæc rubrica commendatur antiquitate, ac utilitate, cum silentium sacerdoti, et adstantibus maximam conciliet devotionem ac reverentiam.

III. *Breviter*. Ut plurimum Missa nec longior esse debet dimidia hora, ne tædio afficiantur adstantes; nec triente horæ brevior; alias, ait *Scav.* de triente, celebrans a gravi non excusatur. Qui enim infra quadrantem lectam Missam absolvit, a gravi culpa difficulter excusari valet, etsi ex brevibus sit Missa; *quia in tam brevi spatio necessario sacerdos committere debet duos graves defectus: alterum gravis irreverentiæ erga Sacramentum: alterum gravis scandali erga populum,* ait *S. Lig.*, *n.* 400, et addi potest gravem rubricarum, nempe, verborum, benedictionum, genuflexionumque mutilationem. Hinc ajebat D. Thomas: *Qui Missam præcipitant, in infernum præcipitant.* Consultius vult ergo Tridentinum, ut locorum Ordinarii hac de re sollicite invigilent. ¡Quot sacerdotes invenire fas est, qui hominibus magis placere quam Deo exoptant; Christi ministri sic esse desinentes, ut mundo serviant! ¡Quomodo orabunt et dicent: *Parce, Domine, parce populo tuo,* cum ipsi sic Deum irrident! Ante Missam pie recollecti se disponant omnes ad tantum Sacramentum, non loquendo, nec fumando, præsertim in sacristia, fidelibus alias etiam scandalum præbendo: itemque finita Missa quadrantem saltem impendant in gratiarum actione: semihoram suadet *S. Lig.*, *praxi, n.* 156; alioquin neque sibi, neque aliis proderit sacerdos, nisi ad perditionem; nam qui non ardet non incendit.

IV. *Clare;* id est, sine verborum mutilatione; quæ si notabilis sit, et sensus per eam varietur, mortalis erit: in hunc defectum præcipue cadunt balbutientes, nimis festinantes, et machinaliter celebrantes: ita ut actio sanctissima ratione sui sæpe fit imperfectissima, vel jugis series defectuum ex parte celebrantis. Quæ præparatio ad Agnum immaculatum suscipiendum! Quæ prædispositio ad cœlestes gratias efflagitandas! Sacrificant uti Christi persona, vel uti judæorum imitatores?

V. *Devote;* scilicet, sine voluntaria distractione, ut requirit SS. Sacramentum, et excellentissimi religionis actus reverentia. Secus conqueri poterit Christus, dicens de suis ministris: *Cor autem* eorum *longe est a me. (Isai.* XXIX). Si voluntaria sit distractio in Canone, præsertim in consecratione et sumptione, probabiliter mortalis erit; extra Canonem dicitur quod de Horis canonicis. *S. Lig., n.* 410. (V. n 646, et T. I, n. 696).

Deficiunt illi, qui nulla ferme oratione, fere nullo conscientiæ examine, nec peccatorum turpitudinis consideratione præmissa, jam satis dispositi inveniuntur; sic vel absque frequenti exomologesi, absque ulla recollectione, vel etiam confabulando cum sociis ac ridendo tempus exeundi ad altare expectant. Exinde quot scandala! quot mala!

VI. *Exacte;* nempe, ne omittatur aliquid de iis, quæ sunt dicenda; ita ut si omittantur partes ordinariæ, scilicet, quæ in Missa semper dicendæ, vel agendæ sunt, erit mortale, si notabilis sit materia, v. g., aliquam orationem omittere in Canone; — vel *Pater noster; — fractionem Hostiæ; — illius in calice mixtionem; — patenæ et calicis purificationem post sumptionem ; — octo aut decem nomina Sanctorum Canonis ; — totum Introitum; — duas Collectas principales* (et juxta *aliquos orationem propriam dici* tantum; idem dicunt de Epistola, et Evangelio); — *Offertorium; — aquæ infusionem* in vinum consecrandum. (Ita *communiter Salm., Scavini, Gury, S. Lig., n.* 404 *et* 409).

— Veniale tantum erit omittere *Psalmum Judica; — Kyrie eleyson; — unam ex Collectis; — unam, vel alteram crucem; — pectoris tunsionem; — digitorum ablutionem.* — Item omittere partes extraordinarias, uti *Gloria; — Credo ; — Sequentiam ; — Tractum ; — propriam Præfationem ;* — aut *Communicantes;* — aut *Hanc igitur* propriam, et probabiliter *Evangelium* S. Joannis; nisi hæ partes simul sumptæ notabilem materiam constituant. Omittere vero manuum lotionem post Missam nullum erit peccatum. (Ita *communiter S. Lig., l.* 6, *n.* 404 *ad* 411, *Scavini, n,* 265). Item veniale est in purificatione calicis sola aqua uti (Ita *S. Lig., n.* 408); nisi abstemius sit sacerdos. Monuit S. Pius V, ut in calicem infundatur eadem vini quantitas, in qua fuit species sanguinis, et sumatur per eamdem partem, qua sumptus est sanguis. *Gavant., S. Lig., Bened. XIV, De Sacrif., l.* 2, *c.* 21. — Cum particulæ consecratæ sint omnes unica victima, et per modum unius offerantur, non recte agunt, qui, consecratione facta, ante sumptionem sacerdotis alteri distribuendas populo dant; quia sicut sacerdos non debet de sua hostia antea dare, sic nec de aliis. *Lugo, n.* 69. Tamen saltem a mortali, imo in necessitate populo Communionem ministrandi, ab omni culpa excusat *Tamburini.*

666. Q. *Quomodo se gerere debet sacerdos per transitum ad celebrandum, et ab altari revertens?*

R. 1.° Sacerdos calicem gestans neminem salutat nisi proprium Episcopum, magnos principes, præsules. aut sacerdotem ad altare procedentem, vel ab eo redeuntem, quibus prætereuntibus caput inclinabit; et si transitus sit angustus, accedens ad altare, locum cedat de altari redeunti. 2.° Ne confundat reverentiam cum genuflexione; nam in hac adest maxima reverentia præscripta a rubrica. — 3.° Diaconus, et subdiaconus adjuvare non debent celebraturum dum vestes induit. *(S. R. C.* sub *n.* 3639). — 4.° Celebrans thus in thuribulum imponere non tenetur in sacrario; id tantum permittunt *Bissus, Gavantus, et alii,* si est usus. Pro

elevatione hostiæ, et calicis cæremoniarius, et eo impedito, thuriferarius incensum injiciat in thuribulum sine ulla benedictione, non autem subdiaconus. *(Scavini, n.* 265). —In sacris functionibus, ut fruantur distinctionibus Magistratus, induere debent habitum formalitatis.—Si Episcopus esset etiam Cardinalis, in petenda ab eo thuris et aquæ benedictione dicendum tantum erit: *Benedicite Eminentissime et Reverendissime Pater. (Del-Vecchio, n.* 265).—In adoratione Crucis, Feria VI majoris Hebdomadæ, cæremoniale non præscribit, ut subdiaconus planetam plicatam dimittat; neque ut officians, et ministri exuant manipulum.

667. Q. *An celebrare liceat cum coma adscititia, vel pileolo?*

R. Nega; nam Urbanus VIII, testante Benedict. XIV, præcepit, *ut nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apost.; non obstante quacumque contraria consuetudine;* et *S. R. C.* ad quæsitum, an pileoli nomine comprehendatur etiam coma supposititia, respondit: *Utique comprehendi.* Sic Innocent. III per Apostolicos Nuntios jussit Episcopos admonere, ne quemquam permitterent sine Apost. Sedis privilegio Missam cum tali coma peragere. Et ex decreto S. R. C., 23 *maj.* 1846, usus pileoli tam in Missa, quam in aliis functionibus ecclesiasticis, sine speciali indulto, saltem Episcopi, prohibitus est. *(S. Lig., n.* 397).—Celebrare cum pileolo usque ad Canonem, secluso scandalo, et contemptu, solum veniale est; vel nullum peccatum probabiliter, si ex rationabili causa, et privatim fiat; vel etiam in publico, admonitis adstantibus de causa. *(Gury, n.* 409).—In ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, in processione Sti. Marci, et Rogationum, præsertim si occurrat Officium duplex, legenda est Missa Rogationum, si fiat processio; secus de festo cum commemoratione earumdem. (S. R. C. 12 *novemb.* 1831).—Nova templa, oratoria publica, altaria erigere nemini licet sine Episcopi facultate, et approbatione, *ex can.* 9 *de cons. dist.*

668. **Thurificatio.** Ad Missam thurificari tantum debet altare, in quo cantatur Missa; item thurificari debet altare ad *Benedictus,* si solemniter cantetur; ad Vesperas autem altare etiam, in quo asservatu SS. Sacramentum, si diversum sit; *S. R. C.* 30 *aug.* 1876: in utroque altari esse debent luminaria, et Crux. (S. R. C. 31 *jul.* 1665); et 15 *febr.* 1873, ubique locorum servare mandavit sacram imaginem divini Infantis, natalitio tempore, principali loco super altare expositam, post Crucem triplici ductu esse thurificandam. — Alumni Seminarii episcopalis choro assistentes, cotta induti, incensandi sunt per modum unius. (S. R. C. 3 *aug.* 1839). — In Missa cantata sine ministris non debet thurificari altare nec chorus. S. R. C. 19 *aug.* 1651.—Thuris et pacis honor inter Missarum, et Vesperarum solemnia mulieribus non debetur: ast thus reginæ, vel magnæ principissæ stanti in loco ubi daretur ejus viro, si adesset, dari convenit. S. R. C. 18 *dec.* 1779, etc.

669. **Missæ interruptio.** Ob rationabilem causam licet Missam interrumpere: 1.° Ob concionem post Evangelium, vel ante populi Communionem, et ob hanc ipsam. —2.° In principis, vel Episcopi, aut Cardinalis supervenientis, aut peregrinorum turbæ, vel processionis populi gratiam in die festo, si alias Missam non audirent. – 3.° Si gravis adsit necessitas moribundum baptizandi, absolvendi, vel adjuvandi. Tunc si interruptio post consecrationem fiat, claudatur in tabernaculo Eucharistia, et cum redierit sacerdos, incipiat ubi desierat: si ante consecrationem, et mora

plusquam unius horæ fuerit, ab initio incipiat, nisi ex concione, vel aliæ cæremonia cum Missa juncta evenerit interruptio; nam tunc unitas moralis semper habetur. *(S. Lig., n.* 353).

670. **Defectus et casus in Missa ocurrentes.** I. *Si incursus hostium, alluvionis, loci ruina timeatur* ante consecrationem, Missa dimittatur; post, accelerare poterit sacerdos Sacramenti sumptionem, aliis omissis; nam tunc per accidens, et ob necessitatem, non ex malitia, mutilat Sacrificium.

II. *Si sacerdos ante consecrationem advertat unam deficere speciem,* quæ amplius haberi non possit, ulterius non procedat: si post, Missam absolvat, verba et signa prætermittendo ad materiam deficientem pertinentia. Si expectando aliquantulum, v. g. quadrantem, aut mediam horam, haberi possit materia deficiens, expectet, ne Sacrificium imperfectum maneat.—Si, absoluta Missa, et juxta aliquos post ultimam benedictionem, cognoscat, aquam pro vino consecrasse, nil suppleat; acta quippe res est.

III. *Si post consecrationis verba advertat sacerdos non fuisse positum vinum, sed acetum, vel aquam,* hac, vel illo deposito in aliquo vase, denuo vinum cum aqua in calice ponat, et consecret, incipiendo a *Simili modo.* —Si id post corporis, et hujusmodi aquæ sumptionem advertat, aliam hostiam, et novum vinum cum aqua offerat, ac consecret, et sumat, licet non jejunus; cum absque simultanea utriusque speciei præsentia non perficiatur Sacrificium. Tamen, si scandalum timeatur, satis erit vinum de novo apponere, offerre, consecrare, et sumere; etenim jus naturale scandalum vitandi prævalet juri divino positivo Sacrificium integrandi. *(Ita Rubrica).* Hoc in casu sacerdos eleemosynam retinere non valet; quia Sacrificium non peregit. *(Alasia).*

IV. *Si sacerdos Sacrum faciens, morbo, vel morte ante consecrationem corripiatur,* nihil est supplendum; nam Sacrificium inceptum nondum est: si post, alius sacerdos, licet non jejunus, si hic desit, vel irregularis, aut excommunicatus, in aliorum defectu, Sacrum perficiat; est quippe de jure divino præceptum.—Si vero celebrans deliquio, vel alio morbo correptus, Sacrum perficere valet, etsi post unam horam, et non jejunus, melius ipse quam alius complebit. *(S. Lig., n.* 355*).*—Si in Parasceve sacerdos sacram functionem peragens subita morte corripiatur, et desit alius sacerdos jejunus, reponatur hostia in tabernaculo, et cesset Officium. *(S. R. C.* 8 *mart.* 1825).

V. *Si sacerdos non recordetur, se dixisse consecrationis verba,* non turbetur; si certo sciat se aliquid necesarii omisisse, ipsam formam resumat, et cætera per ordinem prosequatur. Si valde probabiliter dubitet, formam sub tacita conditione iteret: si dubium sit inane, prosequatur Missam. Si autem omissa non sunt de necessitate Sacrificii, v. gr. si post pauca verba secreta certo advertat aliquid notabile omisisse, uti dici Paschæ communicantes, paululum regrediendum esse, et repetendum censent *Tamb., Fil., Dian., et communiter;* qui exinde dicunt non esse repetenda Gloria, Credo, Præfationem, Communicantes, Hanc igitur, propria, si omissa fuerint, vel Epistolam, aut Evangelium, si dictum est unum pro alio; et tunc ulterius procedat, quin resumat. *(Scavini, n.* 177, *Sporer, n.* 443).

VI. *Si musca, vel quid aliud ante consecrationem in calicem ceciderit,* in decentem locum vinum projiciat, et aliud cum solita aqua ponat,

offerat, et prosequatur. Si post, et sumendo nausea fiat, muscam extrahat sacerdos, cum vino lavet; et, finita Missa, comburat; combustionem ac lotionem in sacrarium projiciat.

VII. *Si casu hostia e manibus in calicem cadat*, et commode aliqua pars abstrahi possit non madefacta, cum hac prosequatur sacerdos. Secus, omissis crucibus, quæ cum hostia, et super hostiam fieri debent non autem verbis, una cum sanguine eam sumat se signans cum calice, et dicens: *Corpus, et sanguis D. N. J. custodiat animam meam*, etc., et prosequatur.

VIII. *Si particula ceciderit super terram*, lineo panno locus tegatur, posteaque abluatur, ut præcipiunt rubricæ, quæ tamen non obligant sub gravi, ut notant *Pasq.*, *Holzm.*, *S. Lig.*, *n.* 250: si intra clausuram, monialis communicatura particulam lingua sumat, et abluatur locus; si nulla amplius sit communicatura, patena vel palla suscipiatur particula, ac sacerdoti tradatur. Si in sinum mulieris decidat, mulier eam quærat, ac ipsa per se sumat, digitos postea abluat, et si opus sit, in sacrarium se recipiat.—Si decidat in vultum, barbam, aut vestes communicantis, erit omittenda purificatio ad vitandam populi admirationem. Ita *Holzm.*, *Gob.*, *Tamb.*, etc.

IX. *Si aliquid sanguinis in terram ceciderit*, si commode fieri possit, lingua lambatur, et locus radatur, vel abluatur, abrasio, aut lotio comburatur, vel saltem in sacrarium mittatur, ut mos est.—Si in altaris linteum, vel corporale, aut vestem sacerdotis ceciderit, ter abluatur locus stillæ, calice supposito, et ablutio in sacrarium projiciatur. — Si totus sanguis effundatur, sacerdos iterum ponat vinum cum aqua, offerat et consecret, incipiendo: *Simili modo*, etc. *Ita ex Rubrica. Scavini, n.* 177.

---

# DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

## CAPUT I.

### De pœnitentiæ natura, existentia, et materia.

671. **Pœnitentiæ nomen** idem sonat ac *pœnæ tenentia*, id est, *pœna peccati me tenet*. Duplici modo accipi potest pœnitentia: *largo, et proprio sensu*. 1.° sensu idem est ac *dolor animi, quem quis experitur ob aliquod malum patratum*; vel *ob ejusdem rei turpitudinem in se*; vel *ob damnum inde subsequens, nulla ratione habita injuriæ Deo illatæ*. — 2.° autem sensu, prout ad justificationem conducit, dupliciter item accipitur; prout est *virtus moralis*, et prout est *novæ legis sacramentum*. Hinc:

**Pœnitentiæ virtus** definitur: *Virtus moralis divinitus infusa, qua movetur peccator ad detestationem peccati commissi, cum spe veniæ, ac proposito non peccandi de cætero, et divinæ justitiæ satisfaciendi*. Hæc dicitur virtus *reconciliativa*, quæ tendit ad hoc, ut Deum aversum nobis reconciliet; est etiam contritio omnino necessaria ad pœnitentiæ sacramentum, dicente Domino: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu*. (Joël, II).—Id ipsum clamat naturæ vox: 1.° ut voluntas bona malum a se patratum aversetur: — 2.° ut pro viribus illud reparet; secus mala ac in malo firmata voluntas remanebit. Sane

nemo pœnitere dicet eum, qui animum habet malum iterum perpetrandi, vel in jam patrato sistendi. Unde declarat Trid., sess. 14, c. 4: *Illam* (pœnitentiam) *non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Hinc pœnitentia est, et quovis tempore fuit peccatoribus necessaria *necessitate medii* ad salutem: item *necessitate præcepti divini*, juxta illud: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* (Luc. XIII).

—*Duplex est pœnitentiæ effectus:* 1.° remissio peccatorum, ut ex sacris Scripturis constat:—2.° remissio pœnæ tum æternæ, tum sæpe temporalis, ut constat ex Trid., *sess. 6, cap. 7.*—*Dupliciter item de suo peccato dolere potest peccator*, prout nempe Deum summe bonum offendit, et prout Deum offendit sui peccati vindicem: 1.° modo habetur *contritio,* seu dolor perfectus; 2.° autem imperfectus, seu *attritio.*

672. Pœnitentiæ sacramentum definitur: *Sacramentum a Christo D. N. per modum judicii institutum, ad peccata post Baptismum commissa homini contrito, et confesso remittenda per sacerdotis absolutionem.* De fide est contra novatores, et hæreticos fere omnes pœnitentiam esse verum sacramentum: nam 1.° est *signum sensibile* in oris confessione, et absolutione:—2.° adest *divina institutio;* patet ex Christi verbis ad Apostolos: *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* (Joan. XX). *Si quis dixerit, verba illa D. Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata..... non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit,... anathema sit.* (Trid., sess. 16, c. 3.) —3.° *divinæ gratiæ collatio;* nam gratia a peccatorum remissione nullo modo disjungi valet. Unde habet Trid., sess. 14, c. 1: *Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo D. N. institutum; anathema sit.*—Et in Conc. Florent. in decreto *ad Armenos* habetur: *Quartum sacramentum est Pœnitentia.* Id ipsum confirmat universalis ac constans traditio utriusque Ecclesiæ, tum latinæ, tum græcæ. Ex quibus etiam constat a Baptismo esse omnino distinctum sacramentum.

Absolutio sacramentalis vere proprie dimittit peccata, *et non tantum declarat peccata esse dimissa:* est de fide contra lutheranos, et calvinistas. Constat ex Christi verbis; nam dixit: *Quorum remiseritis peccata,* et non quorum declaraveritis remissa. Sic definivit Trid., sess. 14, can. 9: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti; anathema sit.*

Q. *An differat pœnitentia ut virtus a sacramento Pœnitentiæ?*

R. Affirma; nam 1.° pœnitentia ut virtus tota est posita in actibus pœnitentis; sacramentum autem sacerdotis absolutionem insuper requirit: —2.° virtus pœnitentiæ a mundi exordio incepit, fuit, ac est post peccatum necessaria *necessitate medii:* sacramentum fuit Christi institutionis, et est necessarium *necessite tantum præcepti* in re, et *necessitate medii* in voto saltem implicito: — *Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus,* ait *Trid., sess.* 14, *c.* 2.—3.° virtus tantum sanctificat per

actum contritionis perfectum, et ut causa gratiæ disponens; sacramentum vero cum sola etiam attritione, et ut causa gratiæ efficiens, ex *opere operato*.

673. **Institutio**. *Dominus* (ait Trid., l. c.) *sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insuflavit in discipulos suos dicens:* «Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, etc.» Dicitur *præcipue;* quia ante passionem jam inchoaverat omnimodam potestatem ligandi, atque solvendi Apostolis conferre hisce verbis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* (Matth. XVIII). Nihil excepit Christus; quis ergo aliquid excipere audebit? Omnia ergo peccata dimittere potest Ecclesia.

Velut in cæteris sacramentis, ita duplex est materia sacramenti Pœnitentiæ, *remota*, scilicet, et *proxima*.

674. I. **Materia remota, seu removenda**, sunt *peccata omnia post Baptismum commissa*, et probabilius ac communius etiam *in ipso commissa*, ut ait *S. Ligor.*, *n.* 427; nam circa ipsa destruenda versatur actio sacramenti Pœnitentiæ. Originale enim peccatum, et actualia ante Baptismum commissa, per ipsum delentur.—Materia est *necessaria*, vel *libera*, aut *sufficiens*: 1.° *mortalia* materiam *necessariam* constituunt.— 2.° *venialia* autem *liberam; nam*, ex Trid., (sess. 14, cap. 5) *venialia, quibus a gratia Dei non excludimur,... taceri tamen citro culpam, multisque aliis mediis expiari possunt:* sed *sufficientem;* etenim Christus ait: *Quæcumque solveritis, etc.*, nihil distinguens. Et idem *Conc. l. c.* declaravit *venialia... recte, et utiliter in confessione* declarari, damnavitque id negantes.—3.° Mortalia rite confessa non sunt materia necessaria; porro quod semel est remissum, nequit in culpam amplius revocari: tamen sunt materia *sufficiens* sicut et venialia etsi remissa; semper enim Deus per ipsa fuit offensus. Et qui alterum offendit, iteratis vicibus dolere, veniamque ab eo petere valet: et vicissim offensus absolutionem ore et corde repetere; et eo modo, quo repeti potest cum fructu confessio, sic et absolutio; nam opus non est, ut sacramentum peccata in actu primo deleat; sed sufficit, ut sit capax remittendi: alias enim confert gratias, uti pœnæ remissionem, gratiæ collationem, seu augmentum, sicut in perfecto contrito evenit. Tunc impletur illud: *Qui justus est, justificetur adhuc.* (Apoc. XXII.) Contrarium expresse damnavit Joannes XXII, *Extrav. vas elect. de hæret.*, ut *falsum*, et *erroneum;* et assertum declaravit *salubre* Benedict. XI, *Extrav. I de privil., c.* 1; et confirmat Ecclesiæ praxis, ac sensus universalis. Ita *S. Lig., l.* 6, *n.* 427. 4.° *Peccata dubie commissa* non sunt materia sufficiens; ideo alia certa est addenda ex præteritis ad sacramentum.

675. Q. *An adultus sub conditione baptizatus ob dubium Baptismum, sua peccata confiteri debeat?*

R. Nega, quoad peccata jam confessa et absoluta; quia jam sunt remissa per sacramentum Pœnitentiæ, si validus fuerit prior Baptismus: et si validus non fuit, confessionis materia non sunt.—Si autem peccata nondum sunt confessa, en responsum: *An debeat confessio sacramentalis a neoconversis in Anglia exigi, et an confessio debeat esse integra?* S. O. C. 17 dec. 1868 ad utrumque respondit; *Affirmative;* et dudum esse decretum latum 14 jun. 1715, quod habet: *Esse rebaptizandum sub*

*conditione, et collato Baptismo, ejus præteritæ vitæ peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur;* scilicet prius baptizetur, deinde conditionate absolvatur.

676. II. **Materia proxima sacramenti Pœnitentiæ** habetur definita a Trid., sess. 14, c. 4: *Si quis negaverit, ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur...; anathema sit.*—Commune est inter theologos, duce *S. Thoma,* contra *Durandum,* et *Scotum,* materiam proximam sacramenti esse constituendam in præfatis tribus actibus simul; ita etiam *Rituale Rom.*, et conformius est ipsi Concilio, ejusdemque Catechismo, qui opportune animadvertit fuisse appellatos *quasi materiam, non quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo.* Et licet sensibilis non sit contritio, satis fit sensibilis per confessionem, aliaque exteriora signa.—Hoc tamen intercedit discrimen, quod confessio, et contritio sunt partes *essentiales* in actu; et satisfactio, quatenus actu imponenda, vel implenda, est pars *integralis;* nam effectus sacramenti absque actuali satisfactione haberi queunt; sufficit ergo ac necesse est actu propositum eam implendi; secus illusoria esset illa pœnitentia. *(Scavini, n.* 281, *cum communi.*

# CAPUT II.

## De contritione, et proposito.

677. **Contritio**, ex Trid., sess. 14, c. 4, est: *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero (et voto confitendi ac satisfaciendi),* additur in nova lege cum *D. Thom.*, et *S. Lig., n.* 433.

Dolor, ac detestatio mutuo se supponunt, et alter alteri necessario adjungitur, ut ait *Ballerini* ex *D. Lig., n.* 435; nam qui suum detestatur peccatum, vellet nempe se non peccasse; ergo hic necessario de peccato dolet; et, rursum, qui de peccato dolet, illud necessario detestatur; etsi latius pateat detestatio, quam dolor; detestatio quippe ad aliena etiam peccata extendi potest; imo detestatio concipi valet sine dolore, ut in beatis contingit, qui non dolent, tamen peccatum aversantur. Hinc:

I. *Dolor animi* requiritur ad confessionem, id est, tristitia, seu displicentia interna, et spiritualis, vel affectus prorsus rationalis voluntatis, non autem sensitivus.—Dicitur *cum proposito non peccandi de cætero;* nam impossibile sane est, ut quis vere doleat de peccatis, quæ adhuc committere vult.—Additur cum *voto confitendi, et satisfaciendi;* quia ex divina institutione ac lege ad pœnitentiam sic requiritur.—Extra sacramentum probabilius et communius opus non est, ut quis expresse conteratur, intendens confiteri, ac satisfacere; sed sufficit votum implicitum in contritione jam inclusum; qui enim dolet de admissis, et ad Deum converti vult, voluntatem servandi omnia, quæ ad id præcipiuntur, nempe confiteri jam habere debet; quod ex his *Trid.* verbis satis deducitur: *Reconciliationem quæ per contritionem perfectam obtinetur, ipsi contri-*

*tioni, sine voto sacramenti, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Sess.* 14, *c.* 4, *S. Lig., n.* 437.

II. Controvertitur, an dolor, ut sit materia apta ad sacramentum, debeat esse elicitus cum intentione confessionis. Probabilius negant *Lugo, Spor., Scavini, n.* 425, *aliique,* innixi in verbis *Trid., sess.* 14, *c.* 4 ut supra n. 617; et insuper in ipsa ratione; licet enim ordinatus ad confessionem non fuerit dolor relatione antecedenti, satis tamen ordinatur atque patefit relatione consequenti, nempe per ipsam confessionem. Tamen affirmant *Bus., Bon., et alii;* nam sicut aqua, v. g., in Baptismo est ordinanda ad sacramentum, ita dolor hic ad confessionem. Unde merito concludit *S. Ligor., l.* 6, *n.* 447: *Prima sententia est probabilior, sed cum secunda etiam sit probabilis, ante susceptionem sacramenti, tutius docet Carden. in prop.* 1. *Innocent. XI hanc esse sequendam.*

678. **Conditiones ad contritionem** sunt: 1.ª ut sit *supernaturalis,* tum ratione principii, quod est divina gratia, sine *qua nemo pœnitere potest sicut oportet,* ex Trid., sess. 6, c. 3; tum ratione motivi, quod est propter Deum; non vero quia peccatum rationi repugnat, aut ob infamiam, infirmitates, aliaque motiva mere naturalia; esset tunc mere naturalis. Unde damnata est ab Innocent. XI hæc prop.: *Probabile est sufficere contritionem naturalem modo honestam.* Tamen aliquando motiva naturalia occasio esse possunt contritionis supernaturalis, uti sæpe evenit quoad infirmitates, contemptus, et maxime ob mortis periculum. Idonea motiva essent pœnæ timor, præmii spes, turpitudo peccati, et Dei bonitas.

2.ª *Universalis;* nemo dicet vere eum dolere, qui etsi unum detestetur grave peccatum, aliud diligit; cum detestationis ratio sit Dei amicitia curanda, quæ quolibet mortali deperditur. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum ejus..., non recordabor.* (Ezech. XVIII.) Non requiruntur, *saltem extra confessionem,* singuli actus doloris ad singula peccata, quod sæpe impossibile esset, vel *ridiculum,* ut ait *Cajet.*, sed sufficit de omnibus virtualiter dolere, etiam oblitis, ex motivo universali, quatenus sunt offensa Dei, et digna pœnæ; actus enim ille doloris ad omnia et singula peccata se extendit, ut ait *P. Suarez:* aliunde peccata consistunt in aversione a Deo; sufficit ergo ad gratiam recuperandam, ut peccator per unum contritionis actum ad Deum convertatur; secus esset simul conversus et aversus: peccata mortalia non remittuntur per partes; ergo... Nonne Magdalena, Latro, et David brevissimo tempore, imo subito justificati sunt, ut docet S. Scriptura? Ita *S. Ligor., n.* 438, *cum communi.* Diximus *saltem extra confessionem;* quia aliqui AA. contrarium defendere nituntur, etiam in ordine ad confessionem, etsi *communiter* rejiciatur hæc opinio.

3.ª *Formalis et explicita* etiam quoad venialia, in ordine ad sacramentum; agitur siquidem de materia illius, etsi extra sacramentum sufficiat contritio *virtualis* et in genere, quæ in actu perfectæ charitatis habetur. Non autem requiruntur expliciti actus fidei et spei; nam dolor illos necessario et exercite jam includit. *S. Lig., n.* 449 *et* 439, *Gury, Ballerini, n.* 445, *Scavini, n.* 283. Verum ad delenda venialia extra sacramentam sufficit virtualis contritio; scilicet affectus *erga Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse,* ut ait *Angelicus.*

4.ª *Interna* juxta illud: *Scindite corda vestra, et non vestimenta*

*vestra* (Joël, II): secus esset fictio. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia...* Matth. XV: æquum est ut exinde deducatur dolor.

5.ª *Appretiative summa* quoad voluntatem, quatenus voluntas peccata detestetur super omnia mala, et parata sit quamcumque pœnam potius subire, quam de cætero peccare. Hinc ait Christus: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* (Matth. X). Non autem requiritur *intensive summa*, seu quoad sensibilitatem per suspiria et lacrymas patefactam; nam iste sensibilis dolor non est in hominis potestate, nec de contritionis essentia. *S. Lig.*, *n.* 433.

Unde si quis se dolere sentiat magis de patris, aut filii morte, aut de alio quocumque malo, quam de peccato, non est urgendus, sed consolandus: neque consultius ageret confessarius, aut concionator, qui practice descendens cum peccatoribus ad mala particularia, eos tentaret, an sint parati capite obtruncari, suspendi, flammis comburi, antequam iterum peccare; quia forsan ista sensibilitate pœnarum deterriti, fortius Deum offendent. (*S. Lig.*, *n.* 433). Quoad venialia sufficit, et requiritur, ut sit *interna*, *supernaturalis*, et *summa*, non autem *universalis;* etenim veniale peccatum non est insociabile cum gratia.

6.ª *Efficax*, nimirum conjuncta cum vero proposito non peccandi de cœtero juxta illud: *projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite omnes cor novum et spiritum novum.* (Ezech XVIII).

679. Contritio necessaria *est ad mortalium remissionem tum nenessitate medii, tum præcepti, sive intra, sive extra sacramentum.*

I. *Necessitate medii:* constat 1.° ex Scriptura: *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* (Eccli. II). *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* (Luc. XIII). *Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*: (Act. III).—2.° Ex *Trid.*, *sess.* 14, *cap.* 4, ubi ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*—3.° Constat ex ratione: nam absque sincera cordis conversione ad Deum vivit affectus, saltem virtualis, ad peccatum, et ad dæmonis subjectionem; implicat ergo quod sic homo Deo reconcilietur, una cum amicitia peccati, ac diaboli vivens. Unde contritio perfecta extra sacramentum, aut imperfecta saltem cum sacramento, necessaria est *necessitate medii* ad salutem. *Dele quod fecisti* (peccator), ait D. August., *ut Deus salvet quod fecit.*

II. *Necessitate præcepti:* supposito mortali peccato, necessaria est saltem aliquando in vita; nam quisque ex omni lege arripere media ad salutem necessaria tenetur; atqui præcipuum medium peccatori est contritio; quia sine pœnitentia non fit remissio; sine remissione non habetur Dei amor; *qui non diligit manet in morte;* ergo...

Contritionis præceptum obligat per se, et per accidens. I. *Per se* peccatores obligat in mortis periculo, aut perpetuæ amentiæ, ratione ad ultimum finem ineluctabiliter tendendi. *Ita omnes,* ait *S. Lig.*, *n.* 437. Sed *per se* non obligat statim post peccatum; nullibi sane id constat; *communius* obligat tantum aliquoties in vita, sicut confessionis, ac charitatis præceptum erga Deum. (*Palaus*, *Ballerini*, *n.* 443). (V. T. I, n. 513). Tamen illico est certo deponendus peccati affectus; secus peccator semper pergit ad actualiter peccandum.

II. *Per accidens* obligat: 1.° cum quis in mortali existens, sacramenta

ministrare, aut suscipere tenetur; *perfecta*, si *vivorum; imperfecta*, si *mortuorum:*—2.° quoties urget præceptum actus charitatis erga Deum; sane charitas cum lethali peccato non coadunatur *S. Ligor., n.* 437:—3.° juxta aliquos obligat aliquando ad alia præcavenda peccata; sed de hoc urgeri nequit obligatio, ob varietatem opinionum, et mediorum ad vincendas tentationes; cum peccator aliis mediis uti possit, si velit. Tamen in omni casu contritionis omissio non constituit peccatum distinctum a peccato, in quod ob talem omissionem incurritur. Imo ob dilationem fere nunquam se peccare credunt id negligentes; ideoque nec interrogare, nec admonere pœnitentem in particulari oportet. *(Lugo, n.* 55, *Ballerini, n.* 444, *Scavini, n.* 285).—In praxi autem adhortandi sunt peccatores, ut illico post peccatum contritione illud expellant, ne contra charitatem erga Deum, et erga se ipsos operentur; nam *abyssus abyssum invocat;* quia sine gratia sanctificante, ex *D. Thoma,* quod homo *diu maneat absque peccato mortali, esse non potest* (1. 2, q. 109, a. 8).

680. Q. *An ille qui in mortis articulo sacramentum Pœnitentiæ cum attritione suscipit, elicere insuper teneatur actum perfectæ charitatis?*

R. Controversiis præcisis, certum est obligationem adstrui non posse; cum moraliter jam certus sit, se justificatum esse. (Ita *S. Lig., n.* 437, *Lugo, Gury, Ballerini, n.* 445, *et alii communiter*). Insuper cum de certitudine contritionis seu charitatis æque, imo plus dubitare possit, quam de certa attritione; quia difficilior ea censetur; illam non semel, sed iterum, iterumque deberet repetere, quin tamen dubium et simul obligatio repetendi cessaret, ut merito ait *Ballerini, vol.* 1, *n.* 219.—Demum si quid tale dubium valeret, propter ipsum non minus præcavendum foret periculum frustrandi sacramenta per sacrilegam injuriam. Ergo accedenti ad confessionem sub gravi peccato injungenda foret obligatio perfectæ contritionis actum præmittendi; quam doctrinam nemo facile admittet. *(Ibid.)*

—Quoad praxim opportunissime moribundi ad actus perfectæ charitatis et contritionis eliciendos, iterandosque excitantur, et sub gravi obligatione, si sermo sit de iis, quibus aliud justificationis medium non suppetit: secus dicendum si hujusmodi absit necessitas; neque ulla ratio apparet, cur opinionem de hac obligatione quidam *communem*, aut *probabilissimam* dixerint, quod nihil aliud est, nisi scrupulos ingerere. *(Tamb., Azor., Lugo, Ballerini, ibid.) S. Ligor., n.* 437 sic rite se habet: *Utraque sententia est probabilis, sed prima omnino est consulenda; cum agatur de summo salutis negotio, cujus periculum est irreparabile.*

681. Contritio a Trident. dividitur in *perfectam,* et in *imperfectam:* 1.ª *est amor charitatis, quo Deum propter se ipsum amamus;*—2.ª vero *est amor sui, vel concupiscentiæ, quo volumus nobis bonum, ejusque beatitudinem appetimus.* Hæc attritio denominatur. De utraque singillatim.

I. Contritio perfecta est *peccati detestatio, orta ex motivo charitatis in Deum summe, et per se dilectum.* Licet satis probabiliter actus perfectæ contritionis elici possit ex cujuscumque divini attributi motivo per peccatum offensi, uti sapientiæ, justitiæ, misericordiæ; cum ille, qui hæc attributa, etsi singillatim, *exercite* diligit, ipsum Deum jam diligit; divina siquidem attributa nil aliud sunt quam ipse Deus; tamen *probabilius,* et *tutius* tenent *plurimi* cum *Scav., n.* 287, *S. Lig., l.* 6, *n.* 436, actum perfectæ contritionis ex solo motivo divinæ charitatis procedere; scilicet, ex motivo divinæ bonitatis offensæ, quatenus hæc omnes Dei perfectiones complectitur; nam infinita bonitas *est omnium perfectionum seu attributorum*

*aggregatio. Trid.* hanc contritionem *charitate perfectam* expresse vocat. Sic conciliari possunt omnes circa id opiniones.

Contritionis efficacia tanta est, ut orta ex charitate prædominante, conjunctaque cum voto sacramenti, semper ante hujus susceptionem justificat; nam actus perfectæ contritionis est actus charitatis formalis, qui semper in Deum tendit: *charitas operit multitudinem peccatorum* (I Petri, IV); siquidem Deum perfecte diligere est cum Deo conjungi; atqui conjunctio cum Deo necessario disjunctionem a peccato includit: ergo... Adde: si in veteri lege justificabat perfecta contritio absque sacramento, a fortiori etiam hodie, cum ejus efficacia non sit minuta. Hinc a S. Pio V, et a Greg. XIII proscripta fuit hæc 71 Baji prop.: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.*—Cum autem dicitur *charitas perfecta* non intelligitur summa in superiori gradu, sufficit enim ut sit vera charitas, licet in gradu infimo; magis quippe, et minus speciem non variant. *Dolor, dummodo ad rationem contritionis sufficiat*, ait Angelicus, *omnem culpam delet.* (Supp. q. 5, a. 3.) *Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* (I Joan. IV.) *S. Lig., n.* 440. — Unde contritio non solum remittit culpam, pœnamque æternam, sed etiam temporalem juxta majorem, vel minorem ejusdem intensionem venialibus et mortalibus quoad culpam remissis debitam. Proinde intensissima contritio etiam omnem pœnam remittere valet, etsi ex natura sua hanc non habeat efficaciam. Ita ex Trid., sess. 6, cap. 14, etc.—Diximus, si conjuncta sit cum voto sacramenti; nam docet Trid., sess. 14, c. 4, *reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam*: ratione scilicet submissionis clavibus ex Christi ordinatione est.

682. II. Attritio vero est *detestatio peccati, ex motivo supernaturali orta*, v. g., *ex turpitudinis peccati consideratione*; vel *ex amore æternæ beatitudinis*; vel *ex gehennæ pœnarum metu concepta, conjuncta cum peccati odio, et spe veniæ. Trid., sess.* 14, *c.* 4. Contritio ab attritione differt: 1.° ratione motivi; nam *perfecta* ex perfecta Dei charitate perficitur, *imperfecta* vero ex turpitudine peccati, vel pœnarum timore; — 2.° ratione effectus; nam *perfecta* illico justificat, *imperfecta* cum solo sacramento, ut docet Tridentinum.

Prætereundum vero hic non est, objecta virtutum moralium, v. g. obedientiæ, gratitudinis, religionis, etc., sin minus perfectæ contritionis, imperfectæ certo motivum esse aptissimum, ut recte ait *Ballerini, n.* 441. Imo facili negotio pœnitentes hac via pertrahi ad motivum perfectæ charitatis posse. Si enim simul cum motivo obedientiæ, justitiæ, religionis, gratitudinis, etc., addatur consideratio infinitæ excellentiæ Dei, cui aut illata injuria, aut negata obedientia fuit, aut cultus demptus, facillime ad perfectionem charitatis devenitur. Et hæc quidem ad manum confessario sint oportet, ut opportune pœnitentes ad perfectiora provehendi facilis ipsi ratio suppetat.

683. Q. *An dari possit sacramentalis confessio simul valida et informis ob dispositionis defectum?*

R. Negant aliqui cum *Elb.*, *et Bill.*, cum hic contritio sit materia sacramenti; unde si est insufficiens, invalidum erit sacramentum; secus validum et formatum, ac

proinde peccata remittet.—Affirmant *probabilius alii* cum *Lugo, Croix, S. Lig., n.* 444; sed in duplici tantum casu id admitti posse videtur; nempe 1.° cum aliquis duplicis peccati reus, ex invincibili oblivione de altero tantum doleat, et hoc solum confiteatur; 2.° cum quispiam ex ignorantia invincibili crederet, non esse mortale ad sacramentum accedere sine dolore de omnibus, dum adest dolor de aliquo. Ratio quia adest interna formalis peccatorum confessio; dolor de peccatis notis; absolutio, votum satisfaciendi, bona fides; tamen adest obex gratiæ, nempe peccatum mortale: en quomodo esse dicunt validum et informe.

684. **Attritionis divisio, ac virtus.** Timor est *motus animi malum aliquod sibi imminens refugientis.* Vel est *mundanus,* quo magis quis refugit pœnam ab homine infligendam, quam Dei offensam:—vel *naturalis,* quo quis, duce natura, mala temporalia reformidat:—vel *supernaturalis,* quo peccatum quis timet, vel de eo dolet ob culpam, vel pœnas, quas sibi a Deo infligendas timet. Hic subdividitur in *filialem, servilem,* et *initialem. Quandoque homo propter mala, quæ timet, a Deo recedit, et iste dicitur timor humanus, vel mundanus. Quandoque autem homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur, et ei inhæret... Si... propter timorem pœnæ, erit timor servilis. Si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis: nam filiorum est timere offensam patris.—Si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.* S. Thom., 2. 2, q. 19, art. 2.—Ipse autem timor servilis dicitur *serviliter servilis,* si quis scilicet pœnam ita timet, ut adhuc peccaret, si pœna non esset: vel *simpliciter servilis,* si pœnam timet, ac per hunc timorem a peccato se abstinet, quin hic et nunc animum peccandi habeat, si pœna illa non esset; sed ab hac cogitatione abstrahit. Hinc:

1.° Timor *mundanus,* utpote vitiosus; et *naturalis,* etsi bonus, utpote improportionatus cum justificatione; et *serviliter servilis,* licet in se bonus, quatenus a peccato amovet, utpote subjective malus ob pravam animi dispositionem, non sunt materia sacramenti. Ita *omnes.*—2.° Timor *filialis,* et *initialis* quatenus hic etiam includit gradum charitatis prædominantis, etsi optandi, tamen non requiruntur; porro extra sacramentum etiam justificant. Ita *communissime.*—3.° Tota quæstio est de timore *simpliciter servili.* Tamen hic timor honestus est, a Deo inspiratur, et voluntatem peccandi excludit.

1.° Honestus est, et valde a Christo commendatur, dicente: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* (Matth., x.) Unde Trid., sess. 6 can., 8 contra Lutherum, Bajum, Jansenium et Quesnellum sic se habet: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.*—2.° A Deo inspiratur juxta illud: *Ostendam autem vobis quem timeatis.* (Luc., c. XII.) Et Trid., sess. 14, cap. 4 ait: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum.*—3.° Voluntatem peccandi excludit: *Timor Domini expellit peccatum.* (Eccli., I). Porro qui efficaciter gehennam timet,

a via illius recedit, quæ est peccatum. Attamen attritio extra sacramentum non justificat; conjunctionem siquidem cum Deo non operatur, sed primos conversionis ad Deum gressus tantum exorditur. *Donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, declarat* Trid., l. c., *non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat.*

685. **Sola attritio una cum sacramento sufficit ad justificationem**, si cum initio amoris conjungatur *prædominantis,* licet in gradu remisso, juxta *Habert, Antoine, Con.,* aliosque paucos, qui *contritionistæ* dicuntur; vel tantum *inchoati* ex timore amissionis gloriæ, vel ex timore inferni, et pœnarum, vel ex horrore erga peccati turpitudinem fidei lumine cognitam, ut tenent *Alas., Bill., Lugo, Suar., Gury, Huter, n.* 519, *Ballerini, n.* 451, *Scavini, n.* 290, *S. Lig., n.* 440 cum communi, *attritionistæ* appellati.

Hæc sententia post Trident. cum plausu ab omnibus scholis fuit adoptata, ut asserit Benedictus XIV, *De Synod., l.* 7, *c.* 17: Alexander VII, decreto 5 maj. 1657 ait, quod *hodie inter scholasticos communis videtur;* ita etiam Benedict. XIII. Sic testantur doctrinam hanc haberi uti certam; nam circa sacramenti valorem nonnisi opiniones moraliter certas amplecti fas est. *S. Lig., n.* 443.

Probatur: 1.° Conc. Trid., nulla facta mentione qualitatis motivi, contritionem definit *animi dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Ergo quodcumque sit motivum contritionis, dummodo ea sit *supernaturalis* animi dolor, etc., ad sacramentum Pœnitentiæ jam sufficit. Deinde Conc. contritionem distinguit, ac describit quænam necessaria sit extra sacramentum, et quænam sufficiat una cum ipso, dicens sess. 14, cap. 4, de attritione: *Quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam, in sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponit:* quæ verba hanc exhibent consequentiam: *ergo proxime cum sacramento bene perducit;* alias incongruenter fuisset locutum; cum *remote* omnibus innotescat extra sacramentum ad gratiam disponere.—2.° Colligitur ex damnatione prop. 58 Baji a S. Pio V, aliisque: *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, et inspirans vivificat eum, et resuscitat, ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.* Unde sequitur doctrinam esse catholicam, peccatores vivificari ministerio sacerdotis absolventis; atqui si contritio perfecta ad absolutionem prærequireretur, nunquam peccatores virtute absolutionis vivificarentur, utpote jam virtute contritionis vivi: ergo... Demum clavium potestas Ecclesiæ fuit concessa ad reconciliandos peccatores Deo; atqui id nunquam assequeretur, si ad absolutionem necessaria esset contritio perfecta, quæ ante absolutionem jam peccatorem Deo reconciliat: ergo... Et nonne Pœnitentiæ sacramentum est divinitus institutum ad conferendam primam gratiam? Id nobis innuit Christus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo sacerdos revera absolvit. Alias nec mortuorum sacramentum dici posset, cum pœnitentes jam accedere deberent vivi. Ita *Gury, Ballerini, n.* 451, *Scavini, S. Thomas, S. Lig., n.* 440, *Huter, n.* 526, cum communissima sententia.

686. **Initium amoris conjungitur cum timore simpliciter servili**,

juxta illud: *Timor Dei initium dilectionis ejus*: (Eccli. xxv.) *Aliquis introducitur ad amandum per hoc, quod timens ab ipso puniri, cessat a peccato,* ut ait S. Augustinus, cui consonat *Angelicus.* Sane attritio est pia voluntatis motio ex gratia orta, quæ finaliter ad charitatem aspirat, removetque charitatis obicem, scilicet, peccatum. Includitur etiam in proposito servandi in posterum Dei mandata, et non amplius peccandi. Insuper cum inter præcepta detur præceptum dilectionis, qui proponit servare præcepta, inchoate, et in causa diligit.—Præterea in ipso odio peccati, quamvis ex motivo pœnarum concepto, includitur etiam aliqualis dilectio: qui enim malum alicujus odit, aliqualiter illum amat amore veluti negativo, nolendo illi malum. Ita *Viva*, *Liberius a Jesu*, *Huter, S. Lig.*, *n.* 440. Denique *ex hoc enim quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare* (S. Thom., 1. 2, q. 40, art. 7); atqui attritus a Deo omnia timet, omniaque sperat; etenim infernum timet, ac sperat veniam, æternamque beatitudinem; atque ad mala vitanda, et bona promerenda se disponit: ergo... *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.* (Ps. 39.)

687. Q. *An sufficiat attritio ex metu purgatorii, aliarumque pœnarum temporalium prout a Deo infliguntur?*

R. *Ad* 1.m Affirma; nam eædem rationes adductæ pro inferni metu de purgatorio quoque valere debent. Ita *communissima sententia*, *et moraliter certa,* ut ait *Gury, n:* 452.

R. *Ad* 2.m Affirma probabilius, et communius contra *paucos,* dummodo timor supernaturalis sit; nam ex Trid. bona est attritio, quæ ex *metu gehennæ, et pœnarum concipitur:* ibi habetur distinctio æternæ, ac temporalis pœnæ. Secus nimis probaret; probaret siquidem requiri etiam ad attritionem metum temporalium malorum præter gehennæ metum. Hoc confirmari videtur ab ipso Conc., adducente in exemplum Ninivitarum pœnitentiam, quæ quidem fuit concepta ex metu excidii suæ civitatis a Jona comminati. (Jon. III.) Præterea in hujusmodi metu omnes veræ attritionis conditiones esse queunt. Ita *Lugo, Scavini, n.* 291, *Ballerini, n.* 452, *S. Lig. n.* 443, qui addit: At cum altera sententia *non careat sua probabilitate, saltem extrinseca, puto tutius in praxi eam servandam esse.* (V. t. I, n. 509.) Præcisis aliis vanis quoad praxim controversiis, curet confessarius ut etiam ad contritionem pertingant pœnitentes, saltem ad uberiores gratias recipiendas: v. gr. *Infernum meruisti! Quid ibi faceres? In illo loco tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat Deum amplius nec videre, neque amare posses!—Et Deum summe bonum offendisti? Propter quid?— Quid tibi mali fecit?—Dole ergo...* Advertendum hic est non fieri actum attritionis, si quis diceret: *Se pœnitere peccati commissi, quia meruit infernum.* Sed opus est, ut dicat: *Se pœnitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum.* Ita *Frassinetti.* Neque satis muneri suo faceret confessarius, si dumtaxat pœnitentes interrogaret hoc modo: *Eia, postulasne a Deo veniam de omnibus his? Te pœnitet ex toto corde omnium peccatorum?* Ita *Del-Vecchio, n.* 431.

688. Q. *Quomodo pœnitens ex attrito in sacramento fiet contritus?*

R. Quamvis attritio *ex se* peccatorem cum Deo nunquam conjungere valeat, utpote amore conjunctionis carens; tamen est conditio, ut gratia una cum sacramento congruenter infundatur; scilicet, per infusionem

gratiæ sanctificantis, quæ vi absolutionis confertur, hominemque habitualiter conversum ad Deum efficit; nam gratia in sacramentis semper operatur, sejuncto obice, qui peccatum est; per attritionem adimitur affectus peccati; indeque fit, ut divinæ gratiæ infusio sacramentaliter operari valeat quod charitas perfecta operatur. Imo probabilius *attritio venialia remittit extra sacramentum, et sine voto sacramenti;* cum etiam sacramentalibus tribuatur vis remittendi venialia, quod verum non esset, si ad ea delenda contritio opus foret. *Gury, n.* 456, *Lugo, Suarez, aliique plurimi* contra *alios,* qui ajunt ex Trid. venialia *utiliter* in confessione accusari; non autem utiliter accusarentur, si attritione remitti possent; ergo... Sed ad hoc reponitur, venialia utiliter aliis quoque causis pœnitentes confiteri; nimirum ob pœnæ remissionem, ob meritum, et directionem. Deinde sacramentum ex divina institutione pro solis mortalibus est necessarium; ergo deleri extra sacramentum possunt venialia; ergo nullum hujus sacramenti votum ad eorum remissionem requiritur. *(Ita omnes, ait Gury, n.* 457).

689. **Resolves.** I. *Quolibet temporis spatio concipi potest vera contritio;* cum sit actus cordis, seu voluntatis ex Trid. Consultius tamen erit contritionis actus expressis verbis elicere productiores, intensioresque, ne forsan ex nimia festinatione, aut levitate nullus concipiatur dolor. *S. Lig.*, *n.* 433, *Gury, n.* 450.

II. *Certum est dolorem præcedere debere absolutionem ;* nam forma cadere debet super materiam præsentem. *Communius et probabilius non oportet, ut ille præcedat etiam confessionem ;* quia in hanc jam influit, cum confessio fit animo absolutionem obtinendi : unde licet post confessionem eliciatur, statim ipsi moraliter unitur. Et in causæ resolutione habentur omnia ad sacramentum requisita : secus per contritionis actus incipere deberet confessio. Ita *Suar., Lugo, Scavini, n.* 425, *S. Lig., n.* 445, contra *Lay.*, et *Conc.*, dicentes confessionem esse debere dolorosam, ut dolor fiat sensibilis tanquam materia sacramenti. Ante factum hæc est suadenda, licet convenire omnes videantur; nam dolor jam ostenditur per absolutionis expectationem, nisi de indisposito agatur. Hinc ait Rituale Rom.: *Audita confessione, ad dolorem efficacibus verbis adducere conabitur* confessarius pœnitentem. Hæc est communis confessariorum praxis: ad hanc adhortantur tum theologi, tum Ecclesiæ patres.

III. *Mortale est sola venialia confiteri absque contritione* propter injuriam sacramento illatam, illud suo effectu frustrando. *S. Lig., n.* 449. Attamen tunc sufficit de uno peccato veniali dolere ; porro venialia nonnisi materia confessionis libera sunt. Imo satis est ut quis se pœniteat de omnibus in genere; nam in obliquo saltem doleret de culpis; in directo autem et principaliter de excessibus. Ita communius *S. Lig., n.* 449.

IV. *Contritio ad valide suscipiendam absolutionem virtualiter perdurat quoties confessio ex peccatorum displicentia derivatur ;* illa confessio tunc quidem est illius doloris effectus. Secus vero si quis ex mera devotione, vel ex voto, aut satisfactione sacramentali confiteretur. In praxi tamen, seclusis aliquorum AA. opinionibus, tutius erit sentire cum *Croix, n.* 706, qui, si post elicitum dolorem pœnitens ad diversa se converterit, vult dolorem breviter esse renovandum ; agitur sane de valore sacramenti. Ita *Conc., S. Lig., n.* 446. Sic ille, qui statim post absolutionem oblitum confitetur peccatum, communius novo non indiget dolore ; prior

siquidem etiam ad peccata oblita se extendit, qui adhuc perseverat, et fit quid unum morale cum prima confessione, sicut una aqua plurimi fieri queunt Baptismi. Ita *Viva, Lugo, S. Lig., n.* 448, *aliique plurimi* contra *Bon., Vazquez*, etc., dicentes per primam absolutionem jam fuisse completum judicium : ergo si nova est impertienda absolutio, nova erit ponenda materia proxima ; et licet dolor moraliter perseveret, non tamen in ordine ad absolutionem. In praxi ita resolve ante factum. Secus post. *S. Lig., ibid.*

**Signa defectus doloris** sunt 1.° Modus superbus, et impatiens, quo pœnitens recusat interrogationi confessarii respondere. aut hunc contemnit.—2.° Peccati proprii excusatio, et in alterum illud refundere.—3.° Narratio gravissimi peccati veluti si esset quid indifferens.—4.° Sola confessarii industria peccata aperire. — 5.° Prudentem satisfactionem renuere.– 6.° Opportunum remedium ad vitandam culpam nolle adhibere. —7.° Denique si illorum sit pœnitens, qui ignotos, ac ignaros, vel laxos circa res morales confessarios quærunt, quin ad Deum sincere converti velint. Ita *Card. Denoff.*—Cum indurato *suaviter*, et *fortiter* agat confessarius. *Suaviter* exponendo divinæ misericordiæ largitatem. *Fortiter* autem exponendo divinæ justitiæ terrorem.

690. **Propositum** est *deliberata, seria*, et *firma voluntas non peccandi de cætero.* Unde: propositum differt a voto, juramento, et rigorosa promissione, quæ omnia specialem induunt obligationem ; non sic propositum. Caveat ergo confessarius exigere a pœnitente votum, juramentum, vel aliquam rigorosam promissionem non peccandi de cætero ; ne detur ipsi occasio duplicis peccati. —*Duplex* est propositum : 1.m *explicitum*, seu *formale, quo quis de futuro cogitans, non amplius peccare statuit :*—2.m *implicitum*, seu *virtuale, quod in ipsa contritione includitur*, quin futurum tempus præ oculis habeatur.

Propositum *saltem implicitum* est de absoluta necessitate ; cum sit pars essentialis contritionis, ut supra notavimus. (*Ita omnes*).

*An propositum explicitum etiam requiratur?* R. *Nonnulli* absolute affirmant cum *Suar., Bon., Con.;* quia illud expresse exigit Trid., cum dicit quod pars essentialis Pœnitentiæ est *dolor cum proposito non peccandi de cætero:* præterea, cum dolor esse debeat formalis, et expressus, sic et propositum.—*Alii* cum *Lugo, Lay., Salmant.*, *et fere communiter* negant ; et sufficere docent virtuale propositum, si dolor ex motivo universali eliciatur ; nam Trid. ait, quod attritio, *si voluntatem peccandi excludat*, ad gratiam jam disponit. Hanc tenet *Benedict. XIII* in Concilio Romano, Instructionem approbans, ubi id ipsum traditur.—*Alii* cum *Holzm.*, *Bellar.*, et *Ballerini* dicunt, quod si pœnitens de futura vita cogitat, emendationem formaliter proponere debet; aliter non satis eum pœnitere videtur. Si vero de futuro nil cogitat pœnitens, vel quia est distractus, vel quia in mortis articulo invenitur, sufficit virtuale propositum. *Hæ duæ ultimæ sententiæ sunt quidem probabiliores*, (ait *D. Lig., n.* 450), *sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi, ante factum, tutior sequenda est.* Si autem bona fide cum vero dolore quis confessus fuerit, repetere confessionem non tenetur; etsi enim ante factum communius non sufficiat opinio, quæ non sit moraliter certa, post factum, si probabiliter valide est jam confessus, non amplius adest periculum. (*Ita Croix, Viva, Suar., Ballerini, n.* 462, *aliique plurimi* apud *D. Lig., ibid.*) *Sanctus* vero tenet culpam gravem certam per certam validam confessionem expiari debere, cum sermo sit de sacramentali valore : et sane hic non agitur de actu posito, sed de

certa omissione rei ad actus validitatem dubie necessariæ. Tamen in praxi vix eveniet, quod pœnitens contritus explicitum propositum omittat, etsi ad hoc non reflectat, quod neque necesse est. *Scavini, n.* 292.

691. **Conditiones propositi** sunt, ut sit *firmum, universale, et efficax.* I. *Firmum*, scilicet, pœnitens deliberatam voluntatem habere debet non relabendi ob quodcumque incommodum. Sed caveat confessarius pœnitentis animum tentare, adhibitis comparationibus ad terrendam, perturbandamque ejus phantasiam idoneis, ut ait *Gury*. (V. n. 844).

II. *Universale*, seu ad omnia mortalia patrata, et quæ patrari possunt extensum; secus non habetur completa animi ad Deum conversio. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* (Jacob. II). *(S. Lig., n.* 451). Hinc: 1.° Qui asserit se amplius peccare nolle, at simul se relapsurum credit, practice certam suspicionem præbet suum propositum non esse satis firmum; nam sciens quod Deus *facienti quantum est in se, non denegat gratiam*, potest ac debet certo credere, et sperare ad peccata sua non esse rediturum, nisi ob propriam segnitiem quoad media.—Unde bene ait *Croix, l.* 6, *n.* 1822, quod talis pœnitens, priusquam absolvatur, disponi debet, ut speret, non per vires suas, sed per Dei auxilium a peccatis liberatum iri. *(Ita Bus., Con., Scavini, S. Lig., n.* 451). —*Alii* cum *Lay., Suar., Nav., Dic.*, asserunt, quod etsi pœnitens se relapsurum credat, firmum tamen propositum habere posse; quia judicium intellectus ex cognita fragilitate bene consistere potest cum proposito voluntatis non relabendi.—2.° In praxi si pœnitens, se facturum quantum est in se, ac media adhibiturum, proponat, bene absolvi posse videtur. Sæpe ob nimium timorem pœnitentes ita sentiunt, sua fragilitate cognita, (etsi non raro ob exiguam conversionem sic loquuntur, quod confessarius apprime distinguere debet, ut congruenter medeatur);—nam bene consistere potest seria voluntas resipiscendi cum relapsus timore ex mutatione voluntatis. Cæterum erraret confessarius, qui renueret absolvere pœnitentem vere dispositum, eo quia illum prævidet relapsurum. *Suarez, Bouvier.*

III. *Efficax affective*, id est, paratum hic et nunc ad implendum quod proponitur; nempe, media adhibendi ad vitandum peccatum necesaria, maxime ad occasiones proximas avertendas; secus nugatoria esset resipiscendi voluntas. Tamen relapsus non semper propositi inefficaciam explicant; sæpe mutatæ voluntatis signum dumtaxat præbent, uti in Apostolo Petro compertum habemus. (*S. Lig., n.* 451).

---

# CAPUT III.

## De conscientiæ examine, confessionis necessitate, et conditionibus.

692. **Examen conscientiæ** *necessario, et sub gravi per se prærequiritur ad confessionem:* sane absque diligenti præmeditatione omnes cordis nostri sinus perscrutari non valemus, experientia teste. Hoc diligens examen exigit *Trid., sess.* 14, *cap.* 5, dicens: *Oportere a pœnitentibus*

*omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri.* Unde:

I. *Graviter peccat, qui ex gravi negligentia in examine conscientiæ aliquod mortale peccatum omittit,* iterumque confessionem convalidare devincitur. Tamen dari potest parvitas materiæ ratione inadvertentiæ, uti non raro in rudibus eveniet, vel etiam in civiliter tantum excultis; et tunc valida erit confessio, etsi mortalia omittantur. *(Gury, n.* 508, *S. Ligor., n.* 471). *Qui vero certus est mortalis non esse reum ab ultima confessione,* ad materiam sufficientem inquirendum tantum adstringitur.

II. *Examen est incipiendum ab ultima valida confessione,* et extendendum juxta pœnitentis capacitatem, temporis moram, vitiorum, et negotiorum multiplicitatem, cæterasque circumstantias.—*In timoratis* mediocris diligentia solum prærequiritur; tum quia frequenter confiteri solent, et de mente non facile deletur peccatum commissum; tum quia grave plerumque non admittunt.—*Pro infirmis* non requiritur examen tam accuratum quam pro sanis; et quandoque parvum, aut nullum ob capitis debilitatem, ac grave incommodum. Suppleat confessarius discretis interrogationibus; caveat ne ob examinis defectum dilatetur confessio cum ægri periculo *(Elbel, n.* 153, *Gury, n.* 503). Generalis regula est, ut pro omnibus illa inquisitio sufficiat, quam viri prudentes in negotiis momentosis adhibere solent. (Ita *Catechismus Rom.)*—Non requiritur summe diligens, etsi quis putet per hoc alia invenire peccata; secus anxietatibus locus daretur.

III. *Quivis igitur cum mediocri diligentia absque nimio labore huic oneri satisfacere valet,* si, Dei auxilio implorato, in mentem revocet Decalogi, et Ecclesiæ præcepta, capitalia peccata, proprii status obligationes (de quibus ordinarie parum cogitatur), perscrutando an, et quoties *omissione, verbo, opere, cogitatione* circa præfata deliquerit. Et ut facilius id consequatur, licet non sit de necessitate, mente revolvat loca, ubi fuit, negotia pertractata, personas cum quibus est conversatus, animi affectiones, quibus indulgere solet. *Non autem tenetur peccata scribere,* vel illico ea examinare, aut frequenter, ne a memoria excidant; esset enim medium extraordinarium, sæpe impossibile, periculosum, et alienum a communi etiam timoratorum praxi. Hinc, adhibita semel ordinaria diligentia, non tenetur pœnitens de anteacta vita amplius cogitare. (*S. Ligor., n.* 471, *cum communi).*

IV. *Si pœnitens non satis examinatus accedat,* benigne dimitti potest, si instructus sit, ut accuratius conscientiam discutiat; et dein redeat, præsertim si de implicatis, aut prolixis confessionibus agatur; nam impossibile esset repente de omnibus recordari. *Suarez, S. Lig., n.* 471, *cum communi).* Secus dic de rudibus in rebus spiritualibus, et semper ac prævideatur pessimus effectus; nam sic dimissi raro paratiores redeunt, et aliqui nullo modo. Cum iis magna adhibeatur patientia, ut habeatur bona cofessio. *Si sacerdos hujusmodi homines prorsus imparatos cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet, hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur. Quod si forte affirmaverint se in eam rem omne studium contulisse, quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant, audiendi erunt.* Ita *Catech. Rom., n.* 60.

693. Confessio sacramentalis est *accusatio peccatorum post Bap-*

*tismum patratorum, approbato sacerdoti facta, in ordine ad absolutionem.*—Confessio sacramentalis omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis necessaria est jure divino. Constat de fide: 1.° ex *S. Scriptura*, seu ex divina institutione, ut supra n. 677:—2.° *ex ratione;* nam in primis Deus aliud non promulgavit medium peccata mortalia remittendi;—deinde hoc vanum omnino esset, si conteri peccatoribus satis esset, et confiteri liberum; porro nemo ad hoc arduum peccatoribus remedium confugeret: atqui Deus vana non constituit, neque constituere valet sacramenta: ergo...—Christus denique potestatem contulit Apostolis, ac eorum successoribus remittendi fidelium peccata: id est judicandi conscientiarum causas; atqui illa exerceri nequit, nisi cognita prius causa per confessionem pœnitentis: ergo, etc.:—3.° *ex Trid., sess.* 14, *c.* 6, contra Wiclephum, Lutherum, et Calvinum definiente: *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observarit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.*

Tria hic habemus de fide definita: 1.^m^ divina confessionis sacramentalis institutio;—2.^m^ ejusdem necessitas jure divino ad salutem;—3.^m^ Christi mandatum peccata confitendi.—Et *can.* 7 addit: *Si quis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant,... anathema sit.—Constat etiam ex traditione;* nam ab Ecclesiæ exordio, ut liquet ex innumeris SS. Patrum testimoniis, semper in usu fuit; et profecto non multum perseveraret res tam ardua, ac universalis, nisi in sui favorem haberet divinam institutionem, ac humanam necessitatem.

694. **Divinum præceptum confessionis** obligat *per se*, et *per accidens*. I. Obligat *per se:* 1.° In gravi vitæ periculo, et in probabili periculo non amplius confitendi; ne præceptum hoc nunquam impleri contingat, ac negligantur media ex divino præcepto ad salutem necessaria. Unde confiteri tenentur in periculosum conflictum, vel navigationem ingredientes; mulieres quæ partus difficiles habere solent; item pœnæ capitalis damnati. (Ita *Scavini, cum communi*). - Sermo est hic de eo, qui lethalis culpæ vinculo adstringitur; nam tunc obligationem annuæ confessionis jam contraxit, si hoc anno nondum sit confessus: secus anticipare non tenetur præceptum nondum existens, sed sufficit conteri.—2.° Aliquando in vita, ut communius, et probabilius dicunt AA. cum *Scavini*, et *Gury*, *n.* 466; quia præcepta affirmativa obligant quoties eorum impletio rationabiliter necessaria judicatur, maxime cum tempus implendi præcepti Christus ab Ecclesia determinandum reliquit: Ecclesia siquidem in Lateranensi decreto illud saltem semel in anno obligare statuit; ergo..... (V. n. 441).

II. Obligat *per accidens:* 1.° Si sumpturus Eucharistiam in mortali versatur; tunc ex divino præcepto.—2.° Cum aliquis in gratia esse debet, v. gr., ad sacramenta vivorum administranda, vel suscipienda, et perfectam contritionem elicere non valeat.—3.° Quoties necesse sit ad gravem tentationem superandam, quæ aliter superari nequeat. Tamen *ex se* non obligat statim post peccatum; nec aliud determinari potest, quam quod statuit Ecclesia, id est, *saltem semel in anno*, sicut de contritione, et charitate notavimus.

695. Conditiones confessionis sexdecim sunt ex Angelico.

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,*
*Sit nudata, frequens, discreta, libens, verecunda,*
*Integra, secreta et lacrymabilis, accelerata,*
*Fortis et accusans, et sit parère parata.*

1. *Simplex*, seu non intermixta artificiis, importunitatibusque rerum, aut verborum ad confessionem innecessariis. Et qui indigent consolatione propter tribulationes, vel consilio propter dubia, post absolutionem talia dicant; et non misceantur in confessione, ne contritionis vim diminuant. *S. Anton.*

2. *Humilis*, tam *interne* quam *externe*, id est, flexis genibus, si fieri possit (et vir nudato capite), habitu decenti, voce suavi, armis depositis, uno verbo cum vera corporis, et cordis humilitate.

3. *Pura* quoad finem, non ad hominum æstimationem captandam, sed ad gratias sacramenti obtinendas.

4 *Fidelis*, id est, sine mendacio, et æquivocatione; ita ut graviter peccet: 1.° qui mortale, vel quod tale putat, sine causa negat, aut tegit;—2.° qui sibi ipsi mortale aliquod advertenter falso imponit; est enim contra religionem, et contra propriam charitatem;—3.° si negat, vel mentitur circa peccata jam confessa, quando confessarius de iis aliquid ut necessarium ad præsentem confessionem exquirit. Secus celare, aut leviter mentiri, communius leve peccatum est. (*Gury, S. Lig.*, *n.* 496).

5. *Nudata* ambagibus; agitur de culpa detegenda, ac venia obtinenda; non vero tegenda.

6. *Frequens* juxta pœnitentis conditionem ac profectum, et confessarii judicium; qui enim insordescere non vult, necesse habet, ut frequenter pulverem excutiat. Expedit ad ædificationem, ut videant fideles suos ecclesiasticos frequenter confiteri, et non furtim. De quodam narratur, qui mortali morbo laborans fuit interrogatus: cuinam de more confitebatur: respondit suum ordinarium directorem, et confessarium esse talem religiosum, qui quidem religiosus jam a quinque annis (illo inscio) defunctus erat.

7. *Discreta*, sive in eligendo pio ac docto confessario, non autem laxo, et flexibili; sive in peccato explicando honestis verbis, maxime circa res inhonestas.

8. *Libens*, non coacta, aut ex timore sive domini, sive patris, ut evenire solet in famulis, filiis, ac scholaribus non piis.

9. *Verecunda*, videlicet cum animi, vultusque pudore; neque enim ille veraciter dolet, qui peccata sua imprudenter narrat.

10. *Integra* quoad mortalia, ejusque species.

11. *Secreta*, soli sacerdoti et ad ejus aures facta; ideo dicitur *auricularis*, etsi id ex rationabili Ecclesiæ usu, non autem de necessitate.

12. *Lachrymabilis*, id est, cum vero animi dolore conjuncta; ne sit sola historica narratio.

13. *Accelerata*, seu non dilata post peccatum; quæ dilatio sæpe peccata multiplicari facit, maxime peccata sensus; eo quod passiones acuit, culpæ ruborem minuit, emendationis desiderium ac fiduciam extinguit, et fidem ipsam obscurat ac vulnerat, sicque tandem in profundum venitur. Si parochus, et quivis sacerdos vitia minuere, pietatemque augere discupiant, nihil magis curare debent, quam quod omnes, incipiendo a semetipsis, frequenter confiteantur.

14. *Fortis* in superando timore, sive ex parte hominum, sive ex parte peccatoris proveniat, quo pœnitens sæpe concutitur tum ob ludibria impiorum, tum ob turpia peccata manifestanda: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam... Non confundaris confiteri peccata tua.* (Eccli. IV). Melius est uni salutariter peccata aperire, qui illa in æternum sepeliet, quam coram omnibus in die iræ insalutifero pudore aperta eorum revelatione perfundi: plurimum confert primo ea aperire peccata, quæ majori verecundia pœnitentem afficiunt, ait *D. Bonaventura.*

15. *Accusans*, non autem se excusans; v. g., in filios, famulos, dominos, et parentes, et maritum, et vicinos peccata propria referendo; confessio est siquidem sui accusatio, non aliorum

16. *Parere parata* confessario, v. g., in acceptanda satisfactione, occasione proxima avertenda, remediis adhibendis, restitutione facienda, etc.; secus deficeret cordis dispositio.—Additur *vocalis conditio*; id est, fieri debet voce, non autem scripto, aut aliis signis, seclusa necessitate, aut gravi causa, uti esset linguæ, vel auditus impedimentum, vehementissima verecundia, etc. *S. Lig., n.* 429. Tamen confessio per scripturam *per se* valida quidem est.; *de necessitate sacramenti est, quod pœnitens peccata sua manifestet.., sed quod fiat manifestatio verbo, non est de necessitate sacramenti*, ait *Angel. quodl.* 1, *q*, 6, *a.* 1. Porro homines verbis suos conceptus exprimere solent, et sic melius cognoscitur pœnitens. Si per litteras aliquis sua peccata confiteatur, dicat, postquam confessarius ejus confessionem legerit: *Me accuso de his omnibus.* Invalida vero confessio et absolutio per litteras foret; nam forma in verbis consistit, ut definivit Eugenius IV in decreto *pro Armenis;* forma autem præsenti materiæ applicari debet... *Gury, n.* 467, *S. Ligor., n.* 428. (V. n. 502.)—Ex dictis conditionibus aliæ ad essentiam pertinent, uti contritio, et integritas; cæteræ vero ad perfectionem.

---

# CAPUT IV.

## De confessionis integritate, et de causis excusantibus.

696. Confessionis integritas duplex est, *materialis*, nempe, et *formalis*. 1.ª est *confiteri omnia peccata mortalia nondum rite confessa, nullo relicto, et circumstantias, quæ speciem mutant.*—2.ª vero *est accusatio omnium mortalium, quæ pœnitens hic et nunc, spectatis circumstantiis, confiteri potest, et debet.* —Integritas materialis, ac in ejus defectu formalis jure divino in confessione necessaria est. Constat 1.° ex ejusdem institutione. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* (Joan. XX). Sic Christus confessariis judiciariam, ac prudentem contulit potestatem circa omnia peccata remittenda: atqui inaniter hanc eis contulisset, nisi omnia peccata singillatim ipsis declaranda forent; nam judex, incognita causa, nullatenus, aut nonnisi imprudenter suam potestatem exercere valet; quia discernere nequit quænam remittenda, et quænam retinenda sint peccata. Ergo...—2.° ex Trid., sess. 14, c. 7, ubi sic habet: *Si quis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse de jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria ex debita, et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant..., anathema sit.* — Et c. 5 satis osten-

dit in defectu integritatis materialis formalem sufficere, dicens : *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum propheta dicimus :* Ab occultis meis munda me, *Domine.*

697. **Quæ aperienda sunt in confessione ad integritatem necessariam.** I. *Peccatorum numerus;* nam ex Trid. confitenda sunt *omnia*, et *singula peccata mortalia.* Hinc : 1.° qui ter est fornicatus, tres distinctas fornicationes confiteri tenetur; nec adimpleret in genere dicens, se esse fornicatum.—2.° Qui non recordatur de numero certo, manifestare tenetur numerum verisimilem, addendo *circiter.*—3.° Si neque hunc exhibere valeat, sufficit ut dicat, an frequenter, vel raro peccaverit in qualibet materia; quoties *circiter* in die, vel in hebdomada, in mense, in anno, etc. S. *Lig.*, *n.* 466.

II. *Species diversæ, et graves peccatorum;* aliter non declararentur mortalia, ut in se habentur; nam diversam constituunt gravitatem. Sic qui blasphemavit, et occidit, non adimplet, dicendo se duo mortalia perpetrasse; sed blasphemiam, et occisionem distincte fateri tenetur. Qui vero infimam speciem, seu *individualem* peccati non recordantur, fateri debent superiorem, seu genericam, v. g., si quis sciens se contra castitatem peccasse, non meminerit amplius quale sit hoc peccatum an cordis vel operis, confiteri debet se contra castitatem graviter peccasse: qui autem scit se mortaliter peccasse, sed ignorat speciem etiam genericam peccati, dicere tenetur in genere se graviter peccasse.

III. *Actus externus, et effectus malus prævisus ex mala actione secutus;* quatenus nemini imputantur mala imprævisa. Hinc qui copulam habuit cum Berta, ex qua graves præviderit rixas inde obventuras, non adimplet, fatendo se contra castitatem peccasse; sed insuper externum actum, et effectus inde secutos aperire adigitur. (*Scavini, Gury, n.* 489, *cum communi).*

IV. *Circumstantiæ speciem moralem graviter mutantes, aut addentes*, v. g., quæ de veniali in mortale peccatum transferunt, aut viceversa; vel quæ *theologicam* novam speciem mortalem addunt; diversa enim sunt peccata, alias nec judicium sacramentale recte administrari, neque æquitas in pœnis statuendis servari posset. Sic persona sacra, quæ deliberate se polluit, non satisfacit, si hanc qualitatem occultans, ignoto confiteatur, tantum se pollutum fuisse; reticet quippe sacrilegium. (*Gury, n.* 483, *S. Ligor.*, *n.* 465, et *Trid.*, *sess.* 14, *c.* 5).

698. Q. *An ligatus voto castitatis, peccans cum altero similiter ligato, utramque circumstantiam confiteri debeat?*

R. Affirma; adsunt enim duo peccata gravia plane distincta, scilicet, proprium et cooperationis ad votum alterius violandum.—Item conjugatus cum alterius uxore rem habens, duplex committit adulterium. (*Lugo, Croix, Salm., Gury, n.* 492).

*Controvertitur an religiosus, vel sacerdos contra castitatem peccans, conditionem suam aperire debeat,* vel *circumstantiam voti castitatis tantum.* Sed videtur sufficere, ut uterque voti circumstantiam manifestet, modo a simplici voto discriminetur ; nam utriusque votum solemne est, utrinque ergo ad eamdem speciem personalis sacrilegii pertinet. (*Lugo, n.* 149, *Croix, Ballerini, n.* 492, *aliique).*

Q. *An pœnitens declarare debeat diversas personas, cum quibus peccavit?*

R. Nega; sufficit enim declarare peccatorum numerum, ac species: peccata cum pluribus, vel cum una persona patrata numerum, ac speciem *ex se* non mutant. Sic qui cum pluribus est fornicatus, sufficit, ut fornicationum numerum aperiat, nisi

confessarius de hoc interroget ; nam sæpe expedit, ut sciat, utrum adsit occasio proxima, etc. *(Bon., Croix, Gury, n.* 491, *cum communi).*

Q. *An sit confitenda propinquitas personarum in peccatis odii?*

R. Affirma quoad proximiorem propinquitatem, v. gr. de odio in parentes, filios, avos, nepotes, affines in primo gradu, patrinos, conjugem, fratres, ob strictum pietatis vinculum. *(Gury, n.* 493, *cum communi).* Quoad alios propinquos remotiores, licet augeat malitiam hujusmodi circumstantia, tamen non affert speciem diversam necessario confitendam ; vel non gravis censetur, etsi diversa sit. *(Lugo, Gury, Ballerini,* contra *alios). Lugo, n.* 308, et *Ballerini* excludunt affines, et consanguineos præter parentes et fratres.

Q. *An peccata in genere confessa, v. gr. dicendo:* Peccavi, vel me accuso de omnibus peccatis meis, *sit materia sufficiens ad liceitatem confessionis?*

R. Nega citra necessitatem; nam 1.° ex Trid , sess. 14, cap. 5 pœnitens confiteri debet *omnia, et singula peccata, quorum diligenti sui discussione memoriam habet,* et etiam *circumstantias, quæ speciem peccati mutant.* — 2.° Ex necessitate judicii a confessario ferendi cum cognitione causæ.—3.° Ex universali Ecclesiæ praxi. Secus in necessitatis casu; ad impossibile nemo quidem tenetur. Sic valide ac licite absolvuntur milites instante prælio, nautæ imminente naufragio, et infirmi in mortis articulo ; tunc satis est pectoris tunsio, manus apprehensio, et similia. Ita *communissime cum S. Thoma, Gury, Ballerini, n.* 421. Item quoad venialia, et mortalia jam directe confessa, remissaque, vel dubie commissa ; cum sint materia libera. Excipe si ut materia necessaria declarentur ; tunc enim juxta plures AA. opus est materia etiam determinata, supra quam directe cadat absolutio.

699. **Circumstantiæ notabiliter aggravantes,** sed intra eamdem speciem communissime erunt aperiendæ: 1.° si cum ipsis adsit censura aliqua, vel reservatio, v. gr., si agatur de levi, vel enormi clerici percussione ; vel de irreverentia erga parentes, an sit verbis, vel percussione ; ut sciat confessarius an absolvere possit, et ad quem sit recurrendum pro facultate obtinenda.—2.° Si confessarius interroget, ac opus sit ratione directionis; uti si de habitu, vel occasione peccati inquirat, vel de furti quantitate ; ut sciat quid agendum quoad restitutionem imponendam, et absolutionem denegandam, vel impertiendam.—3.° Gradus consanguinitatis in incestu.—4.° Quantitas injuriæ.—5.° Quando uno actu plures sunt occisi, infamati.—6.° Odium diuturnum. *S. Lig., n.* 467.

Hisce exclusis, probabilius ac communius negatur ; quippe *Trid.* tantum loquitur de *circumstantiis, quæ speciem peccati mutant:* unde deducere est, nihil amplius inquirere debere confessarium, ut judicium sibi efformet de peccati gravitate, et pœna imponenda; nam in moralibus, et non in mathematicis, versamur.—Aliunde nemo cogi debet ad legem dubiam, ut docent Benedict. XIV in suis *Notificat.,* et *S. Lig., cum communi ;* lex confitendi circumstantias notabiliter aggravantes est dubia; ergo... —Insuper esset onus fere importabile, tam ex parte confessarii, quam pœnitentis illas circumstantias aperire, et locum daret anxietatibus, et scrupulis innumeris. Ita *communissime SS. Thomas, Antoninus, Bernardus, Bonaventura, Ligorius. n.* 468, *etc.* Et hic non est tutior pars eligenda; quia non agitur de valore sacramenti, sed tantum de materiali integritate, ut recte notat *D Ligorius, n.* 469.

Hinc suaderi, sed non cogi possunt, per se loquendo, fideles ad has, et similes circumstantias aperiendas. Unde valide confitetur 1.° qui incestum commisit, ut communius dicunt cum *S. Lig., n* 469, dicendo, se incestum perpetrasse, quin gradum ex-

plicet, præter primum gradum consanguinitatis in linea recta, et affinitatis.—2.° Qui grave furtum commisit, satisfacit grave furtum confitendo, quin quantitatem dicat, cum hæc non mutet speciem. — 3.° Superior, vel magistratus suam dignitatem aperire non tenetur, seclusa ratione officii, aut obligationis particularis, vel scandali, quando id intervenerit; nam personæ dignitas *ex se* speciem peccati non mutat. —4.° Neque probabilius est declaranda speciem peccati heri cum ancilla; quia, speciali obligatione seclusa, non tenetur herus ex rigoroso officio spiritualem illius curam suscipere. (*Varceno, p.* 128, *Gury, Del-Vecchio, n.* 304).—5.° Neque circumstantia confessarii cum pœnitente, dummodo ad confessionem nullam habeat relationem; porro citra hanc nihil aliud quam cæteri clerici habet. Excipe, si esset parochus, vel Episcopus peccans cum suis parochianis; nam tunc interest injustitia. (*S. Lig.*)—6.° Neque aperienda est circumstantia temporis sacri, ut habet praxis universalis, contra quam nulla lex allegari potest. Excipiunt plures specialem prohibitionem ob temporis reverentiam, v. gr., si specialiter prohibeantur in Parasceve publici ludi, comœdiæ, spectacula. *S. Lig., n.* 468 *et* 469. *Gury, Ballerini, n.* 436 *et* 437. (V. T. I, n. 306). —7.° Explicandæ non sunt *circumstantiæ minuentes*, nisi malitiam omnino tollant, vel ex mortali faciant veniale, vel alioqui notabiliter confessarii judicium mutent, saltem quoad speciem. *S. Ligor., n.* 472.

700. - Q. *An confessionis integritati satisfaciat qui peccatum recens tamquam olim commissum confitetur?*

R. Affirma satis probabiliter; nam temporis circumstantia ad confessionem minime spectat. Unde confessionis oneri satisfacit, qui nova peccata cum antiquis immiscet, et nondum confessa cum jam confessis, v. gr., qui generalem faciens confessionem, ab aliis non discernit mortalia peccata ab ultima confessione commissa, vel anteactæ vitæ oblita, licet id de industria faciat ad tempus tegendum, quo peccata reservata, vel in occasione proxima, commisit; modo peccatum semper idem fuerit; scilicet, modo non interfuerint sacrilegæ confessiones, aliæque circumstantiæ, vel species diversæ, ac non mentiatur pœnitens (uti si neget se hodie peccasse, et declaret peccatum velut tali alio tempore commissum; nam sic expresse negat, ac dupliciter mentitur, suæque obligationi non satisfacit. *Gury, n.* 488, *cum communi*); tunc equidem id omne esset confitendum. Ratio est, quia peccatum semper idem est, sive antiquum, sive novum, et super ipsum eodem modo fert judicium confessarius, ac sententiam dat. (*Ita Lugo, n.* 47, *Suar., Sanch., Dian., Gury, Ballerini, n.* 488, *et alii communiter*). Attamen tutius est nova ab antiquis secernere. *S. Lig., n.* 425. (V. n. 705).

701. **Mortalia dubia.** Dubium versari potest circa *peccatum commissum;* circa *peccati gravitatem;* circa *confessionem peccati.* I. *Qui dubitat an graviter peccaverit necne;* vel an *peccatum commissum sit mortale, seu veniale;* sive juris, sive facti, sive positivum, sive negativum sit dubium, neque diligenti cura adhibita hoc depelli queat, *per se* illud confiteri non tenetur: 1.° quia *Trid., sess.* 14, *c.* 5, ait: *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi. quam ut, postquam quisque se excusserit, ea peccata confiteatur, quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit;* atqui talis non est qui dubitat; ergo... —2.° Quia imponi non debet onus certum pro dubia obligatione. Ita *probabilius Scavini, Gury, n.* 477, *S. Lig., n.* 473, *cum aliis multis* contra *alios.*

—Insuper *probabilissime ac communissime dicunt*, quod si pœnitens confessus sit peccatum, cujus gravitatem neque ipse, neque confessarius agnoscit, etsi postea mortale cognoscatur, non est illud denuo confitendus; nulla siquidem occurrit circumstantia necessaria non jam expressa; necesse quidem non est, ut confessarius determinate sciat mortale, aut veniale esse peccatum in confessione auditum. *S. Lig.*,

*n.* 478.—Secus si quis esset confessus aliquod mortale, uti dubie commissum, ac dein certo sciret perpetratum fuisse: non fuit quidem ille confessus peccatum, cujus *quis conscientiam habet,* ut vult Trident. Neque fuit tota peccati substantia aperta, neque directe remissa; nam in dubia accusatione non includitur certa: *Ita communiter cum Scavini, Gury, n.* 480, *S Lig., n.* 478. Hinc S. C. Indicis *Manuale regularium Fran-Pellizarii* prohibuit, donec expurgetur; quia inter alia docebat non dari obligationem denuo confitendi peccata, uti dubia confessa, et postea, uti certa cognita.

II. *In praxi ordinarie consultius erit pœnitentibus, saltem non valde in doctrinis moralibus excultis, publice, ac privatim suadere. ut confiteantur mortalia quocumque sensu dubia:* 1.° quia per se ipsos conscientiam efformare paucissimi valent, et non raro aliqua levia, aut vana accuratius fatentur, quam gravia peccata, pluries, uti scrupuli, ab ipsis contempta:—2.° quia plerique distinguere nesciunt venialia a mortalibus:—3.° quia omnibus etiam apprime excultis prodest talia confiteri, ut confessarius pericula, necessitates, etc., bene intelligat; et sic a periculis, et malis removere, et ad perfectionem conducere pœnitentes valeat.

—Excipe scrupulosos, ac timoratos pœnitentes, qui graviter peccare non solent, et diligentes fuerunt in suis peccatis confitendis; ipsis enim favet præsumptio, quæ ex ordinarie contingentibus habetur: revera qui habitualiter Deo adhæret, magnam sibi vim inferre debet, ut in peccatum se libere projiciat, et remorsum conscientiæ contemnat: id autem agere non potest, quin certo advertat malum, quod amplectitur. Ita *S. Lig., n.* 475. Imo sæpe expedit ab hac accusatione eos impedire, si ad scrupulos sint propensi; etsi bene ipsis permittendum sit, ut aliqua levia peccata denuo commissa confiteantur, tum ob ipsorum solatium, tum ob spiritualem directionem. Si præfati pœnitentes pii post multum tempus elapsum dubitent, an aliquod peccatum in confessione omiserint, illud confiteri non tenentur, maxime si generalem pro eorum capacitate rite peregerint confessionem; quia rationabiliter, et moraliter certi esse possunt, quod de illo jam sint confessi; et sic tale dubium non est prudens. Unde confessarius illis, bis, aut ter patienter auditis, imperet, ne de præterita vita ulterius recogitent, neque quidquam addant, nisi certissimi omnino sint, quod tale peccatum grave revera numquam sint confessi. (*Scav., n.* 305, *S. Lig , n.* 477, *cum communi*).

III. *Mortalia certo commissa, et dubie confessa explicanda utique sunt in dubio negativo,* si nulla, nempe, est ratio existimandi declarata fuisse; quia lex confitendi est certa, et nulla ratio huic oneri fuisse satisfactum suadet. *S. Lig., n.* 477 —Controvertitur in *dubio positivo,* si gravis suadeat ratio jam esse declarata. Affirmant *Scavini, S. Lig., ibid., Concina, Varceno;* nam confessionis obligatio est certa, et dubia ejus adimpletio. —Negant *Suar , Lugo, Sanch., Croix, Salm., Ballerini, n.* 479, *aliique plurimi,* eo quod non habetur de iis certa conscientia, sed dubia; et lex dubia non obligat; nam hic non agitur de valore sacramenti, sed de ejusdem integritate. *S. Lig., Hom., Ap , tr.* 16, *n.* 29. Et quamvis hæc opinio nullam habeat certam rationem, habet tamen solidam probabilitatem extrinsecam, quæ non parum confessariis deservire valet, præsertim cum timoratis dubitantibus circa præterita peccata; licet consultius erit talia peccata clavibus subjicere, exceptis scrupulosis, aliisque bonæ frugis, qui in senectute non recordantur an obscenitates juventutis rite confessi fuerint; cum hac de re recordari non teneantur nec possint. *Scavini.*

702. **Mortalia oblita** ex Tridentino, ut supra n. 696 notavimus, ex divino præcepto ad integritatem confessionis sunt declaranda, si in memoriam venerint; quia etsi fuerint indirecta remissa, cum unum mortale remitti non possit sine altero, tamen non fuerunt, uti talia Ecclesiæ clavibus subjecta. Id certo constat ex hac 11.ª

prop. ab Alexandro VII proscripta: *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Sed probabiliter differri eorum confessio potest, donec vi alterius obligationis iterum quis confitendus sit, nulla alia interposita confessione. *(Bonac., aliique, Gury, n.* 494 *et* 495).

—Qui autem bona fide grave peccatum confessus est, circumstantiam omittens, sufficit ut in sequenti confessione illam exponat, si explicare valet absque peccato jam confesso; v. gr., qui in die festo Missam omisit, quia turpe spectaculum aspiciebat; hæc circumstantia poterit sola declarari, ut *communiter* tenent auctores. Secus si cum consanguinea est fornicatus, non satisfaceret. confitendo hodie fornicationem, et alio die incestum; quia species incesti est aperienda. *(Del Vecchio).*

—*Sed controvertitur an circa ipsa sola peccata sit impertienda absolutio.* Affirma cum sententia communissima, eo quod omnia peccata mortalia ex Christi institutione sunt clavis subjicienda. *Spor* , *n.* 627, *Gury, n.* 496, *etc.*, contra paucos.—Quamvis confessarius absolutionem omittere possit, si prævideat ad eum rediturum esse pœnitentem, quem in alia confessione directe absolvere poterit, in praxi consultius erit novam impertiri absolutionem cum tota materia innovata et forma, ac etiam pœnitentia; ne mutilum fiat sacramentum; et tum ratione pœnitentis solatii, tum fructus. Excipe meticulosos, qui iterum, iterumque redire solent a diabolo sæpe tentati, ut Communionem, saltem fervidam, omittant *(S. Lig., n.* 448): et illos, qui brevi directe ab eodem confessario absolventur. *Scavini, n.* 303.

703. Q. *An quis cum peccato mortali oblito in confessione, aut dubie commisso, non præmissa confessione. ad sacram synaxim accedere possit?*

R. Ad 1.m Affirma probabilius, etiamsi pœnitens absque incommodo confiteri possit; sane cum sit indirecte remissum, jam non est amplius imputabile; probavitque *seipsum homo*, juxta verba Apostoli; et revera in charitate manet, modo animum dein illud clavibus submittendi habeat; proinde nec contritionem elicere tenetur *(Lugo, Gury, n.* 495, *cum communi).*

Ad 2.m Affirma *stricte loquendo;* nam Trid. confessionem tantum exigit ante Communionem pro iis, qui sunt conscii peccati mortalis. Unde, qui dubitat, v. g. an pravæ cogitationi consenserit necne, præmissa contritione, communicare potest, licet copiam confessarii habeat. In praxi autem, ordinarie loquendo, est suadenda confessio, maxime cum sit facilis, vel de contritione dubitetur. *(Gury, n.* 481, *S. Lig., n.* 475, *cum communi).*

704. Q. *An confessionis integritati officiat venialia confessario ordinario exhibere, alteri mortalia?*

R. Nega *per se*, si omnia mortalia prius uni confiteatur, et ab ipso absolvatur; et dein alteri venialia ex pudore, quo suffunditur, confitendi mortalia cognito confessario, maxime si adsit periculum non rite confitendi; nihil enim quoad essentiam deest in unaquaque confessione. *S. Lig., n.* 471. Idem dicendum quoad *vocis simulationem;* porro contra confessionis integritatem non facit; nam necesse non est, ut pœnitens a confessario cognoscatur. Tamen, ut habet *Gousset*, clericus ad Ordinem sacrum accessurus graves culpas suo directori fateri debet; quippe tunc hæc personalis cognitio illi necessaria est, ut de proxima dispositione, ac divina vocatione judicare valeat.

705. **Causæ ab integritate confessionis excusantes** duæ sunt, *impotentia physica*, et *moralis.*—1.° *Physica*, cum impossibilium nulla sit obligatio.—2.° *Moralis extrinseca*, scilicet, grave damnum, sive spirituale, sive temporale pœnitenti, aut confessario, aut tertio impendens; non enim censetur moraliter possibile quod

fieri nequit sine gravi incommodo. Dicitur *extrinseca*; quippe non excusat notabilis difficultas ipsi confessioni intrinseca, uti repugnantia in se accusando; nam confessio *ex se* laboriosa est; secus rueret confessio, ac male egisset Christus Jesus, eam instituendo, et ad ipsam obligando, sicut etiam Ecclesia atrociora crimina reservando. (*S. Lig.*, *n.* 479, et 487, *Gury*, *n.* 497).

706. **Hinc ob physicam impotentiam excusantur:** I. *Moribundi, quibus non suppetit virtus, aut tempus, aut sensibus* sunt destituti, et aliquod sive lingua, sive signo peccatum manifestare queunt, vel dolorem, aut absolutionis desiderium.

II. *Surdi simul et muti, vel idiomatis regionis penitus ignari,* vel fere penitus, ubi non inveniant confessarium a quo intelligantur, et absolvi possint, licet signis tantum dolorem suorum peccatorum manifestent. Per interpretem certo confiteri non tenentur: probabilius neque in mortis articulo, et licet de contritione dubitent; nam sufficit eis in genere se peccatores fateri, vel ut aliquod tantum dent absolutionis desiderii signum, ut ex *Lateran.* deducitur, dicente: *Sua solus peccata... confiteatur*; et ex S. C. 38 febr. 1633, declarante, pœnitentem, *qui non vult uti interprete, posse, et debere absolvi.* Ita *Ballerini*, *n.* 504, contra alios, qui non immerito omnino exigunt saltem aliquod veniale.—Ex *S. C. de propag.* 19 *jul.* 1838 non sunt prohibendi, qui per interpretem confiteri velint, *sed prœcavendi abusus et scandala, et curandum ut interpretes admoneantur de obligatione ad observantiam secreti.*

—Idem est dicendum de surdis simul et mutis etiam sanis, modo semper unum, vel alterum peccatum, in quantum possunt, explicent. Si legere, aut scribere sciunt, probabilius et communius sic notare, ac confiteri peccata debent, si commode valeant, v. g., specimen examinis præferendo, oculis percurrendo, ac digito confessario ubi et quoties deliquerint indicando; nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media facilia, cum paucis minutis id fieri possit, ac dein scriptum (si adsit) rumpi absque ullo periculo. (*Ita Scavini, Varceno, S. Thom., D. Lig.*, *n.* 479, *aliique plurimi* contra *Gury, Ballerini, et alios*). Consultius in praxi primam sequi opinionem judicamus, saltem ad eorum directionem et correctionem; secus parum, aut nihil proficient, nisi sint apprime instructi, tam muti, quam confessarii. Idem dic si confessarius sit surdus. Excipiunt omnes casum extraordinarii incommodi, aut revelationis periculi.

III. *Surdi*, qui ex parte sua confiteri tenentur peccata, quæ memoriæ occurrunt, sed confessarius eos speciatim interrogare non adigitur ad confessionis integritatem curandam, tum ob nimiam difficultatem, tum ob revelationis periculum, si in ecclesia excipiatur confessio, ut cum fœminis fere semper necesse est: in dubio enim semper potius sigillo sacramentali consulendum, quam integritati; et tunc levis pœnitentia est imponenda, ne suspicio gravis culpæ ingeratur.—Neque forte expedit, fœminas horis intempestis arcessere, quando nemo alius versatur in ecclesia, tum ob fortuitum revelationis periculum, tum ob honestatis reverentiam. (*Ballerini*).—*Surdastri* viri autem in locum remotum adduci debent, ut rite confiteantur, sublato semper revelationis periculo. Hodie tubæ auricularis ope facile ii omnes confitentur absque ullo periculo.

—Si autem confessarius ab initio confessionis advertat pœnitentis surditatem, nec ob circumstantes vocem attollere possit, imponat ei, ut redeat alio tempore, vel ad locum opportunum nunc eat; nam circumstantes optime causam noscent; secus surditatem patefaciat aliquo modo confessarius ad auferendam suspicionem, quæ raro eveniet; tum quia surdum noscunt, vel talem esse nunc audiunt; tum quia talem existere, et hunc esse morem eos confitendi, sciunt; tum quia Communionem pos-

tea eum suscipere vident. — Si vero in progressu confessionis id advertat, non ei alta voce imponat, ut redeat; magna enim daretur suspicio de gravioribus culpis; sed tunc, peccata intelligendo meliori modo, quo possit, pœnitentem absolvat; *absolute*, si dispositus judicari possit; *conditionate vero*, si dubitetur, levi pœnitentia imposita, si alii sint audituri. *(S. Lig., n.* 644).

707. **Ob moralem impotentiam excusantur:** 1. *Scrupulosi*, qui timore præteritarum confessionum jugiter vexantur, quibus nunquam finem facit confessarius.

II. *Excusat etiam periculum gravis damni spiritualis*, sive pœnitentis, sive confessarii, sive alterius. 1.° Si mulier aliquod peccatum sibi, vel confessario sciat fore periculum ruinæ.—2.° Periculum infamandi proximum.—3.° Periculum sigilli sacramentalis. Ex charitate hæc impedire adigimur. *(S. Lig., n.* 487).

III. *Periculum propriæ famæ;* uti probabiliter, si pœnitens, mox communicaturus, v. gr., ratione Viatici, vel matrimonii, aut sacerdos illico celebraturus, confessione generali indigens, integre confiteri non posset, sine periculo suspicionis adstantium. *Roncaglia.*

IV. *Periculum moraliter certum vitæ confessarii, pœnitentis, vel tertii*, si tota audiatur confessio, uti in contagio, (nisi confessarius cum sui periculo integram audire vellet confessionem, cum lex sit in confessarii favorem), hostium irruptione, naufragio, prælio, etc., quibus in casibus materialis integritas servetur quantum possit; et si amplius fieri non valeat, sufficit aliquod audire peccatum; imo in generali naufragii, belli, etc., necessitate, sufficiens erit, ut uniuscujusque peccatum leve audiat confessarius, et omnes simul absolvat, dicens: *Ego vos absolvo*, etc. Imo juxta aliquos *AA*. sufficit hoc in casu, ut se peccatores esse, atque pœnitere audiat confessarius; quia nemo se de aliquo speciali publice infamare tenetur. Sed nunquam extra præfatos casus excusat pœnitentium multitudo, uti in missionibus, festivitatibus, etc.; adesset quidem periculum indispositos absolvendi, et impossibilitas juste judicandi. Contrarium ab Innocent. XI damnatum est. *(Ita Gury, n.* 498, *S. Lig., n.* 479, *et* 484 *et seq.)*.

—*Sed ut præfata impotentia excuset;* requiritur: 1.° Ut desit alius confessarius, cui absque talis damni periculo pœnitens confiteri queat. — 2.° Ut confessio differri non valeat absque gravi incommodo, v. gr., cum annuæ confessionis, vel Communionis præceptum sit implendum; vel Missæ celebratio, aut Communio sine nota, et scandalo omitti non possit; vel siquis alioquin diu carere deberet sacramentorum beneficio; aut magna, quam per se sacramentum affert, utilitate privandus foret, uti si quis in peccato mortali per duos, vel tres dies permanere deberet, alium expectando confessarium, ut addunt *Suar., de Pœnit., n.* 7, *Lug., Henriq.*, etc.—3.° Ut ea tantum omittantur peccata, vel circumstantiæ, quorum declaratio periculum continet. *(S. Lig., n.*487, *Gury, n.* 497).—Cessante autem causa excusante, reviviscit obligatio (tantum suspensa, non ablata) integrandi confessiones præteritas. Constat ex prop. 11.ª ab Alexandro VII damnata: *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam. non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

708. **Peccatum in confessione cum manifestatione complicis** aperiri nequit: 1.° si illud sit veniale, vel mortale jam confessum; nam deest gravis causa alterius famam prodigendi; — 2.° cum facile inveniri possit confessarius, cui complex sit ignotus, præfata ratione. *(Ita communissime cum S. Lig., n.* 489). Hinc:

I. *Plerumque excusantur pœnitentes ab alio quærendo confessario:* 1.° Si urgeat præceptum annuæ confessionis, vel Communionis; vel immineat mortis periculum.—

2.° Si pœnitens in mortali existens per diem spectare debeat: *Antoine, S. Ligor., n.* 490: vel si alias privandus esset plenaria indulgentia; vel alicui solito quotidie celebrare, vel communicare grave sit id omittere.—3.° Si credatur complex suæ famæ cessisse; v. gr., si frater cum sorore peccasset; vel alumnus collegii cum alio, scientes præfati alium ignotum confessarium inveniri non posse.—4.° Si pœnitens speciali de causa directione, et consiliis confessarii illius indigeat; v. gr., quia in complice proximam habet occasionem peccati; nam grave animæ suæ detrimentum pati non tenetur, quo alterius famæ consulat. (*Ballerini, n* 499).—Sic excusari possunt matres, uxores, ac fratres peccata filiorum, virorum, aut fratrum manifestantes; tum quia sæpe levia sunt, vel non secreta; tum quia nimis durum esset alium quærere confessarium, aut integra privari confessione, et directione; maxime cum plures DD. ut *Less.*, *Nav.*, *Azor.*, *Cajet.*, etc. dicunt, tantummodo veniale esse proximi crimen manifestare uni vel alteri viro probo. (*Scavini, Gury, n.* 500, *S. Lig., n.* 490, *cum communi*).

II. *Probabilius, et communius explicari debet grave peccatum, quod declarari commode nequit sine complicis manifestatione;* complex equidem peccato consentiendo, se implicite obstrinxit consentire ut alter exeat a peccato, modo a Christo Jesu præscripto; implicite huic famæ detrimento ultro peccando consentit: consequenter *scienti, et volenti nulla fit injuria*; et tunc cessat præceptum naturale famæ proximi; secus amplius concederetur jus homini peccanti, quam pœnitenti. (*Gury, Scavini, n.* 369, *Varceno, S. Bonav., S. Anton., S. Bernard., S. Thom., S. Lig., n.* 489, *et alii* contra *Ballerini, Dian., Nav., Innocent. III, aliosque*, hanc obligationem utpote dubiam negantes.

Quod de complice dictum est, idem ferme tenendum de manifestatione alterius, qui fuit occasio peccati; v. gr., si quis sororem suam occiderit ex crimine gravidam: *Bill., Lugo, Varceno, aliique* ad talem confessionem teneri affirmant; nam si tenetur cum propria infamia, quare non cum infamia alterius, quamvis exinde illa minime sequatur, cum cadat sub sigillo? Negat vero *Suarez* cum *aliis:* prævalere alterius jus ad famam suam servandam, dicit *Ballerini*.-Si pœnitens ad vitandum damnum innocentis, vel publicum, manifestare complicem teneatur, in genere cautius erit, ut in foro externo confessarius in se onus non suscipiat corrigendi, vel manifestandi complicem, etsi a pœnitente rogetur, sed ipsi obligationem imponat superiori socium manifestandi, nisi id fieri non possit, præterquam per ipsum confessarium. (*S. Lig., n.* 492, *Lugo, n.* 432, *Ballerini, Gury, n.* 502).

709. **Nomen complicis inquirere** prohibetur sub excommunicatione latæ sententiæ Papæ reservatæ (etiamsi fiat ad finem illum corrigendi; vetitum erat a Bened. XIV quatuor Constit. nempe 1.ª *Suprema*; 2.ª *Ubi primum*; 3.ª *Ad eradicandum*; 4.ª demum 9 dec. 1749, etc.) a Pio IX Const. *Apostolicæ Sedis*, tum ad tuendam proximi famam, tum ad sacramenti reverentiam, tum ad sigilli integritatem, contra temere docentes, vel defendentes: 1.° hanc praxim esse licitam:—2.° utrumque simul licitum esse, nempe, nomen complicis exquirere, et reticenti absolutionem negare. *Scavini, n.* 370, *S. Lig., n.* 491.—Item adest obligatio talem exquirentem denuntiare intra 30 dies, sine ulla vero pœna contra id omittentes. (*Del-Vecch., n.* 370, *Varceno, p.* 128). (V. T. I, n. 258). Advertere oportet aliud esse nomen complicis formaliter inquirere, aliudque species, et circumstantias ad confessionis integritatem necessarias interrogare, etsi per accidens dignoscatur complex, ut ait *S. Lig., n.* 491.

710. **Absolutio moribundis.** I. *Absolute* dari debet semper ac illi voce,

signo, alioque modo confiteantur, vel absolutionem petant; et expedit toties illos absolvere, quoties nova signa doloris ipsi dent; nam tunc causa est cognita meliori modo possibili, et nihil ad substantiam deest; ac insuper adest necessitas, vel causa sufficiens. (*S. Lig., n* 480, *cum communi).*

II. *Absolvendi sunt conditionate* moribundi, in quibus attritio, et confessio aliquo modo præsumi queunt, quantumvis tenuiter probabili; quia in extrema versantur necessitate, et sacramenta propter homines. (*Gury. n.* 505. S. *Lig., n.* 482 *cum communi*).

Hinc conditionate saltem absolvendi sunt: 1.° Qui ægre ad confessionem inducuntur, vel de eorum dispositione prudenter dubitatur.— 2.° Qui sensibus destituti ante privationem confessionis desiderium per testimonium adstantium ostenderunt; dando doloris signum, vel absolutionem postulando; nam veluti confessi per interpretem censentur ex Rituali Rom. (*Gury, D. Anton., S. Lig , n.* 481).—3.° Qui omnino sensibus destituti sunt; si christiane vixerunt, etsi nullum doloris et confessionis dederint signum; quippe in ipsis præsumi potest absolutionis desiderium. postulatio, ac dolor aliquando per suspiria, corporis motus, manuum compressionem, etc , exterius patefactus. (Ita *communius et probabilius S. Anton., Croix, Gury, S. Lig., n.* 482).—4.° Qui omnino sensibus sunt destituti, etsi parum christiane vixerint, modo constet fuisse catholicos; alias præsumi non potest confessionis desiderium. *S. Lig., n.* 483. Imo probabiliter quamvis in ipso peccati actu; v. g in adulterio, duello, furto, etc., sensibus destituantur, quin minimum doloris signum dederint; quia etiam tunc sufficienter dispositi esse possunt, et sacramenta propter homines; maxime cum conditio sacramenti reverentiam tueatur. (Ita *Holzm., et probabiliter Elbel, S. Lig., n.* 483, *aliique). Etiamsi voluntas ejus incerta sit, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare,* ait *S. August., de adult. conj., lib.* 1. *cap.* 26. *n.* 33, loquens de baptismo cathecumenorum in vitæ periculo constitutorum; et idem exprimit *cap.* 28, *n.* 35, de moribundis dicens: *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa.*

711. Q. *Quoties sit repetenda moribundis absolutio, et quomodo?*

R. I. Generalis regula assignari nequit; prudens confessarius id judicabit ex infirmi conditione, necessitate, et fructu: piis, ac sensibus utentibus pluries repeti potest, si diu protrahatur extrema infirmitas; v. g., ter vel quater in unoquoque die, modo non desit materia; secus sufficiet ut semel, et ad summum bis impertiatur in die; nam indifferentes, et fere omnes plerumque discedunt eodem sensu ac modo, quo vixerunt: unde præsumi nequit libenter præfatam reiterationem ipsos velle, ut experiri est, dum adhuc loquuntur. Si infirmus jam sensibus destitutus, in pravis cogitationibus, odiis, amoribus et similibus irretitus sit, vel si non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dari potest; frequentius in omni casu, si jam moriturus est. *Scavini, n.* 249.

II. Semper tamen curandum est, ut non deficiat dolor, necessaria accusatio, propositum, ac satisfactio, etsi hæc levissima sit, ac statim adimpleri auxilio confessarii tutius erit; eo quod bono pœnitentis, ac sacramenti reverentiæ semper consulere oportet. Unde inconsultius agunt sacerdotes illi, qui ad infirmum vocati, statim ac illum vident in agonia cum morte debellantem, nulla dispositione præmissa, absolutionem impertiuntur; imo quin de hoc ægrum moneant; ac eodem modo ad Extremam-Unctionem deveniunt. Animi serenitas, ac operum opportunitas tunc sunt prius curandæ, absque angore, vociferatione, vel clamore valido.

*His ægrum signis morientem nosce quaternis:*
*Fronte rubet primo, pedibus frigescit ab imo,*
*Albescit nasus, dexter lacrymatur ocellus.*

712. **Iteratio confessionis.** I. *Ex parte confessarii* erit repetenda absolutio: 1.° si jurisdictionem non habuit, citra necesitatis casum; — 2.° si hæreticus, vel excommunicatus sit vitandus; — 3.° si absolvere non intendit; — 4.° si nullum peccatum intellexit; — 5.° si formam substantialiter vitiavit.

II. *Ex parte pœnitentis:* 1.° si moraliter negligens in examine fuit; — 2.° si scienter mortale tacuit, vel de eo se falso accusavit; — 3.° vel neque attritus fuit, aut proximas occasiones tollere noluit; — 4.° si ignorat scitu necessaria necessitate medii; 5.° si confessarium surdum, indoctum sponte quæsierit; — 6.° si carnale peccatum suo complici sit confessus. *S. Lig., n.* 501. Repetitio omnium mortalium confessionis certo invalidæ necessaria est, cum *per se* omnia mortalia, ex divino præcepto, clavibus sint subjicienda. Secus in vero dubio validitatis; nam *omne factum præsumitur recte factum quod erat de jure faciendum, donec aliter constet.* Hinc:

1.° *Si prudenter dubitet confessarius an posita fuerit forma, non est repetenda confessio,* sed tantum forma sub conditione. Si vero confessio fuerit valida, sed defuerit materialis integritas, quod inter rudes non raro locum habet, si id bona fide evenerit, non est repetenda confessio, sed tantum est supplendus defectus postea cognitus; quatenus peccata confessa jam directa absoluta fuerunt. *(Croix, Elbel, Gury, n.* 511, *S. Lig., n.* 505, *et alii).*

2.° *Non est repetenda per se confessio cum dubia contritione, vel proposito facta,* si pœnitens sit homo prudens in suis actibus, et confessionibus; legitime quippe præsumitur esse recte confessum. Si vero sit homo levis, seu inconsideratus, ei consulenda, non imperanda erit confessionis repetitio; quia ad hoc moraliter certa esse debet præcedentis invaliditas. *Ita S. Lig., l.* 6, *n.* 505, *Gury, Ballerini, n.* 513, *et communiter.* Quod valet de recidivis etiam, præsertim si ante relapsum aliquam adhibuerint resistentiam. Secus vero si aliquis post confessiones semper recidit in eadem peccata statim post biduum aut triduum sine ulla resistentia,... et quin occasionem removerit, ut ait *S. Lig., H. Ap. t.* 16, *n.* 34.

3.° *Repetitio confessionis certo invalidæ* facienda est: *primo* : ex *integro*, si pœnitens novum adeat confessarium; revera hic nec judicis, nec medici, nec patris aliter partes agere valet. *S. Ligor.* Idem dic si ne in confuso quidem confessarius peccatorum memoriam retineat. *Scavini, n.* 312. — *Secundo.* Summatim, seu *uno verbo* est repetenda invalida confessio ex parte confessarii, cum apud eumdem confessarium ille confiteatur, modo saltem in confuso, aut in communi vitæ et status pœnitentis memor adhuc sit confessarius. *S. Ligor., n.* 502, *Suar., n.* 5. Ratio, quia pro culpis jam accusatis et sacramentaliter judicatis sufficit generalis notitia sacramentaliter acquisita, ut prudens detur sententia. Imo etiam si ex parte pœnitentis veniat confessionis defectus; nam prima confessio fuit in ordine ad absolutionem, vel saltem sacramentalis fit per ejusdem ratihabitionem. Ita *probabilius et communius Lugo, Croix, Gury, n.* 511. *S. Ligor., n.* 502, *aliique* contra *alios*, integram tunc exigentes repetitionem. — Idem est dicendum, si ante absolutionem confessarius accusata peccata oblitus fuerit, et prolixa confessio, aut absolutio dilata; aliter confessario ac pœnitenti onus fere importabile imponeretur. — Secus si nullo modo de culpis pœnitentis, nec de illius statu recordetur. *Ita communissime Gury, S. Ligor., ibid.* Imo *Vazq., Sa, Tol., Dian., Bus., Nav., Gury, n.* 514, quibus adhærere videtur *S. Ligor., n.* 502, sufficere dicunt, quod confessarius pœnitentiæ a se impositæ recordetur; exinde quidem sibi judicium de pœnitentis statu in confuso jam efformare valet. Saltem non est cogendus pœnitens ad iterandum confessionem, quamquam præstet, ut aliquod speciale peccatum, vel summatim suam conscientiam indicet.

4.° *Si demum confessarius tantum recordetur pœnitentiam injunxisse*, valide quidem absolveret, confessione in communi repetita; nam in materiam sibi notam caderet absolutio ; at illicite ageret ; cum in proferenda sententia prudens judicium sibi efformare debeat, saltem in confuso, quo tunc caret. *S. Lig*, *n.* 502, *Lugo*, *Croix*, Scavini, *n.* 312, *aliique.*

713. Q. *An sint explicite repetenda omnia peccata ante confessarium historice narrata extra confessionem?*

R. Nega, si adhuc eorum recordetur confessarius; sufficit enim, ut pœnitens ea generaliter confiteatur, dicendo : *Me accuso de iis omnibus, quæ tibi enarravi*, ut sacramentaliter confessario subjiciantur ; nam judicis et medici partes tunc adimplere profecto valet. *Gury*, *n.* 424.—Secus si non clare omnium meminerit, sed confuse, aut ex parte; porro cum confessarius nondum de ipsis sacramentaliter judicaverit, uti in casu invalidæ confessionis, opus est hoc munus nunc adimplere. Ita *Scavini, Varceno, S. Ligor.*, *n.* 502, *cum communi* contra *Lugo, Ballerini*, *n.* 514, *aliosque*, non immerito dicentes per subsequentem accusationem genericam relatam ad memoriam, quam habet confessarius de illis peccatis, confessionem sufficienter fieri sacramentalem.

714. Q. *Quid si pœnitens advertat confessarium somno oppressum, vel distractum aliqua peccata non percepisse?*

R. Repetenda erit confessio brevis; siquidem prudenter credi potest non singula peccata esse sacramentaliter intellecta nec judicata ; et sane onus leve tunc erit pœnitenti :—Secus si prolixa fuerit confessio; præsumitur enim singula mortalia esse intellecta et judicata, et Christum integritatis præceptum cum tanto onere non imposuisse.—Attamen si dubium circa unum, vel alterum peccatum versetur, repetendum foret, ratione facilitatis, et periculi. *Scavini, Gury, S. Lig.*, *n.* 499, *cum communi.* Alias satis erit ut pœnitens confiteatur, se dubitare, an aliqua ex gravibus suis peccatis perceperit confessarius. *Scavini*, *n.* 310.

715. Q. *Quid si confessio ignaro, vel surdo sit facta?*

R. Si mala fide ita sit facta, iteranda est ; revera pœnitens tunc graviter peccavit, et confessarii peccato forsan cooperatus est.—Si autem bona fide, probabilius fuit valida, modo aliqua peccata, ut supponi debet, fuerint intellecta; aliter absolutionem non dedisset bonus confessarius : et nimis durum videretur insontem pœnitentem iterationis pœnæ subjicere : ideoque non sunt repetenda nisi peccata non audita.—Si præcise nesciat pœnitens quænam sint hæc peccata, resolvendum erit ut supra de dormiente. Si vero de aliquo difficili casu confessus sit, consultius iterum docto confessario eum manifestabit. Ita *communiter cum S. Lig.*, *n.* 628.

Si confessarius præteritas rudium confessiones invalidas fuisse deprehendat, non turbetur; sufficit de ultimo tantum anno interrogare, ubi ob uniformitatem vitæ simul de præcedentibus annis judicare queat. Sed opus est, ut pœnitens in genere de aliis annis se accuset, et confessarius summatim inquirat, an aliqua vitæ, vel status variatio interfuerit, aut vitiorum interruptio. *Gury, S. Lig.*, *n.* 504, *cum communi.*—Si sermo sit de pueris, et rusticis, qui bona fide in genere confessi sunt, species et numerum peccatorum omittendo, tantummodo explicare tenentur omissum, cum possint ; nam valide confessi fuerunt, etsi non materialiter integras effecerint confessiones.—Idem dicendum, si puer, vel rusticus inculpabiliter aliquod grave omiserit, v. gr. mollitiem ; quia leve, vel nullum putabat peccatum; non ideo alia peccata, et intermedias confessiones repetere tenetur.—Item si per aliquot annos gravis peccati culpabiliter omissi oblitus deinde fuerit, quoad hos annos oblivionis. *Salm., S. Lig.*, *n.* 504, *cum communi.*

716. Confessio generalis est *repetitio alius, vel plurium confessionum, aut totius vitæ.* Hæc aliis *necessaria* est, aliis *utilis*, aliis *noxia*. I. *Necessaria est illis*, qui invalide sunt confessi ex defectu formæ, vel jurisdictionis confessarii; aut ex defectu examinis, doloris, propositi, integritatis, uno verbo, dispositionis pœnitentis, et sæpius ob reticentiam a nimia verecundia, seu superbia ortam. Sedulo hic advertendum est quod ait *Hibert*, nempe: «Si pœnitens aliquandiu post confessionem dignos pœnitentiæ fructus fecit, hoc est strenue adversus tentationes, et peccandi occasiones pugnaverit, confessarius judicabit validam fuisse confessionem. Secus si paulo post confessionem, seu data prima occasione, lapsus fuerit.» *Tunc enim, ego addo,* ait S. Ligor., n. 505, *revera moraliter certum est confessiones fuisse nullas.*

II. *Est utilis*, et suaderi potest iis, quibus causa esse potest majoris contritionis, tranquillitatis, emendationis, cautionis, humilitatis, fervoris, sui ipsius cognitionis, directionis, uno verbo, fructus spiritualis ob tot peccata simul considerata. Hanc cum magna charitate curare debet confessarius, etsi ad eam non cogere, ad majorem animæ puritatem, et perfectionem: 1.° ante primam Communionem; — 2.° ab initio conversionis; — 3.° quolibet anno, sed tantum de anno præterito; — 4.° ante status electionem; — 5.° in mortis periculo: si inutilis deprehenditur, non suscipiatur onus tam grave confessario et pœnitenti; multo minus cum timore damni. (*Gury, n.* 517).

III. *Noxia est*, ac omnino prohibenda iis, qui scrupulis anguntur; nam isti eo magis perturbantur, quo magis præterita recordantur. Semper tamen paterne sunt consolandi; non parum equidem sunt tentati; sed firmiter hortandi, ac imperandi, ut omnino confessarii judicio acquiescant, nisi deficere velint. Et hoc etsi suboriatur dubium de validitate præcedentium confessionum. (*Gury*). Unde si pœnitens repetere postulat suas præteritas confessiones, causam inquirat confessarius, et an alias jam generaliter sit confessus, a quo tempore, quoties; et sic judicare poterit, an sit ei necessaria, utilis, vel noxia; at maxime est curandum exercitiorum, et missionum tempore. Tunc facile est permittenda; non raro enim confessio, quæ prius utilis tantum videbatur, postea necessaria dignoscitur. Item si in juvenili ætate, v. g., ante 20 annos generaliter fuerint jam confessi, facile repetitio permitti potest; nam dubitare sæpe licet, an accurate egerint. *(Gury, n* 918).

Tamen cum necessaria non sit generalis confessio, hanc a pœnitentibus imperative non exigat confessarius; nam esset ministerio abuti, non sine gravi pœnitentium onere, ac forsan perturbatione, a confessariis, ac confessionis aversione. *(Gury, Ballerini, n.* 518). *Non esse cogendos pœnitentes ad repetendas confessiones, nisi moraliter constet eas fuisse invalidas*, ait *S. Ligor., n.* 505 *cum communi*. Si revera dignoscatur præteritas confessiones invalidas fuisse, et aliunde in bona fide versetur pœnitens, ac simul sit metuendum ægre ferre, ac animo decidere, si de hoc admoneatur, consultius erit in bona fide eum relinquere, modo hic et nunc bene dispositus judicetur; ad contritionem etiam circa omnia pecca a præterita commovere, et sic directe de notis absolvere, ac indirecte de ignotis oportet, ut merito putat *Gousset*; quia nihil deest ad confessionis essentiam.

717. Modus generalem confessionem peragendi est: I. *Ante omnia inquirat confessarius circa necessitatem, vel utilitatem talis confessionis*, et circa statum, ætatem, conditionem pœnitentis, ut postea inutilibus interrogationibus tempus non terat: si utilem tantum judicat, sollicitus non erit confessarius ad exquirenda singula peccata; nam sunt, vel mox erunt remissa dolore universali.

II. *Interroget a quo tempore sit confessus, et quare generalem confessionem instituere velit*; an peccata celaverit; quamdiu; an ea confessus fuerit, et dixerit, a quo

tempore ipsa tacuerat (non raro aliqui postea confitentur celata peccata, hanc circumstantiam reticentes; consequenter sacrilegia, aliaque peccata omittendo); quoties sacramenta susceperit; quas interrogationes magis vel minus urgebit confessarius juxta necessitatem secreta aperiendi, ut sic judicare illico possit de sacrilegiorum numero, et annuæ confessionis, et Communionis omissionibus.

III. *Si pœnitens sit excultus*, ejus animum erigat confessarius, ut omnia peccata aperiat, et ne confusio, aut integritatis periculum intercedat, declarationem incipiat ordine mandatorum Dei, Ecclesiæ, et particularium obligationum pro suo statu. Suppleat confessarius interrogando, si aliquid non explicite declaret; aut aliquam speciem, vel circumstantiam necessariam prætermittat pœnitens, vel si prudenter timeri possit: si forte pertimescat aliqua, v. g. turpia detegere, iterum ejus animum erigat: demum ad dolorem, et propositum commoveat, si opus fuerit; remedia perseverantiæ præscribat, et eum absolvat, si ita expediat.

IV. Si *autem pœnitens rudis sit* (quod ab initio ex modo loquendi ac respondendi percipitur, item si paratus vel imparatus ille accedat), fere totum confessionis onus in se assumat confessarius; nempe examinis, confessionis per mandata, etc. (ut supra), doloris, propositi, medicinæ præscribendæ, et omnia hæc juxta pœnitentis conditionem peragat. Si pertimescit pœnitens ob difficultatem, eum consoletur confessarius; dicat: *forti animo esto; ego peragam confessionem tuam; nosco fere omnia peccata tua; sine ambagibus sincere responde interrogationibus meis, et veniet tibi gratia desuper, magnaque lætitia.*

V. S*tatim interroget, et non plus quam deliquisse judicet*: v. gr., si homo vulgaris, non pius sit, quærat: *An forte male locutus es de sacerdotibus, aliisque rebus religiosis?* Si affirmat, interroget: *quid dixisti?* si vero negat, progrediatur: *An quid superstitiosum feceris?—blasphemaveris—festa violaveris laborando, aut id jubendo, aut Missas omittendo, aut in ipsis loquendo, etc.?* Et sic quoad parentes, dominos, filios, servos; quoad odium, imprecationes, scandala; quoad pravas cogitationes, desideria, verba, actus; quoad furta, damna illata, fraudes in contractibus, usuras; quoad mendacia, detractiones, calumnias, contumelias, judicia temeraria. Item quoad præcepta Ecclesiæ, peccata capitalia, obligationes proprii status; nam in his fere omnes etiam exculti, pii, sacerdotes, parochi, Episcopi, plus minusve delinquimus.

VI. *Caveat confessarius, ne quærat, nec permittat minutam nimis descriptionem carnalium peccatorum* cum sui ac pœnitentis periculo, maxime quoad puellas et uxores; si agitur de puella, aut de alia persona, quæ forsan malitiam ignorat, ordinarie expedit, ut prius ipsa conscientiam suam aperiat, ne doceatur quod ignorare debet. (*Scavini, l. 4, n.* 472).

VII. *Expedit ordinarie prima vice generalem confessionem finire*, tum ad confessarii, tum ad fidelium commoditatem. Item finita confessione, pœnitenti libertatem concedere, ut omnia dubia exponat; secus cum angore forsan recedet a confessario, obmurmurans, et illam negationem in sui, confessionis, confessarii, ac fidelium damnum vertens.—Cum paucis verbis directis, propriis, opportunis manifestum, expeditum, ac perfectum plerumque manere potest hoc negotium; at cum importunis interrogationibus, adhortationibus, circulis, et suspensionibus manet confusum, implicatum, imperfectum, diuturnum, ac fastidiosum.—Toto zelo caveat confessarius intra confessionem ob quæcumque gravia ac multiplicata crimina audita admirationem, aut increpationem, vel reprehensionem ingerere; secus pœnitentes pertimescent, et non raro majora celabunt peccata. Magna opus est prudentia, et patientia.

# CAPUT V.

## De sacramentali satisfactione.

718. **Sacramentalis satisfactio** *est voluntaria acceptatio pœnæ a confessario injunctæ ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, et ad pœnam temporalem redimendam.* Ex *Trid., sess.* 14, *c.* 8, *et can.* 12, de fide constat quod non semper remissa culpa, tota remittitur pœna temporalis: sic David licet certioratus de suo peccato remisso, plures tamen sustinere debuit animadversiones temporales in pœnam suæ culpæ.

**Satisfactionis impositio** stricto jure ex se gravi ad confessarium spectat. *Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi..; anathema sit.* (Trid., *sess.* 14, *c.* 15). Id postulat triplex confessarii qualitas, scilicet; *ministri, judicis,* et *medici;* qua *minister* est, sacramenti integritati consulere debet, ad quam pertinet satisfactio, ex *Trid., sess.* 14, *cap.* 8, et ex *Rit. Rom.;* qua *judex,* delinquentibus pœnas debitas injungere; qua *medicus,* idonea pharmaca præscribere, tam ad contractos morbos sanandos, quam ad ipsos, aliosque in posterum præcavendos. Hinc fit, quod obligatio hæc *ex se* rem gravem respicit; ergo ex genere suo gravis est. (*Gury, n.* 522, *S. Lig., n.* 506, *cum communi*).

719. **Duplicis generis est satisfactio**; nempe, *vindicativa,* et *medicinalis.* Constat ex Trid., *sess.* 14, *cap.* 8, dicente: satisfactiones esse imponendas non solum *ad novæ vitæ custodiam...; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem.*—Vindicativa est *quodcumque bonum spirituale, ac virtuosum in sacramento impositum.*—Medicinalis vero est *quidquid ad pravos habitus tollendos, aut impediendos, vel ad malum quodcumque vitandum in sacramento injungitur;* uti oratio, sensuum mortificatio, frequens confessio, quæ semper est utilius remedium, ac universale.

Q. *Quæ, et quanta pœnitentibus sit imponenda pœnitentia?*

R. I. Universaliter determinari nequit: habenda est ratio criminum, facultatumque pœnitentis, ut habet *Trid., l. c.* Sic plus meretur blasphemia, quam simplex mendacium; 100 blasphemiæ, quam 10, et sic de cæteris. Item est attendendus status, sexus, conditio, ætas pœnitentis. Unde plus oneris portare valet adultus, quam puer; timoratus, quam indifferens; otiosus, quam negotiis deditus. Tamen pro culpa gravi *ex se* semper, et cuipiam sub mortali est imponenda gravis pœnitentia. Constat ex *Trid., sess.* 14, *c.* 8, ubi sic ait: *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injungere.* (*S. Ligor., n.* 508, *cum communi*).

II. Quoad venialia controvertitur. *Alii* cum *Suar.* et *Vareeno, p.* 143, etiam gravem obligationem affirmant; nam satisfactionis injunctio ad ritum, et integritatem hujus sacramenti pertinet. *Alii* cum *Lugo, n.* 47, et *Dian.,* dicunt obligare tantum sub levi; quia nulla gravis deordinatio

apparet, nec aliud probari potest. *S. Ligor., Hom. Ap., n.* 47, utramque sententiam esse probabilem dicit. Benedict. XIV, Const. *Inter præteritos*, § 65, dicit: *Mentem nostram declaravimus, statuentes salutarem pœnitentiam a confessario injungendam esse pœnitenti, etiamsi hic ad recipiendum jubilæum præparatus sit, ex quo sane pœnitentis obligatio exoritur eamdem adimplendi.* Hinc rejicienda est opinio, quæ docet satisfactionis impositionem omitti posse Jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ tempore. Præterea ad hoc certus esse deberet se illam lucraturum. *Scavini.*

720. Q. *Quænam erit pœnitentia gravis pro uno, vel altero mortali peccato?*

R. Censenda est hodie gravis pœnitentia, quæ respondet operi, quod sub gravi *ex se* obligaret, si ab Ecclesia præciperetur; v. gr., unam Missam audire; uno die jejunare; Rosarii tertiam partem recitare; Litanias Sanctorum; Officium parvum B. Virginis; Viam crucis agere; per tertiam partem horæ meditari, et similia. — Levis censetur *Psalmus Miserere;* quinque *Pater et Ave* una tantum vice recitare; Litanias B. Virginis, etc. *(Gury, n.* 554, *S. Lig., n.* 515).—Sed non ita est intelligendum, ut pro quolibet gravi peccato multiplicari debeat pœnitentia; v. gr. ut pro 100 blasphemiis imponi debeant 100 Rosaria; quod esset onus importabile; sed moraliter accipiendum est. (*Ballerini*).

721. **Pœnitentiæ diminutio** locum habet: 1.° Si pœnitens jam satisfecerit, vel sit meticulosus, vel admodum contritus; S. *Lig., n.* 507; nam *contritio potest esse tanta quod tollat omnem culpam et pœnam, sicut patet in latrone et Magdalena* (ait *S. Thomas*). —2.° Si valde infirmus sit, aut debilis, vel puer, aut impos mentis *Meminerit sacerdos ægris non esse injungendam gravem, et laboriosam pœnitentiam, sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant,* habet *Rituale Rom.* circa infirmos. Et si infirmus sit in periculo mortis, vel sensibus destitutus, sine ulla pœnitentia absolvi potest, etsi fere semper aliquam levissimam ei imponere expediat; ut est, v. gr. crucis osculatio, nominis Jesu invocatio (*S. Lig., n.* 507): non autem expedit infirmo pro pœnitentia imponere, ut patienter infirmitatis incommoda sufferat, ne illi scrupulorum occasio ponatur. Secus dic de eleemosynis, quin aliis detur hujus obligationis impositæ suspicio *Salm., Scavini, n.* 317.—3.° Si prudens adsit timor, ne pœnitens illam non adimpleat, et a confessione ob eam avertatur. *Debiliter autem dispositis (pœnitentibus) detur pœnitentia parvula juxta debilitatem animi sui* (ait *Cajetanus cum S. Thom., Ballerini, n.* 524, *S. Lig., n.* 509, *et communiter*). Melius erit ut pœnas luat in purgatorio, quam in inferno damnetur. Moneantur tunc pœnitentes de insufficientia satisfactionis injunctæ, vel acrior consulatur. *(S. Thom. de Villanueva, S. Ligor., n.* 507).—4.° Tempore Jubilæi, aut indulgentiæ plenariæ lucrandæ; nam ita etiam solvitur pœna vindicativa. Item ob illa verba: *Quidquid boni feceris, et mali sustinueris, etc.;* sic enim bona opera pœnitentis ad sacramentalem satisfactionem elevantur. (Ita *communiter cum Scavini*, S. *Thoma, quodl.* 3, *art.* 28, S. *Lig., n.* 507).

Insuper imponi potest pro culpis gravibus satisfactio *in se* quidem gravis, sed sub levi obligatione, ut communiter dicunt AA. *cum Scavini* contra *alios;* quia hic sacerdos est verus legislator, ac judex; tamen extra necessitatis casum, v. gr. gravissimæ infirmitatis pro *qualitate criminum* imponatur pœnitentia, prout *Trid.* præscribit. (S. *Lig., n.* 510).

Bene potest injungi gravis pœnitentia *in se* sub onere gravi, sed levis respective ad peccatorum numerum, et gravitatem, v. gr., ut unam Missam pœnitens audiat;

tertiam Rosarii partem recitet; sex *Pater* per 8 dies, et similia ei, qui plura gravia peccata confitetur, si ita expedire censuerit confessarius.—Item imponi potest opus alias debitum, quod libere applicare cuilibet fini poterat ipse pœnitens, uti Missa in festo, ut communiter dicunt *Gury*, *n.* 525, S. *Lig.*, *n.* 513; quia sic ad meritum satisfactionis elevatur; sed id consultius non agitur, nisi cum aliter fieri nequeat, v. gr. ob pœnitentis frigiditatem. *Confessarius non debet permittere, ut pœnitens recedat sine absolutione, eo quod nolit acceptare debitam pœnitentiam, sed potius imponat satisfactionem, quam ille libenter suscipiat, et verisimiliter impleat*, ait S. *Ligor.*, *n.* 510; et addit: *Imprudenter se gerunt confessarii, qui magnas imponunt pœnitentias, quas prævident pœnitentes non impleturos.*

Sacerdos non imponat pœnitentiam ita gravem ut pœnitens totam dimittat; nec ita levem ut contemnat peccatum. Tutius est imponere minorem debito, quam majorem; quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem. Ita SS. *Thom.*, *Salesius*, *Carolus*.

722. Q. *Quid si pro venialibus, vel mortalibus jam alias confessis gravis imponatur pœnitentia?*

R. Licet imprudenter *ex se* agat confessarius, tamen *probabilius et communius* (ait *Scavini*), *sub gravi obligat;* quia gravitas hic sumitur ex materia imposita, et non ex peccato confesso. Verum *alii* satis probabiliter id negant; nam legislator illam imponere nequibat; ergo neque ipsam utpote injustam sub gravi implere tenetur peccator; nisi peccata illa per accidens nimis disponant ad mortalia, vel a pœnitente non condigna fuerit peracta pœnitentia. (Ita S. *Ligor.*, *n.* 517 cum *Suar.*, *Lay.*, *Spor.*, *Nav.*, *etc.)*

723. Q. *An imponi possit tota pœnitentia sub conditione relapsus?*

R. Nega probabilius et communius cum *Scavini*, S. *Ligor.*, *n.* 524, nisi ponatur alia proportionata pro peccatis confessis; nam si pœnitens non ceciderit, mutilum erit sacramentum; et nulla quidem adesset pœnitentia *vindicativa*. Contradicit *Ballerini* cum *Diana;* quia tunc ipsa resistentia ad non cadendum est certe quædam pœna exsolvens. Sed cum hæc resistentia sit veluti pœna epulationis ad vivendum, omnibus jam alias necessaria, saltem de ea dici potest, quod de opere jam aliter præcepto.

724. **Actus satisfactionem imponendi**, juxta praxim, ac judicii ordinem est ante absolutionem: communissime tamen docent, valide imponi posse statim post absolutionem, cum non sit pars essentialis sacramenti, sed integralis, et adhuc judicium perseveret. *S. Lig.*, *n.* 527.

725. **Pœnitentiæ commutatio.** 1.º Mutari potest ab ipso confessario; nam idem judex reformare valet judicium suum. Nec requiritur nova confessio, et absolutio, dummodo in confuso recordetur confessarius de statu pœnitentis; causa siquidem judicata est, et remissa sunt peccata. *S. Ligor*, *n.* 528 *et* 529.—Non tamen potest extra confessionem, nisi immediate antequam pœnitens discedat; cum confessarius nullam habeat potestatem nisi in sacramentali judicio. Ita *communius et verius*, ait *S. Lig.*, *n.* 530 *cum Scavini*, *Gury*, *n.* 533, *aliisque*.—*Alii* tamen intra unius diei spatium id concedunt; quia moralis unio adhuc perseverat. Ita *Conich.*, *et Voit*, *n.* 632. —*Alii* cum *Spor.*, *Soto*, *Valent.*, extendunt ad infra biduum.—*Alii* cum *Bus.*, *Dian.*, *Henr.*, *Led.*, ad hebdomadam.—*Alii* demum cum *Avers.*, *Gabr.*, *Lugo*, permittunt adhuc per longius intervallum.

2.º Quilibet confessarius eamdem causam cognoscere, ac judicare potest, si velit

pœnitens. Ast pœnitentiam, etiam injustam, mutare nequit extra confessionem, ut cum *communi* sententia dicunt *Dian.*, *Salm.*, *Croix*, *Lugo, qui merito oppositam vocat improbabilem*, ait *S. Ligor.*, *n.* 530.—*Sententia satis probabilis negat*, ait *D. Ligor.*, *n.* 529, esse obligationem tunc repetendi confessionem; quia in hac secunda confessione non agitur de judicio ferendo super culpis delatis, sed tantum agitur de pœnitentis impotentia, sive imbecillitate ad pœnitentiam implendam. Ita *Nav.*, *Tolet.*, *Bon.*, *Sa*, *Dian.*, *etc.*, et probabilem putant *Bus.*, *Lugo*, *Spor.*, *Anacl.*, *Salm.*, *aliique* contra *Croix*, *Elbel.*, *Tamb.*, *Silv.*, *Vazq.*, *Gury*, *n.* 533, *plurimosque alios*, qui tunc probabilius repetendam esse confessionem dicunt, saltem in confuso; aliter dignosci nequit status pœnitentis, neque congrua et sacramentalis pœna, medicinaque ei imponi. Facta commutatione, dicunt quod pœnitens primam iterum eligere valet: revera sacramentalis est, ac in ipsius favorem mutata.

3.° Ad licite commutationem faciendam requiritur causa justa, v. gr , ut pœnitentia videatur difficilis, vel imposita, clave errante; vel prævideatur pœnitentem non esse satisfacturum ob repugnantiam, fragilitatem, oblivionem, etc. *Varceno*, *Gury*, *n.* 532, *S. Lig.*, *n.* 528.

4.° Mutari autem non potest ab ipso pœnitente, etsi evidenter in meliorem; tunc jam non esset quidem sacramentalis. *S. Lig.*, *n.* 528.—Neque ut communius dicunt *Scavini*, *n.* 319, *S. Lig.*, *n.* 529, *Suar.*, *Lugo*, *Varceno*, *etc.*, potest inferior confessarius commutare pœnitentiam a superiore impositam ob casus reservatos; nam inferior nihil potest in lege superioris: excipe, si casus urgeat, et superior adiri non possit, nam tunc presumitur superioris conniventia. *Alii* affirmant, quia reservatio tantum afficit peccata. quæ directe remissa manent: unde si pœnitens iterum, ut materia sacramenti de ipsis se accusat, bene a quolibet confessario illa judicari queunt ac proinde ab ipso pœnitentia commutari. *Pal* , *Elbel*, *Sanch.*, *Bon.*, *Henr.*, etc.—Si pœnitens confessionem repeteret penes alium confessarium de re inscium, ut mitiorem sortiatur pœnitentiam, a priori, et posteriori pœnitentia non liberatur; secus mutilum remaneret prius sacramentum: opus ergo est, ut novus confessarius rem sciens, priorem revocet obligationem. *(Del-Vecchio, Gury, n.* 534, *cum communi).*

726. Resolves: I. *Non est imponenda pœnitentia publica pro occultis peccatis*; secus violaretur sigillum. (Ita *Rit. Rom.)*. Aliter dicendum pro publicis; tamen si pœnitens renuat, aliisque modis scandalum reparare valeat, ut ferme semper eveniet; v. g. publice sacramenta suscipiendo, Missas audiendo, devote ecclesias visitando, etc., non est ei publica pœnitentia hodie imponenda. *(Gury, Ballerini, n.* 525, *S. Lig.*, *n.* 512).

II. *Non sunt imponendæ pœnitentiæ perpetuæ*, v. g., ingressus in Religionem, vel Matrimonium; ad hoc enim requiritur omnimoda libertas: neque jejunia, orationes, etc.; nam sic innumeris vinculis gravarentur pœnitentes: neque ordinarie expedit ad diuturnum tempus; v. g. ad annum, vel ad aliquos menses; eo quod statim venit fastidium, anxietas, ac etiam oblivio. *(Croix, Gury, S. Lig.*, *Hom. Ap.*, *n.* 52).

III. *Non sunt imponendæ imprudentes pœnitentiæ*, v. gr. jejunia pueris, rusticis, opificibus, peregrinantibus, debilibus, prægnantibus, senibus, filiisfamilias, qui admirationem parentibus injicerent; nec eleemosynæ pauperibus, vel ferme impotentibus; nec prolixæ preces; nec multa opera diversa; v. g. *Rosarium*, *Missa*, *Salve Regina*, *quinque Pater*, etc.; nimis siquidem repugnant, ac faciliter oblivioni dantur;

nec Missæ celebratio, ut hortantur *Benedic. XIV*, et *S. Carolus*; nec sponte oblatas acceptare expedit. *Scavini, n.* 318.

IV. *Non sunt imponendæ pœnitentiæ, quæ ludibrio exponerent pœnitentes*; ut recitare in medio ecclesiæ brachiis extensis, etc.—Neque ordinarie satisfactiones nimis austeræ, ac repugnantes, ut cilicia, crucem signare cum lingua in terra, invisere inimicos, veniam petere a parentibus, vel eorum manus osculari; odiosam quippe reddunt confessionem, raro implentur, et sæpe causa sunt sacrilegiorum. *(Gury).*

727. **Communius imponi possunt** 1.° opera interna; nam bonum est, ac sensibile per impositionem, et acceptationem fit: *(Lugo, S. Ligor., n.* 51, *cum communi)*:—2.° opera pro defunctis; quia satisfactio duplicem habet valorem, ex *opere operato*, et ex *opere operantis.* (S. *Thom.*, S. *Ligor.*, *ibid.*):—3.° boni operis cessatio; ratione enim obedientiæ actus virtutis esse potest; sed caute, ne alii id intelligant cum sigilli periculo: S. *Lig.*, *n.* 514:—4.° pœnitentia aliis applicanda; applicatur quidem secundum valorem, quem habet ex *opere operantis.* (*Varceno, p.* 145).—5.° opus alias jam debitum, quatenus est etiam satisfactorium. S. *Ligor.*, *n.* 513. Sed hoc non expedit, nisi impellente pœnitentis fragilitate. Ita *Suar.*, *Lay.*, S. *Ligor.*, *ibid.*

728. **Pœnitentiæ acceptatio, et adimpletio.** I. Pœnitens *voluntarie satisfactiones acceptare, ac implere tenetur;* nam obligatio imponendi dicit obligationem implendi (et coactæ pœnitentiæ Deo non placent); aliunde acceptatio est de sacramenti essentia. Constat ex Trid., *sess.* 14, *c.* 8; ex Bened. XIV, Bulla *Inter præteritos*, et ex ratione; alioquin animi necessaria dispositio abesset. *(S. Lig., n.* 516). Hinc graviter peccat qui irrationabiliter recusat, vel implere omittit gravem pœnitentiam, vel gravem ejusdem partem; et leviter, si omittat levem pœnitentiam, aut levem partem, aut pro venialibus impositam, vel gravibus jam confessis; cum materia ex se levis, vel libera non sit capax gravis obligationis; aliunde sacramentum jam est essentialiter completum in acceptationis actu. *(Ita communissime Gury, Scavini, S. Lig., n.* 517).

II. Pœnitens *implere debet pœnitentiam tempore, et modo a confessario designatis:* si præscripto tempore non fuerit impleta, semper implenda est; nam tempus nonnisi accessorium est. Designatione deficiente, quamprimum commode possit; imo et devote, uti si ab Ecclesia præciperetur. Unde si ex gravi negligentia diu gravem pœnitentiam adimplere differt, graviter peccat; secus dic de levi. At non conveniunt AA. ad gravem dilationem assignandam; *alii* cum *Hurt.* ad 8; *alii* cum *Ronc.* ad 15 dies; *alii* ad unum mensem; *alii* ad duos, vel tres menses extendunt cum *Varceno*; *alii* cum *Diana*, et *Leand.* ad annum. Unde modo desit oblivionis periculum quoad *vindicativam*, et alia efficacia applicentur remedia quoad *medicinalem* (quia hæc potius a jure naturali quam a confessario pendet), non erunt facile de mortali damnandi negligentes, ut recte notat *Ballerini, n.* 530 et 534. Communius *Pal.*, *Spor.*, *Holz.*, *n.* 605, *Suar.*, *S. Lig.*, *n.* 521 censent non esse mortale præscriptam Communionem differre per 6 vel 8 dies, quando quis communicare tenetur per singulos menses. Secus si medicinalis sit, et ex dilatione oriri videatur relapsus periculum. *Scavini, n.* 321.

III. *Quoad modum pœnitentiam implendi*, v. g. *genibus flexis*, *brachiis extensis*, etc., videndum est, an afflictio illa, sive in se, sive respective ad pœnitentem, sit

gravis, vel levis. Injunctum recitandi *flexis genibus* gravem materiam non censet *Croix;* secus orare *brachiis expansis;* quia non primum, sed secundum gravem ex se affert molestiam. (S. *Lig.*, *n.* 516).

729. Q. *An pœnitentia impleri possit cum socio?*

R. I. Affirma, si id concedit confessarius: secus probabilius negandum videtur; nam pœnitentia est pœna ac pars integralis sacramenti, quam totam sustinere debet pœnitens. (*Sa*, S. *Ligor.*, *n.* 526, *Gury*, *n.* 532, *Varceno*). Tamen aliqui affirmant; quia hoc onus imitatur pondus Officii divini, et morem Rosarii.—Certo per alium impleri nequit; constat ex prop. 15.ª ab Alexandro VIII proscripta.—*Communissime* docent quod implere eam licet tempore Missæ de præcepto, v. g. Rosarium recitando, nisi aliter sit statutum. —Non est necessario implenda ante Communionem, aut absolutionem. Constat ex Pio VI, aliisque PP. contrarium damnantibus, et ex praxi Ecclesiæ. S. *Ligor.*, *n.* 527.

II. Communiter dicunt satisfacere eum, qui in mortali pœnitentiam adimplet; nam ad hoc sufficit opus injunctum ponere: neque sic graviter peccat; non enim afficit validitatem sacramenti, neque substantiam præcepti. *Aliqui* cum *Suar.*, *Lay.*, *Varceno*, et S *Lig.*, *n.* 523, probabilius venialiter eum peccare docent; quia libere obicem effectui etiam partiali sacramenti ponit.—*Plures* tamen probabiliter cum *Lugo*, *Dic.*, *Avers.*, et *Ballerini*, *n.* 529, ab omni culpa liberant; cum nulla sit culpa soli pœnarum remissioni obicem ponere, uti ponit qui mortale committit; nam sine charitate non fit remissio: secus peccaret pœnitens, tum eam implendo, tum omittendo in mortali existens.

730. Q. *An pœnitens oblitus pœnitentiæ repetere teneatur confessionem, ut novam accipiat?*

R. I. Nega probabilius; sane pars essentialis sacramenti in re non est, ac per oblivionem facta est impossibilis; et ad impossibile nemo tenetur: aliunde nemo iterum confiteri adigitur peccata jam directe remissa. (Ita *Gury*, *S. Ligor.*, *n.* 520, *cum communi*). Si autem pœnitens præsumere possit, confessarium adhuc memorem pœnitentiæ esse, ipsum adire debet, si commode valeat, ut injunctio repetatur. (*Gury*, *Salm.*, S. *Ligor.*, *ibid.*, *cum communi*). Si confessarius de injuncta pœnitentia non recordatur, incassum aliam subrogaret; nova namque pœnitentia sacramentum jam integrare non valet. Præstat tamen aliquid imponere, saltem ad pœnitentis anxietates pellendas. *Gury*.—Si post absolutionem statim redeat pœnitens cum alio gravi peccato, nova ei injungenda est satisfactio, si nova detur absolutio; ne mutilum maneat sacramentum. (*S. Ligor.*)—Si confessio fuerit invalida, deest obligatio pœnitentiam injunctam adimplendi, nisi sit *medicinalis*, ut supra; vel si pluries accedat pœnitens ad eamdem confessionem perficiendam, et singulis vicibus pœnitentiam imponat confessarius, ut minor in fine supersit.

II. *Si confessarius pœnitentiam imponere oblitus sit*, eumdem adire tenetur pœnitens, si commode possit, cum adhuc ejus adimpletio sit moraliter possibilis; curandum enim est, ne relinquatur mutilum sacramentum. Tamen personæ piæ, et quando agitur de levi pœnitentia, non incongrue redire haud solent, sed juxta morem suum adimplent quod judicant impositum, vel impositurum fuisse; nam agitur de re levi; et aliunde jam bona opera in absolutione elevata fuerunt ad meritum satisfactionis.

731. Pœnitentiæ vindicativæ salubriores ordinarie sunt: 1.° meditatio, aut saltem pia lectio, et conciones audire; —2.° sacramentorum frequentia; —

3.° examen generale conscientiæ vespere;—4.° Missæ auditio: sed hæc non omnibus indiscriminatim imponi possunt; nisi cum prævideatur adimpletio. Plerumque omnibus imponere licet SS. Sacramenti stationem, et similia; Rosarium non omnibus, maxime pueris, rusticis, indifferentibus, qui illud recitare nesciunt, aut usum non habent.

732. **Medicinales opportuniores** sunt quæ directe infirmitati conveniunt; uti *tepidis*, novissimorum meditatio et lectio; *blasphemis*, Crucifixum devote osculari, Deum laudare; *mundi amatoribus*, mortis meditatio, sponsionum Baptismi renovatio; *libidinosis*, commoditatis, et occasionum, levium etiam, subtractio, et novissimorum meditatio; *avaris*, et *furibus*, eleemosyna; *odio habentibus*, charitatis opera erga proximum, orationis dominicæ meditatio; *superbis*, terram deosculari, pauperes ac rudes humiliter tractare; *ebriosis*, ac *gulosis*, potuum subtractio, abstinentia et jejunium; *omnibus*, sacramentorum frequentia.

---

# CAPUT VI.

## De indulgentiis, et Jubilæo.

733. **Indulgentia** idem sonat ac *gratia*, *misericordia*, *condonatio*, *remissio*; et definitur: *Relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis, quoad culpam et pœnam æternam remissis, Deo debitæ, a legitimo ministro extra sacramentum fidelibus facta, per thesauri Ecclesiæ applicationem.*

**Divisio.** 1.° Indulgentia est *plenaria*, et *partialis*; prout integram pœnam temporalem remittit, vel ejusdem partem.—2.° *Temporalis*, et *perpetua*; prout ad tempus conceditur, vel in perpetuum.—3.° *Personalis*, *localis*, et *realis*, prout immediate conceditur personis; v. g., communitati;—vel loco est affixa, v. g., altari;—vel adnectitur alicui rei; v. g., Cruci, Rosario.—Per indulgentias 10, vel 15, vel 40 dierum, aut annorum, vel quadragenarum, etc., intelligitur ex communi sententia tantæ pœnæ remissio, quanta olim per canonicam pœnitentiam ejusdem temporis remittebatur.

734. **Ecclesiam potestatem indulgentias concedendi habere** est de fide contra protestantes: Constat 1.° ex Christi verbis (Matth. xvi): *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Potestas omnimoda solvendi quidquid est ligatum, potestatem liberandi a ligamine pœnæ peccatis debitæ includit. —2.° Ex Trid., sess. 25, anathemate damnante eos, qui aut *inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* —3.° Ex traditione, ac universali Ecclesiæ praxi. — *Indulgentiæ dispensantur ex Ecclesiæ thesauro*, qui habetur ex Christi meritis, B. Virginis, et Sanctorum. Constat ex Pio VI, qui propositionem 41 Synodi Pystoriensis contrarium annuentem proscripsit; item ex Leone X contra Lutherum; ex Gregorio XIII contra Bajum, etc. —*Indulgentiarum usus est christiano populo maxime salutaris*, ait Trid. Et Clemens XI, Const. *Unigenitus*, in eo invenit, ut *cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementer incalescat.* Hinc parochi fideles hortari debent ad eas lucrandas, efficaciam, vim ac conditiones requisitas eis explanando.

735. **Indulgentias concedere possunt**, qui potestatem habent in corpus

mysticum Christi; et ii sunt: 1.° *Papa* respectu omnium fidelium, locorum, ac indulgentiarum. — 2.° *Episcopi* de jure communi quoad suos diœcesanos, modo sint confirmati, et jurisdictionem adepti, etsi nondum consecrati, 40 dierum tantum ex decreto Later. IV, Can. 62; et unius anni in dedicatione ecclesiæ in perpetuum: extra propriam diœcesim nihil possunt, neque circa imagines, sed tantum cum suis subditis. S. C. R. 17 dec. 1838. *Archiepiscopi*, *Patriarchæ* et *Primates* per totam provinciam citra ipsam visitationem indulgentias concedunt, quas Episcopi.—3.° *Cardinales* concedere valent indulgentias 100, vel 200, aut 300 dierum, sed minus quam unius anni subditis suis. *(Croix, n.* 1322). —4.° *Delegatus* easdem concedere potest ac delegans, sed juxta mensuram, quam hic illi præstituit. *(Gury, n.* 1043).—5.° *Prælati Episcopo inferiores* indulgentias concedere nequeunt, nisi ex delegatione, uti sunt Abbates, Vicarii Generales Episcopi, Capitulares, sede vacante, parochi; nec Episcopus sede carens. *(Gury, Croix, n.* 1323). — 6.° Ad concedendam validam indulgentiam requiritur rationabilis causa; quia concedentes sunt tantum dispensatores thesauri Ecclesiæ, etsi non sit subditorum de illa judicare. (S. *Lig.*, *n.* 532, *Gury*, *n.* 1045).

736. **Quatuor requiruntur in subjecto ad lucrandas indulgentias**: 1.° ut sit baptizatus non excommunicatus; — 2.° ut sit subditus concedentis, nisi agatur de indulgentiis localibus, aut realibus communibus; v. gr. concessis ecclesiæ, aut altari, vel imaginem visitantibus, quas peregrini etiam lucrari valent. (*Marchant apud Diana*, *Ballerini*, *n.* 1044):— 3.° ut opera injuncta modo, ac tempore præscripto impleat: — 4.° ut sit in statu gratiæ, saltem per contritionem, et cum ultimum opus præscriptum ponit. (*S. Lig.*, *n.* 433, *cum communi*).

—Insuper *ut intentionem habeat saltem virtualem*, si indulgentia sit concessa cum certa conditione; v. g., orandi pro hæresum ruina; secus controvertitur. *Alii* cum *Billuart* etiam affirmant: nam aliter opus dirigi nequit ad finem præstitutum ab Ecclesia: *alii* cum *Lugo* negant; si enim indulgentia sit concessa tale opus facienti, opus ponere sufficit. In praxi prima ut tutior est sequenda; cum in hac re non deserviat major probabilitas, sed veritas.

737. **Si opus injunctum non sit determinatum** sufficit recitare quinque *Pater et Ave* juxta *Mazzota*, aut sex cum *Gloria* et *Credo*, ut ait *Sporer;* quæ preces socialiter recitari queunt; sed alio titulo obligatæ esse non possunt, nisi aliud exprimatur. — Si pars minima omittatur, non officit substantiæ, v. gr., omittere *Pater* et *Ave* in Rosario; secus si in quinque *Pater* unum omittatur. *(S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 534, *Gury*, *n.* 1047).

738. **Veniale peccatum obex non est indulgentiæ lucrandæ**; quia gratia non privat; sed si affectus ad aliquod veniale habeatur, non erit omnino plenaria ei, cui applicatur; nam sicut partialiter remittuntur venialia quoad culpam, ita etiam fieri potest quoad pœnam; secus parum prodessent indulgentiæ; raro enim fideles inveniuntur sine aliquo pravo affectu. *(Gury*, S. *Lig.*, *n.* 534). Si vero culpa venialis substantiam operis afficiat, puta si quis oret, vel det eleemosynam ob vanam gloriam, non lucratur indulgentiam. Secus si non est circa substantiam, ut si quis oret distracte. Ita *Suarez*, *Bon.*, *n.* 15, *S. Lig.*, *n.* 533, *cum communi*.

739. **Confessio, et Communio** (non sacrilega) exigitur ad lucrandas indulgentias plenarias, nisi aliud statuatur, licet quis sola habeat venialia; quippe tunc est opus præscriptum. Constat ex *S. C. I.* 19 *maji* 1759, probante Clem. XIII. Confessio in festi vigilia fieri potest ex *eadem S. C.* 6 *oct.* 1870, et Communio, si in-

vigilia incipiat indulgentia. Non autem requiritur absolutio pro iis, qui sunt in gratia. *Patet ex S. C. I.* 15 *decemb.* 1841.—Non requiritur confessio pro indulgentia *Viæ Crucis*; neque pro *confratribus Immaculatæ Conceptionis V. M. sex Pater, Ave, Gloria recitantibus*, toties quoties, etc. (V. n. 605).

740. Q. *An quis eodem die, imo eodem actu, diversas indulgentias, aut plures lucrari possit?*

R. I. Affirma generatim quoad indulgentias *diversas partiales* operibus diversis annexas, vel eisdem operibus, quæ pluries in die repeti queunt.—Quoad indulgentias *easdem* a mente concedentis pendet. Sic eodem die nemo potest lucrari pluries indulgentias *stationum*, aut *visitationis ecclesiæ*. Constat ex decreto S. C. I. ab Innocent. XI approbato.—Quivis lucrari potest pluries in die indulgentiam annexam Rosario, et quoties in rescripto dicitur: *toties quoties*.

II. Item eodem actu plures indulgentias lucrari possunt fideles, si opus præscriptum eodem die repeti non possit, uti Communio, jejunium, ac simul concurrunt diversæ indulgentiæ lucrandæ ex diversis titulis; v. gr. diversarum confraternitatum, vel diversis ecclesiis affixæ ex diversis titulis et eodem die. (Ita *S. C. I.* 29 *maji* 1841, 30 *aug.* 1847). Secus si eodem titulo, nisi opera injuncta iterentur; v. gr. qui habet plura numismata, et singulis sit concessa indulgentia cum onere operum iterabilium. *(Voit, n.* 655, *Gury, n.* 1053, *etc.)*—Nemo autem obtinere valet eodem tempore 2.am indulgentiam plenariam pro se, si nihil post 1.am luendum manet, ait *Gury*.—Concessa facultas opera injuncta commutandi, vel dispensandi ad lucrandas indulgentias, necessario in confessione est exercenda, ex Const. *Inter præteritos*, § 63, Benedict. XIV. Idem dic de aliis dispensationibus et commutationibus votorum, etc., quando in concessione id exprimitur. (V. n. 475).

«Episcopus, vel quivis alius prælatus eidem actui pietatis, vel crucibus, coronis deprecatoriis, imaginibus, vel eidem sodalitio, quibus a Rom. Pontifice, vel a sacerdote legitima facultate munito jam indulgentiæ sive partiales, sive plenariæ sunt concessæ, alias adjungere non valet indulgentias, nisi novæ conditiones præscribantur.—Neque potest Episcopus fidelibus diœcesis non suæ indulgentias concedere, etsi Ordinarius loci consentiat; licet fiat, ut multiplicentur eidem actui indulgentiæ.—Neque eidem rei, vel actui pietatis, cui jam antecessor indulgentias annexuit, novas applicare valet.—Nihil circa hanc rem potest Episcopus *in partibus infidelium*. Neque potest Episcopus ad augendas indulgentias eumdem actum pietatis in partes dividere; v. gr. *pro omni verbo Salutationis Angelicæ.*—Nisi aliud expresse habeatur in indultis, indulgentiæ lucrandæ incipiunt a media nocte ad mediam noctem.» *Datum Romæ ex Secretaria S. Cong.* 12 *jan.* 1878, *probante et publicari mandante Sanctitate Pii IX.*

—*Si res mobilis, cui adnexæ sunt indulgentiæ, alteri absolute tradatur*, etiam post mortem, ipsæ amittuntur; nam conceditur indulgentia primo rei benedictæ domino, vel pro primo, qui ea utitur. Secus si tantum commodatur, absque intentione beneficium indulgentiarum commodandi.—Si rumpitur corona, aut quatuor, vel quinque globuli deperdantur, non pereunt indulgentiæ. (Ita S. C. 10 *jan.* 1839). Non amittuntur indulgentiæ alicui rei annexæ, etsi res illa per successivas reparationes totaliter renovetur; secus si uno actu. Sic non amittit indulgentias corona, cui successive mutantur globuli, licet ex integro ita renovetur. *(Gury, Gousset, n.* 905). Indulgentiæ applicari possunt quibusvis rebus solidis, ac hodie etiam ligno, ferro, vitro solido, non autem rebus fragilibus, uti papyro, vitro insufflato, etc. *(S. C. I. apud Gury, n.* 1058).

741. **Applicatio indulgentiæ fieri potest animabus purgatorii** tum specialiter, tum generaliter per modum suffragii, seu rogationis, non absolutionis; siquidem jurisdictioni Ecclesiæ non subduntur; et id est fidei proximum. Constat ex contrariis prop. a Sixto IV, Leone X, et Pio VI proscriptis, atque ex praxi Ecclesiæ. Ad hoc requiritur: 1.° Ut eo fine sit concessa indulgentia, quæ concessio a solo Papa fit; non ergo ab Episcopo, nisi speciale habeat indultum. *Scavini, n.* 325, cum *Bellar.*, *Barb.*, *etc.*—2.° Ut adsit intentio saltem interpretativa in lucrante. Controvertitur an infallibilem sortiatur effectum indulgentia pro defunctis; sed cum desit divina promissio, casus resolvi nequit. Unde effectus indulgentiarum pro defunctis certus nobis non est; nam pendet a Dei voluntate, et hominum capacitate. Sic utilius ipsis repetitur earum applicatio.

—Quisque indulgentias lucrari potest pro alioquolibet christiano vivente, etiam ignorante, absente, modo sit in gratia, per modum satisfactionis; præsertim si Papa id expresse concesserit: secus controvertitur. *(Ballerini, n.* 1059).—Indulgentia non expirat morte concedentis, cum sit gratia facta; nisi adsit clausula: *Ad beneplacitum Nostrum:* unde censenda est perpetua, si data sit absque temporis restrictione. *(S. Lig., n.* 544).

742. Q. *An requiratur status gratiæ ad lucrandam indulgentiam pro defunctis?*

R. *Communius* affirmant; quia nemo dat quod non habet; indulgentias suas facere nequit qui in gratia non manet; ergo... *(S. Lig., n.* 534). *Alii* negant; tunc enim requiritur tantum operis positio, uti conditio, qua posita, Ecclesia applicat defuncto Christi, et Sanctorum satisfactiones: et sic indulgentia non est opus illius, qui est in peccato, sed Ecclesiæ, in qua numquam deest gratia, v. g., est eleemosynam dare per manus peccatoris. (*Suar.*, *Tolet.*, *Ballerini, n.* 1050). Prima ut tutior est suadenda.

743. **Indulgentia pro articulo mortis** alicui concessa obtinetur sine confessarii applicatione; sufficit ut infirmus nomina *Jesu* et *Mariæ* invocet, et intentionem habeat; nec requiritur, ut supra se teneat objecta, quibus affixæ sint indulgentiæ, modo sint in lecto, vel juxta ipsum appensa, licet illa non videat, nec tangat, aut recordetur se ea habere. (*S. Lig*, *n.* 534).—Juxta Const. Benedictinam *Pia Mater* Episcopus subdelegare potest ad benedictionem Papalem cum indulgentiæ plenariæ applicatione in articulo mortis suis diœcesanis impertiendam unum, vel plures sacerdotes sæculares, aut regulares, quotquot pro numero animarum necessarios esse prudenter judicaverit, sive scriptis, sive non, tum singulis speciatim, tum generatim. *S. C. I.* 23 *nov.* 1878, *probante Leone XIII.—Si moribundus plura habeat objecta*, v. gr. cruces, imagines, rosaria benedicta cum indulgentiis, probabilius potest eas obtinere toties quoties opus præscriptum repetierit, sive ex eadem concessione, sive ex diversa proveniant; item ex titulis diversarum confraternitatum, etsi non recordetur. *(Suar., Gury, n.* 1059, *S. Lig., ibid.)*

744. **Decreta S. C. Ind. circa indulgentias**: 1.° Ad benedicendas cruces, rosaria, etc., cum indulgentiis satis est signum crucis a sacerdote facultate habente factum. Pro coronis S. Dominici, et B. Virginis Septem Dolorum requiritur formula præscripta, et aquæ benedictæ aspersio. (11 *apr.* 1864). Socii confraternitatis S. M. de Carmelo ab inscriptione nominis sui in tabellis prædictæ confraternitatis eximuntur ex concessione Gregorii XVI, 30 apr. 1832. Q. *An absentes admitti possint in Confratres* (in piis sodalitiis?) S. C. 28 apr. respondit: *Negative:* et ita omnino prohibuit *Sanctitas Leonis XIII*, 13 *apr.* 1878.—An Vicarius Capitularis canonice erigere valeat pias Sodalitates, vel confraternitates, aut aggregare, et approbare earum

statuta? *S. C. generalis in Vaticano*, 15 *nov.* 1878, respondit: *Abstineat.*—2.° Annuli, argentei, etc., nequeunt benedici ad rosarium recitandum, cum indulgentiis. Ita *Pœnitentiarius major* de mandato Gregorii XVI.—3.° Cum Papa indulgentiam concedit *urbis et orbis,* ut fideles ipsam lucrentur in variis diœcesibus, non opus est, ut locorum Ordinarii eam promulgent, sed sufficit, ut certi sint illam a Papa esse concessam. (*S. C.* 1 *jul.* 1830).—4.° Quilibet privatc uti, fruique valet obtentis indulgentiis, seu gratiis sine recognitione, et licentia sui Ordinarii, modo scandali, et gravaminis occasionem non præbeat, sicque typis eas non mandet. (*S. C.* 12 *dec.* 1840).—Licet in aliam linguam preces cum indulgentiis vertere, si fidelis sit versio. (*S. C.* 14 *maji* 1838).—5.° Visitantes ecclesias S. Francisci die 2.ª Augusti plenariam indulgentiam, ex Gregorio XV, Brevi *Alias*, 12 jan. 1678, lucrantur toties quoties (animabus purgatorii applicabilem) eodem die in eas ingrediuntur, et parum ibi orant; et suscipere possunt Communionem in qualibet ecclesia. (*S.* C. 22 *febr.* 1847, *et* 8 *jul.* 1850). Hæc indulgentia in Basilica Portiunculæ non suspenditur anno Jubilæi: in aliis vero ecclesiis Franciscani Ordinis eo anno suspenditur tantum pro vivis. *Scavini, n.* 440. «An si nulla extet Ecclesia actu ad Patres Franciscales pertinens, plures ecclesiæ in eadem civitate, imo in eadem parœcia, milliari spatio minime inter se distantes, frui possint privilegio (vulgo) de la *Porciuncula*?» R. Affirmative: attenta tamen speciali prærogativa indulgentiæ Portiunculæ expedit, ut in novis concessionibus, clausula quoad distantiam, quæ apponi solet favore ecclesiarum Ordinis S. Francisci, extendatur ad alias omnes ecclesias, hoc privilegio ditatas.» *In Cong. generali habita in Vaticano* 15 *nov.* 1878.—6.° Pro visitatione 14 stationum *Viæ Crucis*, sufficit ex una ad aliam stationem se conferre, in quantum visitantium multitudo, ac loci capacitas permittant, ibique Redemptoris passionem meditari. *(S. C.* 22 *sept.* 1829).—7.° Qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, v. g. erigendi stationes *Viæ Crucis*, altaris privilegiati, benedicendi cruces, etc., exhibere Ordinario non debet has facultates, si nulla facta sit mentio in scriptis, erectione Viæ Crucis excepta. (*S. C.* 6 *febr.* 1844).—8.° Infirmi, qui domo egredi nequeunt, rite confessi acquirere valent omnes plenarias indulgentias illius loci, quas acquirere possent ecclesiam visitando, Communionem suscipiendo, etsi id omittant, modo alia præscripta impleant, simul cum injunctis a confessario, loco visitationis, et Communionis. (Ita ex concessione *Pii IX*, 8 *sept.* 1862).—9.° Sanctitas sua declaravit per confessionem, et Communionem die Paschatis peractam, et indulgentiam plenariam Papali benedictioni adnexam obtineri, et satis præcepto paschali fieri (12 *mart.* 1847).

745. Q. 1.° *Utrum indulgentiæ, quæ lucrifiunt in contemplatione stationum Viæ Crucis, cessent, si Cruces, vel tabulæ tollantur pro murorum dealbatione, pro iisdem pictura exornandis, aliave de causa, quamvis deinde et Cruces, et tabulæ suis locis restituantur?*—2.° *Quid si non omnes, sed nonnullæ tantum supradictis de causis amoveantur? Quid si omnes Cruces cum tabulis per mensem circiter amoveantur, ut sæpissime contingit pro murorum dealbatione?*—3.° *Quid si in prima erectione Cruces et tabulæ ita inter se adhæreant, ut nullus existat symmetricus ordo? Poteruntne intra ejusdem ecclesiæ ambitum contrectari de loco ad locum, ut æque distent, quin indulgentiæ amittantur, et quibus in casibus nova erectio canonica requiratur?*

Ex Secret. S. *Conc. Indulg.* 21 *mart.* 1836, respondetur:

Ad 1.m *Non amittunt indulgentias.*

Ad 2.m *Gaudent indulgentiis non obstantibus...*

Ad 3.m *Affirmative, et non cessant indulgentiæ, nisi pereunte materia.* Cruces

necessario ex ligno, non ex ferro esse debent; neque hoc cooperiri queunt. S. C. *Gener.*, 15 *nov.* 1878.

746. **Votum pro animabus purgatorii**: Sedente Benedicto XIII instituta fuit hæc devotio, qua fideles dum vivunt, omnia opera satisfactoria, et ipsis oblata post mortem suffragia, animabus purgatorii detentis offerunt. Hoc voto, seu hac donatione ipsis applicatur totus fructus satisfactorius, non vero *meritorius*, *propitiatorius*, et *impetratorius*, qui adhuc voventibus prodest. Non obligat sub peccato, et solo nutu emitti potest.

—Ex concessione Benedict. XIII, Pii VI, et Pii IX 1852, habetur: 1.° quod sacerdotes hoc votum emittentes, indulto altaris privilegiati personalis gaudere possint singulis anni diebus: — 2.° quod omnes christiani cum hoc voto indulgentiam plenariam fidelibus tantum defunctis applicabilem lucrari possint, quocumque die ad sacram mensam accesserint. Item si in qualibet feria secunda anni Missam in eorumdem suffragium audierint, et in utroque casu etiam ecclesiam publicam visitaverint, et juxta mentem Suæ Sanctitatis pie ibi oraverint: — 3.° quod ipsis fidelibus omnes et singulas indulgentias quocumquo modo concessas, vel concedendas, quas lucrari possint, animabus purgatorii applicare etiam liceat. Sacerdotes tale votum emittentes celebrare et applicare valent pro iis, quibus opus est, vel a quibus stipendium accipiunt, ex declaratione Benedict. XIII. *Scavini*, *l.* 4, *n.* 439.

747. **Jubilæum** definiri potest: *Plenaria indulgentia. privilegiis adnexis, a Papa concessa certa opera peragentibus.* — Jubilæum est 1.° *generale*, et *particulare*; prout universo orbi conceditur, vel alicui provinciæ, civitati, aut loco; — 2.° *majus*, seu *ordinarium*, et *minus*, vel *extraordinarium*. *Primum* est quod Bonifacius VIII anno 1300 instituit, quolibet anno centesimo redeunte celebrandum; quod Clemens VI ad annum 50 reduxit; Gregorius XI ad 33; Urbanus VI ad annum 30; Paulus II et Sixtus IV ad annum 25. Primitus nonnisi Romæ celebrabatur; Bonifacius IX statuit, ut, anno currente, Romæ celebretur, et anno sequenti in toto orbe, quod Jubilæum *anni sancti*, seu *majus* vocatur.—*Secundum* vero est quod concedi solet post uniuscujusque Papæ exaltationem, et ob alias speciales circumstantias. *Scavini*, *l.* 3, *n.* 328.

748. **Conditiones ad Jubilæum generatim** sunt 6: *Ecclesiarum visitatio, oratio, confessio, Communio, eleemosyna,* et *jejunium*.

I. *Ecclesiarum visitatio* juxta Pontificium præscriptum. Si assignatus earum numerus desit, Ordinariis tribuitur facultas eas designandi, modo visitationes præscriptæ in unoquoque die peragantur; v. gr., si generaliter sit statutum, ut 4 ecclesiæ per tres dies visitentur, 12 visitationes separatæ, nempe 4 in unoquoque ex tribus diebus fiant etiam in una ecclesia, ubi aliæ non sint; et singulis vicibus ingredi, ac egredi opus est. Ita *S. C. I.* 15 *mart.* 1852, et 25 *jun.* 1875, cui concinnit Leo XIII, 15 *febr.* 1879. publicatione Jubilæi suæ exaltationis.—Fideles extra januas ecclesiæ ob multitudinem in processionibus remanentes, unum corpus efficiunt, ac Jubilæum lucrantur. Ita *Suar.*, *Bon.*, *S. Lig.*, *n.* 538. Idem dicunt *Croix*, *n.* 1433 cum *Lugo*, si ores ante ostium ecclesiæ, quando illud est clausum.—Visitationes impeditis, v. gr., infirmis, monialibus, carceratis, etc., commutari possunt.

II. *Orationes præscriptæ*, quæ vocales esse debent (exceptis mutis, qui mentaliter orare valent, ex declaratione Pii IX), et socialiter recitari possunt. Const. Bened. XIV *Inter præteritos*, § 83. Si non fuerint a Papa præscriptæ, quælibet oratio sufficit; nempe 5 *Pater* et *Ave*, ut ait *Mazz.*; vel 6 cum *Credo* et *Gloria*, ut dicit

*Sporer, n.* 174 : *Licet oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita sufficere possit,* ut ait Bened. XIV, l. c.

III. *Confessio*, licet in mortali non versentur fideles, quæ commutari non potest ex Bened. XIV, Bulla *Inter præteritos*, 3 decemb. 1749, præterquam cum pueris.— Si quis post confessionem in mortale labatur ante aliorum operum complementum, iterum confiteri tenetur; nec sufficit conteri, tametsi cætera opera iterare non debeat. *Scavini ex Bened. XIV*, § 79.

IV. *Communio* requiritur, non sacrilega, quæ non sit Paschalis, nisi tempore paschali celebretur Jubilæum, et alia non præscribatur. Ita S. C. 14 *dec.* 1841 ; sic etiam respondit *Pius IX* occasione Jubilæi anni 1863.—Communiter dicunt, quod si quis communicaturus ultima Jubilæi die, casu impediatur, prorogationem Jubilæi obtinere posse. Ita *Bouvier*.—Communio tantum pro pueris commutari potest, ex *Bened. XIV*, et *Leone XII, Gury, n.* 1067.

IV. *Corporalis eleemosyna* non alias debita (v. gr. ex legato), quam probabilius etiam pauperes erogare tenentur, saltem per unum obolum. *S. Lig., n.* 638. Pro religiosis, filiis, uxoribus, servis, aliisque subditis in temporalibus sufficit, ut ab eorum superioribus detur eleemosyna, ipsis scientibus. *Lugo. n.* 115, *S. Lig., ibid.*— Si vero superior dare nolit, petenda est commutatio. Ita *Viva. S. Lig., ibid.*—Quælibet res corporalis appretiabilis tribui potest, ut pecunia, vestis, panis, etc.—Et non fraudatur qui dederit ficto pauperi. Ita *Lugo, n.* 113, *Spor., n.* 181. Neque qui dat eleemosynam distribuendam. si postea non distribuatur, vel distribuatur post Jubilæi tempus, ut docent *Sa, Vega, Lezana, Pasq.*, contra *Lugo, Vazq., Spor., aliosque;* nam tunc deficit quidem injunctum opus.—Quælibet quantitas eleemosynæ sufficit, nisi dicatur: *Quantum pro sua cuique facultate visum fuerit;* tunc enim quantitas proportionata esse debet cujusque facultatibus. Ita *Gury, n.* 1069, *S. Lig., n.* 538.

VI. *Jejunium* non jam debitum ex voto, ut communius docet *S. Lig., n.* 338, ex *Bened. XIV* in Const. *Inter præteritos*, neque ex præcepto Ecclesiæ, nisi Papa aliud statuat, vel nominentur dies, in quibus aliquod cadit jejunium alio titulo jam debitum. Ita *Pius IX*, 11 *apr.* 1869, et *Leo XIII*, ut supra ; tunc eo ipso liberare censetur ab alio jejunio, et ab onere illud in alia opera commutandi.—Præscripta jejunia in una hebdomada perfici debent; secus quoad alia opera, nisi aliud exprimatur. Ita *Pius IX*, 20 *nov.* 1846, et 16 *mart.* 1865.—Infirmi, pueri, senes, operarii, et qui alias non obligantur, jejunare, aut commutationem petere tenentur. Idem dic de aliis operibus. *Bouvier, Voit., Lay., Gury, n.* 1064, *S. Lig., n.* 538, ex Bened. XIV, Bulla *Inter præteritos*, etc. *An in jejuniis impositis tanquam operibus injunctis, uti quis possit privilegio sibi concesso ex Bulla Cruciatæ?* S. Pœnit. 16 mart. 1865 respondit: *Negative. S. C. I.* 10 *jul.* 1869 *tantum ovis, et lacticiniis* in jejuniis pro eo Jubilæo uti posse respondit ex *speciali Sanctitatis suæ indulto.*—Jejunia pro Jubilæo præscripta esse debent *stricte sumpta* seu cum *esurialibus tantum cibis*, ut ait Leo XIII, 15 febr. 1879, quin tamen quis uti possit indultis. Si quis indultum consequatur pro jejuniis Jubilæi, permiscere non potest carnes cum piscibus. Ita *Pius IX*, 11 *apr.* 1869.

749. Q. *An viatores lucrari possint Jubilæum sive in loco ubi tunc celebratur, sive pro ipsis prorogari queat usque ad reditum?*

R. Affirma, neque iter differre tenentur, si commode differri nequit. Ita *S. Lig., n.* 538 *cum communi*, et Bulla Pii IX post exaltationem suam, an. 1846.—Idem dicunt *Croix, n.* 1434, et *S. Lig., n.* 538, de illo, qui prima hebdomada non est Jubilæum lucratus; et lucrari potuit.—Ait *Lugo, n.* 120, quod si quis in itinere perveniat ad locum,

ubi promulgatur Jubilæum, illic incipere poterit opera, et prosequi in itinere.—Item qui postquam incœperit opera Jubilæi, in aliam diœcesim transferat domicilium, si ibi cætera opera perficiat, juxta præscriptum ibi ab Ordinario.—Item peregrinus, qui in aliena diœcesi adimplet confessionem et Communionem, aliaque opera præscripta, si observat ordinationes Ordinarii loci ubi moratur. *Del-Vecchio*, et *Leo XIII.*—Quod de viatoribus, valet etiam pro infirmis, captivis, et senibus, qui absque notabili detrimento, aut difficultate opera illa præstare nequeunt; potest etiam confessarius ipsis in alia pietatis opera commutare quæ præstare nequeunt. *Leo XIII, Viva, S. Ligor., n.* 538.

750. *Opera injuncta in Jubilæo commutari possunt etiam extra confessionem:* ita constat ex *S. Pœnit.* 1865, probante *Pio IX.*

751. Q. *An quis pluries Jubilæum anni sancti lucrari valeat?*

R. Affirma, quoad ipsas indulgentias, si opera præscripta repetantur; minime vero quoad *absolutionem censurarum, et reservatorum, in quæ jam absolutus de novo incidisset pœnitens,* nisi aliud statuatur, uti evenit in Jubilæo an. 1875. Ita Benedict. XIV Bulla *Inter præteritos* § 84, et Const. *Convocatis* § 52, *S. Pœnit.* 1 *jun.* 1869, et 26 *febr.* 1879, *Scavini, n.* 451. - Sanctitas Pii IX declaravit Jubilæum cumulative pro se et pro defunctis lucrifieri posse. *S. Pœnitent.* 29 *apr.* 1875.

752. **Facultates in Jubilæo concessæ** sunt *confessarium eligendi, a reservatis absolvendi*, et *vota commutandi.* I. Quilibet fidelis sive sæcularis, sive regularis sit quemcumque confessarium ab Ordinario loci confessionis approbatum eligere valet, etiamsi ob proprias regulas confiteri debeat confessario designato, ut constat ex declaratione Gregorii XIII, Alexandri VII, Const. *Unigenitus*, Benedict. XIV, et Leonis XIII.—Quoad moniales autem proprie dictas et earum novitias, ex declaratione Bened. XIV, Const. *Celebrationem*, et Leonis XIII, intelligitur de quocumque ad moniales etiam approbato. Possunt regulares absolvi ab illo a casibus in eorum Ordine reservatis. S. *Lig., n.* 536.

II. Quilibet confessarius approbatus una tantum vice absolvere potest pro foro conscientiæ ab omnibus casibus et censuris sive a jure, sive ab homine, quovis modo et causa latis, etiam reservatis sive Episcopo, sive Papæ, sive occultis, sive publicis; item nominatim, et speciali modo excommunicatos, suspensos, interdictos, exceptis tantum 1.° *externe ac formaliter hæreticis;* non autem eorum fautoribus, libros de hæresi tractantes legentibus, imprimentibus; neque blasphemis hæreticalibus; quia talia peccata non sunt proprie hæresis formalis; neque publicis clericorum percussoribus. *Scavini, S. Ligor.* Nunquam autem tollitur obligatio læso satisfaciendi prout de jure; et si hic et nunc satisfacere nequeat pœnitens, juret se satisfacturum quam primum poterit. *Bened. XIV.* (V. n. 474). Ast Leo XIII per S. Pœnit. die 26 febr. 1879 facultatem fecit hæreticos absolvendi, abjuratis prius erroribus prout de jure.—2.° *Complicibus in re turpi.*—Quoad censuras nominatim ab homine inflictas, absolutio est tantum ad effectum lucrandæ indulgentiæ. *Del-Vecchio.*—Facultas absolvendi ab occulta irregularitate tantum est concessa in ipsa confessione, et ab illis irregularitatibus, quæ ob censuræ violationem incursæ sunt. *Scavini, n.* 328, S. *Lig., n.* 536, *Bened. XIV*, § 50, Leo *XIII.* Per Jubilæum non datur facultas ab aliquo matrimonii impedimento dispensandi, etsi occulto, neque restituendi incestuosos conjuges in pristinum jus petendi. *Ita omnes.*

*Circa reservationem est amplius advertendum*: 1.° Probabilius a reservatis absolvi potest qui peccavit in Jubilæi confidentiam; sine limitatione nimirum conceditur fa-

cultas. *Scavini, n.* 452, *S. Ligor.* — 2.° Qui inculpabiliter peccati mortalis oliviscitur, etsi reservati, confiteri denuo non tenetur ad lucrandum Jubilæum; confessio siquidem valida fuit, et pœnitens in gratia est: etiam postea a quocumque confessario absolvi potest a reservato, eo quod vi Jubilæi jus acquisivit ea facultate gaudendi. Ita probabilius et communius *Gury, S. Lig., n.* 539.—3.° Probabilius etiam per confessionem inculpabiliter nullam tollitur reservatio, dummodo pœnitens reservata peccata non siluerit; sunt enim a legitimo judice judicata. *Gury,* S. *Lig., n.* 598.—4.° Probabilius autem non tollitur reservatio per sacrilegam confessionem; quia Pontifex facultatem a reservatis absolvendi non dat nisi ad lucrandum Jubilæum, ex *S. Pœnitent.* 1 *jun.* 1869, et Leone XIII; ergo Jubilæi facultate circa reservata non gaudent qui parati non sunt ad illud lucrandum, et ad operibus præscriptis satisfaciendum Ita etiam *Bened. XIV,* § 86, *Scavini, n.* 448, *S. Lig., n.* 537. *Lugo, n.* 113, *Ballerini, n.* 580, *aliique* affirmant, modo pœnitens animum lucrandi Jubilæum habeat, (saltem si reservata confiteatur), quod deducunt ex Bened. XIV, § 86, ubi dicitur concedi illis, *qui sinceram habent Jubilæi consequendi voluntatem.* Sed quia hæc sincera voluntas non recte apparet in eo, qui sacrilege confitetur; ergo in praxi prima sententia est tenenda.—Tamen non graviter peccare dicunt eum, qui postquam a reservatis est absolutus in valida confessione, cætera opera præscripta non adimplet; nullibi sane contrarium apparet. *S. Lig., n.* 537, *Gury, n.* 1074, *Lugo, Salm., n.* 57. —5.° Si quis intra Jubilæum confessionem incœperit, ab omnibus reservatis, etiam finito tempore, absolvi potest; nam causa cœpta finiri potest. *Nav., Laym.* - Item si confessarius ex justa causa pœnitenti absolutionem differat. *Scavini, n.* 453. Controvertitur quoad alia reservata, transacto Jubilæo, commissa: negat *Ferraris.*— 6.° Si quis, peractis una hebdomada operibus præscriptis, inabsolutus remittatur ad aliud tempus, non amplius tenetur, dum absolvitur, opera illa repetere. *S. C. I.* 28 *nov.* 1759.

753. Resolves. 1.° Qui etiam culpabiliter injuncta opera omisit, et ultima Jubilæi die vere se pœniteat, ac Jubilæum lucrari velit, confessarius illi tempus prorogare poterit. Ita *Scarpazza, et resolutio casuum sub Bened. XIV.*—2.° Qui confitetur vigilia ipsius Jubilæi, jam lucrari potest plenariam indulgentiam ex indulto Pii VII, 12 jun. 1822 —Et pro ipso Jubilæo sufficit, si facta sit confessio in vigilia a primis vesperis, ex Bulla Bened. XIV *Peregrinantes. Scavini, n.* 453.—3.° Qui confitetur in loco, ubi Jubilæum est jam consummatum, vel nondum promulgatum, si cetera opera rite perficiat, communius Jubilæum lucratur, absolvique ac dispensari potest a reservatis; nam facultas eligendi sibi confessarium conceditur pœnitenti. Ita *Scavini, n.* 453, et pro certo habet *Scarpazza.* Opera præscripta ubicumque locorum impleri possunt, ecclesiarum visitatione excepta, cum hæc una ordinarie tantum localiter sit determinata in Bulla concessionis. 4.° Probabilissimum est confessionem, et Communionem fieri posse tam in prima quam in Dominica immediate sequenti. *Scav., S. Lig., n.* 537.—5.° Nullus ordo necessario requiritur in operibus ponendis, modo ultimum opus in statu gratiæ fiat. *Gury.* —6.° Qui habens veram intentionem lucrandi Jubilæum fuit absolutus a reservatis, aut a voto dispensatus, non reincidit, si postea, mutata voluntate, Jubilæum non lucretur, etiam culpabiliter. *Bened. XIV.*

754. III. **Facultas commutandi** (non vero dispensandi) omnia vota simplicia in honorem Dei emissa, etsi jurata intra confessionem tantum. *Laym., Scavini.* (Excipe: 1.° Vota perpetuæ castitatis. —2.° Ingrediendi in religionem.—3.° Pœnalia a peccato retrahentia, nisi commutatio non minus ab iis retrahat; *Bouvier, Scavini, n.* 451.—4.° Quæ in damnum

tertii cederent commutata. Tunc non requiritur causa specialis; satis erit generalis illa ob quam conceditur Jubilæum. At opera injuncta etiam extra confessionem commutari possunt cum justa causa. (*S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 534, et *S. Pœnit.* 16 *mart.* 1865, et ex declaratione *Pii IX.*)

755. **Suspensio facultatum.** Tempore Jubilæi *anni sancti* 1.° suspensæ manent facultates etiam regularium absolvendi a casibus reservatis Sedi Apostolicæ, atque etiam vota commutandi, sive sint concessæ intuitu indulgentiarum, sive ob alias causas. *Scavini, n.* 454, *S. Ligor.*, *n.* 536, *Bened. XIV*, § 26 *et* 31. Non autem suspenduntur facultates Episcopis concessæ per *Trid.* absolvendi et dispensandi cum suis subditis in omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis; aut in matrimonii impedimentis, irregularitatibus reservatis, etc., quæ de jure communi illis competunt. *Zerola, Quintan.*, *S. Lig.*, *n.* 535.—2.° Suspensa manet plenaria indulgentia occasione solemnis benedictionis ab Episcopis ex delegatione impertitæ in aliquibus solemnitatibus. *S. C. I.* 23 *dec.* 1824.—3.° Suspenduntur omnes partiales, et plenariæ indulgentiæ pro vivis in toto orbe, nisi agatur de indulgentiis concessis pro moribundis, vel pro recitantibus suis temporibus *Angelus Domini*, vel pro comitantibus Viaticum candelam accensam gestando, vel pro 40 Horarum devotione; aut de indulgentiis concessis directe defunctis, ut est illa altaris privilegiati; aut concessis particularibus ab alio quam a Papa.—4.° Ex concessione Bened. XIV omnes indulgentiæ vivis concessæ cum facultate eas applicandi defunctis, non suspenduntur quantum ad applicationem pro defunctis. Extra Romam illæ, quæ alias non erant defunctis applicabiles, iis hoc anno applicari possunt. *Scavini*, *n.* 454, *Gury*, *n.* 1077. Quoad Bullam Cruc. v. n. 459.

---

# CAPUT VII.

## De forma absoluta, et conditionata sacramenti Pœnitentiæ.

756. **Forma sacramenti Pœnitentiæ** expresse habetur ex Trid., sess. 14, c. 3: *Docet... sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse:* Ego te absolvo, etc. *Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur.*—Forma autem *rubricalis* ex Rituali Romano habetur: «Cum pœnitentem absolvere voluerit (confessarius), injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.*» Deinde dextera versus pœnitentem elevata dicit: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen. Dominus Noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (quæ vox super laicos omittitur), *et interdicti, in quantum possum, et tu indiges.*» Deinde: «Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris ✠ (efformat signum crucis), et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.» *Passio D. N. J. C., merita B. M. Virginis, et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.*

—Pie ante confessionem benedicere potest confessarius pœnitentem dicens: *Dominus sit in corde tuo, ac in labiis tuis, ut rite confitearis peccata tua. Amen.* Et finita absolutione: *Vade in pace, ora Deum etiam pro me, et noli amplius peccare.*

757. I. **Verba formæ essentialia** sunt: 1.° *Te absolvo*, secus neque subjectum, neque vis absolutionis indicaretur.—2.° Probabilius et communius invalida esset forma *deprecativa*, v. g. *Absolvat te Deus;* nam ex Flor., et Trident. decretis debita forma esse debet *indicativa*. (*Scavini, n.* 452, *S. Lig., n.* 430).—3.° Ad essentiam probabilius et communissime non pertinent verba *a peccatis tuis;* nam verbo *te*, jam determinantur materia, et forma, et subjectum. Idem dicunt, si omittatur *te*, modo dicatur *a peccatis tuis*. Ea omittere mortale est, utpote contra usum, ac declarationem Tridentini; et ipse Christus expresse ait: *Quorum remiseritis peccata.* Unde, iis verbis omissis, absolutio sub conditione esset repetenda. *(Billuart, S. Lig., n.* 430).— 4.° Verba *in nomine Patris, et Filii*, etc., verius de essentia non sunt; talem equidem SS. Trinitatis mentionem non fecit Christus, uti in Baptismo, et eam omittunt orientales. Hinc eorum omissio communius veniale non excedit. *S. Lig., n.* 430.—5.° Neque essentiale est pronomen *ego*, ob elegantiam sæpe illud omittit lingua latina. Neque probabilius *Deinde;* nam in Ritualis Rom. editione 1864 illud *Deinde* rubro charactere legitur.

II. Unde mortis periculo urgente, breviter dicere licet: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris*, etc. Et brevius: *Te absolvo a peccatis.* Ita communiter; nam sic intentione sua confessarius censuras omnes, seu vinculum quodcumque absolvere potest. Sed dicunt a veniali id non excusari, cum sit contra Ecclesiæ usum. (*Scavini*, S. *Lig., n.* 430). Non officit validitati, si confessarius (etsi graviter peccet, cum sit contra gravem Ecclesiæ prohibitionem), prius absolvat a peccatis, quam a censuris, dummodo pœnitens sit rite dispositus, et in bona fide; secus graviter etiam hic peccaret; quia censura illicitam facit sacramentorum susceptionem. (S. *Lig., n.* 430).

III. Verba *Misereatur... Indulgentiam...* communius sine ullo peccato omitti possunt. Ita etiam *Rit. Rom.*—Item *Dominus N. J. C.*, etc., eo quod juxta Trid., excepta forma, aliæ preces *laudabiliter adjunguntur. Ex Rit. Rom. in confessionibus frequentioribus, et brevioribus omitti potest Misereatur, et satis erit dicere:* Dominus noster... *usque ad* Passio Domini... *exclusive.* Ita *S. C. R.* 27 *febr.* 1847, *S. Lig., n.* 425. Consultius erit nihil omittere; præsertim illud: *Passio D. N. J. C.*, etc., cum per hoc omnia bona opera pœnitentis probabiliter eleventur ad satisfactionis sacramentalis meritum. Manus elevatio, formatio crucis, capitis detectio, probabilius licite omitti queunt, etsi non præstet. (*S. Lig., n.* 425).

IV. Potest utique sacerdos plures simul absolvere; quippe ex se omnia ad validitatem reperiri queunt; imo et licite in necessitate, v. g. ante prælium, aut in ipso, in naufragio, etc.; nam tot essent sacramenta, quot pœnitentes absoluti. *(Croix, n.* 645, *et alii omnes*, ait *Gury, n.* 428).

758. **Præsentia requisita ad validam absolutionem** est moralis, seu illa intra quam communi voce homines loqui solent, licet altiori. Id indicat ipsum pronomen demonstrativum *te, tuis*, et confirmat Clem. VIII Const. 20 jun. anni 1602, hanc proscribens prop.: *Licet per litteras, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Et prohibuit Pontifex sub excommunicatione lata Papæ reservata *ne ipsa tanquam aliquo casu probabilis defen-*

*datur, aut ad praxim quoquomodo deducatur.* Et Pius IX eam censuram confirmavit in Const. *Apostolicæ Sedis*, prohibens sub pœna excommunicationis latæ docere, vel defendere sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas. Ergo absolutio absentis est illicita, et invalida; secus urgente necessitate in praxim dedùci posset; nam leges Ecclesiæ non obligant cum gravi incommodo. *Ita communiter S. Lig., n.* 428. Imo id est accipiendum tum *collective*, tum *divisim;* scilicet tam si confessio, et absolutio in absentia fuerit acta, quam si confessio in absentia, absolutio autem in præsentia; aut e converso. Ita ex *S. O. C.*, 14 *jul.* 1605, probante *Paulo V.*

—Tamen sufficit præsentia moralis, quam multi extendunt ad 20 circiter passus, maxime si pœnitens non exierit a conspectu confessarii. Non autem valeret absolutio a janua domus infirmi, antequam ad ostium cubiculi iverit confessarius. *(S. Lig.)*. In necessitate absolvi, saltem sub conditione, *si es capax*, debet pœnitens, quoties aliquo sensu percipitur. *(Gury, S. Lig., n.* 429, *cum communi).* Hinc: 1.° Absolvendus est sub conditione ille, qui e turri, etc., cadere videtur, vel in flumen, aut in mare submergi; vel aliqua ruina sepultus clamat, et auditur; et semper ac dubitetur, an pœnitens sit præsens, aut vivus. *Tamb., n.* 13. —2.° Si pœnitens a confessario inabsolutus recedat (ut sæpe rudes et pueri faciunt), revocandus est, si commode fieri possit; secus absolvendus sine conditione, si parum distat; aliter sub conditione, etsi non videatur, si certo scitur intra vicinam turbam adesse.—3.° Si confessarius ob infectionis periculum, aut ob aliam causam, cubiculum infirmi non valeat ingredi, a janua illum absolvere debet. *Holzm., n.* 573. Non est necesse ut pœnitens verba absolutionis audiat, et tanto minus ut eadem intelligat. Imo consultius in aliorum præsentia submisse verba dicuntur, ne si aliquis sine absolutione dimittatur, id alii percipiant. *(Croix, S. Lig.) Del-Vecchio* affert *Sporer* dicentem, quod sacerdos oblitus absolutionem dare pœnitenti, postea eumdem communicaturus, dicat prius: *Ego te absolvo*, etc., et mox: *Corpus D. N. J. C.*, etc.—Ex *S. R. C.* 11 *sep.* 1847 in *Patav.* ad confessiones audiendas stola est adhibenda. Sed dicunt sub levi, ubi adsit consuetudo, et facilitas.

759. **Absolutio conditionata** (si es dispositus, vel capax) valida est sub conditione de *præsenti*, vel de *præterito* impertita, modo cætera adsint requisita; nam impleta conditione, forma evadit absoluta. *(Ita omnes, ait S. Ligor., n.* 431). Imo sententia hæc semper est ex natura sua conditionata, etsi absolute detur; pendet enim effectus ab occultis dispositionibus soli Deo notis. E converso communiter docent AA. invalidam esse, si conditio sit de futuro. *S. Ligor.* Verum per se sub gravi prohibetur ob reverentiam sacramento debitam, etc., nisi aliqua adsit causa. Hinc absolutio conditionata conferri potest ac debet, quoties absolute concessa sacramentum exponeret periculo nullitatis; et absolute negata pœnitentem notabili bono spirituali privaret, etsi non necessaria appareat; aut ipsum exponeret periculo gravis damni spiritualis.

Hinc debitis conditionibus servatis, urgente necessitate semper licet: 1.° In *dubio de jurisdictione ex parte confessarii*, si aliter pœnitens diu carere debeat absolutione; modo ipsi manifestetur conditio. *(S. Ligor., n.* 432).—2.° In *dubio an vivat pœnitens ;* vel *an sensibus destitutus sit christianus*, vel *absolutionis capax*, omnibusque moribundis, nisi certo

constet de indispositione, vel de dispositione; v. g., in prælio, naufragio, partu periculoso, etc. *(Ita fere omnes cum S. Lig., l. c.).*—3.° In *dubio an pœnitens, qui mortale aliquod confessus, sit rite absolutus necne.*—4.° In *dubio de materia necessaria, aut sufficienti* in annua confessione, et Communione, aut alias præcepta.—5.° In *dubio de dispositione pœnitentis per verum dolorem et propositum,* non tantum in extrema, sed etiam in simpliciter gravi necessitate spirituali, v. gr., si prudenter timeatur, quod peccator ille, etsi recidivus sit, non amplius ad confessionem redibit, vel in peccatis suis tabescet, aut in majora delicta, vel ad hæreticos transiliat, vel ab Ecclesia, a sacramentis, a bonis operibus se avertet.—Item si pœnitens sit magnæ auctoritatis, ita ut absolutus, plures ad bonum, non absolutus plures ad malum trahet.—Item si accedant sponsi dubie dispositi, sacramentum contracturi, cum aliter sint illud certo profanaturi, denegata absolutione. *(Ita probabiliter, et communius Scavini, n.* 347, *Croix, Gury, Schilder, n.* 439, *S. Ligor., n.* 432). Nec obstat quod sic absoluti communicent, eorum Communio non erit sacrilega; supponimus equidem illos in bona fide versari.—6.° In *dubio usus rationis in pueris, amentibus,* etc., non solum cum versantur in periculo mortis, vel urget annuæ confessionis præceptum, aut aliquod mortale perpetraverint, ut *communissime* dicunt AA. cum *Less., Lugo, S. Lig.;* sed etiam extra tempus mortis, et præcepti, si confessi sunt aliquod dubium mortale, *ut verius dicunt Spor., Mazz., Lay.,* ait D. Lig., l. c.; *eo enim in casu non solum adest justa causa utilitatis, ne pœnitens privetur gratia sacramentali, sed etiam necessitatis, ne forte ille maneat in mortali ;* aliunde deest spes melioris dispositionis, redeundo post aliquod tempus, quod non evenit in usum rationis habentibus. Imo probabiliter dicunt *Spor., Mazz., Dian., Lugo, etc.,* posse absolvi sub conditione hujusmodi pueros, etsi afferant peccata tantum levia, præfata ratione.

---

# CAPUT VIII.

## De pœnitentiæ ministro, ejusque approbatione, et jurisdictione.

760. Minister pœnitentiæ est *omnis, et solus sacerdos, qui ex potestate sibi divinitus data, ac ipsius Christi personam gerens, fidelium peccata dimittit,* cum Apostolo repetens: *Dedit nobis ministerium reconciliationis.* (II Cor., v). *Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. Et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt,... anathema sit.* Trident., *sess.* 14, *can.* 10, contra wiclefistas, valdenses, et protestantes. Ratio confirmat; nam solis Apostolis, eorumque in ministerio successoribus, hoc instituens Christus sacramentum, talem dedit facultatem, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (Joan., xx): quæ virtus solius ex Christi meritis,

omnino independenter a ministri vitiis, aut virtutibus operatur.—Hæc potestas sacramentalis, et immobilis in ipsa ordinatione presbyteratus accipitur *in jure*, sed non *jurisdictionalis*, seu *in re;* ad quam, citra necessitatis casum, omnino requiritur Ordinarii approbatio, et jurisdictio; nam absolutio est sententia judiciaria, quæ ferri nequit nisi in subditos. Unde concludit Trid., sess. 14, cap. 7: *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ergo invalida est talis absolutio.

761. I. **Approbatio confessarii** definitur: *Authenticum Ordinarii judicium, quo sacerdos idoneus declaratur ad confessiones audiendas.* Non requiritur examen, sed sufficit prudens judicium de idoneitate, vel deputatio Ordinarii. Circa hoc judicium, non tantum scientiam, sed etiam sanctitatem, ac prudentiam attendere oportet. Penes latinos, ubi viget *Trid.* disciplina, necessaria est hæc approbatio, ut aliquis etiam regularis, licite et valide confessiones excipiat, nisi habeat curatum beneficium. Constat ex Trid., *sess.* 23, *c.* 15 de Ref., et ex sensu omnium theologorum. Apud græcos sufficit ordinis sacerdotalis litteras Ordinario exhibere, (etiam quoad latinos missionarios), dum in ipsa ordinatione jam accipit sacerdos facultatem, et jurisdictionem absolvendi. (*Ita Vericelli, Tit.* XV, *q.* 223).

II. Ad solos Prælatos, ac Ordinarios jurisdictione in foro interno, ac externo pollentes spectat confessarios approbare; nam approbatio est actus jurisdictionis, quæ potestatem in subditos delegat. Ita *Trid., l. c.* Potest Ordinarius approbare, sive per se, sive per alios; nam jurisdictio ordinaria delegari potest. (*S. Lig., n.* 550-558). Unde approbatio danda est ab Ordinario loci, in quo excipiuntur confessiones, non vero a Prælato pœnitentis. Ita ex communi fidelium praxi, ex Bullis Innocent. XII. *Cum sicut,* an. 1700, et Bened. XIV, *Apostolica indulta,* constat. Inde etiam sequitur, approbationem petitam, ac negatam minime sufficere; idem dicendum de regularibus ad audiendas sæcularium confessiones, nisi de eorum familia sint, ut habent *Trid., l. c.,* Inn. XIII, Bulla *Apostolici ministerii, S. Lig., n.* 549. Hinc Episcopus hodie ex consuetudine approbare potest quemlibet idoneum in sua diœcesi actu existentem, etsi transeuntem tantum. *Gury, n.* 544, *Ballerini, cum communi.*—Item Episcopi, ut veri delegati Sedis Apostolicæ, ad tuendam clausuram monialium, etiam exemptarum, possunt reservare sibi casus circa clausuram, ex *S. C. C.* 16 *nov.* 1720.

III. *Communius, et verius* Episcopi Vicarius, semel electus, habet etiam facultatem approbandi, ac etiam delegandi; nam supposita nominatione, ordinaria jurisdictione ab ipso jure gaudet, tum in civilibus, tum in spiritualibus, *quam coarctare nequit Episcopus, nisi ab ipso jure sit limitatio facta. (Ita Azor., Sanch., Silv., Fagn., Scav., n.* 353, *S. Lig., n.* 568, *et alii*).—Excipe casus a jure, uti hæresim, vel ab Episcopo specialiter reservatos, a quibus sine speciali Episcopi commissione Vicarius absolvere nequit. (Ita *communius S. Lig., n.* 558).—Hinc etiam capellani castrenses, etsi majores regii sint, approbatione Ordinarii loci, vel Papæ indigent ad audiendas militum confessiones; illi quippe a civili auctoritate instituti nullam habent approbationem, et jurisdictionem ecclesiasticam, nec ratione sui tituli: sic Clemens XII, Brevi 4 febr. 1736, precibus Philippi V Hispaniarum regis inclinatus, facultatem concessit majori capellano ab ipso pro

tempore deputato, per se, vel per alios sacerdotes idoneos in examine a se approbatos, et subdelegandos sacramentaliter absolvendi milites a quibusvis peccatis, et censuris, nec non alias utriusque sexus personas ad regios exercitus spectantes. Eamdem facultatem concessit Bened. XIV, 28 maj. 1746, majori capellano Caroli-Emmanuelis. Excipiunt si milites in itinere, vel in castris sint, ex tacito consensu Episcoporum, ut habet consuetudo. *(Bouvier, Bouix, Del-Vecchio, n.* 474).

En España los pastores castrenses pueden ejercer respecto de sus feligreses todas las funciones y ministerios parroquiales como verdaderos párrocos con la sola restriccion del sacramento del Matrimonio, segun es de ver en el reglamento de 1867, y en la proroga de Pio IX de 16 marzo de 1869.

IV. Episcopus libere potest iterum ad examen revocare confessarios etiam regulares, ac facultatem datam valide quoque sine causa revocare, restringere ad locum, tempus, personas, prout ipsi placuerit, quin teneatur de hoc rationem reddere; agit equidem in re sua. Idem potest ad examen revocare parochos, etsi sint regulares, ab antecessore examinatos, etiam extra visitationem ex *S. C. C.*, et ex Bened. XIV, *Notif. IX, n.* 16. — Idem ex eadem *S. Cong.* dicendum, si agatur de examinatis ab ipso Episcopo, *quando adsit vehemens suspicio de illorum imperitia, ac etiam extra visitationem, quin judiciales probationes imperitiæ præcedant.* Hinc ab Alexandro VII hæc n. 13 prop. fuit damnata: *Præcepto annuæ confessionis satisfacit, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. (Scavini, n.* 472). Id ipsum valet Vicarius Capitularis, ex *S. C. C.* 5 *febr.* 1688. Sed si a defuncto Episcopo sacerdotes talem obtinuerint facultatem, et revocatio grave gigneret incommodum, ad S. Cong. fiat recursus. Ita *S. C. Ep. et Reg.* 19 *jun.* 1306.

V. Causæ approbationem limitandi ad tempus sunt: 1.° temporanea necessitas confessariorum:—2.° ad experiendum, quomodo se gerant in excipiendis confessionibus:—3.° desiderium majoris scientiæ ad perpetuam approbationem: 4.° prudens timor ne post obtentam approbationem perpetuam studium negligant. *Gury, n.* 542. Hisce causis potest Episcopus concessam approbationem valide et licite revocare. *S. Ligor., n.* 571.

762. **Jurisdictio** hic intelligitur *potestas sententiam in subditum ferendi in conscientiæ tribunali.* Hæc ab approbatione est orta, et una simul tribuitur *quoad rem*, sed non semper *in re.* Duplex est, *ordinaria,* scilicet, et *delegata.* 1.ª est *quæ alicui competit ratione officii, animarum curam annexam habentis*, uti Papæ, Episcopis, Archiepiscopis, cum visitant sufraganeorum subditos, prælato regulari, et parocho pro suis subditis in foro tantum interno.— 2.ª vero *est quæ tacite, vel expresse legitime alicui confertur ab habente primam*, parochis exceptis; hæc enim potestas tota summis sacerdotibus commissa est. Unde parochus ex S. C penes *Scavini*, neque alienæ diœcesis, neque suæ ipsius alium parochum ad excipiendas confessiones propriorum subditorum vocare potest; porro quilibet parochus pro una, vel pro determinatis tantum parœciis est approbatus, et non habet nisi nudam administrationem. Tamen ex consuetudine hodie fere ubique recepta omnes parochi, viceparochi, et coadjutores titulares, quamdiu suo munere funguntur, confessiones accipere valent in tota diœcesi. Imo qui gaudent ordinaria potestate, uti Episcopi, et parochi, possunt etiam in aliena diœcesi, suos subditos ab-

solvere; secus qui habent delegatam jurisdictionem. (Ita S. C. 3 *dec.* 1707, et *Const.* Apostolicum *Benedict. XIV, Gury, n.* 541).

Idem dicunt *aliqui* contra *Ferraris, n.* 69, etc., de Pœnitentiario cathedralis; cum ipse a jure, et a *Trid.* jurisdictionem habeat, et sit veluti parochus totius diœcesis; quod non currit de vicariis foraneis, seu archipresbyteris quoad vicariæ oves, quæ suæ propriæ parœciæ non sunt.

763. **Jurisdictio ordinaria alteri delegari potest**; quia delegatio est actus proprius ordinariæ potestatis. Delegata jurisdictio acquiritur *ab homine*, et *a jure*. 1.ª est *cum Ordinarius illam alteri committit; vel alteri licentiam concedit confessarium sibimet eligendi.* Sed jurisdictio ad audiendas confessiones non potest delegari nisi sacerdoti ab Episcopo approbato, ut n. 761 diximus. *(Gury, n.* 546). —2.ª vero est *cum jus, vel legitima consuetudo certis personis permittit ut absolvant, vel ut ab electo confessario ubique absolvantur. Ex jure* privilegium eligendi sibi confessarium habent: 1.° *Episcopi*, etiam *titulares*, modo sint *confirmati*, etsi nondum *consecrati; prælati minores exempti*, et *superiores regulares locales*, non autem *parochi;* contraria prop. ab Alexandro VII n. 16 est damnata. Unde Episcopi conducere secum possunt subditum confessarium jam approbatum, et ei confiteri etiam in aliena diœcesi: secus confiteri tenentur cum approbato ab Ordinario illius loci. Ita S. C. apud *Fagn.* et *Greg. XIII*, 1 *dec.* 1532.—2.° Ex consuetudine *reges*, et *principes*, sed pro se tantum, non pro familia; *domestici Pontificis*, et *Cardinales*, qui tantum Romæ degentes præterea confessarium eligere possunt quoque propriæ familiæ, quem possunt etiam extra Romam pro se conducere. *S. Lig., n.* 544, 565).

Hæc delegata jurisdictio subdelegari nequit, sine speciali delegantis commissione, nisi quis substituatur in locum ordinarii pastoris cum universali delegatione. *(S. Lig., n.* 566).

764. **Potestas delegata expirat**: 1.° *morte*, vel *dimissione delegantis*, si particularis, vel limitata sit delegatio, v. gr., audiendi alicujus personæ confessionem, nondum hac suscepta.—2.° Per superioris *revocationem*, aut *per lapsum temporis præfixi. (Gury, n.* 546, *Scav., S. Lig., n.* 558). – Si *delegatio sit generalis*, nullisque terminis definita sive a Papa, sive ab Episcopo, non extinguitur per mortem delegantis; nam *decet concessum a principe beneficium esse mansurum*, quod firmat vulgare adagium: *gratia facta non expirat morte concedentis*, nisi successor eam revocet. Ita fert universalis consuetudo, ac communis sententia.—Idem si facultas sit concessa ad *beneplacitum Sedis*, quæ non moritur, vel *donec revocavero;* tunc requiritur revocatio.

— Secus est dicendum si concedatur facultas cum clausula: *donec voluero*, vel *dum ferat nostra voluntas*, vel *ad arbitrium nostrum*, vel *dum nobis placuerit;* nam extincta, vel dimissa persona, ejus extinguitur judicium, et voluntas. *(Gury, n.* 546, *Scavini, n.* 352, Bened. XIV Const. *Inter præteritos, S. Lig., n.* 559). *S. C. Episc. et Reg.* 19 *jun.* 1806, putat per clausulam *ad beneplacitum nostrum* jurisdictionem non extingui morte concedentis, et ita fert usus.

765. **Quoad pœnitentiæ sacramentum quis alteri fit subditus**: 1.° Ob *domicilium*, vel *quasi-domicilium ;* sed hodie *ex consuetudine* id non requiritur, nisi sermo sit de censura reservata, vel in fraudem re-

servationis e propria diœcesi fiat discessio. Sic ex universali Ecclesiæ consuetudine. *(Scavini, n.* 355, *S. Lig., n.* 588).

2.° Ob *status privilegium,* uti sunt novitii, et sæculares monasteriorum familiares, diu noctuque ibi manentes ac nutriti, qui a confessariis regularibus absolvi possunt, ex Const. *Superna* Clem. X. *Scav., n.* 355.

3.° Ob *mortis articulum,* ne quis hac occasione pereat. *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere.* Ita Rituale Rom. Unde periculum ab articulo mortis jura non distingunt; et in moralibus idem fere sonat. Ita *communissime, et verius.* Articulus mortis ille dicitur, *quo mors certo, vel saltem probabilius proxime secutura prævidetur.*— Periculum vero mortis, *cum solidum dubium mortis proxime secuturæ occurrit ex frequenter contingentibus;* v. gr. in gravi morbo, tempore pestis, difficili partu, in prælio, operatione chirurgica ardua, longa navigatione, in captivitate apud infideles cum exigua spe libertatis, et alios confessarios inveniendi. *(Stapf, S. Lig., n.* 561). Generatim parochus in determinando periculi gradu non sit anxius; sufficit justus timor, ne morbus iste progrediatur in mortem: moneat etiam populum, ut in casu infirmitatis mature sacramenta petant, ne morbo ingravescente, ægroti minus dispositi inveniantur. *(S. Lig., n.* 561).

4.° Ob *errorem communem* cum titulo *colorato;* tunc enim supplet Ecclesia ad commune bonum. 1.° *Error* tamen esse debet omnium, vel fere omnium in loco commorantium, credentium jurisdictionem habere talem sacerdotem.—2.° *Titulus* verus coram hominibus apparere debet, quia est collatus a legitimo superiore, vel modo ordinario acquisitus; sed ob aliquem latentem defectum invalide, v. g. eo quod intercessit simonia. *Scavini, S. Ligor., n.* 572, et *jus canon.* Hoc valet sive ordinariam, sive delegatam quis habeat jurisdictionem; imo etsi confessarius agnoscat, se jurisdictionem non habere; quia ante elapsum tempus a superiore revocatur jurisdictio; vel quia scit, se, vi sententiæ secreto sibi intimatæ, ab audiendis confessionibus esse suspensum; dummodo hæc non cognoscantur a communitate: tunc etiam privati, qui noscunt tituli defectum, possunt valide illius ministerio uti; jura quippe nonnisi ad communem errorem attendunt ob bonum commune. *Scav., n.* 480, *Ballerini, n.* 548.

Probabiliter etiam supplet Ecclesia, si adsit *error communis* cum *titulo existimato,* seu *ficto,* eadem ac supra ratione. (Ita *Suar., Lugo, Bon., Dian., Less., Bill., Gury, n.* 548, *aliique plurimi* contra *Bus., Silv., Nav., Scav., n.* 479, etc.) Tamen non censetur supplere Ecclesiam, si error sit privatus; cum in hoc solum attendatur ad bonum commune; secus errores fovere videretur. (Ita *communissime).* Id confirmat *S. C. C.,* 11 *dec.* 1683 interrogata, an capuccini, qui in pataviana diœcesi confessiones exceperant, aliqui in aliena diœcesi approbati; alii vero ab Episcopo patavino ad annum, sed jam elapsum, valide absolvissent, quæ respondit: *Illicite et invalide confessiones excepisse, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.* Hinc qui in aliquod officium falsis litteris intruditur, vel delegatam jurisdictionem exercet ultra tempus assignatum, vel qui titulum a non superiore, aut a superiore, ast extra limites signatos obtinet, nulliter agit. *Scavini, Bened. XIV, Notif.* 84, *S. Lig., n.* 572.

766. Q. *An sacerdotes hæretici, schismatici, excommunicati, suspensi, irregulares, interdicti, apostatæ a vera fide, vitandi, degradati, ab Ecclesia abscissi, intrusi valide absolvant?*

R. I. Invalide absolvunt citra necessitatis casum, cum ex ipso jure priventur jurisdictione.—Valide autem in mortis articulo, alio deficiente sacerdote, et licite si per contritionem gratiam recuperent; nam urget ratio, ne hac occasione quis pereat. Constat ex declaratione Pii VI, 1 apr. 1794, et Inn. XI, qui præcepit non amplius dubitandum de veritate hujus sententiæ; ex *Rit. Rom.*, ex communi DD. sententia, *S. Lig.*, *n.* 560, duce, et ex Trid., *sess.* 14, *cap.* 7. Si parochus sit ab officio nominatim suspensus, sed nondum publice ut talis fidelibus denuntiatus, valide et licite ab eo sacramenta petere valent, et ipse absque incursu in irregularitatem ea conferre etiam citra necessitatem juxta *Tolet.*, *Henriq.*, *Monacelli*, *Giraldi*, etc.

II. Communissime docent non posse absolvere, nec in mortis articulo, simplicem sacerdotem, approbato ibi existente. Constat 1.° Ex Rit. Rom. *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris, et peccatis absolvere.*—2.° Ex Catechismo Rom., et ex ratione; nam tunc cessat ratio alterius approbati vices gerendi, ob quam solum ipsi facultas est data. Etsi ex Trid., sess. 14, c. 7, *nulla sit reservatio in mortis articulo: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possint;* tamen, ut patet ex contextu, et ex *S. Conc. Cong.* penes *Fagnanum*, loquitur Concilium de sacerdote, qui confessarius jam sit, et facultatem non habet quoad reservata, cui quidem in mortis articulo datur; vel etiam de simplici sacerdote, eo deficiente: illi datur ut, præsente etiam superiore, a reservatis absolvere possit; huic vero, ut ab omnibus absolvat, sed primo deficiente.—Unde licet plurimi AA. aliter sentiant, in praxi hæc sententia est tenenda, ne æterna salus infirmi exponatur. *(Scavini, n.* 356, *S. Lig., l.* 6, *n.* 562).

—Excipe 1.° Si approbatus non posset, aut nollet absolvere; aut esset excommunicatus, vel suspensus vitandus; aut non esset approbatus in illa diœcesi; vel approbatus, sed complex in peccato turpi cum pœnitente, ex Bened XIV. *S. Ligor.*, *n.* 563.—2.° Si approbatus superveniat, incœpta confessione penes non approbatum, vel si apud hunc invalide facta sit confessio, ratione inchoati judicii; idem communius dic si, cœpta heri alterius confessione, et ob morbi gravitatem interrupta, hodie finita tua licentia audiendi confessiones, ipsam perfeceris; causa quippe incœpta, perdurat delegata potestas, donec terminetur. Secus si jam absolutus mortale oblitum postea confiteretur. *(S. Lig., n.* 562, *Scavini, n.* 357). —3.° Si infirmus approbato confiteri nequeat sine magno incommodo; ita ut incurrat periculum sacrilege confitendi, v. g. si horreat peccata confessario revelare, quia nimirum est ejus consanguineus, aut inimicus, etc. Id valde consonum est benignitati Ecclesiæ, ut docent *Scavini, S. Ligor.*, *ibid.*, *aliique cum D. Thoma.*

767. **Absolvere cum jurisdictione dubia, vel probabili.** Cum solide dubitetur, an confessarius jurisdictionem habeat quoad aliquem casum, nonnulli cum *Antoine* absolute negant valide absolvere posse; nam in sacramentis non licet uti opinione probabili.—*Alii* communiter cum *Lugo, Bon., Less., Croix, Viva, Salm., n.* 74 universe affirmant, ex

universali consuetudine sic absolvendi, ob quam acquiritur jurisdictio, vel supplet Ecclesia. — Verum *S. Ligor.*, *n.* 573, *et Scavini*, *Suar.*, *Barb. cum aliis plurimis*, sic distingunt: affirmant, si adsit gravis ratio; secus negant; sane non recte præsumi potest supplere Eclesiam velle, ubi deest gravis causa, et connivere meræ sacerdotum libertati. Insuper merito dubitari potest de præfata consuetudine, cum tanti theologi contra sentiant.

*Censetur autem gravis causa :* 1.° Si urgeat præceptum annuæ confessionis, vel singularis indulgentia lucranda; vel sacerdos ex obligatione celebrare, vel communicare teneatur, et aliter infamiam incurreret, nec adsit alius jurisdictione certa gaudens.— 2.° Si pœnitens diu remanere debeat in mortali, vel patefacere complicem, adeundo alium confessarium. —3.° Si confessarius prudenter timeat, ne aliter pœnitens sacrilege confiteatur.—4.° Si pœnitens auxilio talis confessarii indigeat. *(S. Lig., n.* 573, *Varceno, cum communi). Sporer* addit, si pœnitens incidat in aliquam aversionem certi confessarii.

—Rationabilem esse causam sentiunt *Gobat, n.* 120, *Ballerini, Varceno*, *p.* 163, cum agatur de probabili jurisdictione circa absolvendi facultates concessas, aut vi privilegii, indulti, aut occasione alicujus jubilæi, etc., quando postquam bona fide cœpit confessarius audire confitentem, oritur dubium circa unum, vel alterum peccatum; ac proinde nisi utatur probabili jurisdictione, pœnitens cogatur apud alium iterare confessionem; tale onus bis confitendi eadem peccata semper doctoribus gravissimum est reputatum; adeo ut saltem ab integritate confessionis excuset; ergo... *Amill.*, *Præpos.*, *Richar.*, apud *Dian.*, *n.* 3, et apud *Ballerini, n.* 576.

768. **Jurisdictio præsumpta.** Quum signa indicant Ordinarii consensum de præsenti, v. g., quia sacerdos confessiones excipit, præsente, sciente, nec contradicente Ordinario, cum possit, habetur pro tacito consensu, expresso æquivalenti. Secus si indicant consensum de futuro; v. g., si præsumatur consensurum esse, si res sciret; valor enim sacramenti non suspenditur. *(S. Lig., l.* 6, *n.* 236 *et* 700, *cum communi).*

Sacerdos approbatus ab Episcopo *valide* audire potest confessiones fidelium sine venia parochi loci; ita equidem fert universalis consuetudo, et constat ex Decreto Clementis VIII an. 1592, apud Benedict. XIV, Inst. 18, n. 7: *Sancimus, tam dictis Fratribus... quam aliis privilegiatis prædictis, quibus id ab Apostolica Sede indultum est, idoneis tamen, et ab Ordinario approbatis, peccata sua etiam quadragesimali et paschali, et quovis alio tempore confiteri licite posse. (Gousset, n.* 478). — Ex se, seclusa consuetudine, illicite ageret confessarius, qui sine parochi loci venia, saltem præsumpta, confessiones fidelium audiret; quia ibi parochus est immediatus superior, et debitus ordo postulat, ut sacra ministeria, et omnia, quæ ad oves sibi commissas pertinent, minime exerceantur absque licentia sua, nisi parochus sit amicus, vel casus urgeat. vel agatur de sacello regularium, ubi sufficit venia loci superioris, vel superiorisæ. *(Gury, n.* 553, *Scavini, n.* 351. )

769. Q. *An valide absolvat, qui nuntium mittit Episcopo, vel litteras pro confirmatione facultatis, et eo tempore absolvit?*

R. Valide et licite absolvit, si certo sciat patentes esse renovatas, etsi illas nondum acceperit. Ratio patet. Secus illicite agit, cum sacramen-

tum nullitatis periculo exponat. Posset enim Episcopus confirmationem negare, restringere, vel ex aliquo accidenti illas non recipere, aut forte abesse. *Scavini, n.* 481.

*Peregrinorum absolutio.* Hodie sacerdos approbatus in aliquo loco, ac etiam regularis, excipere valet confessiones peregrinorum eo advenientium, vel aliarum parœciarum, aut diœceseon; neque Episcopus sub pœna nullitatis prohibere potest, ne subditi sui ad confitendum extra diœcesim pergant. Quoad regulares constat ex Const. *Superna* Clem. X; quoad sæculares, ex tacito consensu, vel melius ex universali consuetudine, et Ecclesiæ praxi; nam *hodie non amplius absolvuntur ex voluntate suorum Episcoporum* (peregrini), *sed ex voluntate Ecclesiæ, quæ, talem consuetudinem approbando, tribuit facultatem, ut habeantur ipsi tanquam incolæ loci ubi confitentur*, ait *S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 588. Unde deducit nihil posse confessarios loci quoad reservata peregrinorum, quæ hujusmodi sunt eo in loco ubi confitentur. Ita communius et longe probabilius *S. Lig. l. c.*

770. **Navigantium absolutio.** Quæsivit Episcopus *Nannetensis* a S. C. O.: *An sacerdotes iter transmarinum suscepturi, facultate ab Ordinario loci, unde naves solvunt, donari possent ad excipiendas fidelium confessiones tempore navigationis?* Responsum fuit 17 mart. 1869: *Posse sacerdotes iter arripientes ab Ordinariis locorum unde naves solvunt adprobari, ita ut, itinere perdurante, fidelium secum navigantium confessiones valide, et licite accipere valeant, usquedum perveniant ad locum ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit. Cavendum tamen ab ipsis Ordinariis, ne ejusmodi facultatem tribuant sacerdotibus, qui idonei non fuerint recogniti ad tramites Tridentini, sess.* 23 *de ref., cap.* 15, quæ resolutio approbata fuit a Pio IX.

771. **Regularium approbatio et jurisdictio.** Regulares proprie dicti, seu vota solemnia emittentes, ad audiendas confessiones tum suorum, tum sæcularium immediate a Papa jurisdictionem accipere solent, quæ singulis religiosis communicantur, accedente suorum superiorum delegatione. Constat ex Clement. *Dudum de sepulturis*; ex Decret. *Super cathedram;* ex communi theologorum sententia cum *Lugo, Croix, Bill., Gury, n.* 557. — Tamen sine Episcopi loci approbatione ex Trid., et ex Decreto Innocent. XII, an. 1700, sæcularium confessiones audire nequeunt. —Ipsi religiosi, saltem ordinarie, confiteri non valent extra *Ordinem suum* absque superiorum suorum consensu.—Extra monasterium degentes confiteri nequeunt nisi cum socio, si quem idoneum, vel alium confessarium sui Ordinis habeant; secus cum quolibet confessario. Ita *Gury, n.* 557, et *omnes*, ut ait *S. Ligor., n.* 575.

— Item regularis, qui habet legitimam facultatem a suo prælato eligendi sibi confessarium extra suum Ordinem, ratione itineris potest simplicem sacerdotem idoneum sive sæcularem, sive regularem non approbatum eligere, ut communiter docent *Suar., Sanch., Spor., Varceno, p.* 155, *S. Ligor., l.* 6, *n.* 575, *S. Antonin.* ex concessionibus Sixti IV, et Innocentii III. Regulares valide et licite absolvunt sæculares ex sola Episcopi venia, inscio parocho, ac eorum superiore; secus invito superiore, qui juxta Constitutiones cujusque instituti proprias potestatem habet confessarios constituendi, si Episcopus tantum intenderet dare approbationem, et superior auferret jurisdictionem; tamen modo, qui in hodierna praxi est, bene potest Episcopus libere agere circa hoc, jurisdictionem

conferendo, et approbationem. *(Bill., Gury, n.* 562). Hæc doctrina confirmata est recenti S. C. E. et R. declar. apud *Acta S. Sedis*, vol. 1, pag. 683.— *Communiter* contra *paucos* dicunt posse regulares confessiones suorum alumnorum, seu convictorum audire, saltem si superior collegii seu convictus id declaret: in praxi *tuta est hæc sententia,* ait *Gury;* patet ex doctrina *S. Ligorii* circa privilegia. Ratio, quia habentur, et sunt eorum *familiares. (Ita Pelliz., Pichler, Schmalzgr., Ballerini, Gury, n.* 564).

772. **Jurisdictio quoad moniales** specialiter ab Ordinario loci, ubi monasterium existit, accipienda est ad earum audiendas confessiones, licet exemptæ sint; nisi Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habeant, vel jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exerceant, (ex Trid., sess. 25, cap. XI) in quo casu a suo proprio superiore præsentatur confessarius, et ab Ordinario loci approbatur; et pro uno monasterio approbatus, confessiones monialium alterius valide accipere non valet, nisi in genere pro monialibus fuerit approbatus. Ita ex Bulla Greg. XV, *Inscrutabili,* ex Bened. XIV Bulla *Pastoralis*, 27 mart. 1726, et ex Bulla *Superna* Clem. X, an. 1670.— Probabilius et communius moniales exemptæ non incurrunt casus ab Episcopo reservatos; quia extra ejusdem jurisdictionem sunt, clausura excepta: approbatio autem confessarii tantum respicit ejus idoneitatem. *S. Lig., de privil., n.* 67.

Ex *S. C. Ep., et Reg., 20 sept.* 1642, *et* 6 *maj.* 1859, ordinarius monialium confessarius approbari nequit nisi pro triennio, quo elapso non valet amplius in eodem monasterio confessiones audire, sine S. C. licentia ex pluribus decretis *S. Cong. Reg.,* non obstante qualibet consuetudine in contrarium. Neque assumi debet uti extraordinarius, nisi confirmationem obtineat a *S. C. Ep. et Reg. Gury, n.* 565, *S. Lig., n.* 577. At ex *Bouvier,* hujusmodi restrictiones non ubique vigent; et tunc approbatio valet usquedum verbis, aut factis revocetur. Etiam extraordinarium substitui oporteret; alias non habetur finis hujusmodi electionis (*S. Ligor., n.* 577).

*Præter ordinarium autem confessarium, alius extraordinarius ab Episcopo. et aliis superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Ita *Trid., sess.* 25, *cap.* 10. Item in articulo mortis cuilibet moniali postulanti concedi debet ab Episcopo confessarius particularis, vel a prælato regulari, si monasterium est exemptum; et deficiente, vel recusante prælato regulari, posse et debere Episcopum supplere; recusante autem Episcopo, dandum esse a Pœnitentiario Majori, si tempus suppetat, declaravit Bened. XIV, Bulla *Pastoralis*, 5 aug. 1748. Et si tempus non suppetat, v. n. 777.—Non vetat Concilium plures offerre extraordinarios confessarios, nec pluries, licet consultius pauci, electique assignentur; nam *ubi multitudo, ibi confusio.* Profecto pauci, electi, ætate, maturitate, scientia et sanctitate conspicui sunt deputandi confessarii monasteriis monialium. Moniales singulæ ex Bened. XIV, l. c., saltem se præsentare tenentur ad extraordinarium confessarium ad salutaria monita audienda. Ratio est monialium libertas, ne quid inordinatum contingat.—*S. Pœnitentiaria* facultatem fecit monialibus recurrendi, si Episcopus extraordinarios confessarios non assignet. Imo monet, ut Episcopus facilem se exhibeat, si monialis aliqua extraordinarium petat. Hæc erat mens et doctrina *S. Teresiæ,* experientia edoctæ.

—Confessarius accedere adigitur ad monialium confessiones audiendas toties quoties vocetur. Ita *S. Cong. Ep.* 1705. Se gerere non debet uti superior monasterii, cum ipsi non competat talis auctoritas ex *S. C. Ep. 7 sept.* 1797.

Quo tempore extraordinarius officio suo fungitur, *confessor ordinarius nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multoque minus præsumat per id temporis alicujus monialis sive superiorissæ, sive novitiæ, sive conversæ, neque demum alterius cujuscumque personæ intra septa monasterii, aut piæ domus commorantis sacramentalem confessionem audire.* Bened. XIV Const. *Pastoralis curæ,* 5 aug. 1748.—Extraordinarius autem, semel expleto officio suo, ulterius ad monasterium accedere non debet ullo prætextu spirituale commercium continuandi. Ita *Scavini, n.* 393.—Curent tum confessarii, tum sacerdotes alii, ne tempus in monialium *locutoriis* teratur; sine enim omnium præjudicio, vel periculo esse non solet.

—Benedict. XIV enixe Episcopos hortatur, ut ad quaslibet fœminarum communitates, v. g., sorores charitatis, leges *C. Trid.* circa extraordinarios confessarios extendant. Ita ex pluribus decretis S. C. E. et R., præsertim 12 *febr.* 1839, *et* 27 *sept.* 1861. *(Gury, n.* 568). Et revera eadem currit ratio.—Quoad moniales hodie in Gallia claustratas, etsi solemnia non emittant vota, eamdem etiam currere rationem videtur ac antea, ut ait *Gury.*—Moniales dum casu extra monasterium versantur, a quolibet confessario absolvi possunt; quia prohibitio est pro monialibus in monasterio degentibus; et nimis durum videretur, ut moniales peregrinæ sacramentis carere deberent, aut ad monasteria frequenter confugere. *(Ita Gury, n.* 569, *Croix, Scavini, n.* 393, *et S. C. Episcop. et Reg.* 27 *aug.* 1852).

# CAPUT IX.

## De casuum reservatione.

773. **Reservatio casuum** est *potestatis restrictio absolvendi a certis peccatis, facultate tamen facta absolvendi ab aliis.*—Reservationis finis est arcere facilitatem ea crimina committendi, et gravius ipsa punire. *Potest Ecclesia casus reservare.* Constat 1.° ex Trident., sess. 14, c. 11: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.*—2.° Ex ratione: qui enim potestatem conferre valet, ipsam et limitare potest.—Papa pro tota Ecclesia; Episcopi pro sua diœcesi; regulares, aliique ordinaria pollentes externa etiam jurisdictione pro suis subditis. (Ita *omnes).*

**Reservatio immediate afficit confessarios, et nonnisi indirecte pœnitentes,** ut communiter docent *Gury, S. Lig., n.* 580-581 ex Trid., ses. 14, c. 7, ubi ait: *Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere, SSmis. Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam... crimina, non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolvantur... Extra quem articulum* (mortis) *sacerdotes, cum nihil possint*

*in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores,.... pro beneficio absolutionis accedant.* Ast ne sacramenti administratio nimis difficilis reddatur, expedit, ex *S. C. Ep. et Reg.*, 26 *nov.* 1602, eam limitare (hodie præsertim). Unde non censentur reservata crimina nisi sint: 1.° *Mortalia*, et *certa* ratione sui objecti, et ratione malitiæ ex parte voluntatis ac intellectus. Unde si quis certo reservatum commisit peccatum, sed dubitat, an in eo committendo revera graviter peccaverit, scilicet, an cum plena deliberatione, vel gravi metu egerit, reservationem non incurrit; et si tunc illud confiteatur, licet simplici confessario, communius docent pœnitentem illum omnino liberari a reservatione quamvis postea illud agnoscat uti mortale; vel alias certo reservatum; ablato enim directe peccato, ablata est etiam omnis reservatio. *(Scavini, Gury, S. Lig., n.* 600).—2.° *Externa gravia* secundum se: unde si interne sit grave peccatum, externe autem leve tantum, abest reservatio.—3.° *Consummata in genere suo,* et non simpliciter attentata, nisi aliud exprimat reservans: unde qui percussit, aut venenum dedit, vel abortum procuravit, antequam mors eveniat, a simplici confessario absolvi potest, nec deinde iterum superiori confiteri tenetur, cum prima vice directe absolutus fuerit. *(Scavini, n.* 361).—4.° *Certe commissa,* et *certe reservata;* nam possidet facultas absolvendi, et *odia restringenda:* et sic, si quis grave quidem commisit, sed dubium est, an reservatio ad illud se extendat, nisi reservatio hos exprimat casus, sub reservatione non cadunt. (Ita *communiter cum Vareeno, Gury, Ballerini, n.* 570 *et* 572, *S. Ligor., n.* 582 *et* 600). Excipiunt, si dubitetur an clerici percussio fuerit notabiliter gravis in genere suo, seu enormis an non: tunc ex Extrav. *Perlectis,* non potest Episcopus absolvere, sed fiat recursus ad Papam. *S. Ligor., n.* 600.

774. **Casus reservantur ratione sui, et ratione censuræ.** *Papales* duo tantum reservantur ratione sui, et sunt: 1.° *Cum quis calumniose per se, vel per alios denuntiat, vel accusat de sollicitatione innocentem sacerdotem,* ex Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ* Benedict. XIV.—2.° *Cum quis accipit a regularibus utriusque sexus dona plus* 10 *scutorum romanorum excedentia, quousque non restituat religioni, si commode possit,* ex Clemente VIII, et Urbano VIII. Excipitur si ob præstita quælibet beneficia, vel ob eleemosynam, devotionem, gratitudinem, conciliationem, benevolentiam, ejusque conservationem erga Conventum, modeste, et cum debita licentia fiat. Nulla imponitur censura religiosis, sed aliis ab his accipientibus. *Casus cum censura reservati,* tum *speciali modo,* tum *simpliciter* habentur. T. I, n. 257 et 258.

775. **Casus Episcopo reservati** alii sunt ratione *censuræ,* et hi de jure communi, qui assignantur T. I, n. 259. Alii vero *ratione sui,* etsi forsan censura illis adnectatur, jure diœcesano habentur in peculiaribus cujusque diœcesis statutis. In aliquibus diœcesibus, uti in hac Cœlsonensi 12 habentur casus reservati ratione sui, nempe:

I. *Defloratio virginum per vim facta;* et requiritur 1.° completus concubitus, saltem ex parte deflorantis:— 2.° virginitas in deflorata:—3.° usus rationis:—4.° vis physica, vel moralis, quæ semper præsumitur efficax causa damni.

II. *Raptus virginis:* requiritur 1.° violentia erga virginem, vel patrem ante 25 virginis annum, in cujus potestate ipsa vivit, ut tenet *Billuart:*—

2.° matrimonii, vel libidinis causa:—4.° violenta virginis positio in raptoris potestate. - Rapiens per fraudem, vel dolum, vel si consentiat virgo, aut ob causam non libidinis, nec matrimonii agens, in reservationem non incidit; nec mulier virum rapiens; quia *odia restringenda.*

III. *Incestus in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis.* Opus est 1.° concubitus consummatus, saltem ex parte pœnitentis;—2.° pubertas; —3.° consanguinitatis, vel affinitatis scientia, et ejusdem gradus. Non autem requiritur virginitas; nam hic solum ad pietatem attenditur. Vir incestuosus suam uxorem cognoscens, hanc reservationem non incurrit; in primum quippe incestum pœna est tantum imposita; ast privat jure petendi conjugale debitum, si incestum cum consanguineis alterius partis fuerit.

IV. *Falsificatio sigilli, et litterarum curiæ ecclesiasticæ.* Requiritur: 1.° signum falsis litteris imprimere ob pravum finem; —2.° falsificare litteras dimissoriales, aut provisionales, aliquid addendo, radendo, omittendo, sensum in re gravi mutando. Sed non incurrit moraliter influens, scripturam comburens; porro de falsificatione tantum loquitur textus. (V. t. I, n. 259.)

V. *Homicidium voluntarium per se vel per alios, mandato, seu consilio, aut favore adhibito.* Necesse est: 1.° mors certo secuta;—2.° ex proposito facta; v. g. in duello. Non exclpiuntur fœminæ, (impuberes juxta aliquos), et cooperantes.

VI. *Crimen nefandum sodomiæ, et bestialitatis.* Opus est quoad sodomiam: 1.° indebitus sexus;—2.° usus rationis, ac pubertas;— 3.° actus consummatus, saltem ab agente;—4.° vas præposterum in viris; in qualibet parte in fœminis.—Quoad bestialitatem sufficit actus completus cum qualibet bestia, et sexu, et in qualibet parte. *Scavini, n.* 422.

VII. *Abortus procuratus, etiam effectu non secuto.* Requiritur: 1.° factum voluntarium, ac procuratum;—2.° fœtus in uteri possessione;—3.° probabilius dicunt, etiamsi non sit animatus, vel etiam ipsa mater procurans; etsi alii negant; non autem sufficit sterilitatis procuratio. (V. T. I, *n.* 259, et 890.)

VIII. *Piarum causarum defraudatio,* sive ratione furti, vel injustæ retentionis, sive ratione malæ voluntatis non solvendi pia legata, etc.

IX. *Incendium fructuum, et domorum, devastatio vinearum et arborum ex proposito facta.* Opus est devastatio enormis in arboribus, oleribus, vitibus, fructibus, domibus; non sufficit devastare virgulta, modo non sint teneræ arbores, sed vulgo *matorrales.* Attendatur ergo ad qualitatem, abundantiam, et valorem, ut prudens efformetur judicium. Probabilius reservationem non incurrit causa moraliter influens.

X. *Manus impia, et violenta filiorum, aut nepotum, in parentes, aut avos* (non autem venit huc vitricus, vel noverca); uti percutere, vim vi repellere, fuste, lapidibus, ictibus, etc. Item repulsio qua pater et mater in parietem allidantur, vel in terram dejiciantur. Item percussio vel repercussio quamvis in se levis; nam gravis existimatur ex personæ qualitate.

XI. *Testis falsum jurans in judicio.* Requiritur: 1.° testis verus falsum materialiter, et formaliter jurans;—2.° animus jurandi;— 3.° judicium legitime, et civiliter tale; et probabilius penes judicem legitimum, ac legitime interrogantem; nam *requiritur culpæ complementum.*—4.° Reservationem incurrunt testantes de visu, cum testes sint de auditu, vel utentes

æquivocationibus, amphibologiis, vel mentali restrictione, nisi sint ipsi rei, et de se ipsis agatur.

XII. *Vir, et uxor, qui sine judicio Ecclesiæ vivunt ad invicem separati.* Necesse est: 1.° separatio ex animo perpetua; — 2.° completa separatio, seu quoad torum, et habitationem; secus Ecclesia judicare non posset; — 3.° separatio absque mutuo consensu (nisi in primo bimestre ob vitæ perfectioris desiderium), vel absque judicio Ecclesiæ; — 4.° separatio per aliquot dies: dicunt non sufficere tres dies ad reservationem incurrendam; — 5.° injusta separatio ex parte pœnitentis, v. gr. ob ejus adulterium, pugnam, minas, etc.; ideo pars innocens, parata ad recipiendum consortem juxta leges, absolvi potest. Idem videtur de nocente, si resipiscat, et paratus sit ad media reconciliationis adhibenda. (V. n. 995.)

In aliquibus diœcesibus reservatur blasphemia, et alia in alteris.

776. Q. *An ignorantia censuræ, vel reservationis ab his incurrendis excuset?*

R. I. Affirma quoad *censuras;* ideo sublata censura, sive ob ignorantiam, sive per superioris absolutionem, cessat reservatio. Tamen non requiritur scientia specialis reservationis; sufficit ut sciatur censura; nam tunc implicite saltem jam omnes suos effectus amplectitur reus. (*Scavini, n.* 362, *Varceno, p.* 173, *Mazz. Quarti, S. Lig. n.* 580, *et alii* contra *Bon.).*

II. Nega *verius*, et *communius* quoad casus *ratione sui reservatos;* hæc enim reservatio potius confessarios quam pœnitentes afficit, jurisdictione privans. Deduci aperte videtur ex Trid. ut supra, absolute dicente: confessarios super reservatos *nihil posse;* quod dici nequiret, si super ignorantes aliquid possent. Insuper adhuc in ipsis sustinetur reservationis scopus: nempe, ut pœnitentes a superioribus monita, et opportuniora remedia suscipiant ad præcavendos relapsus. (*Ita Scavini, Varceno, p.* 172, *S. Lig.*, *n.* 581, etc.)—Tamen *alii* affirmant; nam quod reservatio sit jurisdictionis limitatio, nihil confert ad decernendum ad quos casus ea restrictio sese porrigat, seu quænam sint crimina reservata; est etiam lex sive pure *pœnalis,* sive *medicinalis,* sive *mixta,* ut communiter dicunt; atqui pœna culpam supponit: ergo... Imo cessat finis reservationis quoad ignorantes; cum neque a peccato eos retrahat, neque gravioribus indigeant monitis innocentes. Secus plus obesset quam prodesset, si ignorantia pœnis plecteretur, (V. T. I, n. 285 et seq.). Ita *Ciera, Palud., Graff., Quintanad., Reg., Mald., Bass., Coriol.*, et probabilem putant *Lugo,* n. 11, *Sanch., Spor., Salm., n.* 12, *Viva, Diana, Mazz., Ballerini, n.* 571, *aliique plurimi.*

Huc revocari potest communissima opinio supra relata, quæ saltem gravi existente causa, absolvere permittit cum dubia jurisdictione; et gravis reputatur causa bis devinci eadem peccata confiteri. (V. n. 767.)

777. **Absolutio a reservatis** de jure ipsi reservanti competit, vel ejus successori, aut utriusque superiori in jurisdictione spirituali; nam per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur Hinc:

I. *Episcopi absolvere possunt:* 1.° ab omnibus casibus ab ipsis reservatis; — 2.° a papalibus occultis; exceptis, quos Sedi Apostolicæ *speciali modo* reservatos declaravit Pius IX, 12 oct. 1869. Trid., sess. 24, c. 6 *de Ref.* Sic nihil potest hodie Episcopus super hæresim ad ejus tribunal deductam (Ita *Varceno, l.* 1, *p.* 331): — 3.° a papalibus notoriis Romam ire legitime impeditos ac proprios subditos, ne ob dilationem absolutionis

animabus periculum immineat. *(Gury, n.* 574). (V. T. I, n. 233). Imo ad id delegare valent Episcopi, cum de jure ordinario ad ipsos spectet hæc facultas; nam dignitati adnectitur. *(Ita communiter cum S. Lig., l.* 7, *n.* 90). Tamen Episcopi, et ab ipsis delegati in confessione tantum præfatos casus episcopales absolvere valent, ut *communiter dicunt AA.*)

II. Quilibet confessarius, etiamsi regularis sit, quamvis ex peculiari delegatione a papalibus quibuscumque absolvere possit, ab episcopalibus absolvere nequit, ex Clemente X, Bulla *Superna,* nisi ab Episcopo facultatem acceperit; excipe jubilæi tempus, et Bullæ Cruciatæ privilegia.

III. *Nulla est reservatio in articulo mortis ; atque ideo omnes sacerdotes a quibusvis peccatis et censuris pœnitentes absolvere possunt*, ex Trid., sess. 14, c. 7, et tunc simplex confessarius etiam præsente superiore, et absque ejusdem venia, licet consultius absolveret superior, saltem ne deinceps adiri debeat a pœnitente. Unde si convalescat infirmus, non amplius ad superiorem recurrere tenetur, ut denuo a *reservatis* absolvatur. *(Scavini, n.* 365, *Gury, n.* 576, *cum communi).* Secus dicunt communiter de *censuris* reservatis, ex cap. *Eos qui,* 22, *de sent. excomm. in* 6; nam in articulo mortis a censura nemo absolvitur nisi ea lege, ut cum cito commode possit, superiori præsentetur, sub pœna reincidendi in censuras, nisi legitimus usus de hoc onere eximat, ait *Gury cum S. Lig., l.* 7, *n.* 87, *aliisque* communiter. Ratio est, ut reus a Pontifice recipiat quæ imponuntur ad cavendum idem crimen in futurum.

778. Censent non pauci quod in periculo mortis absolute a reservatis, et censuris liberantur absoluti a quolibet sacerdote, modo præstiterint quæ superior exacturus ab eis fuisset. Id deducunt 1.° ex Trid., sess. 14, c. 7 ubi ait: *Ne hac occasione aliquis pereat,... custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt.*—2.° Ex Rit. Rom., quod nonnisi conditionatam obligationem se sistendi superiori aperte innuit: *Si vero quis confiteatur, in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio), sed prius, si potest, cui debeat, satisfaciat ; ac si periculum evaserit, et aliqua ratione superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur, cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet præstiturus.*—Hanc sententiam dicunt probabilem, (ait *Gury, n.* 576), *Navar., Henriq., Avila, Fill., Spor., Gobat, Diana et alii.—Ballerini* ibid. adducit etiam *Cornejum, Salm., Gamparuta, Jordanum, Josephum de Jamerio, Millardum,* cui præfata sententia probabilissima videtur, *Cœlestinum,* qui putat tuta conscientia posse approbari, quando excommunicatio non est notoria, vel deducta ad forum externum, et idem sentit *Spor.*, etiam quoad percussionem clerici, dicens: *Probabilissime obligationem comparendi valere solum pro foro externo, quando nempe res deducta jam fuit ad forum contentiosum.*

Pius IX Const. *Apostolicæ Sedis* de solis *speciali modo* reservatis ait: *Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint.* Hanc censuram non incurrunt qui absolvunt a censuris simpliciter reservatis, vel Episcopis, sed qui ab *speciali modo* reservatis absolvunt.

(*Varceno, p.* 174).—Unde nonnulli ad hos limitant casus præsentationem ad superiorem pro in mortis articulo absolutis, quamvis percussoribus clericorum. (*Ita Varceno, p.* 178). (V. vol. 1, n. 222).

779. IV. *Simplex confessarius a reservatis ab Episcopo, et etiam a Papa, si Episcopus adiri non possit, item a censuris absolvere valet pœnitentem sanum*, qui superiorem, vel ejus delegatum adire nequit, cum gravis urgeat causa: 1.° ut communicando scandalum, vel infamiam vitet:—2.° ut paschali præcepto, aut confessionis satisfaciat:—3.° ne diu in mortali perseveret:—4.° si alias longum, vel periculosum iter agere debeat, vel aliud notabile incommodum subire, vel adsit periculum in mora; et hoc licet peccatum cum censura sit reservatum; nam reservatio est *in ædificationem, tamen, non in destructionem*, ut habet Trid., sess. 14, cap. 7; quod dedecet piam Ecclesiam. (*Ita fere omnes cum Gury, n.* 575, *Scavini, n.* 365, *S. Ligor., n.* 563-585, idque firmat *Bened. XIV*, ut refert *Panzuti*).

780. In hisce casibus *indirecte* tribuitur absolutio; ideoque, cessante impedimento, superiorem adire tenetur pœnitens; aliter reincidit in reservationem; quia extra periculum mortis nihil posse simplicem confessarium in reservatis declaravit *Trid.;* neque ulla urget ratio; cum sufficiat indirecta absolutio. (*Gury, n.* 575, *Scavini, S. Lig., l. c.*) Si vero impedimentum judicetur perpetuum, absolute potest simplex confessarius absolvere pœnitentem. (S. *Lig., n.* 88, cap. *Eos de sent. excomm., in* 6). Idem dicit, n. 92, quoad impeditos Episcopum adire ob casus, et censuras ab ipso reservatos. (V. l. 1, n. 235).

781. Q. *An confessarius facultatem habens in reservata absolvere possit eum, qui peccavit in licentiæ confidentiam?*

R. Affirma, modo proponat emendationem; nam in facultate non excluditur talis circumstantia. (*Scavini, S. Lig., n.* 601, *cum communi).* Secus si id ageret in fraudem reservationis. Confessarius generalem facultatem habens indefinite aliquem semel absolvendi, potest eum semel absolvere ab omnibus reservatis postea commissis, nisi licentia sit impertita intuitu alicujus festivitatis jam nunc præteritæ; vel nisi intercesserit magna distantia, puta ultra mensem, inter concessionem et peccata noviter commissa. (*Ita communissime et valde probabiliter S. Ligor., n.* 601, *Scavini, n.* 483). Si pro aliquo casu particulari facta sit potestas, ab illo, et ab aliis ejusdem speciei tantum absolvere valet confessarius, cum numerus non sit determinatus; non autem ab alio diversæ speciei: si concessa sit licentia pro peccatis narratis, vel per tot vices, tantum pro eis valere potest. *S. Lig , n.* 601.

782. Q. *An semper tollatur reservatio per confessionem apud confessarium potestatem habentem?*

R. I. *Si pœnitens bona fide reservatum una cum non reservatis confiteatur simplici confessario*, qui ad illud non advertens absolvat; vel peccati reservati obliviscatur, est valide absolutus, directe quoad non reservata, et indirecte circa reservata; nam mortalia divisim absolvi non possunt. Remanet tamen obligatio deinde reservata superiori declarandi, ut etiam directe ea absolvantur. Idem valet de censura reservata paritate rationis. Et cum hæc sententia sit communis et valde probabilis, si forte esset falsa, saltem quoad jurisdictionem suppleret Ecclesia. *Scavini, n.* 482, *S. Lig., n.* 596.

II. *Si pœnitens confiteatur confessario approbato pro reservatis*, sed inculpate peccatum reservatum confiteri obliviscatur, a quovis confessario postea ab illo directe absolvi potest: 1.° Si aliquo positivo signo præsumi possit, voluisse superiorem auferre omnem reservationem, uti si expresserit se velle pœnitentem liberare a quocumque vinculo.— 2.° Si pœnitens ad hunc finem adierit habentem facultatem, ut ab omnibus reservatis absolvatur, et hanc suam intentionem illi declaraverit.—3.° Si privilegium sit concessum in pœnitentis favorem, v. g. in Jubilæo, vel in Bulla Cruciatæ; tunc enim a quocumque confessario absolvi valet. Alias probabilius negant *Scavini, n.* 362, *Silv., aliique plurimi: præcisis istis tribus exceptionibus, hanc secundam sententiam probabiliorem censeo*, ait *S. Lig., n.* 597. Ratio est, quia ad auferendam reservationem opus est, ut peccatum superioris judicio subjiciatur.

III. *Si pœnitens confessus quidem est confessario approbato pro reservatis peccatum reservatum, sed confessio fuit inculpabiliter nulla,* probabilius tollitur reservatio; nam peccatum est superiori subjectum; hic absolute intendit pœnitentem a peccato liberare et a reservatione, et ille pœnam recepit.—*Si vero confessio sit sacrilega,* negant valde probabiliter *alii* cum *Concina*, tolli reservationem, nisi superior aliud expresserit; neque enim præsumendus superior velle, ut pœnitens ex sua iniquitate commodum reportet.—*Alii* vero cum *Suarez* et *Lugo* communius affirmant; alius est quidem finis confessionis, et alius reservationis; et per accidens evenit quod hoc commodo utatur pœnitens. Ita satis probabiliter *Scavini,* S. *Lig., n.* 598, etc. Excipe si agatur de Jubilæo; vel de casu quo pœnitens animum a reservato resipiscendi, vel pœnitentiam ideo injunctam implendi non habeat; fraudaretur equidem primaria reservationis ratio. S. *Lig., n.* 598.

IV. *Non potest superior per se loquendo pœnitentem a reservatis absolvere, et postea eum ad inferiorem mittere pro non reservatis;* nam dimidiaretur confessio; licet id agat propter multitudinem pœnitentium, aut negotiorum, ut constat ex prop. 59 ab Innocent. XI damnata. *Lugo, n.* 76, *Gury, n.* 580, *et communiter* contra *aliquos antiquos.* Conveniunt tamen primi quod si pœnitens nollet bis confiteri idem peccatum, et aliunde superior non posset ipsum audire, nec ille amplius expectare valeret propter necessitatem urgentem communicandi, vel quid simile, adesset tunc causa absolvendi, dimidiata confessione, quod rarissime eveniet.

783. Q. *Quid de illo, qui habet peccata tum reservata tum non reservata, et confiteri tenetur simplici confessario?*

R. Communissime et probabilius tenent AA., ait *S. Lig.,* confiteri debere; nam urget præceptum divinum præmittendi confessionem Communioni; et cum confessio materialiter integra esse nequeat, saltem ita sit formaliter. Probabilius reservata tunc confiteri non devincitur; alias bis hæc confiteri deberet: aliunde nulla videtur adesse obligatio peccata confitendi, super quibus confessarius potestate caret judicandi. (Ita *S. Ligor., l.* 6, *n.* 265 *et* 585, *et alii ; S Anton. cum aliis* id probabile censet. *Nonnulli* cum *Suar., Viva, Salm., Bon.* contrarium docent; quia confessarius pœnitentis conscientiam cognoscere debet, ut debitum formet judicium. Omnes tamen conveniunt quod per accidens tenetur pœnitens etiam reservata tunc confiteri; v. gr. ut confessarius, ratione reincidentiæ,

vel occasionis peccandi, judicium prudens efformare valeat dispositionis, vel indispositionis. *S. Lig., n.* 265.

*Si quis nonnisi reservata habeat,* extra mortis articulum, et deficiente legitimo judice, probabilius in necessitate sufficit conteri ad communicandum, urgente aliter scandalo, vel infamia; quia reservata remitti nequeunt a simplici confessario, venialia et mortalia alias remissa non sunt materia necessaria confessionis: aliunde præcepta divina, et naturalia ecclesiasticis prævalent. (Ita *Lugo, Gury,* S. *Lig., n.* 265, *cum communi).*— Secus si attritionem tantum habeat pœnitens; tunc confiteri tenetur veniale, vel mortale peccatum jam alias confessum. *(*S. *Lig., ibid.)* —Idem fere dicunt probabilius de excommunicatione reservata in necessitate communicandi, urgente scandalo, vel infamiæ nota; etsi in hoc casu probabilius confiteri debet, ut servetur præceptum divinum confessionis; tunc enim cessat Ecclesiæ prohibitio quoad censuram ratione necessitatis, et præcepti altioris ordinis. (S. L*ig., l. c.,* L*ugo,* S*anch.,* S*uar., Salm., n.* 38, *et alii* contra S*ot.,* S*ilvest.* etc.)

Q. S*i superiores regulares, qui sibi casus reservant, requisiti a confessario pro facultate absolvendi ab aliquo casu reservato, eam dare recusarent, possetne confessarius subditum absolvere?*—R. Affirma, constat ex declaratione *Clem. VIII,* et pro illa vice, et quoties idipsum contigerit; quod valet etiam pro confessariis monialium, sive earum Ordinarius sit regularis, sive non. *(Ita Varceno, Pellizzarius, n.* 29).

784. **Absolutio peregrinorum**. I. Episcopus absolvere nequit peregrinos a censuris episcopalibus, quas in propria ipsorum diœcesi reservatas incurrerunt, si sermo sit de censuris *ab homine* per sententiam particularem eorum Episcopi. *(Gury).* Secus affirmandum videtur, si agatur de censuris *a jure,* vel *ab homine* per sententiam generalem, ex communi hodierna consuetudine; nam Ordinarii contra illam non reclamant. *(Gury, n.* 582). Sic componi videtur absoluta et contraria sententia, absolute et indiscriminatim id negans cum S. L*ig., n.* 594, qui ait: Hanc opinionem olim probabilem censuimus (loquens de prima), sed postmodum negativam coacti fuimus tenere ex duplici declaratione S. C. C. sub die 24 jan. 1711, et die 29 nov. 1712 apud Thesaurum Resol. S. C. T. I, p. 392. Sed maxime ex declaratione emanata a Bened. XIV, die 20 aug. 1752, quæ incipit: *Pias Christi fidelium,* etc., ubi ait: *Facultatem absolvendi ab Ordinariis locorum reservatis per Nos infra citatis nostris* Litteris *nunquam concessam fuisse...* De Synod., l, 5, cap. 5, n. 9. At hæc facultas peculiaris erat cuidam confraternitati Januanensi concessa.

II. *Episcopus absolvere valet peregrinos in sua diœcesi versantes a casibus papalibus occultis.* Imo hanc delegare facultatem, ut *communissime* dicunt *Suar.,* S*anch.,* S. L*ig., n.* 593, ex Trid., *sess.* 24 *in c.* 6, *Liceat;* nam subditi dicuntur tales peregrini, qui in foro sacramentali subjiciuntur Episcopo diœcesis, in cujus diœcesi morantur. (V. T. I, n. 230).

III. *Quilibet confessarius absolvere potest peregrinum peccato reservato in propria diœcesi irretitum, non autem in patria confessarii;* nam reservatio hunc directe afficit; proinde, illius reservatione non ligatus, jurisdictionem exercere libere valet quoad omnes se offerentes. Imo peregrini ex hodierna consuetudine quoad confessionem, uti incolæ loci reputantur. (*Ita communissime Scavini, Gury, n.* 573, S. L*ig., n.* 589). – Excipiunt si pœnitens in fraudem reservationis e patria exierit, ut alibi facilius absol-

vatur; quippe illusoria tunc redditur lex ex Bulla S*uperna* Clem. X, edita 21 jun. 1670. Item excipitur censura personalis reservata; nam semper personam comitatur; et in hac nihil potest simplex confessarius. *(S. Ligor., n.* 589 *et* 590*)*. Idem certo dicendum de regularibus quoad peregrinos, ex Const. *Superna* Clem. X.—*Ejusmodi fraus intercedit*, cum quis alienam petit diœcesim principaliter, ut facilius absolutionem obtineat, et proprii pastoris judicium declinet; vel si in talem confidentiam jam peccaverit. *(Gury, S. Lig., n.* 589, *cum communi)*. Unde valide absolvi potest peregrinus, si ob alium honestum finem in alienam diœcesim abierit; v. g., negotii causa, vel indulgentiæ; vel ut citius, ac commodius confiteatur; aut cum ignoto, vel prudentiori confessario, qui eum melius consoletur, ac dirigat, et ob similia. *(Gury, n.* 583, *S. Lig., n.* 589, *Bened. XIV de Synod., l.* 5, *c.* 5, *n.* 8).

IV. *Peregrinus reservatum habens peccatum in loco ubi confitetur, sed non reservatum Episcopo proprii domicilii*, probabilius, et communius absolvi nequit a simplici confessario; etenim hodie peregrini quoad confessionem reputantur veluti incolæ loci ubi versantur et confitentur; et sic confessarius jam non absolvit ex voluntate illius prælati, sed ex voluntate Ecclesiæ, quæ talem approbat consuetudinem. Ita *Vareeno, Scavini, n.* 365, *S. Lig., n.* 588, *et alii plurimi.* Sic etiam resolvit *S. C. Ep.* 17 *nov.* 1616 apud *Pitton.,* n. 620, et confirmat Const. *Superna* Clem. X, § 7, quoad Regulares statuentis: *Posse Regularem confessarium in ea diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.*

Hæc sententia confirmari videtur ex S. Sedis responso: «Titius sacerdos ad tribunal Pœnitentiæ accedens, peccata exponit partim simpliciter reservata, partim etiam cum censura episcopali in diœcesi confessarii... (Confessarius) monet fratrem, ut se sistat habenti facultatem... et inabsolutum dimittit.—Quæritur 1.° *utrum confessor bene se gerit?*—2.° *potest semper in casu ita se gerere?* S. Pœnitentiaria 21 nov. 1873, consideratis expositis, respondit: *Ad utrumque affirmative.*

V. *Peregrinus in aliena diœcesi peccans, ubi casus est reservatus cum censura*, erit tantum reservatione ligatus, si ibi confiteatur; cum reservatio confessarium afficiat, et censura solos subditos censurantis; unde peregrinus censuram non incurrit, et solus ligatus manet confessarius. (S. Lig., *n.* 591 *cum communi*).

785. Q. *Ad quid tenetur simplex confessarius reservata audiens?*

R. Statim ac id audiat, quin ultra procedat, ne illicite audiat quod judcare non valet, pœnitentem ad facultatem habentem mittat: neque se offerat ad licentiam postulandam, ne finis reservationis defraudetur, nisi comparere renuat pœnitens, vel difficile ei sit; tunc ex charitate veniam a superiore petat confessarius, si commode potest; quo in casu reliqua audiat peccata, tum ut congrua remedia præscribat, tum ut videat, an alia adsint peccata reservata: obtenta facultate, ante absolutionem pœnitenti patrati sceleris gravitatem ostendat, salutaremque satisfactionem eidem imponat. Excipe, si casus urgeat ad scandalum vitandum, vel infamiam, etc., ut supra n. 779, tunc quidem et audire, et indirecte absolvere illico valet. *Scavini, n.* 366.

**786. Litteræ ad Episcopum pro obtinenda facultate a reservatis absolvendi.**

*Illustrissime ac Reverendissime Domine: Titius (vel Titia) incidit in casum reservatum in Tabella diœcesana sub n. 0, facti ipsum (vel ipsam) pœnitet, et humiliter absolvi petit.*

*Faveat rescriptum dirigere ad me subscriptum confessarium*

*Humillimum servum*
*N. N.*

Sub litteris N. N. ponitur proprium nomen et cognomen confessarii et loci, quo rescriptum mittendum est, fingens semper pœnitentis nomen, et sufficit numerare Tabellæ numerum, sub quo casus cadit, quin ille exprimatur.

---

# CAPUT X.

## De complice in re turpi.

787. I. **Peccatum in complicitate reservatum** est *omne et solum dictum, vel factum grave, externum, certum, ac mutuum inter sacerdotem et complicem contra sextum Decalogi præceptum.* Unde si ex utraque parte complicitas non est *certa, externa*, et *mortalis*, sive ex parvitate materiæ, sive ex defectu consensus, aut advertentiæ, etsi passive se habeat complex (sed violenter) in peccato confessarii, et quamvis interne consentiat, non adest excommunicatio; nam mortalia dubia sive juris, sive facti non censentur reservata. (*Salm., n. ap.* 3, *n.* 182, *n.* 277, *et* 278, *Varceno, Scavini, S. Lig., n.* 554). Complicis nomine veniunt tum fœminæ, tum viri, et pueri ratione utentes; verba enim Bullæ sunt omnino generalia. *In peccato turpi, atque inhonesto contra sextum præceptum. (Gury, n.* 585, *Gousset, n.* 488).

II. Potest confessarius complicem in aliis rebus absolvere; nulla enim adest lex id prohibens. Item turpe peccatum jam ab alio directe absolutum, si dein uti materiam sufficientem cum aliis peccatis, vel in confessione generali confiteatur; cessat enim tunc tota ratio reservationis, seu illius confessionis, et tunc absolutio cadit super materiam aptam. Secus si nondum de eo fuerit directe, et valide absolutus; vel de illo solo ut materia necessaria confiteatur complex, etsi centies fuerit jam ab aliis confessariis absolutus (*Scavini, n.* 368 *et* 485, *Ballerini, n.* 587, *S. Lig., n.* 555, *Benedict. XIV* ad Episcopum *Brugnatensem.)*

III. Confessarius scienter complicem suum absolvens extra mortis articulum, excommunicatione innodatur *speciali modo* Papæ reservata ex Const. *Apost. Sedis* Pii IX, post Benedict. XIV Bullam *Sacramentum Pœnitentiæ.* – In mortis autem articulo, alio deficiente sacerdote, etsi non approbato, qui munus obire possit, valide et licite absolvere complicem valet; secus censuram non effugeret ex Const. Pii IX.

IV. Dicitur alium abesse sacerdotem: – 1.° cum vel revera deest, vel advocari, et accedere sine gravi scandalo, aut infamia nequit; — 2.° si

advocatus accedere recusat; vel infirmus ab eo abhorreat; quia est amicus, consanguineus, inimicus; —3.° si alius supervenit, incœpta jam confessione. (*Scavini, n.* 368, *Gury, S. Lig.*). Tenetur complex præfata pericula præcavere, si potest, v. g., aliquo prætextu discedendo, etc., secus pœnas non effugiet, licet valide absolvatur pœnitens in mortis articulo, ne quis pereat, ut constat ex Const. Benedict. XIV, *Apostolici muneris*, et *Sacr. Pœnit. (Ita Varceno, p.* 183, *Gury, n.* 586, *cum communi).*

—Hinc juxta *Scavini, l.* 3, *n.* 485, *S. Lig., n.* 554, *aliosque invalide absolvit confessarius* 1.° pœnitentem, cum quo inhonestos habuit sermones: vel a quo hos audivit, si ostendit eos sibi placere, ait *Scavini;* tamen *Amort* et *alii* contradicunt: —2.° cum quo convenit de seducenda muliere, licet dein non seduxerit: —3.° pœnitentem, qui ipsi permiserit, vel ipsum invitaverit, ut cum propria uxore, vel filia, aut alio peccaret, si consentiat: —4.° cum quo etsi impubere contra castitatem peccavit antequam esset sacerdos: —5.° pœnitentem, qui a peccato complicitatis fuit ab alio indirecte tantum absolutus; vel si certum aut dubium sit anteactas confessiones fuisse invalidas; etiamsi confessarius a casibus S. Pontifici reservatis absolvere possit. Nihil refert si confessarius a pœnitente non sit cognitus, modo id sciat confessarius et absolvat. *Scavini, n.* 368, et 485.

V. *Valide absolvit confessarius* 1.° pœnitentem impudice ab ipso tentatum, sed non victum: — 2.° complicem inadvertenter absolutum qua complicem. *Varceno, Alasia, aliique communiter* contra *Grassi;* hæc jurisdictionis privatio habet quidem rationem pœnæ: — 3.° item si inculpabiliter pœnitens oblitus fuerit complicitatis peccatum confiteri: item probabilius licet confessarius id advertat et sileat, quamvis peccet; tunc enim confessarius directe complicitatem non absolvit. (*Scavini, Varceno*).

VI. Censuram non incurreret simplex sacerdos, qui suum complicem sacrilege absolvere tentaret; eo quod Const. loquitur de *confessariis:* neque hi illam incurrerent, si tantum confessionem audirent; quia Bulla loquitur de *absolventibus*. Bened. XIV Const. *Inter præteritos* § 29, S. *Lig., n.* 556, *Scavini, n.* 487.—Absolutionis attentatio personæ complicis in peccato turpi, et persona quæcumque falso denuntians sacerdotem aliquem de sollicitatione, ex Pio IX, 17 jul. 1866, sunt duo casus in facultatibus solitis absolvendi ab omnibus casibus Apostolicæ Sedi reservatis semper in posterum excepti: *Scavini, n.* 488: etsi casus sit occultus, ex responso 18 jul. 1860, *et dentur decreta an.* 1589, et 1595, S. C. Imo cum Pontifex facultatem facit censuras *speciali modo* reservatas absolvendi, hic casus complicitatis semper intelligitur exceptus, etsi occultus sit, nisi agatur de impeditis Romam adire, ex decreto 18 jul. 1860, et ex S. *C. Inq.* 4 *apr.* 1871. (Quoad impeditos Romam adire V. vol. 1, n. 221 et 222. et vol. 2, n. 777, et 779).

---

# CAPUT XI.

## De sollicitatione.

788. I. **Sollicitatio in sacramento Pœnitentiæ est provocatio ad res venereas a sacerdote facta sub datis conditionibus.** Nefan-

dum scelus est : 1.º Contra sacramentum ; nam eo abutitur sacerdos ad turpia, et ad Christi sanguinem ex sua parte denuo fundendam.— 2.º Contra pœnitentes, iis scandalum, damnumque fere irreparabile inferens, venenum pro medicina ipsis propinando.—3.º Contra justitiam, si sollicitans esset parochus, vel similis, qui vi officii sui fideles sibi commissos a peccato arcere tenetur.—4.º Addi posset contra ipsum sollicitantem, et contra bonum commune.

789. **Pœnæ in sollicitantes.** 1.º Ex decreto Bened. XIV, 5 aug. 1745, adest perpetua inhabilitas ad celebrandam Missam. 2.º Ex Gregorio XV est privatio beneficiorum, dignitatum, officiorum, perpetuaque ad illa inhabilitas post sententiam declaratoriam. Probabiliter excusat ignorantia invincibilis, cum inhabilitas sit pœna extraordinaria : regulares privantur insuper voce activa et passiva. Omnes sunt pœnæ ferendæ. Ita ex declaratione *S. C. Inq.* 20 *febr.* 1867.

790. **Committitur sollicitatio,** quum confessarius, vel sacerdos, licet jurisdictione ad absolvendum careat, ad turpia provocat sive inhonestis sermonibus, sive tactibus, amplexibus, osculis, nutibus, sive litteris, et similibus, quibus uti solent amantes. *Scavini, n.* 397, S. *Lig., n.* 687. Unde huc non veniunt ad alia crimina sollicitantes. Id omne colligitur ex Bulla Gregorii XV, *Universi gregis*, an. 1622, confirmata a Const. Bened. XIV, *Sacramentum Pœnitentiæ*, et a decreto S. Inquisitionis, 4 febr. 1661, n. 5. *Mandamus omnibus locorum Ordinariis,* ait Greg. XV, *ut diligenter inquirant, et procedant contra omnes sacerdotes tam sæculares, quam regulares, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta inter se, sive cum aliis quomodolibet, in actu sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis, etiam confessione non sequuta, sive extra confessionis occasionem, in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis inhonestos sermones sive tractatus habuerint.* Et subjungitur : *Mandantes omnibus confessariis ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse, ut supra, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes... locorum Ordinariis.* Hinc :

791. **Tempus, seu modus sollicitandi** quadruplex notatur.

I. *In actu sacramentalis confessionis*, cum, incepta confessione, confessarius sive directe, sive indirecte, aut per media ex se indifferentia sollicitat, v. g. si mulierem interroget, *ubi habitet*, an *sola moretur;* vel *imponat, ut eum domi expectet ;* vel *ut in sacristiam ingrediatur;* vel *quocumque prætextu, ut ad confessarii domum accedat*, v. g. *ut morbo infecta verenda ostendat*, vel *ut nuda ab ipso afficiatur disciplinæ flagellis*, quo peracto, reapse illam sollicitat. *(Ita Varceno, p.* 205). Idem dic de chartis, donis in confessione datis, postea legendis, aut videndis, quibus ad venerem sollicitetur ; vel si confessarius et pœnitens se invicem sollicitent. *S. Ligor., n.* 676. Mutua sollicitatio evenit cum confessarius sollicitatus ad unam turpitudinis speciem, ad alteram ipse sollicitat ; aut si prius dissentiat confessarius, et post aliquod intervallum mulierem sollicitet. Ita *Bened. XIV*, S. *Ligor., n.* 681, *Scavini, n.* 401.

II. *Immediate ante, vel immediate post confessionem :* 1.º Si nullum intervallum intercedat inter confessionem et sollicitationem ; v. gr., si

mulier ante pedes genuflexa ad confitendum, etsi nil dixerit, sollicitetur, licet postea non sequatur confessio; saltem sollicitet confessarius *occasione confessionis. S. Lig.*, *n.* 677. — 2.° Si statim finita confessione, nullo alio negotio interposito, confessarius pœnitentem in domum ducit, aut schedulam sollicitationis domi legendam dat. Secus si, antequam ibi genuflectat, videns mulierem genuflexam, illuc accedat confessarius, et sollicitet. Item si transacto integro die id accidat, vel postquam ad alia conversus pœnitens sit, nisi in confessione pravum animum indicaverit confessarius. Ita ex praxi tribunalis *S. Officii. (Ballerini*, *n.* 590, *Varceno, Scavini).* - 3.° Denuntiandus vero foret, si immediate post confessionem confessarius dicat mulieri: *Expecta me paulisper in ecclesia*, et dein eam inveniens, statim sollicitat; secus dic si prius de serio negotio tractaverint; vel si sollicitatio a muliere inceperit; quia tunc dici nequit, citationem esse artificiose ordinatam ad inhonesta. *(S. Lig.*, *n.* 677, *Varceno, p.* 207).

III. *Occasione*, *vel prœtextu confessionis*, *etiam confessione non sequuta:* 1.° *Occasione*, est cum confessarius, vel pœnitens ad *confessionem veram* invitat, et interim dum spectatur tempus, licet confessarius in tribunali non sederit, pœnitentem sollicitat. Si confessarius a fœmina rogatus, ut cras ejus confessionem excipiat, eam sollicitat, denuntiari debet juxta *Potest.*, *Mazz.*, *Scavini, Varceno, S.* Lig., *n.* 678 contra *Pal.*, *Quarti*, *Leand.*, id negantes. Item probabilius, si ob fragilitatem in confessione auditam, postea, etsi non statim, in via, vel domo, etc., verbis, aut litteris, vel signis pœnitentem sollicitet, modo ex certis indiciis ex confessione provenire dignoscatur, v. gr., si post turpia pœnitentis peccata audita, eum interroget circa ejus domicilium, etc.; item si sollicitet per epistolam; vel promittendo ejus confessionem audire. Ita *Potest.*, *Ron.*, *Dian.*, *S.* Lig., *n.* 678, *aliique* contra *Trull.*, Salm., *n.* 51, etc.—2.° *Prœtextu autem confessionis;* uti si ex pravo fine confessarius aliquem sive sanum, sive infirmum, aut in lecto decumbentem ad confessionem *fictam* invitet, ac dein eum sollicitat, simulantes ambo confessionem. Item si confessarius advocetur a matre puellæ infirmæ, et ipse ad cubiculum accedat cum pravo fine, interrogando prius de confessione, et deinde eam sollicitet. S. *Ligor.*, *n.* 679. Secus si nulla facta petitione confessionis mulierem sollicitet confessarius in ecclesia existentem; vel si a superiore peteretur licentia domum mulieris adeundi prætextu confessionis, sed ob pravum finem; quia confessionis prætextus esset respectu superioris, non pœnitentis. (*Ballerini*, S. Lig., *n.* 679). Idem probabilius dic, si cum pœnitente conveniat, ut se infirmum simulet, et confessionis prætextu eum ad se advocet; tunc prætextus non fit nisi ad domesticos illudendos, non autem ad confessionem.

IV. *Sive extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire;* sive in confessionario, sive in ecclesia, sive in cubiculo infirmi, etc. Tamen simulatio confessionis, et sollicitatio simul debent intervenire. Si sollicitatio eveniat extra locum confessionis, et sine ejusdem prætextu, non est denuntiandus sacerdos: neque si in confessionario sedens confessarius, quin confessionem simulet, ante eum stantes sollicitet. *(S. Lig.*, *n.* 680). *Simulatio* differt *ab occasione et prœtextu;* quia isti referunt, vel habent speciem in-

ternam confessionis; illa vero nonnisi externam: differunt circa modum.

Ex S. O. C. 25 nov. 1874 responso habentur uti vera confessionaria loca, in quibus audiuntur moniales, aliæque mulieres in locis, qui *conservatorii* dicuntur, degentes, et etiam quoad omnes alias mulieres extraneas.—Quoad locum a confessario electum intelligitur ille locus, quem confessarius ex sui beneplacito elegit, sive in ecclesia, sive in domo, sive in agro, etc., et confessarius talia agere debet, ut credi possit ipsum actu audire confessionem. *(S. Ligor., n.* 680, *Varceno).* Controvertitur an denuntiari debeat confessarius, qui sollicitat, vel turpia tractat in confessionario, quin tamen confessionem simulet.

792. **Sollicitationes dubiæ** non sufficiunt ad onus denuntiationis sollicitatis imponendum; charitas enim non cogitat malum, nisi accedant vehementia indicia de vera sollicitatione, quæ moralem fundant certitudinem; v. g. si sacerdos in confessionali; vel occasione confessionis in confessionali; aut immediate ante, vel immediate post confessionem; vel in alio loco ad confessionem audiendam electo; aut confessionem simulando dicat: *Tecum nuberem, si essem sæcularis; vel si daretur talis libertas quoad sacerdotes. - Hæc tua peccata in turpes motus me inducunt. —Experirisne erga me tentationes, quas ego sentio erga te? —Si quis offerret tibi pecuniam, consentiresne?—Vellem te semper videre, et audire;* et dein pecuniam præberet. —Idem sentiendum, si in confessione dicat: *Veniam in domum tuam, et permitte mihi facere quod voluero;* vel *expecta me hodie domi tuæ, quia habeo tecum loqui;* aut *veni sola in domum meam:* vel si mulieri confitenti dicat: *nihil mali est in mutuis amoribus, dummodo scandalum exinde non eveniat: amas me? idipsum vult Christus,* et similia; ac postea locum habeat exinde sollicitatio, aut aliquid satis pronuntians illorum verborum pravum finem. *Ah! ingrata erga me es tu.—Dic mihi, quantum me diligas.—Tua causa somnium pravum passus sum.*—Item si, fœmina pravum confitente desiderium, ipse diceret: *De hoc loquemur post confessionem,* vel si diceret: *Vade ad confitendum alteri; cum enim tua pulchritudine captus sim, timeo ob infirmitatem meam aliquem lapsum.* Ita *S. Lig., n.* 712, *et Hom. Ap., tr.* 16, *n.* 180, *Roncag.*, *Scavini, n.* 402, *Varceno, p.* 204.

793. **Resolves.** Juxta instructiones emanatas a S. O. C., 11 *febr.* 1661, et a *Benedict. XIV* confirmatas, Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*, denuntiandum esse: 1.° *Confessarium sollicitationi pœnitentis consentientem,* etiam differendo illius complementum, et non præbendo absolutionem pœnitenti, ex 2.° inter decreta *S. Officii* 11 febr. 1661, et ex illis verbis Greg. XV: *Aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones sive tractatus habuerint.*—2.° *Metu inductum sollicitanti consentientem,* ex eadem S. Cong., *Ballerini, Gury, n.* 591.—3.° *Sollicitantem in confessionario, vel in loco confessionis* sive fœminam, sive virum dicentem, etiam se in crastinum confiteri velle. Secus si id fiat extra locum confessionis, et absque confessionis prætextu, ex *S. C. Inq.* penes *Ballerini, n.* 594.—4.° *Etiam propter parvitatem materiæ,* quæ non datur in hac re. —5.° *Confessarium, qui propter alterius sollicitationem abjuraverit;* (scil., compellente S. Inquisitione, ut abjuret de levi, vel vehementi suspicione hæreseos, etc.), ex *S. Inq.* 20 *jul.* 1628. Item *etiamsi sponte compareat sollicitans,* vel *sit jam emendatus,* ex alio decreto apud *Giraldi, pag.* 641, *n.* 6, *Ballerini, Gury, n.* 592, *S. Lig., n.* 686. Ecclesia siquidem præter emendationem, et rei punitio-

nem, damnum Ecclesiæ, fideliumque scandalum resarcire intendit.—Idem dicendum ob easdem rationes *etiamsi longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit*, ex Const. *Sacramentum Pœnit.*, § 2, S. *Ligor.*, *n.* 686. Neque refert quod pœnitens consenserit sollicitationi, vel non; vel quod nihil ultra sit sequutum, nec data absolutio. Ita S. C. O. 20 *febr.* 1867. —Idem probabilius dicunt *Salm.*, *n.* 74, S. *Lig.*, *n.* 687, *et alii* de reo jam denuntiato et punito; vel sponte se denuntiante, cum sermo sit de personali obligatione, nec de rei emendatione constet. Omnes tamen conveniunt quod si iterum ille delinquat, vel si de sollicitatione non fuerit plene convictus, denuntiare eum tenetur sollicitatus. S. *Lig.*, *ibid.*—6.° *Laicum, vel clericum confessionem audire simulantem*, ac in ipsa sollicitantem ex Const. *Gregorii XIII*, apud *Salm.*, *n.* 27, et ex edicto S. *Inq. Gen.*, etiamsi non absolvat; habetur equidem tanquam suspectus de hæresi. S. *Lig.*, *n.* 688. Si vero de sola sollicitatione sermo sit, plures cum *Pal.*, *Mazz.*, *Varceno*, *p.* 214 omnino requirunt, ut etiam impertita sit absolutio ad onus denuntiationis.—7.° *Non excusatur pœnitens a facienda denuntiatione, ob timorem ne denuntiati indignationem incurrat;* quia in re tanti momenti ad bonum commune spectante minimi facienda est molestia hæc. *Gury*, *n.* 593. (V. t. I, n. 441).

794. **Denuntiandi obligatio** non adest: 1.° Interpretes confessarii in confessione sollicitantes, vel mandantes confessario, ut in confessione sollicitet, ex *S. C. O.* 4 *febr.* 1661.—2.° Sollicitantes in aliis sacramentis, vel extra actus venereos.—3.° Confessarium, qui sedens in confessionario, aliquem ante ipsum stantem sollicitat, confessionem non simulando, ut colligitur ex decreto *S. C. Inq.* 11 *febr.* 1661.—4.° Confessarium serio laudantem mulierem de venustate, vel ex quadam imprudentia, aut levitate; secus si ex pravo fine, vel affectu, ex decreto 12 et 16 *S. Inq.* 11 *febr.* 1661. Idem ait *S. Lig.*, *n.* 703, si confessarius confessionem audiens dat donum mulieri.—5.° Confessarium, qui e vita migravit; cessat enim ratio legis. Ita probabilius *Scavini*, *n.* 399, S. *Lig.*, *n.* 692. Item pœnitentem sollicitantem; leges siquidem pœnales non sunt extendendæ de casu ad casum. S. *Lig.*, *n.* 689. Item sollicitationem factam audientes non a fide dignis, sed a levibus personis. Neque tenetur sollicitans seipsum denuntiare; id quidem natura refugit. Si tamen compareat, beneficio sponte comparentium gaudet; scil. salutaribus tantum monitis ac pœnitentiis punitur, nisi jam fuerit ab aliis denuntiatus; tunc enim pœna imminuitur. S. *Lig.*, *n.* 681.—Præfatæ Const., ex declarat. S. O. C. 1 jun. 1775, obligant omnes totius catholici orbis confessarios, sive sæculares, sive regulares.

795. **Obligatio sollicitantes denuntiandi** obstringit: 1.° ipsos sollicitatos, etiamsi impuberes, modo rationis compotes sint.—2.° Puellam sollicitatam in simplicitate constitutam, et absque notitia inhonestatis,... postquam compos effecta fuerit, et notitiam præteritæ sollicitationis acquisierit, ex S. C. *Inq.*, 11 *maji* 1707.—3.° Omnes qui sollicitationem certo sciunt a fide dignis, etsi agatur de consanguineis denuntiandis; vel crimen sciatur sub secreto naturali; (non autem si sciatur sub secreto consilii, *Gury*, *n.* 590); quia agitur de bono communi superioris ordinis: imo etsi crimen juridice probari nequeat.

—Hæc denuntiatio est facienda intra mensem ex S. C. O. 10 mart. 1677. *(Gury, Scav., S. Lig.*, *n.* 693). (V. l. 1, n. 439). Tamen non tenetur

pœnitens suam prodere turpitudinem, nec de suo præstito consensu interrogare eum debet superior extra confessionem. *S. Lig.*, *n.* 700, *Benedict. XIV*, § 2, *S. C. Inq.* 23 *jul.* 1624.

—Pœnitentes sollicitatos (non vero alios scientes), ex Const. *Apostolicæ Sedis,* an. 1869, *negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios, sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prædecess. Nostris Greg. XV, Const.* Universi, 20 *aug.* 1022, *et Benedict. XIV, Const.* Sacramentum Pœnitentiæ, 1 *jun.* 1741, declaratur incurrere excommunicationem latæ sententiæ nemini reservatam; a qua quisque absolvi potest, facta denuntiatione, vel si serio promittat pœnitens quamprimum denuntiaturus; quia in hac Constitutione non legitur; *donec denuntiaverit. (Del-Vecchio, l.* 3, *n.* 397, *Ballerini, Gury, n.* 590, *ex Benedict. XIV*, § 2).

796. «**Denuntiationis onus est personale.** Verum si gravissimis difficultatibus impediatur quominus hoc perficere ipsa (persona) possit, tunc, vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam, sibi benevisam suum adeat Ordinarium, vel S. Sedem per S. Pœnitentiariam, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat juxta instructionem, quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat juxta consilia et monita sui confessarii. At si nullo impedimento detenta denuntiationem omnino renuat, in hoc casu... laudandus est confessarius, qui operam suam pœnitenti non denegaverit, et vel Ordinarium, vel S. Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen pœnitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli t. I, consult. 104... Albitius, etc.» Ita *S. C. Inq.* 20 *febr.* 1867.

797. **Resolves**:—1.° Denuntiatio est facienda forma ordinaria ac juridica, scilicet ab ipsa persona sollicitata, vel certo sollicitationis conscia penes Ordinarium loci, vel Inquisitores, in quo versatur pœnitens, licet confessarius sollicitans ad aliam pertineat diœcesim: Ordinarius tunc juratam denuntiationem accipiens, transmittere ipsam debet ad Episcopum sollicitantis, prout necessarium id judicaverit.—Episcopus autem ex *Trid., sess.* 24, *c.* 1, esset denuntiandus apud R. Pontificem, vel Inquisitores, ut id Papæ significent. *Ronc., S. Lig., n.* 688.—2.° Ex se, prohibetur, ne in recipiendis denuntiationibus præter judicem, et notarium virum utrumque ecclesiasticum..., testes intersint. Ita *S.* C. *I.* 20 *febr.* 1867. —3.° Si ad hoc induci non possit pœnitens, id expediat confessarius ut supra n. 796, proprium nomen et cognomen, diem et locum subscribendo; per anonimas siquidem litteras nihil valeret denuntiatio. Imo ex prædicta S. C. si persona denuntiationem facere omnino renuat, annuente Pontifice, facta est facultas Episcopis, et Inquisitoribus ad excipiendas denuntiationes delegandi quemlibet confessarium, qui bene de modo id peragendi instruatur, et juramentum emittat de servando silentio, fideliterque sibi munus commissum exercendo; qui denique statim a recepta denuntiatione eam ad ipsum Episcopum, a quo fuerit deputatus, caute transmittat, neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineat, ut habet præfata *S. C. an.* 1867, et 27 *sept.* 1624.

798. *Pœnitentes si omnimodo denuntiare recusant:* 1.° ex Bened. XIV, Const. *Sacramentum Pœnit.*, § 2, hisce est deneganda absolutio, nisi prius denuntient, *vel saltem se cum primum poterunt, delaturos spondeant ac*

*promittant;* alias inutilis evaderet lex. *Gury, n.* 593. Tamen ut habet Cardinalis Albitius resolutum fuit, 28 jun. 1597, et 27 febr. 1598, et 15 apr. 1612, *quod quando mulier est nobilis et verecunda, nec potest induci ad deponendum, in Urbe (Romæ) consulatur S. Cong.—Si vero extra* Urbem, *consulatur Episcopus, vel Inquisitor: qui, si habent difficultatem, consulant S. Congr.; sin minus dent facultatem confessariis absolvendi pœnitentem, qui justis de causis denuntiare recusat; qui tamen debet absolvi sub conditione, quod cessantibus causis, teneatur hoc facere, ac etiam non adire amplius confessarium, a quo fuit sollicitatus.*—2.° Vel recurratur ad S. Sedem organo S. Pœnitentiariæ, tacito nomine, quæ, ut refert *Mazzotta*, in casu magnæ verecundiæ, et panici timoris ab hoc onere dispensavit, dando nihilominus confessario facultem absolvendi. Vel potius pœnitentem dispensat *pro gratia* a declarando proprium nomen, aliisque formalitatibus; sed sollicitatoris nomen vult confessario aperiendum cum facultate illud Episcopo indicandi. Ita provisum fuit an. 1860. *Scavini, n.* 516.—3.° In partibus autem schismaticorum, hæreticorum, et mahometanorum, licet subjectæ sint præfatis Constitutionibus, tamen si nulla sit spes punitionis, et sine gravi periculo, et infamia denuntiari nequeat, recurrendo ad Episcopos schismaticos, vel ad laicos judices infideles, ex decreto 22 *jan.* 1627, et S. C. O. 21 *febr.* 1630, absolvendi sunt pœnitentes, et liberandi ab hujusmodi onere denuntiandi, usque dum cessent illa impedimenta.—4.° Mulieres sollicitatæ ad denuntiandum non tenentur sub gravi damno famæ, vitæ, fortunæ, vel si Ordinarii in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant; licet cessante impedimento, vel tempore visitationis Ordinarii, obligatio sit urgenda, ex declaratione *S. C. O.*, 22 *jan.* 1727, pro Missionibus *Pernambuci* in America *(Varceno);* quia jus naturæ juri positivo prævalet; neque Ecclesia obligare præsumitur cum tam gravi incommodo. Sufficit ergo ut sollicitata promittat se denuntiaturam sollicitantem, cum absque gravi incommodo poterit. Excipe si aperte cognosceretur ex repetitis factis, quod animarum pernicies obveniret, vel ortum duceret sollicitatio ex contemptu sacramenti, vel Religionis; bonum commune, et Religionis privato damno tunc anteferri deberet. *(Ballerini, n.* 593). —5.° Cæterum non facile est adhibenda fides mulieribus sacerdotem de sollicitatione accusantibus; sedulo pensandæ sunt circumstantiæ rerum et personarum; ex odio, invidia, zelotypia, aliove pravo fine sacerdotes innocentes aliquando calumniam passi sunt; præsertim cum mulier facilis ad parendum denuntiationis præcepto se ostendit. Ut plurimum nonnisi a tertia denuntiatione procedi solet. *Scavini, l.* 3, *n.* 515. – Crimen falsæ accusationis de sollicitatione sive per se, sive per alios commissum, ex Pio IX, *speciali modo* Papæ reservatur extra mortis articulum; et si sollicitatus, ac sollicitans invicem consentiant, habentur uti complices, et tractandi sunt ut supra n. 787.

«Ea est hujus supremæ Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denuntiationem rescribatur, quod denuntiatus *observetur*, ita... ut quum primum per novas denuntiationes res explorata erit, in judicium vocandus sit. Ad formale examen vocantur parochi, vel probatæ fidei, spectatæque virtutis viri præsertim ecclesiastici, qui cum juramento de veritate dicenda et de secreto servando... examinentur. Hisce peractis diligentiis, reus in judicium adducitur,... juramento dicendæ veritatis obstrictus respondere

debet. Cavetur solertissime, ne denuntiantium nomina manifestentur, et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur... Quando prospecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem prout jura exposcunt admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat.» Ita *S. C. Inq.* 20 *febr.* 1867... «Qui nullis... denuntiationibus victi, Ordinario loci, ejusve delegato se sistunt... dimitti debent cum congrua abjuratione, et pœnitentiis dumtaxat salutaribus.» Alias «beneficio impunitatis non gaudent... Eædem causæ... definitæ et executioni jam traditæ perpetuo silentio omnino premantur.»

---

# CAPUT XII.

## De confessarii dotibus, et muneribus.

799. *Habeantur boni confessarii* (ad rem ait merito S. Pius V), *et cito habebitur omnium christianorum omnimoda reformatio.* Quadruplici munere præditus est confessarius; nempe, *patris, medici, doctoris,* et *judicis.*

**Patris spiritualis officium** adimplere debet confessarius; nam ad reficiendam et fovendam peccatorum spiritualem vitam a Deo vocatur. Ideo charitate, ac patientia plenus esse debet.

I. Omnes justos, ac peccatores, divites, et pauperes, civiles, ac rusticos benigne est accepturus; siquidem apud Deum nulla est personarum distinctio; et forsan erit pauperum, ac rusticorum, ob suam præstantissimam simplicitatem. Sic ab exordio confessionis timidis addat: *Esto bono animo, frater, noli timere, lætare, age Deo gratias, qui te hucusque expectavit: ego veni hic, ut liberem te: aperi mihi omnia confidenter: sufficit si ad interrogata respondeas, et Deus omnia quantumvis ingentia peccata tua certo remittet, si bonam habes voluntatem.* Sic præsertim sunt accipiendi majores peccatores, ac contremiscentes ob præconceptum confessionis, vel confessarii horrorem. ¡Utinam omnes confessarii ita peccatores acciperent; profecto non reticerentur tot peccata ob nimium timorem; et etiam ad frequentem confessionem facillime allicerentur plurimi a confessione retracti!

II. *Majorem charitatem, ac patientiam præseferat in confessionis decursu.* Caveat confessarius.—1.° ne admirationem ostendat eorum, quæ narrantur; aut ne reprehendat, quantumvis horribilia audiat: secus perfacile pejora silebunt pœnitentes:—2.° ne impatientem se exhibeat erga rudes, non examinatos, scrupulosos, fastidiosos, recidivos, vel in narratione prolixos, si eos lucrari velit: aliter irritantur, et pejus confitentur: imo ad hunc confessarium, nisi in aliorum defectu, non amplius redeunt pœnitentes. *Fratres, et si præocupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne et tu tenteris.* (Gal. VI). - 3.° In hisce adjunctis, peccata inquirat ipse confessarius, quin nimis pœnitentem instet; a rebus vanis, et inutilibus verbis declinet: et sic breviter, ac expedite omnia conficiet.

III. *Maximam adhibeat charitatem ad pœnitentes bene disponendum:* ad hoc ex stricta obligatione, seu ratione ministerii, et charitatis tenentur omnes, (et parochus etiam ex justitia); cum eorum curam susceperint. —Omni studio curet confessarius:—1.° ut pœnitens in omnes conscientiæ suæ sinus introspiciat; nam certum est plurimos absque ullo, vel superficiali tantum examine ad confessionem accedere, atque, nisi interrogati, fere nihil confitentur. In hoc forsan deficiunt aliqui confessarii, et missionarii etiam inter multitudinem pœnitentium agitati, nimis confisi in pœnitentium scientia, commotione, ac sollicitudine: — 2.° ut gravitatem peccatorum percipiat, ac sui status miseriam, et periculum; nam multi nonnisi doloris formulam materialiter, et cursim recitant; uti non pauci duri, ac petulantes, qui atrociora peccata sine ullo rubore, et displicentia exponunt, et sæpe tantum rogati, et interrogati, et fere coacti; item alii juvenes, qui tam cito affirmant, quam negant, vel *utique*, aut *non* juxta interrogationem respondent, quin de hoc in sua mente rationem sibi reddant, neque confessario sincere, et exacte reddere velint: aut irrisorie respondent; vel defatigati genibus flexis adstandi se ostendunt; aut restituere, vel occasiones deserere nolunt; sic aperte suam indispositionem revelantes.

In iis pro viribus efficere debet confessarius, ut bene suorum peccatorum magnitudinem ac deformitatem percipiant, quomodo Calvarii spectaculum reiterant, et ad tartara currunt; agat tum suaviter, tum fortiter, et acriter, ut a lethali lethargo expergefiant; ordinarie autem magis prodest charitas, et suavitas una simul cum verbis gravioribus. (Recordetur confessarius, quod melius est perditam ovem amplecti, quam 99 pias fœminas oblectare).—Sed hæc, sicuti et cæteræ correctiones, nonnisi finita confessione fiant; aliter exterriti pœnitentes silebunt, vel majora sua peccata negabunt.—Nec sufficit si pœnitens dicat: *se pœnitere, quia meruit infernum:* sed opus est, ut pœniteat Deum offendisse, propter quod infernum meruit. *S. Lig., n.* 608. Ad id consequendum, en *S. Ligorii* methodum.- *Fili mi, ubi nunc esse deberes, et in æternum? in inferno!—Ah in illo igne semper cruciandus esses!—Non tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses!– Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a cœlo rejectus, et a Deo maledictus in sæcula sæculorum! —Igitur te pœnitet Deum offendisse propter infernum, quem meruisti? Ah! In illa regione ubi est fletus, et stridor dentium; ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, Deum videre, diligere, ac laudare nunquam valeres. Fili mi, percipisne malum quod operatus es? Revera doles Deum offendisse propter hæc?*

—Deinde curet, ut eliciat actus contritionis, dicens: *Fili mi, quid egisti? Peccasti in Deum summum, et infinitum bonum.—Projecisti eum post tergum tuum.—Contempsisti amicitiam ejus.— Quid tibi malum fecit Deus? Ah! cum esset Deus, factus est homo propter te; in cruce mori voluit, ut de inferno te redimeret, et vitam æternam habeas. Ille in spinis, clavis, et cruce propter delicta tua; et tu in cupiditatibus?– Ille libenter propter te sanguinem suum fudit; et tu offers illi spinas, clavos, crucem, et sputa cum iis blasphemiis, odiis, turpitudinibus, etc.?—Tamen audi Dominum dicentem:* Revertere ad me, et ego suscipiam te.—Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos--*Eja, prodigum imitare:* Pater, *dic*, Pater, peccavi in cœlum, et coram te; jam non sum

dignus vocari filius tuus.—*Parce, Domine, parce servo tuo. Amo te ex toto corde meo; pœnitet me offendisse Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum.—Amo te, Domine mi.—Utinam moriar præ contritione, et amore. Eia, venit hora; Deus Pater te jam amplectitur; Deus Filius sanguine suo iterum te lavat, et Deus Spiritus Sanctus in te manet: osculare affectu tuo hunc amantissimum Deum.—Propone totam personam tuam illi offerre.—Lætare nunc, cœlum est tibi apertum, et clausus infernus.—Jam noli amplius peccare.—Hoc est vivere.—Ita semper lætus vives.* Ita sæpissime est agendum cum pœnitentibus non piis, aut frigidis. Hisce, et similibus rite peractis, et maxime cum magno affectu, et cordis commotione, etiam duriora corda emolliuntur, experientia teste. Non raro ob frigiditatem cordis, ac vocis confessarii, glacie torpet cor pœnitentis.

—Tunc remedia, et satisfactiones præscribantur, humanissime blandissimeque ad perseverantiam excitetur pœnitens, ac absolvatur. Sic lucrifiunt impiissimi homines, et alliciuntur ad sacramentorum frequentiam; quæ pluribus est fere unicum sanctificationis medium. —Si omnino sit differenda absolutio, humanissimis verbis fiat; pœnitenti indicet confessarius diem regrediendi, ac interim pro illo ipsum oraturum esse, ut Deus illuminet mentem, et cor ejus moveat. (V. *S. Lig.*, *n.* 608, *et praxim confessarii*, *n.* 5, *Gury*, *n.* 602).

800. **Officium medici**: En ex Concilio Later. IV decretum: *Sacerdos sit discretus, et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum, et oleum vulneribus sauciatis; diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere. Unde:*

I. *Confessarius præter species ac numerum peccatorum, causas morbi cognoscere debet,* in quibus non parum est immorandum: aliqui non sine magno animarum detrimento, et quin de tempore, loco, consuetudine peccati, de occasionibus proximis, et circumstantiis aliquid inquirant, absolvunt, vel non; aliquando ob ignorantiam, et segnitiem deficiunt, ob quas nihil fere interrogare, ac distinguere clare sciunt, nec volunt; quia studium fastidiunt; et non raro quia pœnitentium ac populi voluntatem captare, et clientelam augere satagunt, uti si sermo esset de pœnitentium numero, et non de bonitate. ¡Quanta palea apparebit in die iræ!

II. *Cognita morbi origine, ac gravitate, confessarius ad remedia congruentia cum suavi fortitudine deveniat,* quin ad alios pœnitentes, qui circumstant, attendat, nec humano respectu moveatur; et sic pauperi, et diviti, laico, et sacerdoti, prælato, et principi debitas faciat animadversiones, ac veluti S. Joan. Bap. ad Herodem omnibus vitio deditis serena fronte dicat: *Non licet tibi;* sed sibi etiam dicat: *Age quod agis;* nam melius est paucorum confessiones rite peractas audire, quam multorum inordinatas, ac infructuosas. *(Ita Salesius, S. Lig., n.* 608, *et praxi confessarii, n.* 7*).*—In hac re permulti deficiunt confessarii non sine maximo sui, et animarum damno Alii fere nihil, aut aliquid vulgare omnibus similiter dicunt: —alii plurimis utuntur incongruis, licet bonis, verbis circa omnes pœnitentes, quin ad peculiares attendant necessitates; quod pœnitentium tædium generat; alii rite munus suum adimplent cum rusticis, sed expavescunt, ac connivent cum divitibus et qualificatis; et perpauci directis, efficacibus, ac selectis verbis negotium concise perfectum relinquunt, uti opus est.

III. *Relapsus pœnitentium omnino præcavere debet confessarius.* Ad hoc inspicere tenetur indolem, mores, statum, conditiones vitæ, ac vires sui pœnitentis. Vitiis deditis prodest mortis, et inferni quotidiana consideratio;—vespertinum conscientiæ examen;—Dei præsentia; pia lectio, et oratio mentalis;—frequens confessio, et Communio;—erga Jesum Christum, V. Mariam, S. Joseph, Angelum custodem, aliosque Sanctos fervida devotio.—Sed unumquodque vitium speciali remedio indiget, ut infra dicetur.

801. **Officium doctoris** rite adimplere debet confessarius; nam est divinarum legum, et humanarum protector, ac vindex. *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus:* (Malach. II). Ut ergo rite absolvat, debet, quantum moraliter fieri possit, omnia pœnitentis peccata intelligere; alioquin is frustra recensere ipsa teneretur: peccat ille, qui absolvit eum, cujus peccata per negligentiam, vel per ignorantiam culpabilem non satis intellexit. Ideo graviter peccant tum superiores, qui confessarios, citra necessitatem (nimirum si aliter pœnitentes diu carere deberent confessione,) sine sufficienti scientia huic ministerio præponunt, vel tolerant; tum ipsi sacerdotes, qui ita illi se ingerunt, licet approbati sint ab Episcopo, si de sua insufficientia certi fuerint; approbatio enim sæpe fundatur in aliqua præsumptione, vel levi examine. Ratio obvia est; qui enim ignorat, alios docere non potest. *(Gury, n.* 608, *Lugo, n.* 72, *S. Lig., n.* 627 *et* 628, et *H. A., n.* 100).

Quot inde perutilia consilia omissa, monitiones, restitutiones prætermissæ; quot sacrilegia, quot scandala inter fideles, quot animæ damnatæ! *Ab imperitis ergo magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars artium est regimen animarum,* ait *S. Gregor.*

—*Studium ejusmodi scientiæ* (moralis) *præcipuum esse debet omni sacerdoti,* et nunquam est intermittendum, ut advertit *S. Lig., H. A., n.* 100; *pro qua certe non sufficit aliquam percurrere summulam earum, quæ circumferuntur, nec satis est generalia principia hujus facultatis scire,* ait *S. Lig., n.* 688, et *in praxi n.* 17. Hæc advertant omnes. Ratio: 1.° quia valde necessarium est bono communi, seu animarum omnium statuum regimini:—2.° quia est valde extensum, ac scitu difficile; nam respicit generalem saltem notitiam aliarum scientiarum, artium, et officiorum:—3.° quia magna ex parte constat legibus positivis, quæ variæ, et valde mutabiles sunt:—4.° quia innumeræ casuum circumstantiæ continuam resolutionum variationem creant: et sæpe ex pluribus principiis deducitur aliqua lux, quæ ex uno, vel altero deduci nequibat:—5.° quia ex aliarum scientiarum defectu perraro sacerdos grave peccatum committit; sed crebro ex hujus defectu. *(S. Lig., n.* 628). Experientia scientiam non supplet, sed solum eam adjuvat.

802. **Scientia confessariis necessaria** est ea, *qua prudens in hoc foro judicium ferre possint:* illud enim oportet sub gravi cognoscere, de quo judicari debet; secus æquum judicium ferri non posset. Hinc: 1.° Scire debent confessarii ea, quæ ad substantiam, et valorem sacramenti Pœnitentiæ spectant.—2.° Necessarias pœnitentis dispositiones, et oportuna peccatis remedia ad congruentem illius administrationem.—3.° Varias peccatorum species, et circumstantias explicatu necessarias; communes obligationes; principia discernendi mortalia a venialibus; et quænam sint mortalia, et venialia in singulis præceptis, juxta principia generalia,

et juxta communem theologorum sententiam, in iis quæ communiter occurrunt. (Ita *Salm.*, *n.* 4, *S. Lig.*, *n.* 627, *Scavini, Gury, n.* 608, *cum communi).*— 4.° Casus reservatos, censuras, irregularitates communiores, matrimonii impedimenta; asceticam etiam callere debent, ut sint medici, et aliqualem mysticæ cognitionem, ut doctores circa dona extraordinaria esse possint. (V. Castelvetere, Scaramelli, etc.) Secus sibi applicent illa verba Domini: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*: (Oseæ, IV). *Væ vobis, duces cæci.* (Matt., XXIII). *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* (Matt. XV). Hinc:

1.° *Confessarius perfectam scientiam habere non tenetur;* satis est ut intelligat, quæ frequentius accidunt, et de aliis sciat dubitare, ut libros, vel peritiores consulat. (*Ita Salm.*, *Suar.*, *Lugo*, *Scavini*, *Gury*, *n.* 607, *S. Lig.*, *n.* 627, *cum communi*).— 2.° Nec est necesse, ut confessarius discernere possit, an omnia peccata, quæ pœnitens confitetur, sint mortalia, vel venialia; siquidem hoc sæpe impossibile est: sufficit ergo, ut singula audiat, et judicet prout gesta sunt, et juxta communia principia. (*Lugo*, *Gury*, *S. Lig.*, *n.* 627).—3.° Neque eadem scientia in omnibus requiritur; sed major, vel minor pro locorum, et pœnitentium diversitate; v. gr., major in urbe quam in pago; pro sacerdotibus, et magistratibus quam pro agricolis. Admonendi tamen sunt hi de obligatione addiscendi. (*S. Lig.*, *n.* 628).—Si esset dandum consilium in futurum, vel imponenda restitutio, aut prohibendus contractus dubius, vel quid simile, si confessarius non potest a se ipso id resolvere, bonum erit petere a pœnitente, an sit paratus ad consulendos homines peritos, et standum illorum judicio circa illud dubium; quod si pœnitens promittat, eum absolvat. (*Ita Lugo*, *n.* 71). Ast hodie ob solum studii defectum non pauci sacerdotes forsan ad tartara currunt.

803. Q. *Quid dicendum de pœnitentibus, qui ignaros confessarios, omnia benedicentes, inquirunt?*

R. Si mala fide eos quærunt, et scienter ad confessarium omnino ignarum accedunt, sacrilegio mulctantur; quia scienter cooperantur confessarii peccato.—Si autem bona fide id agunt, nescientes talem esse confessarium, valide confitentur, cum nihil obstet ex pœnitentis parte; nam adest jurisdictio in confessario cum aliquali notione peccatorum. Si de aliquo difficili casu confessus sit pœnitens, consultius iterum docto confessario eum manifestabit. (*S. Lig.*, *n.* 625).

804. **De obligatione docendi, et corrigendi.** I. *Confessarius advertens pœnitentem suum gravi ignorantia laborare circa ea,* quæ necessaria sunt ad sacramentum hic et nunc rite suscipiendum, vel circa necessaria necessitate medii, res fidei, proprias obligationes, eum instruere debet; siquidem iis licet invincibiliter ignoratis, invalidum fieret sacramentum; et confessarius, ut minister sacramenti, procurare debet ejus validam et licitam susceptionem, ac simul pœnitentis salvationem. (*Gury*, *n.* 610, *S. Lig.*, *n.* 608). Item obligatos ad deponendum odium, honoris, famæ, aut bonorum restitutionem, tollendam peccati occasionem, scandala amovenda, vel reparanda, denuntianda delicta, vel delinquentes monere tenetur, et hortari ad satisfactionem, quam si recusent, absolutionem negare debet, ne et ipse sacrilegii reus fiat. *Avers.*, *S. Lig.*, *n*, 608.

II. *Si pœnitens laborat ignorantia mortaliter culpabili, aut vincibili; quia jam deest bona fides; vel invincibili, v. gr. si bona fide alienam rem teneat, vel in matrimonio irrito sit, et speretur fructus,* eum monere tenetur confessarius. Secus monitiones omittere debet, etiam de restitutione

facienda, ac in sua bona fide relinquendus. *Lugo, n.* 64, *S. Ligor., n.* 614. (V. vol. 1, n. 528 et seq.) Hinc: 1.° Si confessarius noverit pœnitentem invalide esse contracturum, omittere debet monitionem, ubi moraliter certo desperet fructum, donec obtineat dispensationem in radice; melius enim est materiale peccatum permittere, quam occasionem præbere certi peccati formalis. Ita *Croix, S. Lig., n.* 612, *et communiter.* Idem de ineundo contractu dicit *Sporer, n.* 29. Secus ait *S. Lig. cum Laym., n.* 6, si aliqualis saltem spes adsit profectus. —2.° Si confessarius noverit pœnitentem invalide contraxisse matrimonium ob aliquod impedimentum occultum, et adsit periculum infamiæ, scandali, aut incontinentiæ ex monitione, tunc hanc omittere tenetur, donec obtineatur dispensatio, si de facili, et statim obtineri possit. Ita *Lay., n.* 6, *Salm., n.* 34, *S. Lig., n.* 611, etc. Imo eo in casu communius et probabilius obligandus est conjux ad debitum reddendum; nam stante bona fide ad illud tenetur. *Lugo, Sanch., Croix, S. Ligor., n.* 611.—3.° Si prævideatur, quod ex monitione pœnitens non acquiesceret confessario, sed in errore obfirmaretur, indispositus adhuc dici nequit; nam dispositio actualis est attendenda; minime vero interpretativa et futura indispositio, de qua ille non cogitat. *S. Ligor., n.* 610.—4.° Si brevi pœnitens admonitioni assensurus prævidetur, licet in principio non acquiescat, esset utique monendus. *S. Lig., praxi conf., n.* 9.

III. *Etsi brevi non speretur fructus,* facienda est monitio, cum, tacente confessario, in pravo opere obfirmaretur peccator cum scandalo aliorum, vel relinquitur pœnitens in proxima peccati occasione; sin minus in pravis delectationibus. Ita Bened. XIV, Bulla *Apostolica,* 16 jun. 1749, § 20, *S. Lig., n.* 616. Unde monendus est juvenis, qui frequentare incipit socios incredulos, sectarios, aliosque cum gravi periculo fidem amittendi; vel qui impios libros, vel diaria legunt, ait *Del-Vecchio.* Idem dic de clerico, qui legit, ac ope sua impia diaria liberalia fovet; infauste vaticinari de eo occasionem daret, saltem ob noxam cooperationem, et scandalum. *Scavini, n.* 378.

IV. *Item cum pœnitens interrogat;* nam laborare vincibili ignorantia jam incipit; jus quidem habet ad responsum circa quæsitum; dissimulatio tunc esset erroris approbatio; forsan pœnitens amodo faceret ex sententia confessarii, quod ante ex proprio judicio agebat; non autem plus respondeat quam interrogetur, si ita magis expediat; vel fingat se non audisse, aut oblitum fuisse, si opus sit ad præcavenda majora mala, et sic remaneat pœnitens in illa bona fide, quam prius habebat, non confirmata auctoritate confessarii, quod raro eveniet. *(Lugo, d.* 22, *n.* 29).

V. Item *cum agitur de communi damno avertendo;* v. g., si quis falsum dogma in populum spargeret; monetam falsificaret; vel si quis bona fide putaret se esse sacerdotem, cum non sit; vel ad præcavendum incendium, proditionem, sollicitationem in sacramento Pœnitentiæ. (*S. Ligor., n.* 615, *Lugo, n.* 30).—Hinc monendi sunt principes, gubernatores, prælati, parochi, confessarii, parentes circa actus suorum munerum in commune damnum redundantes; quia eorum ignorantia difficulter invincibilis erit; et si talis est, semper damnum publicum affert, et scandalum; dum alii facile putant sibi licere, quod a superioribus fieri vident. —Hinc docet Benedict. XIV, Bulla *Apostolica,* edita 16 jun. 1749, etiam monendos esse sacramenta frequentantes, ne alii ab iis pravum sumant exemplum. (*Scavini, Salm.,* Lugo, *S.* Lig., *l.* 6, *n.* 615, *et in praxi conf.*

*n.* 9, *cum communi*).—Fieri enim solet, ut pœnitens ab initio conturbatus salutarem monitionem respuat; sed cum videat ab omnibus ita moneri, ac dimitti, demum resipiscit, et non raro seminat unus confessarius, ac colligit alter. *S. Lig., n.* 616.

VI. *Si monitio obfutura prævideatur, etsi in tertii damnum cedat ignorantia*, communiter docent cum *Lugo, S. Lig., n.* 614, esse omittendam; quia monitio creditori non prodesset, et pœnitenti noceret. Hoc de restitutionis onere etiam teneri potest. *Scavini, n.* 378. Imo si de communi damno non ita impendenti agatur, pensandæ erunt circumstantiæ damni, personarum, locorum, negotii, etc.; nam si grave nocumentum pœnitenti, dempta bona fide, superveniat, et nullum remedium communi damno afferatur, quid consultius erit faciendum? S. Sedes aliquando dispensare a denuntiando consuevit, ait *Ballerini, n.* 611.

805. **Officium judicis** quod exercet confessarius, ipsum devincit ad cognitionem causæ; nempe ad pœnitentis conscientiam omnino cognoscendam, ut prudens, justumque judicium, et sententiam ferre possit. Hinc monet Rituale Rom.: *Si pœnitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.*

806. **Regulæ interrogandi** sunt: 1.ª *interrogatio sit moderata;* quærantur necessaria, non autem vana. Si pœnitens videatur sufficienter instructus, ac diligens in peccata confitendo cum suis circumstantiis juxta suum statum, et capacitatem, præsertim si de religiosis, devotisque agatur, nisi aliter appareat, non amplius eum interrogare tenetur, quin injuriam illi inferat: alio enim modo examinare se debet doctus, et alio homo rudis: tamen hic ob scientiæ, vel memoriæ defectum, nisi sacramenta frequentet, fere semper est interrogandus circa species, circumstantias, occasiones, et numerum peccatorum juxta statum, capacitatem et conditiones uniuscujusque; siquidem non raro qui bene cordati apparent, levia enarrant, obliviscunturque gravia peccata, præcipue contra charitatem, festa, castitatem, propriaque munera, vel confuse ea confitentur. Unde plerumque etiam interrogare expedit parentes, parochos, et alios superiores circa onera invigilandi, docendi et corripiendi; nam manus assuetæ ad sceptra non raro superiorem nimium extollunt, quin introspicere conscientiæ suæ et munerum sub pedibus remanentium latebras fere permittant. *Salm., S. Lig., in praxi, n.* 35, *et* 52.

Quærat ab initio an olim rubore suffectus in confessione aliquod peccatum reticuerit; vel dicat: *Forsan aliquis vitæ anteactæ scrupulus te mordet: dic omnia libenter, noli timere;* nam permulti hoc rubore sacrilege confitentur in omnibus statibus. *S. Lig., prax., n.* 22. *Interroget tantum de peccatis, in quibus faciliter incidere possint* (pœnitentes, ait S. Lig., prax., n. 21) *spectata eorum conditione et capacitate.* Confessarius pœnitentem interrogare non tenetur nisi ordinaria diligentia, neque pœnitens ultra se examinare adigitur. Nec refert quod si plus confessarius interrogaret, forte plus inveniret; non enim hic est attendendum solum ad materialem confessionis integritatem, sed etiam ne summa industria in examinando reddatur sacramentum pœnitentibus nimis onerosum et odiosum. Sic rustici, qui non satis examinati putantur, non sunt dimittendi, sed adjuvandi; vix enim paratiores redibunt; sed forte difficultate pressi, ac territi, non amplius accedent. Sufficit ergo ut con-

fessarius interroget usquedum prudenter judicet nihil omitti. *Billuart, Gury*, *n.* 615, *S. Lig.*, *n*. 607.

2.ª *Interrogatio debet esse discreta. Caveat ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemque detineat, præsertim juniores utriusque sexus, vel alios, de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, ideoque peccare discant.* (Ita *Rit. Rom.)*

Si opus sit, interrogetur: 1.° De tempore ultimæ confessionis, et pœnitentiæ adimpletione tantum. — 2.° In confessionis decursu moderate de peccatorum numero, speciebus, et circumstantiis juxta ordinem præceptorum, quæ fere semper interroganda sunt, et statim, ne differendo, confessarius eorum obliviscatur, et sit obligandus pœnitens sua peccata bis confiteri cum gravi onere, vel ad confusionem dein obveniat. *Salm. n.* 25, *cum Lugo, et Dic.* De conditione, statu, ætate non fiat interrogatio, nisi data necessitate; sic vitabitur curiositatis nota, et verborum superfluitas. – 3.° Peracta confessione, si quid omissum sit, suppleatur, de pœnitentis dispositione judicetur, congrua remedia cum magna charitate adhibeantur, ne acquisitum amittatur. *S. Lig. prax. n.* 20.

3.ª *Gravitas, pietas, modestia, ac verecundia resplendeant, maxime verecunda interrogando;* præsertim cum mulieribus, adolescentibus, et pueris. *Quot enim infelices pœnitentes, ob incautam confessarii interrogationem, aut explicationem, innocentiam, et animam perdiderunt!* recte exclamat *P. Gury, n.* 616. *In materia luxuriæ multo melius est in pluribus deficere, quam in uno superabundare ratione integritatis confessionis.* (Ita *omnes*). In dubio autem de profectu, aut nocumento, omittenda est interrogatio. *(S. Lig., Gury, n.* 616 *cum communi).*—Si opus sit, caute interrogabit confessarius primum de cogitationibus, verbis, desideriis; si pœnitens deliquerit, ultra de tactibus, de opere completo, si puberes saltem jam sint pœnitentes; sed hoc postremum cautissime interrogabit confessarius, nisi adulti illi jam sint. Cum rudibus aliquando ab externis actibus est incipiendum; quippe eos sæpe non remordent pravæ cogitationes.

4.ª *Generatim non torquendi pœnitentes de quali animo, et conscientia operati sunt,* ad certo judicandum, an graviter, vel leviter peccaverint; nam nisi circumstantiæ aliter suadeant, præsumi potest objectum peccati, sicut in se est, apprehendisse pœnitentem. *(Gury, n.* 617).

807. **Numerus peccatorum exquirendus** est cum mediocri diligentia: fere nunquam certum numerum exprimere possunt ordinarii pœnitentes; et si importune de numero interrogentur, respondebunt, v. gr., centies, millies, vel quidquid casu in os venerit; ita ut paulo post quæsiti de eadem re, negent, quod prius affirmarunt, vel modo omnino diverso respondeant; et aliqui, quin de interrogatione cogitent, mox respondent: *Utique, pater, utique, pater;* uti aliquoties, de hoc suspicans, experimentum feci, pœnitenti dicens: *vis in infernum detrudi?* et respondebat: *Utique, pater. – Quid dicis?* – Ah! *nesciebam interrogationem.*— Ita indispositi ad confessionem accedunt inter alios non pauci juvenes, et adulti *liberales* dicti.

—*In praxi* vero videtur consultius esse inquirere—1.° circa tempus consuetudinis, et complicis;—2.° de peccatorum numero; quoties circiter, v. gr., blasphemavit in die, vel in hebdomada, mense, plures ei numeros proponendo, v. gr., ter, vel quater, octies, vel decies; videat confessarius cui numero ille circiter adhæreat: si *plu-*

*ries* respondeat, proponantur ei numeri majores eodem modo; si neque sic aliquid eluceat, forsan sufficiet si quæratur, an fuerint plura in aliquibus diebus, aut pauciora, aut nulla in aliis; quin confessarius fere unquam judicium certum efformet, cum plerumque consuetudinarii neque dimidiam suorum peccatorum partem confiteantur; et non raro tantum confitentur ultimis diebus confessionem præcedentibus commissa, maxime pueri, qui de remotioribus non jam recordantur;—3.° tunc in confuso judicet confessarius de pœnitentis pessimo statu, et ut sit coram Deo: et quin immoretur circa peccatorum numerum, melius erit tempus impendere circa remedia præscribenda. (*S. Lig.*, *n.* 478, et *in praxi. n.* 20.

—Notandum quod verba *aliquoties, sæpius, circiter, ter*, vel *quater*, suam acceptionem habent, juxta *Voit, aliosque communiter*.—*Aliquoties* se tantum extendit ad duo, vel tria.—*Sæpius* ad quinque, vel sex.—*Circiter* juxta numerum, cui annectitur; nempe relate ad 3, est 1;—ad 10, sunt 2;—ad 30,-3;—ad 100,-10; et juxta aliquos 5.—Hinc si quis sit confessus 30 mortalia *circiter* blasphemiæ peccata, et dein recordetur fuisse 33, non tenetur hunc excessum confiteri; nam omnia 33 fuerunt directe remissa. Secus si dein recordetur peccatum alterius speciei; v. g., turpem sermonem; vel etsi ejusdem speciei, si numerus nimium excedens esset; v. gr., si in præfato casu peccasset 36; tunc excessum confiteri oporteret. Si autem notabiliter numerum quis bona fide exaggeraverit, vel ob scrupulum, errorem corrigere non tenetur; porro minus in majori continetur.

808. Q. *Quid si confessarius certo cognoscat peccatum aliquod a pœnitente negari?*

R. I. Etsi ex axiomate generaliter admisso, *credendum sit pœnitenti, tam pro se, quam contra se dicenti*, quia in hoc tribunali reus est simul et testis, sui accusator et advocatus, et in dubio semper verax est præsumendus, ut sentit *D. Lig.*, *n.* 631, *cum communi;* tamen si confessarius peccatum, quod negatur, extra confessionem ex certa scientia noverit; ut si blasphemare pœnitentem audierit, vel ex aliorum relatione omnino fide digna, de illo peccato specialiter interrogabit, et negantem inabsolutum dimittet; nisi prudenter suspicari possit alteri jam esse confessum, vel justam tacendi causam habere, vel forsan in bona fide versari ratione ignorantiæ gravitatis. Si vero ab aliis tantum illud sciat confessarius, videtur pœnitenti esse credendum; quia non raro in oppidis imponitur fœda nota, (uti edocet experientia), et magis expedit pœnitenti veritatem fateri. (*Bill.*, *Gury*, *S. Lig.*, *n.* 631).

II. Si id ex alterius confessione cognoverit, non potest confessarius specialiter de illo peccato pœnitentem interrogare, sine expressa venia prioris, ratione sigilli sacramentalis. Poterit tamen eas generales facere interrogationes, quæ communiter fieri solent pro pœnitentibus ejusdem conditionis, modo vitet nimietatem ob præfatum periculum.

III. Si peccatum obstinate negetur, *alii* cum *Scarini*, *S. Lig.*, *n.* 631, sentiunt tantum recitandam esse aliquam orationem ad absolutionis negationem occultandam: —*alii* cum *Lugo* dicunt absolute esse concedendam; quia confessarius alterius confessionis notitia uti nequit: —*alii* cum *Elbel* dandam esse conditionate docent, ut sic servetur sacramenti reverentia; et hæc probabilior videtur, cum omnino evidens non sit, pœnitentem mentiri contra confessionis integritatem; nec apparet ratio cur magis sit credendus primus quam secundus pœnitens: aliunde etsi revera peccatum sit commissum, oblitterari potest, et cæteræ causæ excusantes subvenire possunt ut supra.

Nota. 809. 1.° *Locus* confessiones audiendi magis conveniens est ecclesia, licet extra permittatur, saltem in qualibet domo religiosa.—2.° *Vestis* est cotta, et stola

violacea *conveniens est* ex *S. R. C.* 31 *aug.* 1867; quamvis Episcopus ad id cogere possit ex *S. C.* 20 *aug.* 1628.—3.° Quoad *tempus* statuit *S. C. Episcop.* 21 *jun.* 1620, et 23 *mart* 1686: *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram.* Cum adsit necessitas, uti missionis tempore, vel Paschatis, accendantur lampades, ita ut ecclesia luce clareat, habet *Careno* ex Conciliis Provin. Mediol. I, et VI.

---

# CAPUT XIII.

## De absolutione concedenda, differenda, neganda.

810. **Absolutio concedenda** est generatim pœnitentibus rite confessis vel dispositis, etiamsi nonnisi venialia afferant; tum *ratione quasi-contractus*, vi cujus pœnitens bene confessus jus habet ad absolutionem; tum *ratione potestatis clavium*, qua injuste abuteretur absolutionem disposito negans; tum *ratione reverentiæ sacramenti*, quod odiosum redderet talis confessarius; tum denique ratione profectus pœnitentium: alias forsan in mortali remaneret pœnitens non sine magno damno, vel periculo. Aliquando tamen confessarius uti pater ac medicus ad breve tempus differre potest absolutionem, v. gr., ad 3, 5, vel 8 dies, si id prudenter judicet notabiliter profuturum, quod raro eveniet; talis fuit jansenistarum scopus, maxime in Gallia. Si absolutio differri nequeat sine pœnitentis incommodo, infamia, vel damno sive spirituali, sive temporali, illico est concedenda; nam strictum jus ad illam acquisivit. *(S. Lig., n.* 463, *cum communi).* Item concedenda est dubie dispositis, cum urget gravis ratio, v. gr., infamia, etc. (V. n. 759).

Q. *Quænam certitudo requiritur in confessario circa pœnitentis dispositiones ad absolutionem concedendam?*

R. I. Requiritur certitudo moralis lata, ait *Gury, n.* 624, seu quod *confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione pœnitentis,* juxta *D. Alph., n.* 461, *ac P. Suarez, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis;* seu prudens judicium motivo gravi innixum; licet quædam suspicio de indispositione adsit, cum etiam materia hic sit moralis; proinde eadem habenda est ratio ac de possessore bonæ fidei ad eum re possessa expoliandum; secus pauci absolvendi essent. Unde quæcumque suspiciones, ac signa certitudinem moralem de indispositione non præbentia sunt rejicienda; nam *in dubiis melior est conditio possidentis; et nemo præsumendus est malus, nisi probetur; charitas enim non cogitat malum,* sine gravi fundamento. Hinc Catechismus romanus habet: *Si audita confessione, judicaverit* (confessarius), *neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœnitenti* omnino *defuisse, absolvi poterit. Ergo semper ac confessario positive non innotescit pœnitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest.* Ita *S. Ligor., n.* 461.

II. Pœnitentis dispositio ex modo confitendi illico colligitur; et si dubium adsit, interroget eum confessarius de peccatorum numero, dolore, et proposito; et quidquid sit, apparebit; ac in dubio est ipsi credendum

tam *pro se, quam contra se*.—Plurimi accedunt imparati, qui tamen pii confessarii industria. et cœli gratia recedunt parati. Unde, uti experientia docet, audire ac absolvere, prout aliqui inconsulte agunt, parum, aut nihil prodest nisi ad perditionem.

811. **Absolutio differenda** est generatim, cum dispositio remanet dubia, etiam post pia monita, vel confessarii adhortationes, nisi aliqua urgeat præfata necessitas; vel si prudenter judicetur dilationem esse profuturam, uti ordinarie eveniet: 1.° Cum pœnitens negligit discere necessaria necessitate præcepti, vel ea a suis subditis ignorari patitur; vel ea, quæ sunt suæ professionis ac status, v. g., si parochus sit in moralibus studiis negligens, etc.—2.° Cum parum curat conditiones ad confessionem requisitas, sive examen, sive dolorem, etc.—3.° Cum in aliqua prava consuetudine, vel occasione proxima externa versatur. Secus si pœnitens sit relapsus ob intrinsecam fragilitatem, uti in peccatis morosæ delectationis, odii, blasphemiæ, pollutionis; tunc enim si bene dispositus sit, illico est absolvendus; nam magis erit profutura gratia, et virtus sacramenti, quam dilatio absolutionis. *(S. Lig., n.* 463 *et* 464). 4.° Cum quis sacramenta aliquoties in anno suscipit, ac semper cum vitiis suis vivit, expedit ei absolutionem aliquando differre; secus uti levia habet gravia peccata sua, et parum, aut nihil de eorum emendatione curat. Et si non redeat, ad alium sæpe commotus se conferet, licet omni culpa sæpe non vacent, qui absque justa causa id faciunt; nam sic justum judicium inchoatum effugiunt. *Suarez, et Duardus.*—5.° Item quoad illos, qui venialia tantum habent, cum nulla apparet emendatio: et hoc magis currit, si venialia proxime ad mortale disponant, ut sunt quædam affectiunculæ sensibiles, nimia tenacitas in proprio judicio, inobedientiæ, intemperantiæ, etc., maxime si agatur de clericis et regularibus. *Scavini, n.* 337.

812. **Absolutio omnino neganda** est certo indispositis: 1.° Nulla doloris signa, vel materiam nullam, præbentibus; uti sunt qui injuriam condonare nolunt, ac odia deponere; honorem, aut famam, vel rem læsam restituere (cum possint) renuunt; aut nullum peccatum confitentur.—2.° In occasione proxima graviter peccandi voluntarie versantibus, ac eam relinquere nolentibus, vel aliis illam præbentibus.—3.° Superioribus filios, servos, subditos gravibus vitiis deditos corripere, aut in rebus fidei eos ignorantes instruere, negligentibus; uti sunt aliqui parentes, domini, et forsan parochi, Episcopi, etc.—4.° Res fidei de necessitate medii ignorantibus, si breviter instrui, et disponi queunt, illico absolvi possunt.—5.° Irretitis censuris, vel casibus reservatis.—6.° Usuris, vel artibus illicitis operam dare volentibus. *S. Lig., n.* 606. Non autem potest confessarius dimittere pœnitentem, eo quod suas opiniones, aliter inter theologos graviter controversas, sequi renuat; quippe ibi non est judex opinionum, sed pœnitentis dispositionum. Circa illas *unusquisque in suo sensu abundet.* (Rom. XIV, *S. Lig., n.* 604). Secus si agatur de iis, quæ a pœnitente sunt agenda, aut vitanda.

– Si accedat tibi pœnitens inabsolutus ab alio confessario dimissus, paterna charitate eum admitte, audi, et ob zelotypiam alterius judicium ne reformes, si juste fuit ita rejectus: si nunc se humiliat, ac pœnitet, ipsum absolve, si facultatem habes, primum confessarium excusans, ac media emendationis illi præscribens; secus infelicem ejusdem statum impœnitenti patefacies, ut deterreatur. *Scheider.* Maxime optandum foret, ut

omnes confessarii in deneganda, vel differenda absolutione iisdem principiis insisterent, ne quod alter colligit, alter dispergat.

---

# CAPUT XIV.

## De pœnitentibus consuetudinariis, recidivis, et occasionariis.

813. **Consuetudinarius in peccato** est *qui alicujus peccati habitum contraxit, de quo nondum est confessus.* Dicitur habitum contraxisse eum, qui sæpius inter aliquod intervallum repetit peccatum; v. g., quinquies in mense per annum, si de externis agatur. Sed in peccatis luxuriæ multo minor numerus potest habitum constituere, v. gr. qui semel in mense fornicatur per annum, ut sentiunt plures cum *Scavini, n.* 343. Sed regula certa determinari nequit; moraliter est id accipiendum.

—*Habituatus absolvi potest, licet nulla præcesserit emendatio,* modo eam serio proponat; siquidem non est præsumendus male, sed bene dispositus, cum peccata sua sponte confitetur, modo remedia præscripta acceptet, et contraria præsumptio non obstet; veluti de peccatoribus in genere supra dictum est. *(Ita communissime cum S. Lig., n.* 459).

Excipe 1.° clericum, qui brevi ad Ordines sacros ascendere cupit ob defectum positivæ bonitatis (Vide vol. 1, n. 758, et *S. Lig., in praxi, n.* 78);—2.° etiam alium qualemcumque in vitiis valde radicatum, ut majorem concipiat horrorem; sed ad breve tempus, et si aliud non obstet: plerumque consultius erit remedia efficacia ei præscribere et absolvere, ac eum adhortari, ut brevi iterum confiteatur ad eradicandos pravos habitus.

Q. *Quid de consuetudinario, qui immediate ante matrimonium contrahendum confitetur; vel de eo, qui pluries in anno confiteri recusat?*

R. 1.° Si dispositus inveniatur, absolutione privari nequit sine injuria; si dubitetur, conditionate saltem erit absolvendus; si indispositus certo inveniatur, erit disponendus; et si id obtineri non possit, dimittatur. *(Gury, Ballerini, n.* 640). (V. n. 923).—2.° Si confiteri pluries in anno renuat, modo alias sit dispositus, aliaque opportuna remedia adhibere velit, absolvendus erit; nulla enim adest ratio aliter agendi. Suaviter inducatur, ut sæpius accedat, uti in festis Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis B. Mariæ, omnium Sanctorum, etc. —3.° Si recusat adhibere remedia a confessario præscripta, maxime opportuna, et necessaria, non erit absolvendus; porro sincere corrigi non vult, etsi aliter dicat. *(Varceno).*

814. **Recidivus** ille est, *qui habitum alicujus peccati contraxit, et post confessionem, vel confessiones, in eundem relabitur.* Quadruplicis generis sunt recidivi: 1.° qui *signa extraordinaria doloris præbent;*—2.° qui *signa tantum ordinaria;*—3.° qui *dubia signa ordinaria;* —4.° denique qui *nulla signa.* Hic est confessariis tormentorum scopus; opinionum conflictus; judiciorum vertigo; sacrilegiorum occasio, et admiratio pœnitentium, dum ab uno inabsoluti dimittuntur, et ab altero cum iisdem dispositionibus illico absolvuntur. Inter tot theologorum asserta en regulas communiter receptas.

815. 1.ª *Recidivus extraordinaria præbens signa doloris absolvi potest toties quoties;* nam per hæc tollitur omnis indispositionis suspicio, quam præcedentes lapsus inducebant; exinde confessarius prudenter judicare valet pœnitentem fecisse, vel facturum quantum est in se, ac revera esse satis dispositum. Tamen adhuc confessarius absolutionem differre poterit, si ita expedire judicaverit, quod rarissime accidet, nisi per 8, aut 10, vel ad summum per 15 dies. *(Ita fere omnes cum S. Ligor.*, *n.* 459).

816. Signa extraordinaria doloris sunt. 1.° *Major conatus adhibitus ad emendationem,* et ad implenda media a confessario præscripta;—vel notabilis emendatio, ut ait *Gousset,* cum pœnitens in iisdem periculis fuerit;—vel si perseveraverit per notabile tempus; v. g., per 20 dies, aut saltem 15, cum pluries in hebdomada prius relaberetur;—vel nonnisi post magnum conflictum lapsus sit;—aut si post lapsum doleat, et subsequatur dolorosa confessio.

2.° *Confessio spontanea peccati diu celati cum magno rubore;*—vel generalis confessionis, saltem alicujus vitæ temporis postulatio;—vel si pœnitens sponte confiteatur peccata culpabiliter omissa;—aut si prius restituat ablatum, famam, vel honorem.

3.° *Spontanea confessio,* quæ non oriatur ex usu se confitendi in certis solemnitatibus, sed ex animo se cum Deo reconciliandi. *(Ita communiter cum Gury, n.* 639, *Scavini, n.* 345, *S. Lig., n.* 460).

4.° *Spontanea assertio vitam novam illico incipiendi;* vel peccata quocumque incommodo vitandi.

5.° *Superatio difficultatum,* v. g., si pœnitens longum iter susciperet ad confessionem rite peragendam;—vel se privaverit a lucro illius diei;—vel magnum conflictum internum, vel externum superaverit; v. g., juvenis, et vir, qui seipsos, et timorem humanum, et irrisiones despexerint, saltem in pluribus oppidis, ubi fortiter boni ita sunt dimicaturi.

6.° *Si pœnitens ad confessionem accedat extraordinario motivo inductus,* uti mortis amici, piæ lectionis, concionis auditæ, timore infortunii, tempore exercitiorum, aut missionum, etc.

7.° *Major dolor patefactus per suspiria, insolitas lachrymas,* per talia verba, quæ animi compunctionem indicant; etiamsi id eveniat post confessarii monitiones; vel ipse pœnitens confessario ostendat per illas se adeptum fuisse novam sui status cognitionem, vel damnationis periculi.

Cum facile aliquod ex dictis signis inveniatur in pœnitentibus; plerumque etiam recidivi absolvi poterunt, et sic in praxi valde temperatur hæc S. Alphonsi sententia prima fronte rigida apparens, ait *Berardi.*

817. 2.ª *Recidivus sola contritionis ordinaria signa afferens absolvi potest, et plerumque debet, saltem quoties facile differri nequeat absolutio;* 1.° Cum adsit necessitas communicandi ad implendum præceptum paschale, ad infamiam, vel scandalum vitandum, aut ad matrimonium illo die contrahendum.—2.° Si adest physica, aut moralis impossibilitas redeundi post aliquot dies; quia discedit pœnitens, vel confessarius, et ob similia obstacula.—3.° Si res sit cum moribundo, qui adjuvandus est omni quo potest modo.—4.° Si agatur de eo, de quo prudenter timetur, quod non amplius ad confessionem redibit. Ratio est, quia ex una parte pœnitens judicari potest absolute dispositus, et ex altera adest gravis ratio eum absolvendi, ne diu in peccato permaneat. Tamen confessarius conetur salutaribus, ac ferviais monitis eum commo-

vere, ac signa doloris extraordinaria ex illo obtinere. (*Ita Gury, n.* 635, *Scavini, n.* 344, *S. Lig.*).

818. **Signa doloris ordinaria** sunt : 1.° Candida et humilis confessio. — 2.° Sincere confiteri omnia peccata, etiam majora, et turpia. — 3.° Confessio libere facta ex aliquo pio motivo; v. g., ad indulgentiam lucrandum, vel ad alicujus confraternitatis statuta adimplendum. — 4.° Cordate asserere de peccatis dolere, et firmiter non peccandi de cætero proponere; vel si, ad confessarii interrogationem se paratum esse, respondeat pœnitens, ita ut existimari possit pœnitentem hic et nunc revera dispositum esse, quamvis post breve tempus propositum sit mutaturus. (*Croix, n.* 1734, *Gury, Suarez, Ballerini, n.* 625, *Varceno, cum communi*).

819. Q. *Quid si recidivus, nullo adhibito conatu, nulloque fere impleto medio sibi a confessario præscripto, cum eodem pravo habitu, vel pejori, redeat?*

R. I. Communiter et merito dicunt eum absolvi non posse, ne prima quidem vice, nisi extraordinaria præbeat signa doloris; quia prudentem saltem dat suspicionem, quod sua pœnitentia non sit vera; qui enim firme proponit rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi obliviscitur; saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius, aut rarius, cadit. (Ita *Lugo, n.* 160, *S. Lig., n.* 459, *Gury, n.* 636, *Scavini, aliique plurimi*).

II. *Alii* vero non pauci dicunt licere experimentum per 3, aut 4 vices capere, recidivos absolvendo, etiamsi eodem modo relapsi sint, ac congruentiora remedia iis præscribendo, dummodo ordinarie dispositi hic et nunc appareant; quia præsumptio in contrarium non desumitur ex uno, vel altero actu, sed ex communiter contingentibus. Propositio sub n. 60 ab Innocent. XI diris devota, quam *AA.* adducere in medium solent, non facit ad rem; nam ibi habetur : *Etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda absolutio, dummodo ore proferat se dolere;* in quo omnes conveniunt; sed id omnino affirmari nequit de præfato recidivo. (Ita *P. Concina, p.* 722, *n.* 24, *cum Sanch., Lugo, Laym., Pal., Viva, Spor., et alii*). *D. Ligor., l.* 6, *n.* 459, tantorum opinionem veneratur, et licet eam non sequitur, verum ita se habet: *Relapsus, tametsi præbeat aliquam suspicionem, non tamen certum exhibet signum indispositionis, bene enim contingere potest, quod pœnitens vere habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi habitus sit relapsus, ut advertit S. Anselmus (de Simil., cap.* 189), *dicens, quod consuetudinarii, pravo usu irretiti, nolentes in eadem vitia dejiciuntur.*—Et ad suspicionem tollendam signa extraordinaria doloris exigit, ut supra.

III. Alii demum cum *Varceno, p.* 199, *et Ballerini*, sustinent quod recidivus ordinaria doloris signa afferens absolvi potest *toties quoties* se obtulerit; probatur: 1.° quia ut ait *S. Ligor., n.* 459, *bene docet Lugo, d.* 14, *n.* 166 *cum Suar., Sanch., Reg., Henr., et aliis communiter, quod dispositio sufficiens est dolor, et propositum præsens, non emendatio futura; atque ita pœnitens poterit absolvi, licet judicetur relapsurus.* Idem fere ait *Angelicus* : *Quantumcumque aliqua virtus efficaciam habeat, flexibilitatem a libero arbitrio non tollit, dum est in statu viæ. Similiter illud, quod futurum est, non potest esse de substantia, vel de integritate alicujus virtutis, nisi secundum quod est præsens in apprehensione, vel in voluntate; quia virtus quantum ad habitum non expectat aliquid in futurum... Unde cum pœnitentia sit virtus, et secundum quod est sacramentum non se extendat ultra actum virtutis, non erit de integritate pœnitentiæ essentiali futuri continuatio, nisi ut sit in proposito.* (In 4, dist. 14, q. 1, a. 4, q. 2). Et *S. Lig. in praxi conf., n.* 75 ait : absolvi posse semper ac aliquod adest signum, quo prudenter possit judicari pœnitentem mutasse voluntatem.

2.° In libro Rom. edit., cui titulus *Inst. novo confessario, p. 1, cap. 9, n. 213*, legitur : Quod peccator relapsus propter mali habitus vim, vel ob fragilitatem (secus si ob malitiam), statim absolvendus est, si firmam habeat voluntatem media adhibendi ad se emendandum.—Id ipsum satis deduci videtur ex S. Matth. xviii; nam accedens Petrus ad Jesum dixit : *Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies;* id est, toties quoties id acciderit. Unde cum *Jesus cœpit facere et docere*, præsumi nequit velle nos esse Illo misericordiores. Ergo... *Nec verum est, quod sola temporis probatio unicum sit signum mutatæ voluntatis; nam voluntatis mutatio pendet a divina gratia, quæ tempore non indiget, sed in instanti operatur, et ideo non solum per experimentum temporis, sed etiam per alia quidem signa patefieri potest..... propterea, quoties pœnitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit, ut clare colligitur ex* cap. Septies 23 dist. 3, *ubi D. Hieronymus sic inquit:* «Septies cadit justus. Si cadit, quomodo justus? Si justus, quomodo cadit? Sed justi vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. Non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccàta donantur.» Ita *S. Ligor., n.* 459.

3.° Ex Catech. Rom.: *Si audita confessione, judicaverit* (sacerdos) *neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem* omnino *defuisse, absolvi poterit* (pœnitens). Et *S. Lig., n.* 461, addit : *Ergo semper ac confessario positive non innotescat pœnitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest.*—Ita sentiunt *Francolinus, P. Faure, Bettonagli, Frassinetti, Silv., Enriq., Tanner., Sanch., Ballerini, Varceno, et alii* contra *Merbesium, Juven., Genett.*, spiritum jansenistarum induentes, quorum perniciosa severitas a sacramentis fideles eliminabat, uti in Gallia alicubi adhuc viget talis pessima consuetudo, (qua homines a sacramentis arcentur, atque ad eam de medio tollendam non parum invigilare debent superiores ecclesiastici omnes) (Ita *Scav., t. 4, n.* 511).—Quocirca in praxi fere omnes convenimus. ¿Nonne etiam rigidiores speculativi quantumvis recidivos inveniant pœnitentes anniculos indiscriminatim eos absolvunt; et non raro (quod quidem malum est) quin congruum tempus ad eos disponendos impendant?—Tamen omnes conveniunt, quod si confessarius aliquando utilius judicaverit absolutionem differre ad præcavendos relapsus, vel ut pœnitens sui status, ac novam suæ iniquitatis cognitionem acquirat, ad illud teneri. Sed ad recidivos emendandos nihil securius quam frequens confessio et Communio; mortis, judicii, ac inferni horrores infundere; devotionem erga V. Mariam, S. Joseph, SS. Sacramentum inflammare; pericula vitare, sensus ac carnem frenare. Non pauci, quin de hisce remediis cogitent, audiunt, et illico absolvunt, ne popularitatem, vel numerosam clientelam amittant, vel ob segnitiem, aut propriam frigiditatem, quod recidivos auget.

820. 3.° *Recidivos dubie dispositos, excepto necessitatis casu, absolvere nequit confessarius*, usquedum dispositionis signum appareat. (Ita *omnes*). Sed utique absolvi poterunt, saltem plures, si rite exequatur confessarius illud P. Leonis XII memorabile, Const. *Charitate Christi*, 25 dec. 1825, § 5: *Sistunt se quidem multi sacramenti Pœnitentiæ ministris prorsus imparati; sed persæpe tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera indutus misericordiæ Christi Jesu, qui non venit vocare justos sed peccatores, sciat studiose, patienter, mansuete cum ipsis agere.* Utinam omnes confessarii ita peccatores etiam recidivos, ac imparatos acciperent, et humanissimis verbis eos paratos efficerent, ac nunquam amare eis dicerent: *Recede*,

*absolvere te non possum!* Quot peccatores ita converterentur! Quot fideles sacramenta frequentius susciperent! Quot animæ salvarentur, quæ nunc misere damnantur! *Quocirca nescio quomodo a culpa excusari possint desides illi confessarii, qui statim ac noverint pœnitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla, aut valde modica præmissa diligentia ad eum curandum,* ait *S. Lig., n.* 608.

*Sed quod dolendum est, maxima pars confessariorum indigne, nullo prorsus signo extraordinario exhibito, indiscriminatim sine ulla admonitione, nulloque præstito remedio, hujusmodi relapsis semper absolutionem impertiuntur, et hoc est unde ruina tot animarum emanat.* (S. Lig., n. 464). Cæterum recidivus, adhuc dubie dispositus, absolvi poterit sub conditione, quoties jure timendum sit, ne semel dimissus inabsolutus a sacramentis recedat, ac in profundum veniat; vel si urget necessitas, ut supra, n. 759; vel si amplius opportunitatem confitendi non habiturus sit, quod magis de moribundo currit. *(S. Lig., n.* 432 *et* 469).

821. **Occasionarius** ille dicitur, *qui in peccati occasione versatur.—Occasio peccati* in genere est *circumstantia externa, quæ sive ex natura sua, sive ex hominis fragilitate, ad peccatum allicit.*—Periculum peccandi est *quidquid sive intrinsece, sive extrinsece ad peccatum impellit;* quod esse potest *proximum,* et *remotum; formale,* et *materiale; certum,* et *probabile,* sicut occasio.

—**Divisio**. Occasio est: I. *Proxima,* et *remota.* 1.ª est illa, *in qua communiter homines, ut plurimum peccant* (Ita *Gury ex S. Lig., n.* 452, *cum communi):*—2.ª vero illa est, *in qua homines constituti, ut plurimum non peccant.* Hanc effugere non tenemur; secus de mundo exire deberemus omnes.

II. *Occasio proxima* alia est *absoluta,* seu *per se,* quæ *talis est respectu omnium in genere:* etsi respectu hominis valde pii et sancti poterit esse remota, ut dicunt *Holzm., Croix, S. Lig, n.* 452; et alia est *relativa,* seu *per accidens,* quæ *talis est respectu alicujus, ratione suæ fragilitatis vel passionis.*

III. Alia dicitur *præsens* et *in se, quam homo secum habet, quin eam quærat;* uti est concubinam domi tenere: alia vero *absens* et non *in se, quam quis secum non habet, sed eam quærere debet;* uti est caupona ebrioso; amasia amasio, ludus blasphemo.

IV. Alia est *voluntaria,* et alia *necessaria;* prout *quis facile eam vitare valet;* vel *physice, aut moraliter ipsam avellere nequit.*—Dicitur *physice* necessaria, *quæ nullo modo a voluntate pendet, ut deseratur;* v. gr., carceratus cum flagitiosa muliere.—*Moraliter* vero necessaria est, *quæ deseri nequit sine gravi, vero, ac certo incommodo:* 1.° *temporali;* v. g., militia respectu militis, vel causa artis licite exercendæ;—2.° *sui status;* uti inter collegialiter viventes, et inter conjuges;—3.° *bonorum;* uti inter filios in paterna domo viventes;—4.° *vitæ;* quæ raro eveniet;—5.° *scandali;* v. gr., si uxor versetur in occasione proxima cum suo leviro. (*Scavini, n.* 339, *S. Lig., n.* 452).

822. **Occasio dimittenda**. I. *Nunquam est absolvendus ne prima quidem vice, qui deserere renuit proximam occasionem voluntariam* graviter peccandi, sive proxima *absolute,* sive *relative,* sive *præsens,* sive *absens* sit; neque qui ex animo remittere, vel restituere, aut satisfacere renuit quibus debet. Constat 1.° Ex hac prop. 61 ab Innoc. XI proscripta: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione versatur, quam potest et non vult deserere; quinimo eam directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*—2.° Ex S. Scriptura: *Et qui amat periculum, in illo peribit.* (Eccli., III).—3.° Ex ratione: qui efficaciter vult finem, adhibet media necessaria ad ipsum; secus tentare Deum, aut se in manus inimici tradere ostendit. Ergo non se convertit ad Deum ex toto corde; neque peccatum super omnia mala detestatur. Unde non sunt absolvendi qui licet in occasione

non peccent, aliis tamen scandalum præbent; nam ex lege charitatis quisque tenetur a proximo offendiculum avertere. Idem dic de nutrice, quæ in lecto infantulum retinet cum gravi suffocationis periculo, etsi id non intendat. (*S. Lig.*, *n.* 452 *et* 454, *Scavini*, *n.* 340).

II. *Concedi debet ex se absolutio pœnitenti in occasione remota constituto*, quamvis eam deserere nolit; aliter nimis durum esset; cum plerumque tales occasiones vitari non possint, neque periculum proximum mortaliter peccandi inducant. *(Gury*, *S. Lig.*, *Hom. A.*, *tr. ult.*, *n.* 2, *etc.)*

III. *Non est deneganda absolutio pœnitenti, etiamsi iterum, atque iterum reincidat, maxime si aliquantulum se contineat, et paulatim numerum peccatorum minuat, qui ex officio, labore, vel negotio suo, in occasione proxima graviter necessaria versatur*, (uti sunt aliquando milites, mercatores, caupones, chirurgi, parochi, famuli, fratres, affines, cum mulieribus laborantes, etc.); modo dispositus inveniatur, et remediis præscriptis uti velit; siquidem ad impossibile sive physice, sive moraliter nemo generatim tenetur; nec occasio necessitatem peccandi facit. (*Gury*, *n.* 629, *S. Lig.*, *n.* 453).—Si vero in hac proxima occasione pœnitens recidivus constituatur, uti recidivus est tractandus, et differre ei absolutionem opus erit, si commode possit. Et si omnibus adhibitis remediis; v. g., mortis et inferni consideratione, frequenti confessione, occasionum fuga, ac omni familiaritate, etc., nullam emendationis spem præseferat (quod suppositum non immerito negari posse dicunt *Gury*, *et Ballerini)*, etsi aliqui dicant quod, uti alius quilibet recidivus sit tractandus, in veriori autem sententia, absolvi nequit (nisi extraordinaria signa doloris exhibeat); tunc enim peccatum a periculo sejungi non potest, unde hoc fit formaliter peccaminosum; ideoque est fugiendum cum quocumque incommodo temporali, juxta illud Christi: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* (Matth. v). *Ita Croix*, *Suar.*, *n.* 4, *Viva*, *Gury*, *n.* 630, *Scavini*, *Varceno*, *S. Lig.*, *n.* 457, *cum communi* contra *Pal.*, *Holzm.*, *n.* 583, *Gob.*, *Pallav.*, *Fabri*, *aliosque*, dicentes, absolvi posse toties quoties, modo sufficientem dolorem, et propositum habeat. Sed merito advertit *Lugo*, *n.* 160 quod, cum aliquis immediate post confessionem semper facile cecidit, is vero dolore et proposito carere censetur, et ideo non absolvendus. *Falso enim fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.* Ita Innocent. II *in cap. Fratres*, S. Gregor. VII *in cap. Falsos*, S. Carolus *in Instruct. confess.*

823. Q. *An absolvi possit ille, qui promittit se derelicturum occasionem proximam peccandi, sive* per se, *sive* per accidens, *antequam eam deserat?*

R. I. Affirma, *per se*, si agatur de occasione *absenti*, et periculum imminere videatur solum ex humana fragilitate, aut inconstantia; cum pœnitens tunc sit dispositus; et cum occasio absens positivum inquisitionis actum expostulet, difficultatem non importat ejus recessus. Ideo absolutio semel, aut bis, aut etiam ter dari potest, et non amplius, nisi prius occasionem deserat. *(Scavini*, *n.* 310, *S. Lig.*, *n.* 454, *S. Carolus in Inst.)* Excipe, si ob circumstantias apprehendat confessarius extraordinarium conatum opus esse ad socium, vel ludum, aut illicitum contractum declinandum; tunc sæpe sæpius absolutionem differre opus erit. *(Gury*, *n.* 630).

II. Nega, etsi extraordinaria signa doloris afferat, si agatur de occasione præsenti, quæ facile dimitti illico valeat, ne prima quidem vice *generatim loquendo;* quia hujusmodi occasionis ablatio est res ardua, et maxime si agatur de vitio turpi ob naturalem propensionem, humanum timorem, mentis et cordis obumbrationem; ita ut statim ac se videant amantes, etiamsi cum magno fletu emendationem promiserint,

passione denuo illaqueantur, ac omnia promissa transgrediuntur, vel in fumum evanescunt, experientia teste. In hac re nulla cura est satis. (*Gury, Scavini, S. Ligorius, n.* 452, *cum communi*).

Excipe 1.° Si agitur de moribundo, cui absolutio differri nequeat. Item si pœnitens non amplius ad confessarium redire possit, aut nonnisi post longum tempus, ratione gravis oneris redeundi, vel confessionem repetendi apud alterum, modo aliter sit dispositus.—2.° Si pœnitens extraordinaria doloris signa affert, quæ ipsum indicent donatum uberiori gratia, qua in removenda occasione firmior erit, præsertim si accedat rationabilis causa solemnitatis, indulgentiæ, etc. (*Lugo, S. Ligorius., n.* 454, *Gury*). Sed si differri commode possit absolutio, differatur usquedum sit ablata occasio; nam hic funiculus difficile rumpitur; homo in occasione alius est aut videtur quam extra eam. Item si sermo sit de pœnitente, qui nunquam periculosam occasionem adverterit, vel obligationem deserendi ipsam, vel ab alio confessario non fuerit admonitus de tollenda occcasione, modo dispositus inveniatur, prima vice illico absolvi potest. (*Scavini, Varceno, S. Lig., n.* 454).

824. Q. *An absolvi possit, qui se exponit probabili periculo peccandi?*

R. I. *Periculum formale*, seu quod *est proxime conjunctum cum peccato, ita ut homo in eo constitutus probabiliter peccaret*, semper est vitandum; urget siquidem omnino formale peccandi periculum fugere. *Materiale vero*, seu quod cum peccato non est proxime conjunctum, sed tantum remote, ratione necessitatis et mediorum, quæ homo ad vitandum peccatum adhibet, declinari non debet, etsi pœnitens se exponat periculo probabiliori, modo moraliter certus non sit de lapsu; quia in necessitate, orationibus piisque operibus præmunito homine, sperandum est auxilium Dei, ut periculum de proximo fiat remotum, uti evenire potest medicis, parochis, etc. (*S. Lig., n.* 452 *et* 453).

In confessione est explicanda species peccati, cujus periculo se objecit pœnitens, etsi *de facto* illud non admiserit; quia interne jam fuit admissum.

825. Resolves: 1.° *Publicus concubinarius*, etsi dispositus, non est absolvendus, nisi rejecta concubina, ratione periculi et scandali. Tamen sive in concubinario, sive in civiliter tantum conjugato, inveniri potest dolor extraordinarius, et admirabilis conversio; ast si dum curat, ut matrimonium legitimetur, separari moraliter nequeat quoad tectum, absolvi potest, sed non ad Communionem admitti, ob scandalum. (*P. Segneri, Scavini, l.* 3, *n.* 459, S. *Lig., l.* 3, *n.* 436).

Si concubinatus est occultus, neque absolvi potest concubinarius nisi raro; puta si afferat signa extraordinaria doloris, et aliunde moraliter impossibile sit concubinam ante absolutionem dimittere, v. gr., sine gravi damno famæ, vel fortunæ; vel urgeat necessitas communicandi ad magnam infamiam vitandam. Alias absolutio semper est differenda; secus facillime, fere semper, ad vomitum reditur. *S. Lig., n.* 432. Probabiliter non tenetur quis occasionem proximam peccandi cum concubina tollere cum suo gravi damno temporali, v. gr., si amasius esset debitor concubinæ in magna summa, et non posset solvere sine magno detrimento suæ famæ, vel sui status, modo paratus semper sit interim uti mediis ad peccatum avertendum præscriptis, quæ sunt major oratio, frequentior usus sacramentorum, novissimorum meditatio, promissionis de non amplius peccando renovatio, fugere ab aspectu et societate complicis quoad possit, etc. *S. Ligor., n.* 441, *aliique* contra *Salm., n.* 57. Sed differatur absolutio, usque ad emendationem. *S. Ligor.*

Concubina, quæ a concubinario sustentatur, absolvi nequit antequam a domo illius discedat, nisi ex discessu ei infamia, vel aliorum scandalum eveniret; aut si

fœmina manuum labore se alere non posset, vel in alia domo deservire, aut sine dedecore mendicare, vel alio gravi incommodo, modo tamen parata interim sit uti mediis ad vitandum peccatum necessariis. *Salm.*, *n* 43 *et* 44. Emendicare vero illi, quæ non est ad id assueta, semper magnum incommodum afferre videtur, ait *Hurt.* Sed in hisce casibus regulariter est differenda absolutio. S. *Lig.*, *n.* 437. Si vero uxor in occasione proxima peccandi cum viro suo sit, qui eam contra naturam cognoscat, etc., absolvi non potest. Tenetur enim divortium facere, nisi id sit ei moraliter impossibile, ut diximus n. 822 ad III. Ita *Salm.*, *n.* 52, *Sanch.*, S. *Lig.*, *n.* 440.

2.° *Adolescens in gravi periculo versans propter fratrem eum turpiter tangentem, dum simul in lecto dormiunt*, admonere tenetur parentes, si profecto adest spes separationis, et magnum ac diuturnum odium non sit a fratre timendum. Si parentes propter paupertatem, loci incapacitatem, aut suam pravitatem, etc., moneri, aut providere non possint, aut velint, provideat, si possit, parochus; sed non est imponendum adolescenti, ut humi cubet, modo tentationi non consentiat. (*Potestas, Berardi, etc.*)

3.° *Choreas ducentes non sunt rejiciendi neque absolvendi indiscriminatim*, nisi promittant se eas esse derelicturos; sed juxta peculiare peccati periculum, etsi sint semper periculosæ. (*Segneri*). Etiam parochus magna prudentia opus habet, iis præsertim in locis ubi in usu jam sunt, et reputantur quid indifferens; ac etiam ubi non sunt usitatæ, ne de iis cogitent, cum eas execratur. Tamen pro viribus curare debet parochus illas impedire, v. gr., tempore missionis, etc., vel pietatem quam maxime in juvenibus fovendo.

4.° *Si filiusfamilias peccat cum ancilla paternæ domus*, videatur an ab aliqua circumstantia tantum proveniat; v. gr., quia vespere in culina confabulantur; tunc sufficit hanc auferre circumstantiam. Secus erit dimittenda ancilla, si adhuc illa peccatum permittat; vel si non tolerat peccatum, ast a juvene tentetur, parentibus idipsum declarare debet; et interim fugiant aspectus, colloquia, occursus. *(Mocchetti).*

5.° *Sponsi se invicem visitantes plerumque in proxima occasione peccati constituuntur.* Si enim puella juvenem illam visitantem respueret, et hic existimaret se ab illa contemni, et adsit periculum ut aliam adeat, etsi peccaverint, sufficiet ei imponere, ut in futurum in omni visitatione adsit præsentia parentum, vel aliorum, atque visitationes non sint nimis frequentes: nec diu, aut clam, aut intra domos, vel cum periculo osculorum, tactuum, etc.: nec admittantur visitationes, cum nonnisi post annos nubere possint, quin speciales circumstantiæ periculum removeant. (*S. Lig., in praxi confess., n.* 65, *Scavini*). Inter ipsos honeste amplexari in adventu, et digressu, sine periculo motuum libidinis, aut saltem sine periculo eis consentiendi, peccati mortalis non est damnandum; imo si adsit ratio hunc actum cohonestans, v. gr., timor fundatus, ne appareant scrupulosi, aut singulares, vel ne in derisionem incidant, nullatenus peccabunt. (*Bouvier* Disert. in sext.) —Tamen circa hanc rem plerumque severitas est adhibenda, ratione proximi periculi consentiendi; et invigilare non parum debent parochi, et parentes strenue monere circa hoc onus. *(Frassinetti).* Circa sponsum recte ait S. *Lig.*, *n.* 452: «Ego experientia doctus vix semel vel iterum permitterem sponso ad domum sponsæ accedere, vel sponsæ, aut parentibus illum in domo accipere; raro enim reperi qui in tali accessu non peccaverit, saltem verbis, aut cogitationibus... In his autem omnibus, præsertim ubi turpium lapsuum periculum imminet, advertat sedulus confessarius, quod nunquam crudelius se geret cum pœnitente quam benignius agendo, et quo majorem severitatem adhibebit, eo melius illius saluti consulet.»

*D. Thomas a Villan.* vocat confessarios *impie pios, qui ne confitentem contristent, illum in sua nequitia manere permittunt.*

6.° *Conversationes frequentantes cum hominibus de religione, castitate, aliisque virtutibus, et Ecclesiæ juribus, male loquentibus, ecclesiasticas personas, et cæremonias contemnentibus,* communiter in proxima occasione peccati versantur, præsertim juvenes, experientia teste; item juvenes per noctem vicos civitatis vel oppidi cursantes, vel in ludo, cantu, sonitu tempus contra parentum voluntatem terentes; conversationem, aut amicitiam pravam sustinentes, etc. Confessarius aperte sciens juvenes maxime in iis, et cum sociis incredulis, libertinis, et pravis radicitus subverti, nulli parcat labori, ut longe fiant ab hisce occasionibus proximis peccati; secus inutiliter suam emendationem spectabit. *(Scavini).*

7.° *Qui quovis mense, vel anno iter agit ad amicum, vel civitatem, ibique toties quoties mansit carnale commercium habuit cum fœmina ibi commorante*, in occasione proxima versatur; quia ad hanc non requiritur parvum temporis intervallum, sed quod quis peccet quoties in illa versetur. *(Serra).*

8.° *Theatris assistentes* ubi exponuntur comœdiæ inhonestæ, peccant ratione scandali, et cooperationis. Unde hac de re investigare omnes debent priusquam eant, vel antequam filiis theatra adeundi libertatem concedant parentes.

9.° *Qui cauponas frequentans* bis, aut ter in mense inebriatur, ab illis discedere debet, si legitima non adsit causa adeundi; secus si ibi laborando victum sibi et familiæ acquirat; tunc sufficit, ut remedia ei adhibeantur, ut occasio proxima fiat remota, v. gr., ut liquorem non bibat, vel parum, aut vinum aqua mixtum ratione sanitatis; et frequentius confiteatur, oret, infernum meditetur, etc.

10.° *Mulier angoribus vexatur,* eo quod infirmum, aut hebetem a sordibus lavare debet, ex quo valde tentatur. Confessarius inquiret, an id per alium virum fieri possit, vel non. Si *primum,* illud per virum fiat; si *secundum,* modo ipsa non consentiat, et ex motivo charitatis agat, vel necessitatis propriæ, vel alienæ, in securitate eam constituat, non peccare. Idem dic de viro fœminas quoad graviores partes lavante. *(Frassinetti).*

11.° *Sacerdos mordicus ancillam dimittere recusat,* quacum plus æquo pluries familiariter se gessit; quia rei serpens rumor sic confirmaretur: *Quid?* Eam dimittere debet; nam rumor publicus, si valde gravis sit, scandalum generat, quod tolli nequit, dum ancillam retineat. *(Gury, Sanch., S. Lig., n.* 43 et 432, etc.)

12.° *Si ancilla, vel alia in concubinatu,* ex publica fama, versans, aut in matrimonio tantum civili, ad missionarium accedat, ut ibi confiteatur, et hic eam absolvit, ipsaque ad Communionem accedat, *quid facere debet parochus?* Primo scandalum præcavendum est.—*Quomodo?* Per recessum ab illa domo.

---

# CAPUT XV.

## De directione animarum.

826. **Director animarum** delicatissimum munus suscepit: *Ars artium animarum directio.* Unde merito habet P. Avila, ut pœnitens *unum eligat inter mille:* imo si possibile est, *unum inter decem millia,* ut addit Salesius. Pro hac electione præ oculis est habenda doctrina, pietas, et

experientia; sane experientia est rerum magistra. Inter doctum et pium præponendus est doctus; nam pietas suppleri potest, non item doctrina. Si agatur de mediocriter docto, præferendus est pius ob deceptionis periculum. Hinc ut rite hoc munus adimpleat director, se exhibere ut *patrem, medicum, doctorem*, et *judicem*, oportet.

I. *Scientia*, et *experientia* pollere debet, 1.° ad discernendos spiritus: —2.° ad inspiciendas diversas personarum indoles:—3.° ad interrogationes faciendas: — 4.° ad opportuna monita, et remedia unicuique suppeditanda; nam pro peculiari pœnitentium ætate, statu, bonitate, et vocatione, diversa est adhibenda spiritualis directio. ¡Quot sacerdotes ob zelotipiam perquirentes magnam clientelam sine scientia atque experientia, pœnitentibus placere, ac laudes humanas captare gestientes, animarum perfectioni officiunt, et in tartarorum locum cum ipsis se mergunt! Meminerint quod sæpe repetit *S. Teresia* de illiteratis confessoribus, et quomodo suadet, ut litteratos eligant fideles proficere cupientes.

II. *Prudentia* debet esse præditus maxime juvenis, et præsertim cum mulieribus. ne devotio, quæ spiritu cœpit, inanibus verbis, curiositatibus, aliisque rubus amantium propriis ad carnalem transfugiat. Caveat omnis confessarius a nimia cum pœnitentibus familiaritate, a visitationibus, ac donis, quod fere esse nequit sine mutuo affectu, et cupiditate, ac sacrilegiorum periculo. Sic ait *S. Ligor*. in praxi, n. 119: *Regulariter in confessionario cum (*mulieribus) *junioribus sit potius rigidus* (confessarius) *quam suavis; nec permittat illas ante confessionarium accedere, ut sibi loquantur, et multo minus, ut manus deosculentur... Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in ecclesia; omnemque familiaritatem devitet. Abstineat etiam a recipiendis munusculis; et præcipue ad illarum domos nunquam accedat; uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc nonnisi vocatus accedat, et tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum confessionibus; unde januam apertam relinquat, sedeat in loco ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem pœnitentis nunquam defigat. Et hoc præsertim currit, si sint personæ spirituales, cum quibus est periculum majoris adhæsionis*. Id curent experti, fortiter reprehendant in aliis incautis, et meditentur omnes.

III. *Fortitudine* carere nequit bonus director animarum, ita ut conculcato quovis humano respectu, cuique pœnitenti, ubi opus sit, dicat cum Præcursore: *Non licet tibi:* nam ibi minister Dei est; agat ergo causam Dei, et animarum: et simplex coadjutor dicat Episcopo, et Canonico, et parocho, et nobili, et magistratui, et sapienti, et cuilibet pœnitenti, castitate, zelo, et justitia indigenti: *Eia, serve Christi, aut muneribus rite fungere, aut confessionem peccatorum pondus augentem desine; alioquin ambo in infernum detrudemur.— Oportet catechizare, et verbum Dei in festis prædicare*, dicat negligenti parocho; et sic de cæteris. Confessarius, qui has partes habere cupiat, nec plausus nobilium ac superiorum exquirat, nec in populo inanem existimationem, neque pœnitentium copiam appetat, sed Dei voluntatem in omnibus quærat.

IV. *Meditatione quotidiana, ac pietate* munire se debet confessarius, si præfata munia exequi desiderat; *est conditio sine qua non:* 1.° ut auxilium a Deo postulet, et obtineat ad rem difficiliorem rite ac utiliter pertractandam: — 2.° ne tot malorum ulcera sanando, se deturpet:— 3.° ut exemplo doceat, quod verbis insinuat; et ne una manu destruat

quod alia ædificat; vel ne eum pigeat edocere quod tædet exercere. ¿Quid proderit confessarius sine pietate, recollectione, quotidiana meditatione, ac fervido spiritu? *Qui non ardet, non accendit.* Unde concludit S. Alphon.: *Has tamen partes nunquam assequetur confessarius ille, cui oratio non est perfamiliaris, et meditatio quotidiana, etenim alia via lucem et gratias huic tanto muneri... necessarias obtinere nemo potest.* En præcipua humanæ restaurationis methodus, et alia non adest. Sed si de lecto ad altare, de altari ad confessionarium, et de hoc ad vicos, et domos sit confessarii progressus, quid facient clientes? Oret coram populo genuflexus, ac devotus; et sic incipiet, ut Jesus, facere, et docere.

827. **Oratio ante audiendas confessiones** consulenda, cui 100 dierum indulgentia confessariis corde contritis, ac devote semel in die recitantibus a Pio IX fuit concessa. «Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam »judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare »claves regni cœlorum, ut nulli aperiam, cui claudendum sit; nulli claudam, cui »aperiendum sit. In me sit lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne »despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interro- »gandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quæso, ad retrahendos a malo »solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora indus- »triam. In responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in »implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis »ne contaminer, alios salvem, me ipsum non perdam. Amen.»

828. **Pœnitentium indolis studium.** Si desiderat confessarius, ut suæ monitiones pœnitentibus prosint, curet eorum *indoli*, ac *conditioni* sese accommodare. Distinguntur temperamenta: *melancholicum*, *phlegmaticum*, *sanguineum*, et *cholericum*.

1.° *Melancholici* suapte indole sunt mente defixi, ruminatores, propriæ opinionis tenaces, proni ad suspiciones, et cordis secreta, parum grati pro acceptis beneficiis, parci in laudando, lenti ad conferenda in alios obsequia.—Cum iis director se exhibeat suavem, affabilem, sincerum, amore plenum; abstrahat eos a nimia solitudine, ad convenientes labores inducat; instet, ut internas turbationes, ac molestias candide aperiant, ac opera misericordiæ exerceant.

2.° *Phlegmatici* frigidi sunt; difficillime effervescunt, ac in bono opere perseverant: angusti pectoris, proni ad pavores et diffidentias, inertes ad exercitia pietatis, licet immunes a pravorum vehementia, tamen in carnis delicias proclives. Dum reprehenduntur, desperant; dum suaviter tractantur, evanescunt; sic fortiter, suaviterque ad aliqua pauca exercitia pietatis, ac mortificationis sunt alliciendi; secus animo dejiciuntur.

3.° *Sanguinei* ex se leves, et inconstantes, deliciis ac vitæ molliori inhiant; faciles ad jungendas amicitias sunt, ad priores relinquendas, ut alias capiant: profusi in vanitates, ab omni solitudine, rigore, et pœnitentia abhorrentes.—Cum his benigne agat confessarius, ne terreantur; virtutem solatii ac lætitiæ plenam ipsis depingat, ac facilem; et ad cœlestia gaudia ejus mentem dirigat. Suaviter urgeat, ut, vanis derelictis, graviores induant mores; Sanctorum libros, ac devotos legant; sacramenta frequentent, et aliquas pœnitentias assumant.

4.° *Cholerici* sunt impetuosi, proni ad res magnas aggrediendas cum magna simul arrogantia, et ambitione; se ac res suas extollere, aliisque contradicere, cæterorum gesta vituperare, propriis innixi viribus, omnes correctiones aversari solent. Ex iis fiunt majores sancti; ubi enim disciplinæ sanctiori semel subacti fuerint, ad majo-

res in virtute progressus adaptantur.—Divini Salvatoris humilitatem, mansuetudinem et patientiam continuo ob oculos habentes, animi superbientis pruritum compescere enitantur; propriis viribus diffidere, nunquam sibi, aut aliis irasci, et semper ferventius ad Deum recurrere illis suadere oportet. Insuper moneantur, ut ante opera sua consilium petant, de se ac rebus suis nunquam sermonem ingerant, naturæ impetum frenent, suaviter, et cum debita judicii maturitate operentur.—Sæpe etiam una simul videntur hæc temperamenta, vel saltem duo in pœnitentibus.

829. **De puerorum, et puellarum directione.** I. Pueri a seipsis peccata confiteantur. Deinde confessarius caute, suaviter, et gradatim interroget, habita ratione necessitatis, ætatis, ac discretionis. Quæratur *an tacuerint aliquod peccatum ob verecundiam; an catechismum sciant; an blasphemaverint, Missam in festis audierint, aut in ea sermones habuerint, etc.;—an parentibus obedierint, vel aspere ipsis responderint;—an cum cæteris pueris, vel fratribus rixati fuerint, et quomodo; an aliquid furati, vel mentiti fuerint; an mala verba dixerint, vel turpem aliquem jocum viderint, aut fecerint; ubinam? ante quem?* Sed non prudens esset ex abrupto interrogare: *Tetigisti te ipsum?* aut *cum aliis,* aut *puellas;* aut viceversa; nam si malitiam adhuc non habent, ita perfacile eam addiscent. *(Scavini, n. 485, S. Lig., in praxi, n. 90).* Cautissime et a longe circa puellas, ac etiam pueros quoad jocos cum aliis alterius sexus est inquirendum, ne addiscant quod utiliter ignorant. Sæpe graviora peccata negant ex ignorantia, erubescentia, vel malitia, præsertim peccata turpia; et tunc melius erit sic interrogare: *Noli timere: Dic mihi: quoties hæc fecisti? decies, aut vigesies?* — Et sic ex responsis jam colligi potest, utrum amplius sit inquirendum, vel non: plurimi memoriam non habent nisi de posterioribus diebus, et urgendi non sunt ad numerum certum exprimendum, ne mentiantur. Tunc pauciora, directa, salutariaque monita eis fiant. Devotionem erga Deiparam eis insinuare oportet, ut rosarium quotidie recitent, ter *Ave,* mane, et sero cum illa prece: *Virgo, et Mater Dei, ego me tibi offero...* ut a pravis sociis recedant, sacramenta frequentent, et similia. Impuberes habitum pollutionis, vel alterius turpitudinis contrahere incipientes, omnino sunt admonendi, licet in bona fide reperiantur; idem dic de pueris; tum quia difficulter præsumi potest hæc bona fides, vel saltem duratura; tum quia in progressu temporis hoc vitium ad abyssum ducit. Imo non raro expedit absolutionem eis differre, antequam obdurentur.

II. *Major difficultas in eliciendo dolore adest.* Si doctrinam necessitate medii nesciant, breviter illi edoceantur de ea: postea exponatur illis imago pœnarum inferni, horror hujusmodi carceris, dæmoniorum, ignis, luctus, solitudinis, odii, æternitatis, ac deinde addatur: *Et illuc detrudi vis? puer! ubinam esses, si cum iis tuis peccatis mortuus fuisses? Ah! inter dæmones in stagnum ignis plorans, et nihil amplius manducans, neque bibens, neque videns nisi ignem, ac horridos, et nigros damnatos. Numquam Deum, et Angelos, et Sanctos videre, et amare jam posses! Eia, puer, plora peccata tua; pete veniam a Domino.—Nonne ex toto corde pœnitet te Deum offendisse propter hoc?—En, in cruce pependit, ibique pro te fuit interfectus. Vides, quantum te amat ille bonus Jesus? Et tu sputa in faciem ejus projecisti cum illis pravis verbis, etc. —Tamen Deus amplecti te vult, ac dimittere, et inter Angelos lætificare! Oh quam bonus est ille Jesus, quem tu offendisti! Nonne doles, et te pœnitet, Deum offendisse, quia in infernum projicere te potuit, et quia est summe bonus? Amasne Jesum tuum? Ex toto corde? Injuriis iterum eum afficies? Ah non! Prius mori quam...*

III. *Pœnitentia ei imponatur, quæ levis sit, quantum fieri possit,* et curandum ut

quamprimum ipsam impleat, ne obliviscatur; statimque, si est dispositus, absolvatur, ne dolor evanescat.—*Si puer in actu confessionis manibus ludat*, vel incompositus maneat, non ideo indispositus dici debet, modo attendat, ac sincere respondeat; nam sæpe ita se gerunt pueri ob magnam affectionem, quin suos actus incompositos advertant. Si in peccatis lethalibus sint recidivi, ipsi sunt tractandi sicut adulti. *S. Ligor.*

IV. *Tamen si dubia sit dispositio*, sub conditione absolvantur in mortis periculo; in obligatione adimplendi præceptum annuale; et probabiliter sentiunt plures DD. quod semper absolvi ita possunt, saltem post duos, vel tres menses, licet sola venialia afferant, ne diu gratia sacramenti careant, vel etiam sanctificante, si forte in grave peccatum ceciderint. (Ita omnino affirmat *Del-Vecchio, l. 4, n. 486 cum S. Lig., n.* 91). Ratio extra præfatam est, quia non est expectandum ut, dimissi, certo dispositi brevi redeant, sed quod non confitebuntur donec superiores eos iterum ad confessionem inducant; et tantum referent peccata ab illa ultima incompleta confessione patrata; idem dic de semifatuis, quod dici non valet de adultis.

V. *Omni labore esset a parochis curandum*, ut pueri ad frequentem confessionem assuefiant:—1.° ad suam innocentiam protegendam;—2.° ad ut rite confiteantur eos edocendos; —3.° ad salutaria monita contra pravos socios, ac mundi pericula porrigenda; — 4.° ad ipsos præveniendos, ut dein, et usque ad vitæ finem sic perseverent; minime incassum teritur tempus cum pueris.—Maxime curent, ut eorum prima Communio cum magno apparatu, ac solemnitate fiat, præmissis exercitiis spiritualibus, ac generali confessione; et in die festo Communionis sero congruum esset, ut ab omnibus, et coram parentibus ac populo solemnis fieret votorum baptismi renovatio, et dein aliquod ipsis præmium distribueretur, quam maxime ipsos adhortando ad mensualem Communionem. Desiderandum etiam foret, ut ad hoc aliqua institueretur congregatio v. g. S. Aloysii cum generali Communione mensuali.

VI. Docent *Tour.*, *Nav.*, *Lugo*, *Silv.*, etc.; parochos, et confessarios, qui una simul pueros doli capaces audiunt, aut de quibus dubitatur, an doli sint capaces, gravis sacrilegii reos esse; nam sacramento ad risum utuntur; sigillum exponunt; et contra *Canonem* præcipientem, *ut solus soli confiteatur*, agunt: præcipue si agatur de puellis. *(Scavini, l. 4, n.* 484).

830. **Juventutis directio quoad status electionem.** I. Vocatio vel *a Deo* immediate determinatur, ut in Prophetis, et Apostolis; vel mediate, id est, *a rerum, temporumque circumstantiis*, *in quibus vivimus*. Ab hac status electione ordinarie pendet temporalis, et æterna prosperitas. *Noli præpropere agere: diu considera; magnum est quod proponis;* monet D. Bernard. (serm. super *Ecce nos*).

II. Ad recte deliberandum requiritur *tempus*, *oratio*, et *consilium*. Confessarius interrogatus circa vocationem alicujus juvenis non præceps sit in definiendo: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro:... viam viri in adolescentia.* (Proverb., XXX). Unde: *Fili, in vita tua tenta animam tuam:... non enim omnia omnibus expediunt, et non omni animæ omne genus placet.* (Eccli., XXXVII). Quoad eos qui religionem ingredi cupiunt, ante omnia curet director, ut bene status illius religionis perpendant; dein videat si ibi floreat virtus, vel relaxatio; in hoc casu melius erit in sæculo manere; nam ibi negligent bona ac virtutes, quas habebant, experientia teste. Ita *S. Lig., in praxi, n.* 92.

Dein perspiciat ingressus finem, an sit mundanus, vel sanctus; si enim commoditates, vel se liberare a propinquis duræ conditionis, vel si parentibus placere

quærant, caveat ne ingressum permittat. Si finis est rectus, graviter peccaret, vocationem dissuadendo. Experiatur autem an resolutio sit firma, vel simplex fervoris transitorii, aut affectionis sensibilis effectus; item an impediatur ob inhabilitatem, infirmam valetudinem, parentum inopiam, etc. (*Scavini, S. Lig., n.* 92, *S. Thom., quodl.* 3, *a.* 14).

III. *Quoad adolescentes, qui statum sacerdotalem vellent,* inquirat director, an habeant divinam vocationem, vel terrenam, ac commode vivendi aspirationem. Signa ordinaria divinæ vocationis sunt duo: —1.° quædam singularis, firma, constans, dulcis, fortis, ac recta ad hunc statum propensio; quæ nonnisi a Deo esse potest, qui omnia disponit, nihil frustra moliendo: —2.° est virtutum initium, quæ sunt sacerdotis propriæ, uti ardens charitas; scientiarum desiderium; sufficiens capacitas; secus non Deum, et animas quærit candidatus, sed se ipsum; arceatur; nam non per ostium intrat, sed per fenestram, *fur est et latro. qui mactare et perdere venit.* Fortes in hoc sint confessarii omnes: absque scientia, capacitate, et virtute nemo admittatur ad sanctitatis statum. *Ut enim quis bonus* (sacerdos) *evadat in sæculo, oportet quod prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a ludis, ab otio, a pravis sociis, et deditam orationi, et sacramentorum frequentiæ...; alioquin se ponet in statum quasi certæ damnationis. (S. Lig., n,* 93).

—Quid opinari licet de illis tum scholaribus, tum clericis tam expeditis, qui de sua alacritate se jactitantes, fervidos, bene recollectos, modestosque irrident, et nominibus ab impiis usurpatis eos onerant, vocando illos *inexpertos, phanaticos, hypocritas, beatos,* etc.? Absque Dei miraculo semper in relaxatione proficiscentur. Numquam vidi homines a concione, aut exercitiis spiritualibus, vel a meditatione commotos exeuntes valde expeditos, et alacres in mundi sensu et modo, sed tantum ita se habent valde dissipati.—Quid inde? Discrimen habes inter scholares, et sacerdotes vitæ interioris, et alios vitæ exterioris. Perpendant hoc scholasticorum, ac clericorum directores, et videant coram Deo, cum mors ingruet, quo hac in re consilio omnes usos esse vellent ante Christi tribunal. Si quis autem absque divina vocatione statum elegerit, et tempus habet, alium sibi competentem amplectatur: secus putet sibi dictum illud S. Augustini: *Si non es vocatus, fac ut voceris.* Se pœniteat, fervidis orationibus, ac pœnitentiis totum Deo se devoveat. Id ipsum dic, si quis executioni suam vocationem mandare nequeat.

831. **Mulierum directio.** Confessarius, ut Christi minister, omnes ad se accedentes audire debet, sive homines, sive mulieres, sive pii, sive impii sint, sed oportet ut proclivior sit hominum confessionibus, ac cum ipsis benignior, et suavior; ast summe cautus cum mulieribus, potius parcus, et rigidus cum junioribus; quin permittat, ut manus deosculentur, eum visitent; neque ostendat se eas agnoscere; secus non integre omnes confitentur. Si advertat incipere cupidinem aliquam non sanctam, ad alium confessarium eas releget: *A minimis incipiunt, qui ad maxima proruunt.* Mulieres ad amores valde pronæ sunt, vanæ, et fictæ; non facile eas credat confessarius. *Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus habendus est; nec tamen quia sanctiores, ideo minus cavendæ; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt. S. Augustinus,* apud *S. Thom. opus.* 64, *de famil. Dom.*

Instet director, ut in omni loco bene recollectæ ac modestæ se gerant; a choreis, spectaculis, amoribus, aliisque mundi periculis alienæ vivant; B. Virginis sint devotæ; meditationi novissimorum, ac Christi Passionis assiduæ; SS. Sacramenti visitationi, et octiduanæ confessioni addictæ; et non facile eas ter, vel quater, aut sæpius

in hebdomada Communionem suscipere permittat, nisi religiosam vocationem præseferant, aut vitæ sanctitatem; aliter ob vanitatem, aliarum exemplum, vel mundi inscientiam, aut quia mundus eas adhuc non invenit, per aliquod tempus piæ se ostendent; dein in ariditatem, et profundam acediam se immergent; et non raro ob defectum optimi directoris pietatem deserunt.

—Neque castitatem vovere eas facile permittat, absque longa probatione; vel habitum assumere; neque ut vagentur, ecclesias visitando; aut ibi morentur plusquam congruum est; secus familiæ perturbationem consequetur, ac mulieres suæ propriæ voluntati adhæsas.—Curet etiam confessarius ne in extremum oppositum cadat, pias mulieres (vulgo beatas) irridendo, a frequenti confessione rejiciendo, sacramenta indiscriminatim negando, et festinanter, vel arroganter eas tantum audiendo. Facile in hoc graviter peccaret parochus. Caute omnium sanctitatem, ac perfectionem curet, ut linguam limeat, humilitatem, patientiam et charitatem erga domesticos, ac vicinos exerceant; et si relabantur, dicamus nobis ipsis: *Ego quotidie sacramentum conficio, et suscipio; et antecellone illis in præfatis, aliisque virtutibus, et in sanctitate? Quomodo suscipi opto a confessario cum ad eum accedo? Quid sentirem, si me ita probarent confessarii? Forsan plus valet anima mea quam illæ?*

—Valde oporteret, ut omnes confessarii *S. Teresiæ* vitam legerent, ut practice scirent, quot mala confessarii ignorantes, vel laxi generant, quando inter alia plura ipsa dicit, plus timere confessarios, quam dæmones. Directio per litteras utilis esse poterit: sed prudentia opus est præcipue quoad mulieres. Litteræ non mittantur a directore nisi ad utilem responsionem, paucis conceptæ verbis, ac gravibus, veluti si ab Episcopo essent legendæ. Præstat ne diu conserventur, et ne eas subscribat mittens, præsertim confessarius ob pericula de facili prævidenda. *Scavini*, *n.* 509.

832 Monialium directio, earumque conscientiæ manifestatio ex hodierna praxi, non superiorissæ, sed uni confessario est reservata ex *S C. Ep., et Reg.*, 10 *mart.* 1860. *Sed permittitur, ut sorores, si velint, pandere possint defectus in regulæ observantia, et progressu quoad virtutes.* Item quoad Communiones confessarii prudentiæ omnino res commissa esse debet. –Hinc: Confessarius monialium, ut patientia, gravitate, ac divina charitate plenus sit, oportet; alias pœnitentium defectus contemnet veluti tot scrupulos, et profectus erit nullus, uti sibi contigisse refert *S. Teresia.* Unde sedulo curare debet, ut in monasterio servetur silentium, effulgeat humilitas, elucescat abjectio, et ardeat amor Dei, et proximi, ita ut omnes moniales nesciri, et contemni ament, propinquorum, aliorumque conversationem abhorreant, et similia: aliter recedat, aptus non est ad perfectionem docendam. Has partes habebit cum dicere possit: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Non omittat perlegere S. Teresiæ vitam. (V. *T.* I, *n.* 807 *et seq.).* Quoad Communionem quotidianam, vel frequentem, licet sit virtus se abstinere aliquo die ob reverentiam, docent tamen quod si anima in amore divino crescere experiatur, nec imminui reverentiam erga sacramentum, melius est accedere quotidie ob amorem quam abstinere ob reverentiam. *S. Lig., n.* 151, *in praxi, P. Granada,* etc. (V. n. 622).

833. Conjugum directio. Ante conjugium curet confessarius: 1.° ut nunquam soli confabulentur, coram aliis adhuc per breve tempus, et ut matrimonium quantocius celebretur ad plura impedienda peccata:—2.° ut sacramenta suscipiant, ac generalem confessionem instituant, si opus sit:—3.° quoad matrimonii onera instet, ut humiles, patientes, obedientes, et charitate pleni ad invicem sint, ac etiam erga parentes, aliosque domesticos:—4.° circa actum conjugalem, absque gravi ratio-

ne, sileat confessarius non interrogatus. Si vero de hoc interrogetur, forsan respondere poterit: tibi licere omne quod ad filios habendos necessarium sit, et nihil amplius: et si aliquod dubium remanet, exponat nunc, et in qualibet confessione; nam si conjux ad ejus matrem, vel aliam personam non piam remittatur, fortasse majus erit malum ob longiorem, ac plenam explicationem. Monet Stapf: *Igitur sponsæ quando post nuptias redeunt expressius, sed semper in omni castitate edocebuntur ea, quæ licita, vel illicita sunt inter conjuges. Non desunt, qui a confessario non edocti graviter peccent ex errore conscientiæ facientes quod existimant peccatum. cum non sit; alii vero ex conscientia imprudenti credunt licita quæ gravia peccata sunt, et ea committunt.*

—*Conjuges sunt interrogandi de muneribus sui status*; v. gr., circa mutuum amorem, filiorum curam ac educationem, ipsorum scandala ob aliquod minus decens coram illis; item circa ludos, superfluas expensas; item circa domesticos. Quoad debitum conjugale taceatur cum uxoribus piis, vel modestis ad scandalum vitandum, ac inutilem inquisitionem: quoad alias, ex *S. Pœnitentiaria* 8 *jun.* 1842 sequi oportet *S. Alphonsum*, qui habet, ut interrogentur, an maritale debitum reddiderint, modestiori modo quo fieri possit; quia sæpe ob hoc solum damnantur; et in causa sunt cur etiam viri damnentur, qui ab uxore rejecti ad millia scelera effrenati decidunt. Interrogatio sic fieri potest: *Habesne aliquod scrupulum circa matrimonium?* vel *es ne obediens viro tuo etiam in rebus matrimonii?* Si affirmat, ipsa se explicet cautis, paucisque verbis. Si negat, nihil amplius inquiri decet. *(Scavini, l. 4, n.* 503). Conjugati qui sine scrupulo inordinationes committunt in matrimonii usu, ordinarie relinquendi sunt in bona fide, maxime si copula maritalis inter illos evasit impossibilis; quia moniti, difficulter se emendant propter nimiam occasionem in qua versantur. *Gousset.* Rustici communiter... nesciunt malitiam adulterii: ideo cum iis, qui hujus vitii consuetudinem habent, non expedit eos monere de adulterii malitia, cum prævidetur monitio parum profutura, sed tantum effectura, ut pœnitens duplici peccato peccet, si carnis concupiscentiis non resistet. *S. Lig., prax., n.* 39.

834. **Devotorum directio.** Sunt fortiter increpandi confessarii, qui devotos ac devotas ægre audiunt, parvifaciunt, et forsan etiam vexant, ait *Del Vecc., n.* 333; sane contra suum ministerium agunt. Unde omnia per gradus, ac prudenter ducat confessarius. 1.° Ab exordio sufficit, ut ordinaria opera rite peragant omni submissione, charitate, patientia, et sui diffidentia.—2.° Imponat pœnitenti, ut tota sua sollicitudo sit peccata deliberata vitare, etiam levia, et familiaritatem cum personis alterius sexus fugere, licet piæ appareant, licet sacræ, extra aliquam rationabilem causam.—3.° Ut mane, et sero exercitium (vulgo christiani dictum) non omittant; quotidie, si commode possint, Missam audiant; aliquem pium librum legant.—4.° Deinde eis mediam horam meditationis imponat, si facile illis sit adimplere; Dei præsentiam aliquoties in die, saltem in qualibet hora cum spirituali Communione. Circa hoc doceat pœnitentem modum rite se habendi; secus tempus fere inutiliter teret.—5.° Quoad mortificationes, per aliquod tempus internas, ac negativas perficiat pœnitens; nempe propriæ voluntatis actus cohibere, et alterius personæ sufferre studeat; ingratis dapibus contentus esse, ab igne hyemis tempore abstinere, obedire, nunquam de aliis obmurmurare; visum et auditum a curiosis frenare, etc.; nam si ab initio ad jejunia, cilicia, flagellaque deveniat, animam infatuatam, seu vanam plerumque habebit confessarius, non perfectum clientem: postea externæ mortificationes utiliter adhibentur, juxta statum, ac vires pœnitentis. *(Gousset, S. Lig., Scavini, n.* 504).

—Quoad confessiones plerumque sufficit semel in hebdomada: tamen adsunt

aliquæ piæ animæ, quibus prodest bis, aut ter intra hebdomadam confiteri, ratione majoris humilitatis, contritionis, fervidæ Communionis, ac etiam defectuum correctionis: unde de hoc judicet prudens confessarius, quin omnes per eamdem mensuram metiri velit. S. C. Episcop. 1839, respondit: *Sacramentalem absolutionem rite dispositis non esse, præsertim per modum regulæ, differendam, ne Sacramenti gratia priventur; licet fortasse nec gravia. nec nova habeant; sed dumtaxat peccata jam per sacerdotis absolutionem deleta iterum confiteantur.* Si aliquando superveniat levis culpa, ac sic præscriptam Communionem omittant, doceat confessarius, ut veram contritionem eliciant, si interdum id eveniat, et communicent; nam ex *D. Ambrosio, Salesio, et Trid.*, venialia jam remittuntur aliis mediis præter confessionem; v. g. per actus amoris, contritionis, etc.—Tamen confessarius nec debet importune quærere, nec spectare, ut clientes sui illico in charismatibus sanctorum, seu in perfectionis statu, quo pervenerunt Sancti post multos annos laboris, constantes permaneant. Imperfectiones aliquas semper in eis inveniet; modo non fuerint habituales, et deliberatæ, ne terreatur.

—Non raro personæ devotæ pluries confiteri et Eucharistiam recipere exoptant; sed parum, aut nihil a suis defectibus corriguntur; tunc, ut ait *Elbel*, signum est parvæ dispositionis, vel quod habent proposita torpida, et languida. Ideo excutiendi, et salutariter terrendi sunt, etiam denegando absolutionem, et Communiones, si opus sit, quin obstet timor, vel zelotypia quod ad alium eant confesarium hypocritæ illi sese emendare renuentes. Aliqui incumbentes in examen, et culpas etiam minimas confitentes, parum de dolore, et efficaci proposito curant; quos serio hortari oportet, ut excusa anxietate, aliqua venialia tantum certo commissa, duo vel pauca, quæ magis scandalum præbent, vel in ipsa relapsi fuerint, confiteantur; et de cæteris se pœniteant. *(Spor., Scav.)*—Et non deficiunt mulierculæ quædam sæpe confitentes, quia vident alias sic confiteri, ne minus his illæ habeantur, vel ne aliæ a confessario præferantur; vel donec aliquem juvenem ad confabulandum, amoremque compartiendum inveniant. Vigilet confessarius, ne seducatur a falsis devotis. Directionem non suscipiat alicujus, qui vult directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa. *Salesius, Nerius.* Curet aliorum confessariorum errores tacere, vel saltem excusare, cum sint aperiendi.

Ad mutandum confessarium non satis est quod pœnitens aliquam erga eum abominationem sentiat, vel quod videatur verbis ipsius fidem non amplius habere; ut enim ait S. Teresia, sæpe hæc est dæmonis tentatio: justa esset causa mutandi confessarium, ait *Sta.*, defectus bonitatis, dicens: *Si confessarius proclivis alicui vanitati appareat, mutetur; cum ipse sit vanus, vanos alios efficiet.* Idem dicatur de defectu doctrinæ, vel directionis, v. gr., si omittat examen quotidianum, meditationem, congruas Communiones et similia injungere ac perficere.

Non sit facilis confessarius permittere puellis devotis ut habitum religiosum induant, quin prius radices in virtutibus immiserint; secus habitum dimittent, ut nuptias ineant, vel in monasterio perturbationem sustinebunt. *S. Lig., n.* 101. Neque his puellis indulgeat confessarius, ut a viris legere doceantur; et tanto minus scribere, nisi ab aliquo parvulo fratre, et adhuc cum cautela; nam hæc, si non est proxima peccati occasio, saltem est non parum periculosa; alioquin eas non absolvat; nec etiam absolvat matres, quæ hoc permittunt, ait *S. Lig., n.* 101.

—Caveat confessarius ab eorum zelotypia crudeli, qui licentiam negant alios adeundi consilii causa; vel de hoc cum ipsis pœnitentibus conqueruntur; imo ipsis imponat, ut aliquando apud alios confiteantur, nisi valde scrupulosi sint. Sciant

omnes quod non raro personæ etiam piæ (sine pietate tamen) ob hunc timorem sacrilege confitentur, ac communicant, præsertim juniores, uti experientia docet; imo etiam inter moniales hoc evenit. *(S. Lig., n.* 100).

835. *Quid de simplicibus, vel piis pœnitentibus, qui nullum certum peccatum vitæ præsentis neque anteactæ confitentur?*

R. 1.° Si afferant materiam solum dubiam, erunt disponendi sicut pueri, inquirendo, v. g., an obedierint, vel mentiti, rixati, furati, aut in ecclesia, vel in Missa locuti fuerint, vel distraxerint etc.: et si nihil certi reperiatur, vel nonnisi venialia, præcipue cum in iis recidivi vivant, exquirat confessarius aliquod grave peccatum vitæ anteactæ. —2.° Si id consequi non valet, saltem aliquam venialem culpam, quam magis horreat pœnitens, et de qua vere doleat.—3.° Si neque veniale præsentis, vel præteritæ vitæ inveniatur, sed tantum imperfectiones confiteatur pœnitens, circa quas dubitari queat an ob advertentiæ defectum ad venialia pertingant, non debet angi confessarius: plerumque cum sola benedictione erit ille dimittendus; nam jus ad absolutionem non habet. *Sporer, n.* 56.—4.° In necessitate sub conditione erunt absolvendi cum adsit materia tantum dubia; et non sæpe ita absolvi possunt, ne diu careant fructu sacramenti. Idem probabiliter dicendum de pœnitente pio cum *Bon., p.* 3, *n.* 4, *S. Lig. praxi, n.* 99, quod *non improbabile* vocat *Scavini, l.* 4, *n.* 504, cum justa causa, et non toties quoties, nisi semel in mense. Citra necessitatem non tenetur confessarius ordinarie magnam adhibere diligentiam, ut ad dolorem eos moveat, licet multo melius id faciet. *Del-Vecc., S. Lig., Hom. Ap., t. ult., n.* 9.—5.° Aliqui, præsertim mulieres, materiam afferunt vitæ anteactæ, quæ vera materia forsan non est, v. gr., turpitudines in sua juventute *inconscienter* perpetratas, etsi hominum aspectus aufugerent, aut inobedientias in superiores, iræ motus, etc., non sine magno frustrationis sacramenti periculo; nam requiritur peccatum formale; præfata fere neque dubia sunt: ergo... Animadvertant hoc confessarii omnes.

836. **Directio possessorum a dæmone.** Etsi confessarius omnino incredulus esse nequeat quoad a dæmone infestatos, quin S. Scripturæ opponatur, tamen ad credendum nimis facilis esse non debet, cum plures, fere omnes hodiernæ invasiones sint potius aut fictiones, aut imaginationes, aut infirmitates, ac etiam malitiæ, præsertim in mulieribus, quæ ludibrium diaboli frequentius esse solent. *(Scav., n.* 508). Si revera quis inveniatur a dæmone vexatus sive rebus turpibus, uti tactibus obscenis; sive blasphemiis, sive corporalibus cruciatibus, etc., confessarius non contremiscat; curet primo, ut pœnitens in humilitate, devotione, fervore, patientia crescat, ac consentire recuset; se crucis signo muniat, aqua benedicta se et cubiculum spargat, sacramenta frequentet, et omnia ita præscribat ac si revera illud fere nihil esset; nam mulier cum se videt admiratione dignam, capax est mirabilium. Confessarius semper omnes contribulatos, ac præsertim scrupulosos confortare debet: in Christi passione, in æternitate sive ignis sive deliciarum, ac in Sanctorum factis omnibus malis remedia inveniet. (V. *S. Lig., in praxi, n.* 110).

837. **Carcere detenti.** Confessarius 1.° sigilli gravissimam obligationem ipsis ostendat.—2.° Si, incepta confessione, excusationes quærat pœnitens, illas divertat confessarius, ac suaviter instet, ut omnia sincere aperiat, et dein jam eas exponet.—3.° Studeat ut odia deponant omnes, blasphemias vitent, orent, otium fugiant, omniaque pro peccatis patienter sustineant, ne in æternum carcerem deveniant. —4.° Caveat ne cum judice, cæterisque ministris coram carcerato loquatur confessarius, ne suspiciones ingerat revelationis, aut ejusdem periculi.—5.° Curet parochus

ut carcerati utiliter occupentur, opportune instruantur, religiose edoceantur, ac scholæ instituantur; in dominicis diebus non ibi deficiat aliqua religiosa instructio, et in Paschate exercitia spiritualia ante confessionem, et Communionem habeantur.

838. **Capite damnati.** Confessarius 1.° charitate, ac patientia plenus eos visitet, consoletur, compatiatur.—2.° Industrie eis significet quomodo temporali eorum morte velit Deus vitam æternam dare. Loquetur eis de vitæ brevitate, ac incertitudine, de beatorum felicitate, damnatorum æterna miseria, et de repentino omnium cursu ad mortem.—3.° Illos hortetur, ut gratias agant Deo, et D. J. C. qui non permisit, ut impœnitentes moriantur, et in crucis patibulo innocens sanguinem dedit pro nostra æterna salute, cum peccatores ac rei æternæ mortis essemus; circa Christi amorem, patientiam, pro persecutoribus orationem, immoretur confessarius.—4.° Reos confortet, dicendo, quod si nunc mortem acceptent propter sua peccata, ac se pœniteant, certo salvi fient: sed necesse est, ut omnia peccata sincere, fidenterque confiteantur; et præcipue de odio interrogentur.

—*Si reus confiteri renuat*, confidentiam ne perdat confessarius; curet ut pro ipso preces effundantur, et de causa eum interroget; iterum eum consoletur, ac confortet, ut omnia confiteatur cum certa veniæ spe.—Si nihil proficiat, non desperet; intimet reo, quod sive confiteatur, sive non, sententia est exequenda... Repetat monita, loquatur ei de mortis proximitate, inferni æternitate, Dei misericordia, de bono et malo latrone, de paradisi gloria, de cordis lætitia, quam pœnitentes, uti Magdalena, Augustinus, etc., experti sunt, et relinquat eum confessarius, ut secum ista animo revolvat. —Si adhuc renuat, oret, Litanias B. V. coram eo recitet, instent alii post alios sacerdotes; nam efficaciorem sermonem forsan aliquis habebit præ aliis (quod semper servari oportet, cum infirmus resistat). Si impœnitens reus in situ supplicii confiteri petat, flagitet ipse, vel sacerdos justitiæ ministros, ut permittant ei tempus confessionis: si jam alias in carcere confessus fuerit, confessarius tunc eum moneat, ut actum contritionis eliciat, et tantum cum formali integritate iterum confiteatur. *S. Lig.*, *n.* 109.

Dum reus ad patibulum pergit, dicat ei: *Fili mi, sequere Christum Jesum, qui pro te ad Calvariam profectus est ad subeundam mortem amariorem.*—Stans in loco supplicii dicat: *Hilari animo esto; Jesus, et Maria te expectant; jam tibi patent paradisi januæ: conjunge mortem tuam cum morte Jesu.—Amasne illum? te corde pœnitet illum offendisse?—¡Ah Domine, dic, super omnia te diligo; morior ut tuam faciam voluntatem, et pro meis peccatis.*—Si congruentius judicetur, ut veniam coram omnibus petat, ac ille ad hoc paratus sit, major erit fructus.—Demum dicat ei: *Domine, in manus tuas commendo spiritum meum.*—Repetat absolutionem, si ita melius judicet, et dicat: *Jesus, Maria, Joseph...*

---

# CAPUT XVI.

## De sigillo confessionis.

839. **Sigillum confessionis** est *indispensabilis obligatio secretum servandi circa ea, quæ ex sacramentali confessione sunt cognita.* Constat 1.° Ex *jure naturali*, quod graviter vetat secreta revelare, ac proximum infamare.—2.° Ex *jure divino positivo*, saltem implicito; nam ex Christi

institutione confessio secreta esse debet; ergo eo ipso a Christo impositum est confessariis sigilli onus. *Eodem jure*, ait Concilium Senonense, *prohibetur revelatio confessionis, quo jure præcipitur ipsa confessio.* — 3.° Ex *jure ecclesiastico;* patet ex pluribus juris canonici locis, maxime ex Later. IV, c. 21, ubi ait: *Caveat omnino* (confessarius) *ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatores... Qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotis officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.*

840. **Oligatio sigilli sacramentalis** sine expressa pœnitentis licentia, sub gravi strictissime obligat in omni casu, et etiam in re levi, omni exceptione seclusa, licet confessio aliter integra fieri nequeat; v. g., si fieri non possit, quin extollatur vox; vel etsi agatur de morte vitanda, de regni salute, etc., et licet pœnitens jam sit mortuus; semper enim urget eadem ratio; nempe, ne peccatores hoc timore concussi a confessione retrahantur; nam sine sigillo sacramentalem confessionem non haberemus. (Ita *omnes).*

Unde tripliciter peccat sacramentale sigillum revelans, scilicet; 1.° peccato *sacrilegii* contra sacramentum; 2.° *detractionis*, si publicum non sit crimen; — 3.° *infidelitatis* ex injusta secreti revelatione; et qui putat, vel docet hoc sigillum non graviter obligare, est denuntiandus, uti de hæresi suspectus. *S. Lig., n.* 635. (V. t. I, n. 440).

841. **Sigilli obligatio oritur**:—1.° ex omni et sola sacramentali confessione, in ordine etiam indirecto ad absolutionem, etsi hæc non sequatur ex defectu sive dispositionis, sive jurisdictionis, etc.; adest quippe tota ratio præcepti.—2.° Si pœnitens ante confessionem peccata sacerdoti committat in ordine ad confessionem postea cum ipso faciendam; habetur enim quasi inchoata confessio.—3.° Si laico confiteatur, putans esse confessarium; nam ex parte sua sacramentalis est confessio. *(Gury, n.* 651, *Scavini, n.* 383.)—4.° Qui puerum ad confessionem sibi faciendam parat, si hic forte aliquod manifestet peccatum postea illi confitendum. *Scavini, n.* 386.

Dicitur *ex sola confessione sacramentali;* nam sola hæc talem inducit obligationem. Unde non inducit tale onus: 1.° Si confessio scienter fieret laico, vel sacerdoti jurisdictione carenti; quia tunc ex nulla parte esset sacramentalis. — 2.° Si ad confessarium quis accedat animo cum certo irridendi, conquerendi, decipiendi, furandi, in peccatum inducendi, eleemosynam, etc., ab eo extorquendi; non enim se accusat in ordine ad sacramentum; etsi ex prudentia adhuc esset tacendum. - 3.° Si quis conscientiam confessario aperiat ex sola ratione consilium petendi circa rem, vel confessionem alteri faciendam; vel superioris mandato se subjiciendi; tunc sola oritur naturalis secreti obligatio. *(Gury, n.* 648, *Scavini, n.* 386, *S. Ligor., n.* 636).—4.° Qui chartam legit, ubi pœnitens sua peccata notavit, quamvis eam manifestando gravissime peccet, proximum infamando; quia ex se non est id ordinatum ad confessionem, sed ad memoriam adjuvandam. *Scavini.*

842. **Subjectum sigilli sacramentalis** sunt omnes, qui sive mediate, sive immediate; sive licite, sive illicite; sive verbis, sive signis quomodocumque confessionis sacramentalis notitiam acquisierunt, nisi pœnitens ad majorem sui confusionem publice confiteri velit. Hinc ad

sigillum tenentur: 1.° Confessarii.—2.° Interpres, in probabiliori sententia cum *S. Lig.*, *n.* 647. Item qui alterius confessionem scripsit; vel qui scripturam actu legat, quo quis per eam confitetur; aut cum scriptura jam sit confessario consignata, ut eam legat pro confessione; vel si in confessionario relicta esset post confessionem peractam; adest enim quædam inchoata confessio, vel ad ipsam spectat.—3.° Item si quis per epistolam licentiam a superiore peteret pro casu reservato, præfata ratione. *Scavini, Gury, n.* 653, *S. Lig.*, *n.* 650, *cum communi.*—4.° Superior, a quo petitur licentia pro absolvendo; aut doctor, vel alius, qui cum pœnitentis venia a confessario consulitur quoad illius confessionem, in probabiliori sententia cum *D. Thoma, S. Lig.*, *n.* 648, *et communi;* quia in ordine ad confessionem pervenit notitia. Sed doctor bene poterit pluries loqui cum confessario, et etiam cum aliis ad consilium ex eadem licentia convocatis, si judicium a confessario nondum sit completum: item doctor consultus circa idem a duobus confessariis, quibus pœnitens seorsim confessus est, ipse potest cum uno loqui de auditis ab alio; quia sic præsumitur velle pœnitens, cum nolle aliud consilium nisi rectum credatur. Ita *S. Lig.*, *n.* 648 contra *Lugo.*—5.° Qui casu, vel de industria aliquid audit, vel de confessarii signo intellexit, aut in naufragio, bello, etc.; vel etiam ii, quibus aliquid culpabiliter, vel inculpabiliter est revelatum, qui neque de hoc secum colloqui possunt; nam semper urget eadem ratio. *(Gury, Scavini, n.* 386, *S. Lig.*, *n.* 647, *etc.*).

843. Q. *An confessarius cum ipso pœnitente loqui possit de ipsius confessione?*

R. *Affirmat sententia communissima et verior*, ut ait *D. Lig.*, *n.* 653, intra ipsam confessionem, vel immediate post absolutionem antequam discesserit pœnitens; vel si postea redeat; tunc poterit confessarius loqui cum pœnitente de omnibus peccatis antea ab hoc expositis, semper ac putet fore utile pœnitenti, qui censetur in confessione dare ei licentiam, ut quacumque notitia utatur necessaria ad sui meliorem directionem, vel correptionem. Subinde id pertinet ad munera judicis, et medici, quæ habet confessarius; præsertim si confessarii error pœnitentem inducat in salutis periculum; v. g. si eum non absolvisset, tunc etiam non petita licentia. (V. n. 855). *Gury, n.* 646.—Secus non licet; nam si in alia confessione fiat sine causa, ægre id feret pœnitens: si extra tribunal, aderit sigilli revelatio, nisi ipse pœnitens prior de illis loquatur, quæ fuerunt confessionis materia, aut licentiam dederit: et tunc non ultra progredi confessarius potest; et consultius est se gerere velut inscium illius rei, ut de ipso Domino dicitur: *Peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.* (Heb. x, 17).

844. Q. *An confessarius aliquando uti valeat notitia confessionis?*

R. I. Affirma, *per se*, dummodo percipi, aut suspicari non possit, et semper ac nullum obveniat pœnitenti gravamen, sacramento detrimentum, et fidelibus scandalum. Sic communiter admittunt: 1.° Bene posse confessarium ex notitia confessionis orare pro pœnitente, benignius erga ipsum se gerere, rigorem temperare, libros, et doctores consulere, et alia in sui utilitatem.—2.° Se cautiorem reddere in re familiari, socordiam excutere, diligentius gregem suum invigilare, proprios mores componere, a loco nocivo recedere, Missam omittere, ab insidiis, et latronibus se cavere.—3.° Ex confessione unius se dirigere ad alios interrogandos

et instruendos; alios monere, ast in genere, ut sibi caveant, ne exeante domo, etc.; semper tamen secluso omni periculo revelationis, vel gravaminis pœnitentis. *S. Lig., n.* 657, *Scavini, n.* 388, *cum communi.*

II. Si autem confessarius alterius consilio indiget, quoad peccatum auditum, illud petere potest, hypotetice loquendo, si libros consulendo ipse resolvere nequeat, et revelationis absit periculum; vel aliud non immineat discrimen: secus veniam a pœnitente petat; et sic se cavere fere semper poterit absque sigilli periculo. *(Del-Vecchio, S. Leonardus, Lugo, Gury, n.* 609, *S. Lig., n.* 659)..

III. Ad quamlibet sigilli revelationem sub gravi opus est licentia *expressa, formali, libera, spontanea, non revocata;* ita ut nunquam sufficiat venia *præsumpta, interpretativa, virtualis, dolo, vi,* vel per *preces importunas,* vel *etiam per metum reverentialem ipsius confessari obtenta. S. Lig., n.* 651.

845. Q. *An superiores uti valeant confessionis notitia ad externam gubernationem, si nullo modo id appareat?*

R. Nega cum *communi* contra *nonnullos veteres;* nam evidenter id in pœnitentium gravamen cederet; et qui talem noscerent praxim, ac doctrinam doceri, a confessione retrahi possent. Ita constat ex decreto *Clem. VIII,* 26 *maji* 1594, ex *S. C. Inq., sub Innocent. XI, an.* 1682, *Gury, n.* 670, *S. Lig., n.* 657, etc.—Unde illicitum est confessario ex notitia confessionis suffragium indigno negare; pœnitentem in cubiculo claudere, ne exeat ad peccandum; famulum dimittere, vel auferre claves ab eo, ne furetur, aut abstrahere claves, vel pecuniam ab arca, et similia; hæc quippe omnia in pœnitentis gravamen redundarent. *S. Lig., n.* 657.—Secus si alia via etiam illud sciret confessarius.

846. Q. *Quid faciendum, si Episcopus ab scholarium confessario ipsorum vocationem, aut bonitatem vitæ exquirat?*

R. Propositum religionis, vel matrimonii, cum non sit peccatum *ex se,* sub secreto naturali cadit, si illud pœnitens tectum velit: si vero in ordine ad explicanda peccata idipsum pœnitens dixerit, sub sigillo. Ita *Tan., Con., Diana, p.* 5, *t.* 11, *R.* 5.—Unde cum plerumque confessarius religiosam vocationem, et bonitatem, vel earum carentiam ex auditis in ordine ad confessionem deducere debeat, et aliunde etiam periculum curreret sigillum, si forsan de aliquo tacere, vel negative respondere expediret, sanctitatis siquidem defectum indicaret, in praxi consultius se geret confessarius licentiam a pœnitentibus prius obtinendo.

847. **Si confessarius rogetur de peccato in confessione audito,** potest interrogationem indirecte declinare, dicendo: *Miror te sic ad me loqui!* Et si casus urgeat, directe respondere valet, se id nescire; quia ut habet Angelicus: *Homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo; et ideo absque læsione conscientiæ potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus.* (In 4, d. 2, q. 8).—Si ipse interrogetur, v. gr., a matre, an filium absolverit, vel an communicare possit; respondeat: *Functus sum meo officio;* aut suavius: *Non sunt faciendæ hæ interrogationes.* Quoad Communionem, respondeat: *Illum interroga.* Si vero nunquam adhuc communicaverit, respondere valet: *Quamnam habet ætatem? — Scitne catechismum?* Et si jam communicare valet, dicat: *Quære ab illo, an velit hodie Communionem.*—Si ex confessionis scientia non possit hodie communicare, respondeat: *Veniat puer in ecclesiam, vel domum meam, et videbo an sit satis instructus,* vel *si adhuc expectare valet usque ad tale tempus cum aliis.* (V. S. Lig., n. 646).

848. **Pœnitens ad sacramentale sigillum verius non tenetur,** quoad res a confessario sibi dictas; sigillum enim in favorem pœnitentis est tantum inductum.—Tamen secretum naturale servare tenetur, cum ejus revelatio aliquam injuriam confessario afferre possit, vel sacramento contemptum; nam si confessarius necessariò secretum pœnitentis servare adigitur, et hunc consiliis, adhortationibusque adjuvare; consequens est, ut pœnitens irrisionibus confessarium exinde non exponat, ut aliquoties faciunt quædam puellæ. *(Gury, Scavini, S. Lig., n.* 647).

849. **Objectum sigilli** sunt *omnia peccata mortalia, etiam in genere confessa, et levissima in confessione audita in specie, et omnia ad individuam peccatorum explicationem spectantia;* nam hæc omnia quid unum constituunt, et eamdem sigilli rationem habent: vel *id omne, cujus revelatio in pœnitentium gravamen cederet, et in odium sacramenti. (Gury, n.* 665, *Lugo, n.* 50).

850. **Sigilli revelatio fieri potest** *directe,* et *indirecte:* 1.ª *fit expresse propalando aliquid ad confessionis secretum pertinens:*— 2.ª *aliquid dicendo, vel faciendo, ex quo deduci potest, vel suspicari, peccatum in confessione cognitum manifestari;* vel *ex quo pœnitenti ipsi, vel aliis complicibus molestia, aut gravamen quodcumque evenire valeat.*

—Unde hac in re nulla cautela satis; neque uti opinione probabili licet, ob periculum odiosam reddendi confessionem; etiam in dubio, an aliquid sit dictum in ordine ad confessionem. *S. Lig., n.* 637.—Sic imprudenter etiam ageret ille, qui diceret, maxime coram laicis, sive in solatio, sive in mensa: *Ego hæc olim audivi in confessione: de hac re multi confitentur,* et similia; nam etsi non adsit revelatio sigilli, laici scandalizantur. Et periculum esse potest, ut ex adjunctis nunc, aut postea pœnitens cognoscatur. *(Diana, Scavini, n.* 388, *Gury, n.* 650, *S. Lig., n.* 633). Nos porro hic nonnullos prædicatores, missionarios, etc., cæteroquin doctos et pios graviter monitos esse volumus, qui identidem ad bonum utique finem, auditoribus suis enarrant exempla peccatorum, ait *Del-Vecchio, n.* 499, notando eos sibi fuisse confessos, in confessione tales circumstantias sibi aperuisse, etc. Populus (quidquid sit de liceitate rei) de hoc non parum offenditur, timens etiam ne quod de aliis nunc proferunt missionarii, id alibi evulgent de se ipso, si illis confiteatur. Igitur prædicatores recentia exempla pœnitentium ad aliorum ædificationem enarrando, de conversione dicant; at de confessione sibi facta, vel aliis prorsus sileant. Sacrum nobis esse debet nomen confessionis, et confessio.

—In revelatione *directa* non datur materiæ parvitas; etsi de levissima culpa agatur; quia semper includitur tota ratio præcepti. *(S. Lig., n.* 640, *Gury, n.* 649).—In revelatione *indirecta,* si periculum sit valde remotum, aut parum probabile, dari potest materiæ levitas; nam per accidens subsequi censeretur tunc revelatio, juxta *Gury.*

851. **Violatio sigilli directa** fit, ostendendo I: quævis peccata pœnitentis, vel etiam complicis sive licite, sive illicite in confessione revelata; tam præsentia, quam præterita; tam publica, quam occulta in confessione deposita, etiam si hoc modo res ad publicam notitiam devenerit, quod fere impossibile est; semper equidem notitia in sola confessione fundàtur, nisi alio modo etiam res patefacta sit. *(Gury, Ballerini, n.* 658, *S. Lig., n.* 643, *et* 655).

Imo etiam peccata in confessione commissa; ut si pœnitens ostendit

se natura molesta, irresoluta, duriori ad credendum; vel committat impatientias, aut contumelias in confessarium, vel in alios, licet hos defectus noverit confessarius occasione confessionis, non vero in ordine ad confessionem; tamen cum intrinseca confessionis occasione noti fuerint, eorumque revelatio sigilli periculum involvat; quippe indicium præbent quod confessarius absolvere noluerit, vel acriter reprehenderit propter aliquod grave, talis revelatio semper redderet aliquo modo confessionem odiosam. Ita *D. Ligor., n.* 643, *Gury, Ballerini, n.* 658, cum *aliis* contra *Lugonem, n.* 610, qui dicit, pœnitentem culpas illas non confiteri, sed committere.

II. Peccatorum objectum, vel circumstantias, etsi mox post absolutionem declaratas, uti si illegitimus Ordines sacros susceperit; item si dubitetur an ad confessionem, vel in confessione fuerint declaratæ, necne, uti indispositio pœnitentis, aut abusus qui regnant in aliquo Capitulo, monasterio, etc. Item peccatorum incitamenta, si intersit periculum revelationis, vel gravaminis pœnitentis, v. g. si vir confiteatur uxorem interfecisse, quia adulterium commisit; vel filius confiteatur matrem odisse ob illius adulterium; etiam adulterium sub sigillo cadit. *(Gury, Varceno, S. Lig., n.* 641).—Item scrupulositatem pœnitentis (saltem cum quis eam confitetur quasi peccatum, licet in se talis non sit, vel ad declaranda peccata); quia hæc aliquo modo est materia confessionis, et saltem ejus revelatio fere semper gravamen affert pœnitenti. *(S. Lig., n.* 644, *Gury, Ballerini, n.* 657, *Scavini, n.* 384).

III. Pœnitentiam impositam, nisi sit minima, quæ pro levissimis imponi solet. *(Gury, S. Lig., n.* 641). Aliqui, etiamsi minima sit, non concedunt; quia ad consilium petendum confiteri potuit, et sic revelatur peccatum esse declaratum. —Omnia denique quæ pœnitentem irrisionibus exponerent; aut ægre fert, ut revelentur, et fideles a sacramento avertere possunt; uti defectus naturales, v. g., quod sit natura iracundus, superbus, rudis, hebes mente, si in ordine ad explicanda peccata detegat pœnitens. Secus, saltem probabilius, si agatur de publicis defectibus naturalibus non manifestatis in ordine ad declaranda peccata; vel ex actionibus ipsius pœnitentis, sive ex modo confitendi incidenter, vel impertinenter detectis, v. g., quod sit claudus, surdus, cæcus, mendicans, balbutiens, et similes; cum jam communiter innotescunt, et sacerdos eos percipit et videt, neque pertinent ad materiam confessionis. *(Del-Vecchio, Ballerini, n.* 657, *S. Lig., n.* 642, *cum communi* contra *nonnullos).*—Idem est dicendum de virtutibus, et revelationibus, cum dona Dei declarantur ad confitendam ingratitudinem erga Donatorem, vel inconstantiam in bono post perfectionis propositum, et similes defectus; cum inde gravamen pœnitenti, et aversionem a sacramento ingerant tales revelationes: imo fere semper aderit violatio secreti naturalis; quia sub hoc respectu tantum de illis cum confessario pertractant pœnitentes, ac ruborem sentirent ex manifestatione. Secus vero si dicantur tantum in confessione, ut status animæ confessario innotescat, et pœnitentis, vel aliorum gravamen non sequatur. Hoc valet licet de beatificatione agatur. *(Varceno, p.* 139, *S. Lig., n.* 645, *Lugo, n.* 58), etc.

852. **Violatio sigilli indirecta** et magis timenda evenit: 1.° Cum unum præ alio pœnitente laudat confessarius, v. g., dicens illum sola venialia esse confessum, in iis circumstantiis, in quibus alii de gravi

peccato facile suspicantur; *S. Lig.*, *n.* 638:—vel si post confessionem torvo oculo pœnitentem respiciat;—vel eum non alloquatur uti prius;—vel ostendat durioribus verbis, gestibus, etc., se ejus peccata recordari, et eum minoris habere quam antea; id meminerint confessarii omnes:—2.° Cum quis de aliquo in confessione audito peccato, vel de circumstantia ejusdem per solam confessionem nota cum aliis loquitur, quin advertant undenam illud acceperit confessarius, cum illi jam aliunde norunt;—secus si peccata referat, ut, moraliter loquendo, persona cognosci non possit, neque communitas aliqua, etiam parva, infametur, quod ibi talia vitia regnent; vel si utatur sola notitia jam extra confessionem acquisita. *S. Lig.*, *n.* 638.—Etiam si confessarii duo audissent eadem pœnitentis peccata, et secum de iis confabularentur;—vel si, auditis paucorum confessionibus, se tale audisse peccatum quis dicat; nam singuli pœnitentes suspicionis gravamen patiuntur.—3.° Si dicat se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse; quia semper ita aliquid notabile contra pœnitentem supponitur; nisi omnes scirent generalem instituisse confessionem, ut aliqui sentiunt; ita ut hoc non ægre ferret pœnitens; ast fere semper imprudenter saltem diceretur.—4.° Si alta voce, aut gestu ab aliis intelligibili pœnitentem argueret, vel ita peccata pœnitentis repetierit, aut repetere faceret, vel eorum circumstantias; nam id esset pœnitenti illi gravamen, cæteris scandalum, et confessioni odium. Excipit *Ballerini*, *n.* 665, si constet, pœnitentem alia de causa redargui, v. gr. ob importunitates, etc.—5.° Si de cognito fure dicat confessarius, eum sua furta sibi confessum esse; et sic de cæteris; scientia enim confessionis utitur ad hoc. Hunc casum narrant. Titia dixit: *Ego prima in tali Missione apud P. Joannem deposui peccata mea:* et postea nescius hujus effati Joannes dixit: *primam, quam audivi in illa Missione fuit adultera.* Maritus Titiæ casu utriusque voces audivit, et consociavit; indeque factum est, ut uxorem suam pugione confoderit. — Narrat *Frassinetti:* quodam die quidam petebat a me consilium hoc modo: *Puella talis parœciæ, quæ habitat in domo divitis, ubi unus etiam est sacerdos...* Ego qui parochiam cognoscebam, et in ea domum divitis, in qua existebat quidam sacerdos, dixi ut ab alio consilium peteret cum majori discretione.

—Hic etiam grave monitum sit pro surdastris confessariis, et aliis non surdis, qui sæpe semialta voce pœnitentes interrogant, et adhortantur cum pœnitentis ac circumstantium molestia; ac etiam ne permittant, ut adstantes ad confessionarium nimis accedant, maxime juniores; nam sunt qui totam alterius confessionem tranquille audiunt, et aliquando evenit, quod deinde ipsi pœnitenti id exponant.

853. Q. *An sigillum violet confessarius qui asserit in aliquo loco gravia committi peccata?*

R. I. Affirma, si locus, vel oppidum sit parvum, v. gr. si ad 3000 personas circiter non perveniat, et dicatur, *hic regnat blasphemia;* et minus si tantum dicatur, *hic committuntur multa peccata gravia,* etsi publica sint, nec personas signet; porro tunc de facili notantur, vel de ipsis suspicantur incolæ illius communitatis, vel oppidi.—Secus si oppidum sit amplum, v. g. 6, aut 7000 animarum, et crimina aliunde jam sint publica. Sic concionatoribus permittitur contra eadem publice invehere, modo in omni casu intelligere non dent, se illa in confessione audivisse, nec

descendant ad particulares circumstantias: et majori libertate gaudet concionator, si notitiam extra confessionem habeat. Exulet ergo ob ore confessarii verbum: *Non omnes, qui in hoc oppido confitentur, totidem sunt Susannæ,* et similia.—Item licet confessario alicujus communitatis concionando in communi loqui de culpis, quæ ordinarie committi solent, vel possunt in hujusmodi communitatibus, modo non descendat in particulares circumstantias. At semper caute loquendum est, ne suspicionem revelationis ingerat illis, qui ei sunt confessi.—Missionarii autem parocho revelare nequeunt in genere graviora peccata audita, ex *S. C. C.* 18 *nov.* 1681, ut magis vigilet. *(Scavini, S. Lig., n.* 654, *cum communissima sententia).*

II. Qui dicat se in tali monasterio grave peccatum audivisse, frangit sigillum, tametsi personam non nominet; quia tunc singuli illius conventus detrimentum patiuntur. *(Dian., Mald., S. Lig., n.* 654, *aliique communiter).* Secus si de religioso in genere id dicat, ni religio strictioris esset observantiæ.—Item confessarius monialium unius monasterii, si coram illis concionetur de vitiis auditis in confessione.—Item si collegii confessarius ex confessionis notitia superiores admoneret, ut vigilent, maxime in tali tempore et loco; quia id fieri communiter nequit sine pœnitentium gravamine. Damnari stricte non posset, si tantum de generali vigilantia locutus esset, etsi consultius ab hoc abstinere debeat, perinde ac si nihil audisset. *(S. Lig., n.* 657). Item indirecte sigillum violat confessarius, si notitia in confessione habita utatur, ut occurrentibus extra confessionem pœnitentibus magis blandiatur, et sic ipsis animum injiciat. Satagere autem potest, ut se magis amœnum erga pœnitentes ostendat, fiduciamque eorum in se conciliet; nulla enim est in hoc revelatio. *Gury, Scavini, n.* 501.

III. Confessarium, qui sciat ex confessione ecclesiam esse pollutam, cum alioquin sit publica violatio, sed confessario aliter ignorata, vel si alii ignorarent per tale factum ecclesiam esse pollutam, *alii* cum *Spor., Bon., Silvest.* posse, ac teneri celebrare docent; nam in favorem sigilli cedit Ecclesiæ præceptum; *alii* vero cum *Lugo, n.* 125, et *Tamb.* censent non posse celebrare; quia nullum adest sigilli periculum apud alios, nec damni pœnitentis. Et hæc sententia videtur satis probabilis, ait *S. Lig., n.* 660, *cum Mazzotta,* si revera nullum sequatur pœnitentis gravamen, et nulla fiat revelatio indirecta; puta si confessarius justum exponat prætextum alibi celebrandi. (V. T. 1, n. 469).

854. **Resolves.** I. *Si quis dicat Pium sibi esse hodie confessum,* sigillum non frangit, sed eum honorat, et externe id etiam scit confessarius, ac externe loquitur. —Per accidens ad naturale secretum tenebitur; v. gr. si ob aliquam circumstantiam clam confiteri velit; vel si verbo, aut facto se nolle sciri ostendat; et adesset sigilli revelatio, si inde gravis suspicio peccati ita ingeri posset.—Item dicunt *communiter* sigillum non revelari, si quis dicat se talem pœnitentem absolvisse, vel probum esse, innocentem, nisi ex circumstantiis hoc onerosum aliis evadere posset, de quibus idem dici non potest. *(Gury, S. Lig., n.* 638).

II. *Parentes, magistri, heri, moniales, vel alii aliorum curæ addicti, interrogantes de absolutione data, vel de Communione suscipienda, sunt remittendi ad ipsos pœnitentes,* nisi de eorum venia, si fuerint absoluti, affirmative respondi possit; et tunc sufficiet pœnitenti dicere : *jam monebo...* secus ad pœnitentes semper remittantur interrogantes. *(Ballerini, n.* 659). —Si capellanus infirmum indispositum relinquere coactus sit, parocho dicere poterit, alio deficiente subterfugio, nunc infirmum viaticum posse suscipere, si ipse velit; nam tunc publice peteret occultus peccator. *(Del-Vecchio).*

III. *Schedula confessionis ab studiosis, etc.* 1.° *extra confessionem petita* hoc modo confici potest : *Petrus penes me hodie est confessus ;* seu *audivi Petrum in confessione;* quia sic nec mentitur, nec sigilli revelatio, vel suspicio ingeritur.—2.° Si autem schedulam absolutionis affirmativam, vel negativam quis petat, concedi nequit; porro tunc adesset periculum mendacii, vel sigilli.—3.° Si vero schedula absolutionis jam sit impressa (quod nunquam permittere debent superiores), probabilius tradere eam licet ; quia confessarius nihil scribit, neque dicit, sed tantum dat materialiter, quod negare non valet formaliter, quin pœnitentis indispositionem revelet. *(Del-Vecchio).*—4.° Si schedula intra confessionem petatur, concedi debet tantum in iis adjunctis, in quibus dari solet, v. g. cum superiores pœnitentis illam exigunt, sive pro alumnis collegiorum, sive pro famulis, etc.; ex denegatione siquidem nota fieret denegata absolutio, ac indirecte pœnitentis indispositio; et dando non mentitur confesarius, cum tantum testetur, esse confessum. *(Ita S. Lig., n.* 639, *Gury, n.* 661, *cum communi).* Si pœnitens exinde ad Communionem, vel matrimonium accedat, suæ malitiæ totum imputabitur.

—Secus concedi nequit; quia nullum jus ad schedulam habet pœnitens indispositus intra confessionem petens ; neque confessarius ad revelationem cooperatur, sed mere negative se habet.—Item quoties pœnitens non ad confitendum accedat, sed ad simulandam confessionem, ut pœnam, vel infamiam vitet, aut schedulam tantum arripiat; nam tunc sive intra sive extra confessionarium negetur, non frangitur sigillum, quod oritur ex sola confessione sacramentali, quæ hic nullo modo habetur. Eam concedendo tunc peccaret sacerdos; nam sine causa futuro sacrilegio cooperaretur, vel præcepti omissioni. *(Ita Gury, n.* 661, *Elbel, Lugo, etc.)*

IV. *Confessarius de pœnitentis venia monere potest complicem, vel alium, ut complicem corrigat ;* sane hic complex nullum adhuc jus acquisivit ad sigillum sacramentale, cum nondum sit confessus, sed tantum ad secretum naturale, vel commissum, cujus revelatio in ejusdem bonum nunc licite cedit. *(Gury, S. Lig., n.* 641, *cum communi).* — Ordinarie consultius erit pœnitentem inducere, ut rem alteri deferat, qui remedium malo afferat; vel saltem ut extra confessionem id ipsi aperiat. *(S. Lig., n.* 641).

V. *Confessarius non potest se excusare, vel cavere ab audiendo aliquem jam solitum multa peccata afferre, vel male suspectum,* si per confessionem id sciverit; externe namque confessionis notitia uteretur in pœnitentis gravamen ; ideoque se gerere debet uti erga alium ignotum. — Secus si causam externam, et notam habeat a confessione independentem ; quin ulla interveniat sigilli revelatio. *(Scavini, n.* 500).

---

# CAPUT XVII.

## De defectibus corrigendis in confessione commissis.

855. **Error circa sacramenti valorem,** vel ortum habuit ex gravi culpa, aut negligentia confessarii, vel non. *Si* 1.°, *alii cum Bon., Suar., S. Antonin.*, negant ad monitionem cum gravi suo damno famæ, vel honoris, aut bonorum teneri; neque enim pœnitens adigitur cum tanto suo incommodo peccata confiteri; nec charitas obligat cum tanto detri-

mento, nisi in occasione proxima peccandi pœnitentem confessarius reliquerit, ut ait *P. Suarez.—Alii* vero cum *Scavini, S. Ligor., n.* 619, *Lugo, Varceno, Gury, n.* 613, affirmant (venia petita, et obtenta); nam licet ex charitate confessarius munus acceperit, postquam vero audivit, ex officio, ex quasi contractu gestionis, ex justitia valide, et recte administrare tenetur. Tamen si licentiam dare recusat pœnitens, vel si ex monitione gravis prævideatur ejusdem offensio, (vel si inde obveniat confessario damnum nimium præponderans), omittenda erit monitio, ratione sigilli: item si reversurus sit non post multum temporis; tunc enim in altera confessione error reparari poterit. Item probabile omnibus videtur, quod si pœnitens iterum bona fide confessus fuerit, vel Eucharistiam cum attritione susceperit, non teneri confessarium ad monitionem cum gravi suo incommodo; tunc pœnitens certo moraliter justificatus præsumitur. *S. Ligor., n.* 619.

*Si* 2.°, conveniunt omnes non teneri cum proprio gravi damno pœnitentem de errore monere; obstringitur quippe tantum ex charitate, quæ quidem non urget cum gravi incommodo.—Aliter dicendum videtur de parocho, eo quod teneatur ex justitia reparare grave subditorum spirituale damnum; et de omnibus confessariis, si pœnitens sit in mortis periculo, vel non amplius confitendi; tunc ex charitate omni modo æternæ proximi saluti est providendum. *(Ita S. Ligor., ibid., Scavini, n.* 394, *Varceno, p.* 187). Absque pœnitentis venia extra confessionem loqui cum ipso nequit confessarius hac de re, nisi eum injuste non absolverit; nam tunc *valde probabiliter* licet ei dicere, *cum non absolvisse;* vel *opus est, ut eum iterum absolvat,* modo non prævideatur secutura gravis pœnitentis offensio; tunc revera *non habetur peccati exprobratio.* (Ita *S. Lig., n.* 622, *Croix, n.* 1776, *Ballerini, n.* 643, *aliique).*

856. **Error confessarii quoad confessionis integritatem**: 1.° Sub gravi, et etiam extra confessionem, venia petita, reparandus est, si cum gravi culpa confessarius pœnitentem deceperit, dicendo necessariam non esse talem explicationem; nam ex jure naturali quisque tollere debet, juxta culpæ gravitatem, causam alterius damni, quam libere, et directe posuit. Non autem tenetur cum gravi damno, vel aliorum scandalo, vel cum periculo gravis offensionis pœnitentis, quod plerumque timendum est; porro etiam pœnitentem ab integritate materiali excusat gravis difficultas.—2.° Si vero negative se habuerit sive culpabiliter, sive non, interrogationes circa species, et numerum omittendo, errorem reparare non adstringitur nisi intra ipsam confessionem, si redierit pœnitens; nam hæc obligatio directe afficit pœnitentem, et confessarius nonnisi illius omissiones supplere devincitur, ut prudens judicium sibi efformet de statu causæ: sic, finito judicio, cessat obligatio: aliunde hic error plerumque nemini nocet; nam, modo adsit bona fides in pœnitente, omnia indirecte remittuntur peccata.—Idem est si confessarius oblitus sit pœnitentiam imponere; est enim pars integralis tantum. *(Scavini, S. Ligor., n.* 626).

857. **Error confessarii circa restitutionem** duplici modo committi potest, *negative se habendo,* et *positive deobligando,* vel *injuste obligando.*

I. *Negative se habendo,* fuit cum gravi culpa, vel non. *Si* 1.°, pro culpæ gravitate ad monitionem tenetur confessarius in ipsa confessione,

si redeat pœnitens, vel extra si non redeat, licentia petita; non autem ad restitutionem ipse devincitur, si id omittat; causæ enim negativæ ad restitutionem non tenentur nisi ratione contractus, stipendii, et officii: at simplex confessarius, ac etiam parochus, curare non adigitur, nisi bonum spirituale pœnitentium ex charitate primus, et etiam ex justitia secundus; ergo... *(Ita communissime S. Lig., n.* 621, *et* 578, *Scav., n.* 396). —*Si* 2.°, non adstringitur confessarius cum gravi incommodo pœnitentem monere, cum non sit in culpa. Tenetur intra confessionem, si redeat, vel cum aliquali incommodo extra, petita venia, si non redeat; nam charitas non obligat cum gravi incommodo, culpa deficiente. (*Ita fere omnes*).

II. *Positive deobligando, vel injuste obligando:* fuit id cum gravi culpa, vel levi. *Si* 1.°, ad monitionem tenetur confessarius, etiam cum gravi suo incommodo, vel intra confessionem, si brevi redeat pœnitens, vel extra, venia petita, si non redeat, uti de consulente dicitur. Unde si id omittat, vel tardius agat, cum pœnitens factus sit impotens, vel mortuus, restituere creditori tenebitur confessarius, casu quo pœnitens suo tempore monitus restituisset; (alias efficax causa damni non esset); vel ipsi pœnitenti, aut ejus hæredibus, si hunc injuste obligasset ad restitutionem, et jam restituisset. — *Si* 2.°, pœnitentem ex justitia monere cogitur, ut supra, cum aliquali suo incommodo; nam pro modo culpæ esse debet obligatio; et quisque ex justitia impedire tenetur, ne sua actione, etiam inculpabiliter posita, pariat alteri damnum, id advertens; alias tunc fieret criminalis. Unde si tunc pœnitentem monere omiserit confessarius, cum facile possit, ad restitutionem obstringitur, cognito errore; nam ejus consilium in damnum creditoris influere pergit. (*Ita Gury, n.* 644 *et* 646, *Lugo, n.* 63, *S. Lig., n.* 621, *cum communi* contra *Sanch., Nav., Cajet.,* dicentes, in illo tunc solum teneri ex charitate, quæ ad restitutionem non obligat). Si commode monere nequit, vel pœnitentem inveniat inhabilem, ad nihil tenetur. Horum ratio est, quia pro modo culpæ et rei esse debet obligatio. (*Scavini, l.* 3, *n.* 396).

858. **Effectus sacramenti Pœnitentiæ.** Opera distinguntur 1.° *vivificantia,* v. g., contritio; — 2.° *viva,* seu facta in charitate; — 3.° *mortifera,* uti peccata mortalia; — 4.° *mortua,* v. g., facta in statu gravis peccati; — 5.° *mortificata,* nempe, opera viva, superveniente mortali peccato.

Pœnitentiæ sacramentum *abluit, absolvit, sanat, corroborat, ornat.* Sic illo obtinetur: 1.° *Omnium peccatorum remissio* quoad imputationem, et pœnam æternam. — 2.° *Gratiæ collatio* tum *sacramentalis* ad perseverandum, tum *sanctificantis;* nam peccati remissio, et gratiæ infusio est quid inseparabile. Unde Trid., sess. 6, can. 11: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat...; anathema sit.* — 3.° *Reviviscentia virtutum, et meritorum,* cum sint proprietates gratiæ habitualis per peccatum mortificatæ, et suspensæ, non mortuæ, ut sunt opera in statu peccati mortalis facta, licet in se bona. Sic legitur in Ezech., XXXIII: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* — 4.° In confessione invenitur animæ tranquillitas, et lætitia; familiæ pax, et prosperitas; status ordo, et incrementum, atque omne bonum.

# DE EXTREMA-UNCTIONE.

## CAPUT I.

### De natura, et effectibus Extremæ-Unctionis.

859. **Extrema-Unctio** est *sacramentum a Christo D. N. institutum, quo graviter infirmis per olei benedicti unctionem, et sacerdotis orationem confertur salus animæ, et sanitas corporis,* si animæ expediat. — Dicitur etiam *Oleum sanctum, Unctio infirmorum.*

**Verum esse sacramentum constat** contra Lutherum, Calvinum aliosque: 1.° Ex D. Jacobo dicente: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.* (Cap. v). — 2.° Ex Trid., sess. 14, c. 1: *Si quis dixerit, Extremam-Unctionem non esse vere, et proprie sacramentum, a Christo D. N. institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.* — 3.° Ex ratione in præfatis innixa: 1.° adest *ritus sensibilis* in unctione, et oratione; — 2.° *vis gratiæ conferendæ;* remittit equidem peccata: *et si in peccatis sit, etc.;* — 3.° *divina institutio;* nam solus Deus certis elementis, et verbis alligare potuit vim gratiæ. Firmatur constanti traditione, ac praxi Ecclesiæ, cujus testes sunt ritualia omnium ecclesiarum. —Probabilius fuit instituta post Christi resurrectionem, sicut Pœnitentia; nam ex Trid. est *Pœnitentiæ consummativum sacramentum. Laym., Suar., aliique.*

860. **Effectus** sunt: 1.° *Gratiæ collatio tum sanctificantis, tum sacramentalis* ad infirmum roborandum contra dolores, dæmones, ac animæ pericula. — 2.° *Peccatorum remissio*, etiam mortalium, si adsit attritio saltem et simul invincibilis eorum, aut contritionis defectus ignorantia, vel ea confitendi impotentia; nam per attritionem removetur gratiæ obex. (Ita *probabilius cum D. Thom., S. Lig., n.* 731). — 3.° *Reliquiarum peccati abstersio;* uti sunt pœnæ peccatis debitæ, animi anxietates, torpor, imbecillitas, mortis nimius timor, ad malum proclivitas, et similia. Sacramenti effectus majores sunt, quo melior sit infirmi paratio. — 4.° *Corporis sanitas,* si animæ expedierit; non per miraculum, sed quatenus sacramentum causas naturales adjuvat, quæ omnia, præter dictum *S. Jacobi,* comperta habemus per id a Trid., sess. 14, c. 2, definitum: *Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.* Hinc apparet, quam turpiter errant qui hoc sacramentum non recipiunt, vel nonnisi trementes, ac cum morbus ita invaluit, ut jam sine miraculo sanari nequeant. *(Gury, S. Lig., n.* 731).

# CAPUT II.

## De materia, et forma Extremæ-Unctionis.

861. **Materia remota** est *oleum ex olivis, speciali benedictione ab Episcopo consecratum.* Ita ex *Trid., sess.* 14, *c.* 1, et ex Decreto *Eugenii IV* pro Armeniis: ex Clemente VIII singulis annis (et probabilius sub gravi) est renovandum in Cœna Domini, veteri exusto. (*S. Lig., n.* 708). Imo episcopalis benedictio est de necessitate sacramenti, ut fuit declaratum a Paulo V, a S. C. O., confirmante Greg. XVI, 4 sept. 1842, et a Pio IX, 10 jan. 1850, nisi intercesserit Pontificia delegatio; cum hac vero a simplici sacerdote fieri potest benedictio, ut sentiunt omnes ex Decreto Clement. VIII apud *S. Lig., n.* 709. In orientali Ecclesia ex præsumpta Pontificum concessione mos est, ut sacerdos, cum se accingit ad infirmum ungendum, oleum benedicat. Controvertitur an oleum sit necessario benedicendum in ordine ad Extremam-Unctionem; sed in praxi tutius est tenendum; ac in necessitate sub conditione alio utendum; v. gr. oleo chrismate; et deinde si fieri possit etiam sub conditione, cum oleo infirmorum. *S. Lig., n.* 709, *S. Carolus, Act. Med. eccl., p.* 4.

Si intra annum deficiat oleum benedictum, neque aliud haberi queat, ex *Rit. R.*, fas est eidem adjungere oleum non benedictum in minore quantitate quam vetus, quæ adjunctio pluries repeti potest, quamvis postea sit major quantitas olei non benedicti, modo tamen in unaquaque adjunctione sit minor. Ita *S. C. C.*, 25 *sept.* 1862. Si novum haberi non possit, antiquo uti licet (*S. Lig., n.* 708).

Triplex distinguitur oleum benedictum: 1.° Oleum *infirmorum*, quod inservit tantum ad ungendos infirmos, et ad externam unctionem pro campanarum benedictione.—2.° Oleum *catechumenorum*, quod deputatur ad catechumenos ante Baptismum ungendos; ad manus neo sacerdotum consecrandas, etc.—3.° Oleum *chrisma*, quod adhibetur illico post collatum Baptisma, ad Confirmationem, ad calicis, ciborii, altaris consecrationes, ad campanas interius ungendas, etc.

862. **Materia proxima Extremæ-Unctionis** est applicatio olei benedicti; quæ ex decreto Eugenii IV est facienda in septem corporis partibus; scilicet: 1.° *in oculis propter visum;*—2.° *in auribus propter auditum;*—3.° *in naribus propter odoratum;*—4.° *in ore propter gustum, et locutionem* (labiis compressis); —5.° *in manibus propter tactum;*—6.° *in pedibus propter gressum;* —7.° *in renibus,* quæ unctio *in mulieribus honestatis gratia semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest,* ait Rituale: propter decentiam penes nos quoad omnes omittitur. – Communiter dicunt pedum unctionem non esse de necessitate sacramenti, et ideo servandam esse consuetudinem Ecclesiarum. (*S. Lig., n.* 710). Eamdem quisque sequi debet quoad usum ungendi superiorem pedum partem, vel plantam, ut respondit *S. R. C.* 27 *aug.* 1836; et si infirmus pedes vertere non valeat, ungatur ubi commode fieri potest. (Ita *Herdt, pag.* 558). Romæ usus est ungendi *plantas* pedum, nisi causa rationabilis aliud suadeat. *Del-Vecch., n.* 408. Item etiam *S. Carolus,* et *D. Ligorius.* Quoad alios quinque sensus communius, et tutius, ac in praxi sub gravi tenendum est de necessitate sacramenti unctiones fieri debere, ut habet usus Ecclesiæ, et præscribit Rituale. Imo excepto neces-

sitatis casu, forma in quolibet sensu exprimenda est; nam agitur de sacramenti valore, et tutius tenendum est. *(S. Lig., n.* 710). Hinc:

I. *Si quis aliquo careat sensu,* v. gr., oculis, auditu, loquela, manu, vel pede, etiam a nativitate, verius est ungenda vicinior pars: nam peccare potuit per internas potentias, quibus ea membra respondent. Idem dic de mutis, surdis, et cæcis a nativitate. *(S. Lig., n.* 710 *et* 732).—Unctio fieri debet, intincto pollice in oleo, in formam crucis hanc aptando cujusque partis unctioni, a dextris infirmi incipiendo, et illico pars linita abstergi debet ab ipso sacerdote, vel ab alio ministro in sacris constituto, gossipio, quod dein est in sacrarium, vel ignem injiciendum una cum medulla panis, qua bene pollicem fricuit, et aqua ad digitorum lotionem adhibitam: unus globulus reponatur post quamlibet unctionem, et alter assumatur: parochus bambacion pro unctione deferat; nam sæpe isto carent pauperes.—Dum paria membra sacerdos inungit, *caveat ne formam prius absolvat, quam ambo perunxerit.* -*Manus, quæ aliis interius ungi debent, presbyteris exterius unguntur,* ob consecrationis reverentiam. —*Si dum ungitur infirmus, moriatur, ne ultra procedat sacerdos; si dubitat, inungat sub conditione: Si vivis.* (Ita *Rit. R., Scavini, n.* 408).

II. *Non requiritur ad validitatem manus ungentis contactus,* sed unctio simpliciter. Unde tempore pestis, vel contagii administrari valet oblongam virgam adhibendo, cujus extremæ parti sit gossipii pugillus sacro unctus oleo. Extra necessitatis casum tuto continuari nequit usus virgulam argenteam adhibendi pro Sta. Unctione. *(Scavini, S. Lig., ibid., Bened. XIV, de Synod., l.* 13, *c.* 19, et *S. R. C.* 9 *maji* 1857).

III. *Non est necessaria gemina unctio in geminis partibus ad validitatem;* unde, urgente causa, v. gr., si infirmus ad aliam partem verti nequeat, sufficit unum oculum, unam aurem, ungere; secus vi præcepti ambæ partes sunt ungendæ. Neque ad validitatem est servandus Ritualis ordo in sensu ungendo; tamen sub gravi obligat, si fieri possit. (*S. Lig., n.* 710).

IV. *In necessitate adhiberi debet una unctio in aliquo sensu magis obvio* sub conditione, *si es capax,* et consultius in fronte; nam omnium sensuum nervi a capite descendunt. *Bened. XIV.* Si vero infirmus supervivat, iterum repetatur unctio præscripta sub conditione, *si nondum es hoc sacramento refectus,* orationesque omissas addendo.

863. **Forma Unctionis** in latina Ecclesia hæc est ex præscripto *Ritualis R.: Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum* (dum oculi unguntur), *per auditum* (dum aures), et sic de cæteris sensibus; semper tamen integram repetendo formam ad singulos sensus, excepto necessitatis casu, in quo dicitur simul *per sensus, visum, auditum, odoratum, gustum,* et *tactum,* præmittendo aliam formæ partem; ne si infirmus interim moriatur, nullum sit sacramentum. Si autem infirmus supervivat, sub conditione repetendæ sunt unctiones in singulis sensibus, addendo orationes omissas. *Croix, Scavini, n.* 409. Hinc:

I. Præfata formæ verba omnia ad essentiam pertinent, citra *Sanctam;* nam in Florent., et Trident. non exprimitur: item probabilius, et communius excipiuntur illa *et suam piissimam misericordiam;* sed ea omittere mortale est, cum sit contra Ecclesiæ usum in re gravi. *(Scavini, S. Lig., n.* 711).—Forma hæc deprecativa est.—Probabilius contra *Suarez* una olei gutta sufficit; tamen in praxi curandum est, ut abundantius diffundatur in unoquoque sensu, cum agatur de valore sacramenti. *S. Ligor., n.* 709, *Scavini.*

II. *Grave* est extra necessitatem omittere: 1.° stolam et superpelliceum:— 2.° preces sacro ministro præscriptas, cum id omne sit contra sacramenti reverentiam, et grave, ut dicunt, Ritualis præceptum.—*Veniale* esse docent omittere: 1.° solam stolam, vel solum superpelliceum, ex *S. R. C.*, 16 *dec.* 1826:—2.° lumen, vel ministrum, vel cruces in unctionibus juxta *plures AA.*—In necessitate nullum peccatum. Probabilius sunt tantum de consilio preces, quæ ab adstantibus esssent recitandæ. Ex S. R. C. 16 *dec.* 1828 non licet extra necessitatem administrare Extremam-Unctionem absque cotta, cum stola super communem vestem.—S. R. C. prohibuit Extremam-Unctionem solemniter gestare et deferre ad modum Viatici; sed neque abdite deferri oportet: crux autem sine hasta portatur sicut in parvulorum exequiis. At licet una cum Viatico eam deferre.—Mulier nunquam est adhibenda ut minister serviens: si autem vir aliquis inveniri non possit, solus sacerdos omnes peragat cæremonias, et orationibus ipse respondeat. *(S. Lig., n.* 726 *et* 728, *Scavini, n.* 412, *cum communi).*

In versiculis, responsionibus, Litaniis, orationibus et precibus in administratione Extremæ-Unctionis et Commendationis animæ variatio generis fieri debet ubi sensus exposcit. *Ita S. R. C.* 12 *aug.* 1854.

---

# CAPUT III.

## De ministro, et subjecto Extremæ-Unctionis.

864. I. **Minister Unctionis** hic est solus, et omnis sacerdos. Constat: 1.° ex præfatis D. Jacobi verbis; — 2.° ex Trid., sess. 14, c. 4: *Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate...; anathema sit.*—Satis est unus sacerdos; porro loquitur Apostolus de qualitate personæ, et non de numero, ut definivit Alexander III, et docet Benedict. XIV. Qui ungit debet etiam verba proferre: cum tamen omnes unctiones suam habeant formam, et quælibet forma suam completam significationem, valet sacramentum, si tot sint sacerdotes quot sunt unctiones. Sic græci tres, vel septem sacerdotes ad dandam Extremam-Unctionem vocant. *Scav., n.* 411. Attamen, etsi quilibet sacerdos, etiam excommunicatus, valide illud sacramentum conferre valeat, cum sufficiat ad hoc potestas Ordinis, tamen nemo potest sub gravi illud administrare, nisi habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam super infirmos ex *Clem., n.* 1, *de privilegiis:* imo ex Const. *Apost. Sedis* Pii IX religiosi sine licentia ungere præsumentes, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt.

II. *Quilibet sacerdos, etiam religiosus, potest licite hoc sacramentum ministrare cum parochi venia; vel si hic absit, aut non velit,* vel superior adiri nequeat, pro petenda licentia; imo tunc sub gravi tenetur ex charitate, si urgeat infirmi necessitas, vel adsit scandalum recusando. Et probabilius idem currit, si parochus sit suspensus, aut excommunicatus.—Idem concedunt cum consensu probabiliter præsumpto; non enim videtur cum tanto rigore esse procedendum, ubi agitur de mera liceitate, et de actu charitatis. At non facile præsumenda est talis delegatio. *(Ita Salm., S. Ligor., n.* 722, *Varceno, p.* 224, *Scavini, n.* 411, *et alii).*

865. Q. *Qualis sit obligatio Extremam-Unctionem ministrandi?*

R. I. Sub gravi tenetur Parochus eam subditis petentibus administrare in necessitate constitutis ratione officii, ac graviter peccat, si illud differat usquedum infirmus usu sensuum destituatur; nam sic caret infirmus uberiori fructu, quem alias percepisset. *(Varceno, Gury, n.* 688, *S. Lig., n.* 729, *et S. C. C. apud Anal. juris Pontif., jul.* 1861). Hinc habet Catechismus Rom., n. 18: *Gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipit.* Et Rit. Rom.: *Parochus in primis meminisse debet non postremas esse muneris sui partes ægrotantium curam habere.— Quocirca,* addit P. Gury, *recte dicit Catalanus:* teneri ex justitia parochum infirmis parochiæ suæ assistere, potissimum in commendatione animæ, certa est sententia unanimi theologorum consensu comprobata. *Consonant autem plures declarationes S. C. Conc. relatæ apud Analecta juris Pontif., jul.* 1861.

II. Non tenetur pastor hoc sacramentum dare cum periculo vitæ; v. g. tempore pestis, nisi a longo tempore infirmus non sit confessus, et verisimiliter, vel probabilius censeatur esse in mortali. *Ita S. Lig., n.* 729, *cum communi.*—Alius vero sacerdos in parochi absentia, si licite et facile possit, tenetur tantum sub levi ex charitate, nisi ægrotus alioqui sine omnibus sacramentis esset moriturus, tunc quidam graviorem obligationem agnoscere videntur. Ita *communiter cum Lay., S. Lig., n.* 729.

866. **Subjectum Extremæ-Unctionis** est *omnis, et solus homo baptizatus, qui aliquando peccandi fuerit capax, et graviter infirmus:* 1.° *Baptizatus;* alias non esset sacramentorum capax. Communius et probabilius statim post Baptismum dari potest graviter infirmo, tum ad reliquias actualium culparum abstergendas, tum ad infirmi corroborationem contra dæmonis tentationes. *S. Lig., n.* 721, *Scav., n.* 413.— 2.° *Qui aliquando peccandi fuerit capax;* secus frustra adhiberetur forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per...*— 3.° *Graviter infirmus,* dicente D. Jacobo: *Infirmatur quis in vobis...* Constat ex Concil. Florentino, et Trid., sess. 14, c. 3. Unde nullum est sacramentum, si infirmo gravi morbo non laboranti conferatur. *(Ita communiter).*

Tamen sententia communis, et vera docet valide, et licite ungi posse infirmum morbo gravi laborantem, seu in mortis periculo prudenter existimato. *Debet hoc sacramentum præberi infirmis, qui tam graviter laborant, ut periculum mortis imminere videatur. Quoties Viaticum infirmis ministratur, statim eis ministrari Unctionem posse, et expedire; quia jam censetur infirmitas grave periculum vitæ inducere,* ait Benedict. XIV, Bulla *Ex quo,* ex *Castropalao. (Ita Rit. Rom., S. Carolus in Con. Prov. IV, S. Lig., n.* 714, quæ praxis probatur a *S. R. C.* 14 *aug.* 1858). Eo in casu bis recitari debet *Confiteor* ex decreto *S. C. Indulg.* 5 *febr* 1841, et ter si dein applicetur indulgentia plenaria pro articulo mortis. Tamen, si casus non urgeat, sive ratione infirmitatis, sive difficultatis redeundi, tam ex parte parochi, quam ex parte infirmi, aut familiarium, consultius erit moram aliquam interponere, et gratias in necessitate distribuere. *(S. Lig.).*

867. **S. Unctio est deneganda:** 1.° *Pueris ante rationis usum, et perpetuo amentibus.* In dubio usus rationis, interrogentur parentes, etsi plerumque innocentes filios supponunt, et illo perdurante, sub conditio-

ne sunt pæfati ungendi: *Si es capax* (*Varceno, Scavini, S. Lig., n.* 718).— 2.° *Impœnitentibus notoriis*, et *excommunicatis*, nisi præsumantur conteri, et iis qui *in manifesto peccato mortali moriuntur*, ait Rit.; cum sint prorsus indigni. (*Scavini, Varceno, p.* 225, *cum communi*).—3.° *Capite plectendis*, prælium, aut periculosam navigationem inituris; nam actu infirmi non sunt.

868. S. **Unctio est concedenda**: 1.° *Pueris rationis capacibus*, etsi non communicent, ex Benedict. XIV cum communi.—2.° *Mulieribus* partus doloribus extraordinariis laborantibus (non vero ordinariis), aliisque, qui difficilem chirurgi operationem sunt subituri; quia actu morbo intrinseco ac periculoso jam laborant.—3.° *Delirantibus, ac phreneticis*, ac ubi resistunt, tenendi sunt, ut vitetur irreverentiæ periculum. Idem dic de *amentibus* per intervalla.—4.° *Infirmis etiam sensibus destitutis*, si christiane vixerint; et saltem sub conditione probabiliter; idem dicunt de ebriis, de vulneratis in rixa, et in actu peccati mortalis sensibus destitutis, nisi certissime constet in mortali esse; præsumuntur enim conteri in illo extremo. (*Scavini, Varceno, S. Ligor., n.* 82, *et* 732).— 5.° *Senio deficientibus*, cum virium debilitas, medicorum judicio, sit vera infirmitas: item *veneno infectis*; nam sunt graviter infirmi. Verius, et communius ungendus est surdus, mutus simul ac cœcus a nativitate; saltem sub conditione; quamvis enim legem positivam cognoscere non potuit, interius peccare potuit contra legem naturalem, et in radice per animæ potentias ad illa membra respondentes. *S. Lig., n.* 732, *Scav., n.* 414.

869. **Iteranda Unctio** non est, neque licet in eadem infirmitate, nisi *cum infirmus convaluerit, et iterum in periculum mortis inciderit*, ex Rit. Rom. Audiatur Bened. XIV : *Ne nimium scrupulosi se gerant parochi ; sed si dubitent, an revera status morbi sit immutatus, vel an nunc idem, an diversum adsit vitæ periculum, ad sacramenti iterationem propendant ; eo quod hæc iteratio conformior sit veteri consuetudini Ecclesiæ, et per eam novum spirituale subsidium infirmo obveniat.* Unde pthisici, ac hydropici, si post Unctionem in pejori, vel eodem periculo versantur, iterum ungi non poterunt (*S. Lig., n.* 715) ; bene vero si aliquantisper meliores se habuerint. (Ita probabilius *S. Lig., Gury, n.* 691, *et alii).*

870. **Dispositio requisita ad Extremam-Unctionem.** I. *Status gratiæ* opus est, cum sit sacramentum vivorum. Hinc si infirmus confiteri nequeat, saltem conteratur; et sufficere videtur attritio cum bona fide, cum sit etiam veluti sacramentum mortuorum ad dimittenda peccata institutum, ut constat ex D. Jacobi verbis, et ex Trident., sess. 14, cap. 2. (Ita *Salm., n.* 13, *Gury, n.* 693. *et alii:*— *Spor. et Gonet* per accidens peccata remittere dicunt, cum sit sacramentum vivorum:— *alii* cum *Tour.*, et *Salm.* remittere *per se* docent; quia id habet ex divina institutione.

Item controvertitur utrum quælibet Unctio partialem gratiam conferat : affirmant *multi* cum *Soto*; nam quælibet suam habet formam completam ac propriam.—Negant plures cum *D. Thoma, Supp., q.* 30, *a.* 1, quia partiales unctiones ad unum referuntur esse sacramenti. (*Varceno, p.* 227).

II. *Intentio requiritur*, saltem habitualis, vel præsumpta Unctionem suscipiendi. Et sic imprudenter se gerit qui infirmum animam agentem inveniens, præpropere eum ungit, quin de confessione, vel contritione ipsi loquatur, neque de ipsa Unctione. Adjuvet patientem ad actus fidei, spei, et charitatis prius eliciendos; instruat

eum parochus quoad Unctionis virtutem, si tempus non adeo urget, et dein reverenter sacramentum ministret post confessionem, et Viaticum. (*S. Lig.*, *n.* 716.)—Si conditio infirmi, vel tempus aliud requirat, poterit illa administrari etiam ante Viaticum, cum consuetudo præmittendi Viaticum non sit recepta saltem sub gravi ex Bened. XIV, *De Synod.*, *l.* 7, *c.* 23.—Idem dic, et fac circa *Papalem benedictionem*, quæ ad validitatem est tribuenda juxta formam a Bened. XIV præscriptam; non autem est de absoluta necessitate, ut adhibeatur cotta, et stola. (Ita *Del-Vecchio).*—Ex *S. C. R.* 16 *dec.* 1828, retineri domi nequit pro commoditate S. Oleum, excepta magna distantia ab ecclesia, vel necessitate, in quibus casibus in loco decenti ac tuta custodia domi servetur. Alias culpa veniali non vacaret parochus. *Scavini*, *n.* 521. *Quintanus* a mortali eum non audet excusare, cum sit contra reverentiam, et præceptum. *S. Lig.*, *n.* 730. Tamen alicubi usus communis aliter se habet, ut ita necessitati citius subveniatur.

871. I. **Obligatio S. Unctionem recipiendi** controvertitur. *Aliqui* cum *Soto*, *Roncagl.*, *S. Bonav.*, valde probabiliter obligare sub gravi sustinent; tum quia verbum D. Jacobi *inducat* præceptum continet; tum quia adest Ecclesiæ universalis praxis, fidelium consuetudo, et communis sensus; tum quia ad id graviter compellit propria charitas; nam quisque in extremis remedia efficaciora contra æternæ salutis pericula amplecti debet ex Trid.; Extrema-Unctio est *firmissimum remedium* in extremo agone contra dæmonis conatus: ergo...

—*Alii vero communius* et satis probabiliter hanc obligationem in genere negant: 1.º quia nullum Concilium de hoc præceptum fecit; —2.º quia verba Apostoli Jacobi consilium indicant, et sic accipitur; - 3.º quia contra animæ hostes plura alia sunt remedia (ita *Bill.*, *S. Thom.*, *p.* 3, *q.* 65, *a.* 4, *Scavini*, *n.* 404, *S. Lig.*, *n.* 733), licet hic recte dicat: *Ingenti namque periculo se exponere videtur tentationibus succumbendi, qui negligit se munire hoc sacramento a Christo D. instituto, tanquam firmissimo præsidio in tanto conflictu.* (Ita omnino est suadendum). Omnes tamen conveniunt quod per accidens sub gravi obligare potest; scilicet: 1.º Si quis illud omittendo scandalum daret; vel quia alii suspicarentur quod ipse sit hæreticus.—2.º Ratione contemptus, si quis ad nihil conferre hoc sacramentum crederet, dicente Trid: *Neque vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus S. injuria esse potest.* (Sess. 14, cap. 3). 3.º Si omittens conscientiam peccati mortalis habeat, aliudque sacramentum suscipere nequeat, quod in praxi vix ac ne vix accidere potest. Ita *communiter S. Lig.*, *n.* 733.

---

# DE SACRAMENTO ORDINIS.

Agendum est de natura, et divisione; de materia, et forma; de ministro, et subjecto Ordinis.

## CAPUT I.

### De natura, et divisione Ordinis.

872. **Ordinis natura**: I. Ordo *sumitur pro clero*, seu pro hierarchia ecclesiastica, quæ definitur: *Certus hominum status variis distinctus gra-*

*dibus, alii aliis subordinati in ordine ad Christi Ecclesiam regendam, atque ad divina religionis mysteria celebranda, et distribuenda.*

II. *Sumitur pro sacra ordinatione,* et definitur: *Sacramentum a Christo D. N. institutum, quo gratia, spiritualisque potestas ordinato confertur ad munia ecclesiastica rite obeunda in ordine ad Eucharistiam.*

III. *Ordo, seu ordinatio est verum sacramentum:* nam 1.° adest *signum sensibile;* confertur enim exteriori signo, scilicet, manuum impositione, et instrumentorum traditione; – 2.° habet *divinam institutionem;* cum ipse Christus Apostolos ordinaverit, potestatem consecrandi, ordinandi, peccata remittendi, Ecclesiam regendi, divinaque mysteria dispensandi eis dederit; — 3.° adest *divinæ gratiæ collatio.* Constat ex Apostolo (II Tim., I), dicente: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et I Tim., IV, 14, ait: *Noli negligere gratiam,... quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii.* - Id firmat Trid., sess. 23, can. 3: *Si quis dixerit, Ordinem... non esse vere, et proprie sacramentum a Christo D. institutum; vel esse figmentum quoddam humanum; anathema sit.*

873. **De fide est adesse in Ecclesia hierarchiam divinitus institutam.**—Id probat Apostolus dicens: *Corpus non est unum membrum. sed multa... quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?... Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes..... Numquid omnes apostoli?... numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores?* (I Cor. XII). Hinc Trid., sess. 23, can. 6: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam, divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris. et ministris; anathema sit.* Ratio id luculenter probat: nulla quidem societas sine ordine; neque ullus ordo sine potestate, quæ illi præsit; quod magis opus est omnium fidelium societati toto in orbe disseminatorum: atqui ullus unquam sub cœlo fuit homo, qui jus imperandi universis gentibus a se habuerit, et illud potuerit delegare: ergo a cœlo esse debet, nempe, ab illo, qui dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes..* Unde licet omnes unum in Christo simus per Baptismum in ordine ad salutis negotium, non autem in ordine ad hoc corpus regendum, dirigendumque ad æternam salutem: et quamvis Petrus et Joannes omnes christianos vocent *sacerdotes Dei,* etiam eos vocant *reges;* id est, *sacerdotes,* quatenus offerre debent Deo sacrificia laudis, justitiæ, etc., et *reges* super omnes eorum cupiditates.

Duplex est ecclesiastica hierarchia, *ordinis* nempe, et *jurisdictionis.*—1.ª est *facultas peragendi ex officio ritus sacros,* scilicet, benedictiones, sacrificium, sacramenta, etc.— 2.ª *vero est potestas subditos regendi in ordine ad Dei cultum, et animarum salutem* —Ordo, seu ecclesiastica hierarchia fuit instituta in ultima Cœna cum Christus Apostolos sacerdotes, et episcopos ordinavit, hisque tantum potestatem fecit alios ordinandi, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem;* id est, sacrificate, et sacrificandi conferte potestatem. Et post Resurrectionem potestatem dedit Apostolis peccata remittendi, ministeria dispensandi, Ecclesiam regendi, aliosque ministros instituendi, etc., ut constat Joan. XX, Matth. XXVIII.

874. **Ministrorum Ecclesiæ vocatio, electio, et missio,** non pertinet ad populum, parlamenta, aut reges, sed ad sacros præsules, quibus exclusive dixit Christus: 1.° Petro (Joan. XXI): *Pasce agnos meos... Pasce oveas meas.* Et 2.° Petrus ait sociis suis: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* (I Pet. V). Et sic 3.° ait Apost. ad Titum:

*Reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* (Tit. I, 5). Ita diffluit ecclesiastica potestas; et hac ipsa potestate potuit Ecclesia alios inferiores gradus inducere, inductos extinguere, et alios iisdem substituere, habita ratione temporis et circumstantiarum. Tot nunc hierarchiæ ordinis gradus sunt, quot Ordines. Igitur si aliquando laicus quid potuit in hac re, conniventiæ, et permissioni præsulum Ecclesiæ est tribuendum. Sic Nicænum II, can. 3, ait: *Omnem electionem, quæ fit a magistratibus Episcopi, vel presbyteri, vel diaconi, irritam manere.* Et Pius IX per *S. C. C.* excommunicationem *speciali modo* reservatam infligit in eos, qui se in Ecclesiæ ministeria immittunt absque ecclesiastica jurisdictione vel delegatione, etc. (V. T. I, n. 257, ad XIV).

875. **Ordinum numerus.** I. Septem numerantur Ordines: nempe *presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus,* et *ostiariatus.*—Primi tres dicuntur *majores,* reliqui *minores.*—Dicitur major ille, qui *habet adnexam legem continentiæ, et Horarum, ac propinquior versatur in ordine ad Eucharistiam.*—Minor autem, qui *remote tantum versatur circa Eucharistiam, nec adnexam habet continentiæ, et Horarum obligationem.*

Gradus autem hierarchiæ jurisdictionis jure divino constituit Rom. Pontifex, in quo residet plenitudo jurisdictionis in universam Ecclesiam. Episcoporum jurisdictio, licet sit de jure divino, Pontifici subordinatur. Jure ecclesiastico ad jurisdictionis hierarchiam pertinent Cardinales, Legati, Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, Coadjutores Episcoporum, et Prælati inferiores. Item Vicarii Episcoporum generales, Capitula Canonicorum, Vicarii Capitulares, Vicarii foranei, Parochi, cæterique ecclesiastici.

II. *Horum ordinum existentia* deducitur præcipue ex Trid., sess. 23, c. 2: *Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; anathema sit.* Et cap. 2, ait Conc: *Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis, sacræ litteræ apertam mentionem faciunt...; et ab Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolyti, exorcistæ, lectoris, et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur.* Et cap. 17 de R., subdit Concilium: *Ut sanctorum Ordinum a diaconatu ad ostiarium functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ... in usum juxta sacros canones revocentur... Quod si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis clerici cœlibes præsto non erunt, suffici possint etiam conjugati.* Et cap. 13, ait Conc., *subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, et in minoribus Ordinibus jam probati.* Hinc habetur numerus, et gradus singulorum Ordinum.

876. **Singulorum Ordinum natura, et proprietas.** I. Ostiariatus primus est inter minores, *quo specialis confertur potestas aperiendi, claudendi ecclesiæ januas, dignos admittendi, et excludendi indignos.*

II. Lectoratus, *quo specialis traditur potestas legendi extra Missam psalmos, et lectiones in ecclesia, ac populum catechizandi, seu instituendi in rebus fidei.*

III. Exorcistatus, *quo alicui confertur specialis potestas dæmones ejiciendi ab energumenis per exorcismos ab Ecclesia institutos.* Hæc potestas hodie solis reservatur presbyteris, qui ea de Ordinarii licentia uti tantum valent intra Italiam et adjacentes insulas, ex Bened. XIV; imo neque regulares etsi in sua ecclesia inconsulto Episcopo. *Scavini, n.* 533. (V. T. I, n. 431).

IV. Acolithatus, *quo confertur specialis potestas in solemni Missa subdiacono inserviendi, cereos accendendi, præparandi, ac porrigendi ampullas aquæ, et vini.*

V. Subdiaconatus, primus inter majores, *quo confertur specialis potestas præparandi et deferendi calicem vacuum cum patena, in solemni Missa diacono inserviendi, solemnique ritu Epistolam canendi.*

VI. Diaconatus, *quo confertur specialis potestas in solemni Missa presbytero immediate assistendi, Evangelium canendi, prædicandi, ac publice baptizandi, necnon Eucharistiam ministrandi, justa interveniente causa.*

VII. Presbyteratus est *Ordo, quo traditur specialis potestas tum consecrandi, et ministrandi corpus, et sanguinem Christi, tum remittendi, et retinendi peccata fidelium, et pascendi subditos opere, ac doctrina*

—*Episcopatus* est ipsius sacerdotii complementum, *quo datur presbytero specialis potestas confirmandi, ordinandi, de fide judicandi, et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.*

877. Q. *An omnes, et singuli Ordines sint sacramentum?*

R. I. De fide est quoad *sacerdotium* a Trid., sess 23, can. 6, ut supra n. 873.

II. De *diaconatu* certum est, licet non de fide; nam occurrunt in eo omnia ad sacramentum requisita. 1.° *Signum sensibile* in manuum impositione.—2.° *Divina* institutio. dicente Trid.: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris;* (scilicet, saltem diaconis), *anathema sit.*—3.° *Gratiæ collatio*, ut habetur ex verbis formæ ad candidatum: *Accipe Spiritum Sanctum...* Idque colligi videtur ex Trident , sess. 23, can. 4: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum S.; ac proinde frustra Episcopos dicere:* Accipe Spiritum S...; *anathema sit:* atqui in diaconatus ordinatione jam dicit Episcopus: *Accipe Spiritum Sanctum;* ergo vere Spiritus S. datur; ergo confertur gratia; ergo est sacramentum. *Scavini, n.* 531, *Varceno, p.* 231, *Gury, n.* 698, *S. Lig., n.* 737.

III. Quoad alios inferiores Ordines probabilius negatur esse sacramenta, et contraria sententia hodie fere est antiquata. Deest in illis: 1.° *Divina institutio:* nullibi sane de ea constat, sed tantum in eis fit mentio traditæ potestatis. Ita *S. Lig., n.* 737. —2.° *Signum sensibile*, quod in Ordine nihil aliud est, in probabiliori sententia, quam impositio manuum, cum illius tantum mentio fiat in S. Scriptura, et illa solum utantur græci.—3.° *Gratiæ collatio;* nulla equidem adhibetur forma illius productiva. Neque subdiaconatus apud græcos habetur, uti Ordo sacer; nec penes latinos, juxta communem sententiam, cum ante finem sæculi XI ab Urbano II (ut videri est apud Ferr., editione *Migne*, verb. *Ordo*, art. 1.°, in notula; et apud *Devoti*. t. I, secc. II, item in nota) ad majores Ordines fuerit elevatus. Et Trid. sess. 23, cap. 2, ait: *Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus, et sacris conciliis refertur.* Si in ly *ministris* a Trid. enumeratis ex divina institutione illum includere velimus cum *D. Thom., Bill., aliisque antiquis*, cur non etiam reliquos minores, cum etiam ipsis insigniti sint ministri? Ideo sunt tantum ecclesiasticæ institutionis; et proinde ab Ecclesia habent, quod iterari non valeant, augeri, aut minui, sicut et Tonsura. (Ita *Scavini, Varceno. Gury, S. Lig n* 737).—*In Ecclesia græca* multis abhinc sæculis quatuor tantum sunt Ordines; scilicet, *presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus*, et *lectoratus;* tamen *subdiaconatus* ibi *acolytatum*, et *ostiariatum* includit; et ab aliquibus *exorcistatus* cum *diaconatu* traditur.

878. **Tonsura** est *ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo laicus baptizatus, et confirmatus capillorum tonsione in clerum adsciscitur.* Non est Ordo, sed tantum dispositio ad Ordines. Ab Apostolis derivari tradit Catechismus Rom. Ad D. Petrum eam refert *Gregor. Turon.:* alii hoc negant. Illius effectus sunt: 1.° adscribere candidatum clero;—2.° pri-

vilegiis clericorum gaudere;—3.° beneficiorum capacem efficere;—4.° ad Ordines disponere.—Gaudent ergo tonsurati privilegiis *fori*, seu exemptione a sæculari jurisdictione; —*immunitatis*, quo a tributis liberantur;—*competentiæ*, quo nequeunt, si obærati, in carcerem detrudi, aut honesta sustentatione privari;—*canonis*, quo eos percutientes sint excommunicati: hoc solum fere hodie ipsis remanet privilegium, etsi non jam ubique coram lege civili.—Cum novum statum assumant tonsurati, in melius mutare debent mores. Hinc eos monet Pontificale, ut in posterum *habitu honesto, bonisque moribus. atque operibus Deo placere studeant.*

879. Q. *Utrum Episcopatus sit ordo diversus a presbyteratu?*

R. De fide est Episcopos esse presbyteris superiores, ex Trid., sess. 23, can. 7 dicente: *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem...; anathema sit.* Sed non dixit quo jure, an divino, vel humano; at certum habemus esse jure divino.—Communius et omnino tenendum, ait *Perrone*, docent Episcopatum esse Ordinem a presbyteratu distinctum, cum in eo distinctus tradatur character, seu specialis potestas, specialisque habeatur materia, et forma; et ut valide quis consecretur Episcopus, communius requiratur, ut valide presbyteratum susceperit; ita deducitur ex ejusdem muneribus, et ex Concilio Sardicensi Tamen non ideo octo Ordines admittunt, sed in sacerdotio contineri episcopatum utpote ejusdem complementum dicunt, sicut species nobilior in suo genere. *S. Ligor.*, *n.* 738, *Scavini*, *n.* 541, *Varceno*, *n.* 233, *aliique* contra *D. Thom.*, *S. Bonav.*, *etc.*, dicentes esse extensionem Ordinis presbyteratus.

880. **Officia cujusque Ordinis sunt**: I. *Ostiarius* januas ecclesiæ aperire, et claudere suo tempore debet; ab ea indignos arcere; impedire ne quis ad sacerdotem sacra facientem, vel ad altare accedat; campanas pulsare; vasa sacra, ecclesiam, et cætera ad divinum cultum pertinentia fideliter, ac decenter custodire.

II. *Lector* libros sacræ Scripturæ legere debet; pueros, ac rudes christianæ Religionis rudimenta docere.

III. *Exorcista* aquam, et salem ad benedictionem in ecclesia præparare, et hodie fere nihil aliud agere debet.

IV. *Acolythus* parare debet vinum, et aquam in urceolis ad Missam; subdiacono ministrare, accendere luminaria, eaque deferre, cum celebrantur divina officia.

V. *Subdiaconus*, præter gravem obligationem quotidie divinum officium recitandi, ac perpetuam castitatem servandi, tenetur: 1.° vinum, panem, lintea, et cætera ad Missam præparare; —2.° Epistolam in Missa solemni cum manipulo cantare;—3.° calicem, et patenam ad aram deferre; (apud græcos ea solum parat in mensa minori), aquam in calicem fundere: patenam elevatam tenere; pacem in chorum deferre, et portare crucem in processionibus; —4.° diacono in altari ministrare, uti constat ex *Pontificali*.

VI. *Diaconum* nunc ex *Pontificali* oportet: 1.° ministrare ad altare, id est sacerdoti solemniter celebranti patenam cum hostia, et calicem cum vino porrigere: —2.° Evangelium solemniter canere, ciborium extrahere a Sacrario, et reponere: —3.° Eucharistiam in necessitate, et ex commissione ministrare: —4.° eodem modo publice baptizare: —5.° ex delegatione Episcopi tantum prædicare. *Scavini*, *l.* 3, *n.* 537.

VII. *Presbyteri* ex Pontificali munia sunt: *offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare;* ad quatuor autem posteriora, ut legitime fiant, personarum assignatio, et superioris consensus requiritur. Excipe

simplices rerum, vel personarum benedictiones, et necessitatis casum quoad Baptismum.

VIII. *Episcopus* a jure divino potestate *ordinis*, et *jurisdictionis* gaudet: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.* (Act. xx). Unde Episcopus primum sibi attendere debet; deinde universo gregi sibi commisso. Episcopus plenitudinem sacerdotii habet, indeque omnium munerum sacerdotalium, et maxime parochorum, cumulum.

881. **Officia potestatis ordinis**, (quæ est indelebilis), sunt: 1.° Ordinis, et Confirmationis administratio:—2.° altarium, ecclesiarum, campanarum, olei infirmorum, catechumenorum, et chrismatis consecratio:—3.° calicis, et patenæ, sacrarumque vestium benedictio; item abbatum, abbatissarum, et regum, sanctimonialium velationes, et major, seu solemnis benedictio.

882. **Officia potestatis jurisdictionis** (quæ est subordinata Pontifici), sunt: 1.° de jure res fidei docere, prædicare, jubere, ac leges ad suæ diœcesis regimen ferre: -2.° judicare causas tum ecclesiasticas, tum mixti fori, tum miserabilium, quorum est pater:—3.° corrigere, et punire mulctis, ac pœnis ecclesiasticis:—4.° administrare, quod est positum in collatione, suppressione, erectione, divisione beneficiorum; in bonorum Ecclesiæ tuitione, curatione, acceptatione, juxta canones; in orando, sacrificando, sacramenta ministrando, in demandando clericis officia ecclesiastica, ad quæ magna pollere scientia opus est. (*Scav., n.* 543, etc., *Varc., p.* 234).

**Episcopatum appetere.** *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,* ait Apost. (I. Tim. III), at non dixit bonum esse desiderium, sed opus. Unde Angelicus, 2. 2, q. 185. a. 1, habet: *Appetere ergo episcopatum ratione hujusmodi circumstantium bonorum* (temporalium) *manifestum est, quod est illicitum... Quantum autem ad... celsitudinem gradus, appetere episcopatum est præsumptuosum. Sed appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile. Verum quia prout est episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente.*

883. **Effectus ordinationis** sunt: 1.° gratia habitualis, et sacramentalis:—2.° character. Quoad cætera vide ubi de obligationibus in societate religiosa.

---

# CAPUT II.

## De materia, et forma singulorum Ordinum.

884. **Materia Episcopatus** essentialis habetur in sola manuum impositione, ab Episcopo consecrante facta, cum dicit: *Accipe Spiritum Sanctum,* et quæ dein ab ipso post brevem orationem continuatur: et verba tunc ab eo prolata *formam necessariam* constituunt. Cætera ad integritatem ordinationis sub gravi pertinere dicunt *Scavini, n.* 542, *S. Lig., n.* 755: patet tum Apostolorum exemplo: *Act. XIII,* et II *ad Tim.* I, 6; tum ex omnium ecclesiarum antiquissima praxi. Igitur manuum impositio, et verba duorum assistentium Episcoporum ad essentiam pertinere non videntur; unus equidem Episcopus plenam habet Ordinis potestatem; unus in Pontificali dicitur consecrator; pluries S. Sedes dispen-

savit, ut unus tantum adhiberetur: *Croix* Decret. *S. C.* affert. Idem dicendum de impositione libri Evangeliorum; item de capitis unctione et manuum; cum neque apud græcos extiterit; idem de baculi, annuli et libri Evangelii traditione; hæc quidem solum ordinationis effectus significant; jam enim dicitur ordinatus Episcopus in Pontificali. Pius IX, 17 jun. 1867, Patriarchis, Archiep. et Episcopis usum pileoli violacei coloris concessit.

**Materia essentialis presbyteratus** est solummodo 2.ª manuum impositio una simul cum presbyteris ab Episcopo ordinante facta. Constat: 1.° Quia certo de essentia non est 1.ª manuum impositio, cum nulla ei respondeat forma; neque 3.ª, contra *Scotum*, *Bellar.*, *aliosque;* tum quia in usu non fuit apud latinos per XII priora sæcula; tum quia sacerdotium jam est collatum; quocirca noviter ordinati presbyteri profecto cum Episcopo jam concelebrant, ut fatentur *omnes.*—2.° Certo item constare videtur ad essentiam minime pertinere instrumentorum porrectionem contra *Sotum* et *alios;* nulla quidem de illa fit mentio in S. Scriptura, neque apud ipsos latinos viguit hujusmodi traditio ante sæculam VIII; nam fuit invecta sæculo IX, uti ex doctissimo *Martene* observat Benedict. XIV, *De Synod. Diœc.*, *l. VIII*, *c.* 10. Unde si talis traditio, vel 3.ª manuum impositio ad Ordinationis essentiam pertinerent, ægre concludendum foret per plura sæcula caruisse latinos Ordinis sacramento et presbyteris. Et quid exinde quoad futura sæcula decidere fas esset?... Ergo solummodo 2.ª manuum impositio, ut supra, est materia essentialis presbyteratus. *Scavini, n.* 538, *Gury*, *S. Lig.*, *n.* 749 *cum communi.* De sola manuum impositione sermo est in *Act. XIII.*—3.° Ex Trid., sess. 14, cap. 3, ministri Extremæ-Unctionis sunt *aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii*, seu quæ fit ab Episcopo cum presbyteris assistentibus, 2.ª scilicet; quamvis talis presbyterorum impositio ad essentiam nihil conferat; tum quia presbyteri non censentur ministri Ordinis; tum quia nullam ipsi formam, seu verba adhibent. In signum igitur cooptationis fit, cui cæremoniæ apud græcos correspondet salutatio. *Tour.* Denique *Ephrem Chasteau* scrupulis angebatur, eo quod in sua ordinatione ad presbyteratum calicem tactu physico non tetigerat: et *S. R. C.* 3 *dec.* 1661 respondit: *posse continuare celebrationem Ss. Sacrificii absque ullo scrupulo;* et *eadem S. C.* 21 *jan.* 1863 id rursus confirmavit in *Romana.* Incassum ergo controversiam alunt quidam *AA.*

Attamen ex præscripto in *Pontificali* materia in sacerdotum ordinatione est calix cum vino, et patena cum hostia. Sufficit ut verius et communiter docent *Gury*, *Ballerini, n.* 702, *Scavini, n.* 660, *S. Lig.*, *n.* 754, simul calicem et patenam tangere, non autem hostia et vinum sunt tangenda. In ordinatione presbyterorum cuilibet tradendus est calix cum vino et aqua, et patena cum hostia, et cuilibet forma repetenda in singulari: *Accipe,* etc. *S. R. C.* 12 *nov.* 1831. *Neque magis necessarium*, ait Gonet, *est tangere hostiam ipsam patenæ superpositam, quam vinum in calice contentum, quod certe nullus ordinandorum tangit. Quod propter nonnullos scrupulosiores notare obiter hic volui.* Quocirca si ordinatio sit facta sine 2.ª manuum impositione, tota sub conditione iteranda est, ut declaravit S. C. C. penes Bened. XIV: si vero fuerit facta sine traditione instrumentorum, vel sine 3.ª solummodo manuum impositione, vel si Episcopus formam huic adnexam perturbaverit, *sub conditione in privato oratorio quovis anni tempore suppleatur a quovis Episcopo induto de more*

*tertia manuum impositio et forma respectiva... non tamen repetendo cæremonias accidentales antea adhibitas.* Ita *S. Inq. C.* 27 *maj.* 1840, probante Gregorio XVI, et *S. R. C.* 22 *maj.* 1841.

Docent probabilius *Vazq., Conc., Scav., n.* 661, et *alii* valere Ordinationem si tangatur solus calix, sed non patena superposita, aut viceversa; quia calix et patena tunc moraliter unum faciunt; alii vero talem Ordinationem sub conditione repetendam volunt. Item communissime valide ordinatur qui hostiam tangit, non autem patenam; panis siquidem et vinum sunt essentialis materia Ordinis, et ob solam decentiam præcepto Ecclesiæ usurpatur calix, et patena. Ast in praxi tutius sequendum est. *S. Lig., n.* 754.

Forma essentialis est, quæ adhibetur in unaquaque materia juxta unamquamque præfatam opinionem; et sic in secunda manuum impositione cum dicitur ab Episcopo: *Oremus fratres*, etc., et: *Accipe potestatem...* habetur forma essentialis juxta probabiliorem sententiam.

**Materia diaconatus** verius est sola manuum impositio cum sua forma, tum quia in S. Scriptura illius tantum fit mentio (Act. VI.); tum quia in ea tantum tribuitur Spiritus S., seu gratia sacramenti; tum quia hæc una apud græcos reperitur, neque alicubi apparet Ecclesiæ potestas diversam materiam determinandi; neque præsumendum videtur quod Ecclesia usa fuerit hac dubia potestate cum periculo sacramentum frustrandi. *S. Bonav., Tour.. Scav., n.* 536, *Perrone, cap.* 4, et *alii* contra *Vazq., et D. Thom. supp. q.* 37, *a.* 5, qui in traditione libri Evangelii cum sua forma eam constituunt; et contra *Salm., Baller., Lugo, aliosque* in utraque ipsam stabilientes. ut sic præcipitur apud latinos. Unde si alterutrum fuerit omissum, statuto tempore est supplendum, ex S. C. R. 16 jun. 1837, et ex jure canonico, *cap. Presbyter, de Sacram. non iterand. (Varceno, Scavini, S. Lig., n.* 748).

**Materia subdiaconatus**, *apud græcos* censetur manuum impositio. *Apud latinos*, juxta aliquos, est traditio calicis (et probabilius consecrati) vacui cum vacua patena: et forma sunt verba in traditione prolata: *Videte cujus ministerium*, etc. (Ita *Salm., S. Thom.).*—Alii cum *Aversa* docent traditionem libri Epistolarum esse pariter materiam hujus Ordinis essentialem. Sed in praxi, cum agatur de validitate, si quid omissum fuerit, caute erit supplendum.—Idem dicunt, si traditio facta fuerit calicis non consecrati. - Conveniunt quod urceoli cum aqua et vino, cum catillo et manutergio, quæ omnia de præcepto simul tangenda sunt, ad complementum, non vero ad validitatem traduntur. *(Varceno, Scavini, n.* 534, *S. Lig., n.* 746).

Amictus in capite ab Episcopo impositus ad subdiaconi ordinationem, est *dimittendus super scapulas post impositionem. S. R. C.* 11 *sept.* 1847. Quidam clericus attestationibus confictis deterritus ob censuras materialiter Ordinationi se præsentavit hoc uno sibi proposito fine scandali forsan orituri vitandi, cum positivo animo subdiaconatum non recipiendi. *S. C. C.* 28 *aug.* 1865 respondit: *Iterum ordinandum sub conditione, modo aliud non obstet canonicum impedimentum.*—In ordinatione subdiaconorum super duos aut tres simul manu dextera calicem cum patena tangentes, potest Episcopus formam proferre: *Videte,* etc. Quando Ordines conferuntur sine cantu, subdiaconus post lectam Epistolam osculari debet manum Episcopi; ast diaconus etsi dicto *Munda cor meum...* benedictionem petere debeat, et Episcopi manum osculari, postea

*ab Episcopo osculandum suum missale,* non autem diaconi. *S. R. C.* 25 *septemb.* 1852. Calix vacuus esse debet necessitate præcepti et significationis, minime vero ad validitatem ordinationis. *Lugo, Scavini, n.* 663.

**Materia proxima acolytatus** est traditio urceoli vacui, et candelabri cum cereo extincto cum sua forma. *Exorcistatus,* traditio Ritualis ex Bened. XIV, Const. *Sollicitudini,* ubi exorcismi scripti sunt.—*Lectoratus,* traditio libri SS. Scripturarum.— *Ostiariatus* est traditio clavium ecclesiæ, item cum sua forma. In Ordinibus sacris conferendis requiritur, ut ab Episcopo ordinante materia tradatur, cum talis sit usus, et sic censetur Christus instituisse. Secus vero in collatione Ordinum minorum. *Scavini, l.* 3, *n.* 663. Sententia ex qua inter latinos ad essentiam requiritur traditio instrumentorum, inter græcos vero manuum impositio, tantum sustineri potest, dicendo cum *Lugone, d.* 2, *sect.* 5, Christum generice materiam determinasse; specialem autem seu individuam determinationem Ecclesiæ reliquisse, quæ determinatio variationem admittit. *Franzelin.*

Controvertitur an requiratur tactus physicus instrumentorum. Sententia negativa tuta est censenda ex decisione *S. R. C.*, denuo confirmata in *Romana* 21 *jan.* 1863. *(Varceno).*

In ordinatione Ostiarii quamvis una clavis esse possit materia sufficiens, servanda tamen est rubrica, quæ præcipit claves tradendas. Sufficit simul eas tangere manu dextera, et non opus est successive; sed aptæ esse debent ad aperiendum Ita *S. R. C.* 11 *mart.* 1820: licet non sit stricte necessarium fores Ecclesiæ claudere et aperire cum clavi. *S. R. C.* 11 *sept.* 1847. In Missa ordinationis *Confiteor* dicere debent diaconi et subdiaconi post Communionem presbyterorum. *S. R. C.* 11 *sept.* 1847. —Cum post offertorium offerunt bini et bini candelas, prius presbyteri, diaconi, etc., osculentur candelas ipsas, postea Episcopi annulum. *Scavini, n.* 664.

---

# CAPUT III.

## De ministro, et subjecto Ordinis.

885. **Solus Episcopus est minister ordinarius** (etsi degradatus. vel etsi Episcopatum renuntiaverit) ad valide Ordines conferendos, independenter ab omni interventu laicalis potestatis. Constat ex *Act. Ap., c.* 6, *et* 14; —ex definitione Concil. Florentini, et ex Trid., *sess.* 23, *c.* 7, Episcopus electus, confirmatus, nondum vero consecratus, adepta possessione, licite concedere potest licentiam subditis, ut ab alio ordinentur; quia potestate jurisdictionis jam pollet, non autem Ordinis. *S. Lig., n.* 787.

*Simplex sacerdos ex commissione Papæ Tonsuram, et quatuor minores Ordines conferre valet* ex *cap. Requisivit, tit. De ordinatis ab Episcopo,* et ex Trid., sess. 23, c. 10. Ratio, quia probabilius sunt tantum ecclesiasticæ institutionis; vel saltem nullam conferunt directam circa Christi corpus potestatem. — Communius id agere nequit quoad *presbyteratum,* cum sit ministerium excellentissimum, ac divinæ institutionis.—Probabiliter idem est dicendum quoad *diaconatum* ob easdem rationes. — Affirmant quoad

*subdiaconatum*; quia minoribus æquiparatur. (*S. Lig*., *n*. 756, *et* 762). Abbates regulares ex Trid., *sess*. 23, *c*, 10, Tonsuram, et quatuor Ordines minores suis subditis tantum conferre valent.

886. **Minister legitimus Ordinationis** est *qui valide, et licite Ordines confert*. Hic est proprius Episcopus, vel alius cum litteris dimissoriis proprii Ordinarii. Secus ordinans Episcopus remanet suspensus *ipso jure* per annum ab Ordinum collatione ex Trid., *sess*. 23, *c*. 8, et ex Const. *Apost. Sedis* Pii IX. (V. T. I, n. 263.)—*Proprius Episcopus* quoad Ordines suscipiendos est is, *cujus jurisdictioni quisque subjicitur*. Ex quadruplici capite id contingere potest; scilicet, ratione *originis*, *domicilii*, *beneficii ecclesiastici*, et *familiaritatis*, seu *famulatus*. Ita ex Bonifacio VIII, cap. *Cum nullus ordinandorum*, et Innoc. XII, Bulla *Speculatores*, an. 1694.

I. *Ratione originis*, id est, naturalis ortus in ea diœcesi, non fortuito, v. g., occasione legationis parentum, officii, mercaturæ, etc.; in quo casu erit attendenda vera patris origo, seu domicilium, *ex S. C. C.* 15 *febr*. 1704. (*S. Lig*., *l*. 6, *n*. 770).

II. *Ratione domicilii*, id est, decennalis habitatio, vel majoris partis bonorum translatio in eum locum, cum permanentia successiva per aliquod tempus, quod alii volunt esse triennium; alii autem arbitrio Episcopi loci relinquendum: sed in utroque casu jurejurando ordinandus affirmare debet, animum se habere ibidem permanendi ex Bulla *Innocentina*. —Si domicilia diversa habet, ab utriuslibet Episcopo ordinari poterit; nam utrique subditus est ratione domicilii, modo in iis fere æqualiter habitet. (Ita *S. C. C.* *Scavini*, *n*. 548, *Varceno*, *p*. 240).—Si in Seminario alienæ diœcesis, vel in universitate studii causa ordinandi versentur, eos ordinat proprius Episcopus cum testimonialibus Ordinarii loci illius, vel dimissorias concedat. Ita ex *S. C.* 11 *jul*. 1840, et Const. Pii IX his verbis: *Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit*, *absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus*.

III. *Ratione beneficii*, dummodo non fuerit obtentum in fraudem Ordinarii originis, vel domicilii, et sit pacifice possessum; etiam ad Tonsuram conferendam ex Bulla *Speculatores* Innoc. XII; ac detractis oneribus, ita ut per se, vel sine supplemento patrimonii sufficiat ad congruam sustentationem. Probabilius Episcopus rite ordinat eum, cui ideo contulit beneficium, ut possit ipsum ordinare; quia *non censetur dolo facere, qui utitur jure suo* ex Reg. juris in 6. *S. Lig*., *n*. 776. Satis esse dicunt coadjutoriam cum futura successione, modo coadjutor ex ea jus habeat congruam percipiendi præbendam: item perpetuam commendam, quæ plenam det illius bonorum administrationem. Non autem sufficeret hic pensio, licet ecclesiastica et perpetua, capellania laicalis, nec titulus Missarum; quia non sunt vera beneficia. Taxa vero sustentationis erit quæ viget in loco beneficii, si illud sit residentiale; alias quæ viget in loco domicilii. An sint detrahenda onera Missarum arbitrio Episcopi relinquitur et Ordinarii conscientiæ, ut refert definitum Bened. XIV, *De Synod.*, *l*. 12, *c*. 9, *et Notif*. 16. Episcopus beneficii, ut verius dicunt, dispensare potest super interstitiis; nam quoad Ordines iste jam fit subditus talis

Episcopi. *Scavini, n.* 548.—Qui plura habet beneficia in diœcesibus diversis, a quolibet illorum Episcoporum ordinari potest, modo adsit *congrua,* et ante ordinationem exhibeantur ordinanti litteræ testimoniales Episcopi originis, et domiciliisu per ordinandi natalilibus, ætate, et moribus. Item si initiatus Tonsura, vel minoribus a proprio Episcopo, deinde ab alio beneficii titulo ordinari velit. *(S. Lig., n.* 770 *et* 774).—Litteræ testimoniales differunt a dimissoriis, quia hæ traditam facultatem ad Ordines suscipiendos exprimunt, illæ vero morum bonitatem. *(Ita S. C. C.)*

IV. *Ratione famulatus,* si per triennium subditum Episcopus secum habuerit, ac suis sumptibus aluerit, etsi triennium fuerit incœptum ante promotionem ad Episcopatum ex *S. C. C.* 9 *nov.* 1589; et beneficium sine fraude statim ipsi conferat cum sua congrua, saltem intra mensem a die ordinationis. Non vero eum ordinare valet titulo pensionis, neque patrimonii ex *S. C.* — Insuper sunt exhibendæ litteræ testimoniales natalis, ætatis, etc., a proprio Ordinario originis, et domicilii, juxta Const. Clement. XII, *Speculatores,* 4 nov. 1694, et *S. C. C.* Unde :

I. Hic intelligitur Episcopus diœcesis, non Titularis. Triennium alii requirunt continuum cum. *Nav., Bon., Barbosa;* alii vero negant, dummodo non sit diu interruptum. (Ita *Giraldus, Lucid., Varceno, n.* 240).—Nomine *familiarium* Episcopi veniunt qui Episcopo famulantur, et famuli famulorum, si ejusdem expensis vivunt, etsi non in ejus ædibus habitent, modo in loco, vel prope ubi est Episcopus degant. *(S. Lig., n.* 780). Secus si distant per 10 leucas, vel duas dietas.

II. Quoad *illegitimos* attenditur origo matris; quoad *expositos* locus, in quo expositi fuerunt; et quoad *infideles baptizatos* locus, in quo baptismum receperunt, et quoad adoptatum origo patris, quandiu ille in hujus familia vivit. Ast quoad hæc filio puberi integrum est domicilium sibi constituere, ex *cap.* 3 *De jud. in* 6. Ita Paulus III, Const. *Cupientes.*

III. Certum est ordinationes a quovis Episcopo factas, licet sit simoniacus, hæreticus, censuratus, irregularis, et degradatus, validas esse; quia valor a probitate ministri non pendet; et hic agitur de inamissibili Ordinis potestate; licet ab eo ordinati suspensionem ab Ordine suscepto *ipso jure* incurrant ex Const. Pii IX. Episcopus renuntians, et probabilius suspensus et excommunicatus vitandus dimissorias concedere nequit, nec confessarios approbare, et similia; etenim omni jurisdictione caret, et illi sunt actus jurisdictionis. *Barb., Salm., n.* 59, *S. Lig., n.* 787. —Qui a Romano Pontifice minorem Ordinem susceperit, majorem licite recipere non potest ab alio sine Papæ venia.

IV. *Regulares hodie ex Benedicto XIV, Bulla* Impositi nobis, *ordinandi sunt* ab Episcopo, in cujus diœcesi est monasterium, ubi tunc commorantur. (V. *S. Lig., n.* 768).—Verius nemini licet ab Episcopo alieno ordinari sub spe, quod proprius ratam habebit ordinationem; nam *Trid., sess.* 23, *c.* 6, expressam exigit licentiam proprii Ordinarii. Bene autem Episcopus proprius ratam habere poterit talem ordinationem sine recursu ad Papam; agit enim in re sua.

V. Ad Episcopi arbitrium est examinare sibi dimissos, etsi jam examinati sint; quod sine causa agere non præstat. Secus autem si alienus Episcopus ad vices diœcesani supplendas vocetur; tunc ab ordinatione tantum abstinere potest, si justa ei occurrat causa, ex Bened. XIV, *de Synod. diœc., l.* 12, *c.* 8, non autem examinare.

VI. Probabilius Episcopus dispensare non potest ab irregularitate, vel ab alio canonico impedimento alienum subditum, qui ad ipsum missus fuit, ut eum ordinet; quia privilegia non extenduntur extra casum expressum.—Attamen si ordinandus nondum confirmatus fuerit missus ab Ordinario ad alium Episcopum, ut ab ipso ei conferatur subdiaconatus, vel cum nondum minores Ordines susceperit, et Confirmationem, et minores Ordines ei conferre valet; porro in majori continetur minus in eodem genere. *(Scavini, n.* 549, *Varceno, p.* 242).—Quando in Sabbatis quatuor Temporum, aut ante Dominicam Passionis occurrit aliquod festum, de Feria Missam celebrare debet Ordinans, ex S. R. C. *(Gury, n.* 708).

887. **Subjectum Ordinis** est *solus homo baptizatus.* 1.° *Homo ;* nam ex divina ordinatione mulieres sunt prorsus incapaces. Sic ait Apostolus: *Docere autem mulieri non permitto.* (I Tim. II): *Mulieres in ecclesiis taceant.* (I Cor. XIV). Constat insuper ex universali Ecclesiæ consensu, et praxi. Vocabula *episcoparum, presbyterarum*, et *diaconissarum* occurrunt, quæ mulieres per manuum impositionem constituebantur. Sed erant tantum uxores eorum, qui ad Episcopatum, vel presbyteratum, aut diaconatum promovebantur; ipsæque tunc se a maritis separabant, perpetuamque vovebant castitatem cum mere cæremoniali manum impositione, vel deputabantur ad fidelium bonum uti diaconissæ, mulieres scilicet illæ viduæ unius viri, ætate provectæ, moribusque spectatæ. *(V. Devoti, l.* 1, *tit.* 9, *te Ferraris).*—2.° *Baptizatus ;* Baptisma quidem est omnium aliorum sacramentorum janua.—3.° *Confirmatus*, saltem sub levi. *(S. Lig., n.* 786, *cum communi).*

888. **Ad validam Ordinationem** : Licet verius, et communius cum *D. Thoma, q.* 39, *art.* 2, valide suscipiantur ante usum rationis omnia sacramenta, quæ suscipientis actum proprium non requirunt, sed in eis tantum datur aliqua potestas spiritualis, uti in Baptismo, Confirmatione, et Ordine; tamen illicite imponeretur pueris onus tam grave, quale est Ordinis sacramentum, et ad castitatem non tenerentur vi voti. *(S. Ligor., n.* 781).—Si vero de adultis sermo sit, ad validitatem requiritur intentio, ne tribuatur gratia eam nolenti. Unde habet Innocent. III: *Qui pœnitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti.* Secus in pueris, amentibus, mutis, irregularibus quoad characterem; nam hic potestatem ad actum solummodo tribuit. *(Varceno, S. Lig., n.* 781). Item in iis, qui per vim, vel metum, aut minas ad ordinationem accedant, modo interius consentiant. Invalide autem ordinatur qui non consentit, neque dissentit, sed tantum ordinari permittit. (Ita *Bened. XIV).*—Probata coactione, quæ in constantem juvenem cadere possit, directe illata ad Ordinem suscipiendum, *ipso jure* nulla censentur onera sacro Ordini adnexa absque dispensationis ope. (Ita S. C. C., *Varceno, p.* 244).

**Ad licitam ordinationem** alia intimius animam ordinandi afficiunt; alia exterius.

889. **Divina vocatio.** Hujus necessitas evincitur: 1.° Ex S. Scriptura: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* (Hebr. v). Et Apostolis ait Christus: *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos.* (Joan. xv). Imo et ipse Christus *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.* Hinc Apostoli ut alium in Judæ proditoris locum subrogarent, sic deprecantur: *Tu, Domine,... ostende quem elegeris.* Iterum (Luc. x) : *Rogate*

*ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Unde: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium..., ille fur est, et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* (Joan. x) Ita erit fur, vel pastor ovium Episcopus, parochus, et sacerdos in populis cum divina vocatione optime exculta, vel sine ea, aut segniter obliterata.—2.° Ex Ordinis sublimitate, munerum sanctitate, et gravitate oneris.—3.° Ex SS. Patribus. Sine vocatione hunc statum el gere *sacrilegam temeritatem*, dicit S. Ciprianus; *insaniam*, S. Bernardus. Hinc doctorum sensus est, non vocatum esse veluti membrum e suo loco dimotum, quod nonnisi imperfecte deservire potest; ac proinde magno damnationis periculo se exponit. (*Scav.*, S. *Lig.*, *n.* 802).

*Signa vocationis* sunt: 1.° scientia conveniens; — 2.° probitas vitæ;— 3.° recta intentio;—4.° desiderium vacandi studio rerum ecclesiasticarum, divinæ gloriæ, et animarum saluti.—Qui sine talibus signis in sacrum ministerium se intrudit, a gravi præsumptione excusari non potest. Ita S. *Lig.*, *n.* 803. Majori autem periculo se committunt Episcopi, qui juvenes non vocatos ad sacros Ordines promovent, et quin prius vel a professoribus, vel a Seminarii Rectore quærant, quod ait Trid., sess. 23, cap. 7: *Episcopus autem, sacerdotibus, et aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, et examinet.*—Et Apost. (I Tim. v) sic Episcopos monet: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Et in jure can., cap. *Nullus*, præscribitur, ut *nullus ordinetur, nisi probatus fuerit.* (*Gury*, *n.* 720). (V. l. 1, n. 715).

890. **Scientia ad Ordines.** Requirit Trident. pro initiandis ad Tonsuram, ut *sciant rudimenta fidei, legere, et scribere.*—Pro minoribus, ut *linguam latinam intelligant.*— Pro subdiaconis et diaconis, ut *sint litteris, et in iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi.*— Pro sacerdotibus, ut *ipsi ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad ministranda sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.* (*Sess.* 23, c. 4, 11, 13, *et* 14).

Merito advertunt rigorosius examinandos esse subdiaconos. Ratio omnibus patet. Pro Episcopo, Trid., sess. 22, c. 2, requirit, ut scientia hujusmodi polleat, ita ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere; ideoque antea in Universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Episcopi Italiæ, et insularum adjacentium examen subire debent coram Pontifice; cæteri coram Nuntio apostolico, nisi dispensentur. (*Scavini*, *n.* 559, *Fagn.*)

891. **Recta intentio.** Hæc omnia opera dirigere debet; quanto magis opus excellentissimum? Quisnam est finis sacerdotis? Optime ab Apostolo sic describitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* (Hebr. v). Non ergo constituitur in iis, quæ sunt ad commoda vitæ, ad divitias, ad parentes ditandos, aut eis placendum, sed ad populos edocendos, ac salvandos. Mortaliter ergo peccant qui principaliter sacræ militiæ adscribi petunt ob fines humanos. (*Scavini*, *n.* 553, S. *Lig.*, *Hom. Apost.*, *app.* 3, *n.* 45).

Sed in praxi non raro qui magis contremiscere deberent circa hanc rem, minus timent; quia consectaria non vident, neque videre discu-

piunt; et sic adimpletur in illis: *Desideria occidunt pigrum.* (Prov. XXI).

**Probitas vitæ** requiritur non solum in actu ordinationis, cum sit sacramentum vivorum, sed multo ante; nam status clericalis status sanctitatis est, non pœnitentiæ. Et Trid., sess. 23, cap. 13, ait: *Sciant Episcopi debere ad hos Ordines assumi dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit.* Scilicet, vita virtutibus assuefacta. (V. l. 1, n. 653 et 655).

892. **Animus clericandi** opus est, cum hic status sit stabilis. Hinc Trid., sess. 23, c. 4, jam in tonsurandis hunc requirit animum. Imo graviter peccat qui Ordinem suscipit cum voluntate onera adimplendi, sed non ascendendi ad superiorem, si possideat beneficium, Ordinem sacrum requirens; nam gravem committit inordinationem, non curando se habilem reddere ad munus suum. Secus probabiliter non peccat; quia quilibet Ordo Deo servit, proprium quidem munus exercendo, et nullibi de alia obligatione constat. *Scavini, n.* 555. Initiatus in minoribus graviter non peccat *per se*, si uxorem ducit; imo nec leviter, justa extante causa, v. gr., ad sedandas inimicitias, carnis tentationes, et similia. *Salm., c.* 5, *n.* 51, *cum communi.*

893. **Exercitium Ordinis suscepti:** ex Trid., *sess.* 23, *c.* 11 *et* 13, et quidem in propria ecclesia. Tamen nullum aderit peccatum in omissione, si agatur de Ordinibus minoribus, quorum exercitium absolevit; neque erit lethalis culpa hujusmodi omissio quoad majores, speciali Episcopi præcepto secluso, cum verba Concilii habeantur potius ut consultiva, quam uti præceptiva. (*Salm., Scavini, n.* 557).

894. **Ætas præscripta:** Pro Tonsura requiruntur saltem 7 anni ex Benedict. XIV, Bulla *Inter sollicita;* vel 13 anni completi, ubi viget § 15 Instructionis *benedictinæ*, nisi agatur de *arctatis.*—Pro *minoribus* nulla est præscripta ætas; idem Pontifex ait, ut conferantur ab anno 7 ad 14.—Pro *subdiaconatu* statuitur annus 22.—Pro *diaconatu* 23.—Pro *presbyteratu* 25, ex Trid., sess. 23, c. 12. Annus incœptus pro completo habetur, ex S. C. C. Pro *Episcopatu* 30 annus completus; sed in Gallia 27 sufficit. Annus a nativitate non a Baptismo est computandus ex eadem S. C. Probabilius qui vespere complet ætatem, ordinari non potest mane illius diei. (*Scavini, n.* 558). Dispensare super ætate uni Pontifici reservatur, accedente causa, judicio Episcopi definienda.

**Confirmatio suscepta.** Prima Tonsura, ait Trid., non initientur qui sacramentum Confirmationis non susceperint. Communissime tantum obligat sub levi, saltem ita consuetudine interpretatur. Imo de omnibus Ordinibus id valere docent; nam Apostoli jam facti sacerdotes fuerunt Confirmati. Ast nullus hodie ad Ordines admittitur, ante Confirmationem. *Fagn.* et *Giral.* referunt S. C. C. 27 sept. 1601 declarasse, quod qui Tonsuram, vel Ordines suscepit non confirmatus, ut male promotus ascendere non valet ad alios Ordines, nec retinere simplicia beneficia, de quibus fuit provisus, sine Pontificis dispensatione; habetur equidem uti irregularis.

895. **Titulus ad Ordines** definitur: *Jus percipiendi fructus annuos juxta taxam ab Episcopo determinatam pro honesta clerici sustentatione.* Nam indecorum est, ut clericus ex sordido quæstu ea, quæ ad victum sunt necessaria, sibi comparare debeat. Innocent. III, et postea *Trid., sess.* 21, *c.* 2, sancivit, ut ante subdiaconatum hic titulus habeatur; ita ut Episcopus sine præfato titulo ordinans, ex jure canonico de propriis alere ordinatum teneatur, donec titulum ei obtinuerit. *(C. Cum secundum*

*de præb.)*—Si vero Episcopus rem examinatoribus commiserit, qui mala fide titulum probaverint, ipsi pro rata graviter ad ipsius ordinati sustentationem tenentur. Quoad suspensionem contra sic Ordinantem vide T. I, n. 258.

**Quadruplex est titulus ad Ordines**, scilicet, *beneficii, capellaniæ laicalis, pensionis ecclesiasticæ, et patrimonii.* I. *Beneficium* pro titulo requisitum debet esse: 1.° canonice institutum ac pacifice possessum: —2.° perpetuum:—3.° congruum juxta taxam synodalem, ubi est beneficium, si ipsum requirit perpetuam residentiam; secus juxta taxam originis, ut plūries declaravit S. C. anno 1701, 1793, etc. *(S. Lig., n.* 815). Etiam parœcia in titulum datur; sed tunc intra annum ad sacerdotium promoveri debet electus, ex S. C. C. *(Scavini, n.* 560).

II. *Capellania*, etsi mercenaria, (quia non agitur hic nisi de honesta sustentatione), a patrono legali forma instituta, quæ in episcopali Curia recognita esse debet, cum obligatione illam non repetendi, donec clericus alium consequatur titulum. Idem currit de *pensione ecclesiastica*, seu de legatis piis. Si autem beneficium, capellania, et pensio ecclesiastica, vel legatum pium, aut commenda ad congruam non sufficiant, aliis bonis fieri potest supplementum, ut ad taxam præscriptam pertingant.

III. *Patrimonium* esse debet 1.° perpetuum;—2.° in redditu certo, fixo, et omnino libero fundatum, et hypotheca munitum. Unde si fundatur in domo, debet esse fructifera, et ab incendio assecurata;—3.° in propria episcopali Curia approbatum, et congruam synodalem habens, juxta taxam diœcesis. In diœcesi cœlsonensi patrimonium est valoris 4000 ℞, sive 120 ℞ reddituum annualium. Ex Trid hoc titulo ii solum ordinari possunt, *quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum;*—4.° constitui potest etiam in censu redimibili, modo Episcopus provideat in casu redemptionis, ut pecunia in alio redditu certo impendatur ex Bened. XIV *Notif.* 16.—Item constitui potest tam in *Montibus*, ex S. C. C. 29 jun. 1704, quam in syngraphis publici debiti nominativis, si tamen hypothecæ supponantur. (V. Acta S. S. vol. 1, pag. 344: *Sacri patrimonii* declaratio). Non licet autem patrimonium constituere cum læsione legitimæ aliorum filiorum, vel supra bona jam gravata, ut perspicuum est.-5.° Pensio laicalis, vel patrimonium utique constitui potest sub clausula, *donec clericus consequatur alia bona;* sed prior titulus non extinguitur, donec novus ab Episcopo subrogetur. S. C. 12 jul. 1687. *(Scavini, n* 560). Si quis alicui patrimonium publico instrumento conficeret ad taxam definitam, sed sub fide non percipiendi redditus nisi in necessitate, ecclesiasticum patrimonium non conficeret; deesset siquidem redditus certus, perpetuus, et liber.

IV. *Titulus paupertatis* ad Ordines sufficiens positus est in solemnibus votis in probata religione ex Const. *Romanus Pontifex* S. Pii V.—Adest titulus *communis mensæ*, et eos attingit, qui religiosorum more in communi vitam degunt, simplicia vota, vel nulla emittentes, obtento a S. Sede privilegio.—Adest etiam titulus *servitii ecclesiæ*, et titulus *Missionis* pro missionariis ad exteras missiones cum juramento perpetuo adscriptis, sed cum indulto S. Sedis. (V. *Instr. S. C. de prop. fide, de tit. Ordinat.* 27 *apr.* 1871).- Verius negatur titulus *propriæ industriæ*, cum facile possit ob morbum, aliamve causam in fumum abire. Ita Bened. XIV, qui refert declarationem S. C. C. Tamen hodie, si postuletur a S. C. C. op-

portunas facultates aliquando tribuit, ut absque titulo aliqui ad sacros Ordines promoveantur, patrimonium constituere non valentes.

V. *Episcopi dispensare nequeunt quoad titulum in lege synodali taxativa* congruæ pro ordinandis, aut in more regionis, ut habet implicite Innocent. XII, Bulla *Speculatores*. Attamen ex S. C., die 17 jul. an. 1723, judicio Episcoporum est relictum detrahere, vel non onera Missarum a redditibus beneficii ad titulum conficiendum. Ita Benedict. XIV *(De Syn., l.* 12, *c.* 9).—Si quis ordinetur titulo patrimonii sibi donati, clam data fide de eo restituendo post Ordinationem, patrimonium restituere debet, si donator verum non habuit donandi animum; si verum donandi animum habebat, adhuc peccat saltem ordinatus ob tale pactum, et ex Bened. XIV pactum servare non tenetur, utpote *Trid.* contrarium.—Si autem nullo præcedente pacto, post susceptum subdiaconatum, vel diaconatum, patrimonium renuntiet, vel alienet, et sic sacerdotio initietur, ex S. C. C. 6 *mart.* 1638, actum nullum efficit. Imo ex *eadem* S. C., 4 *febr.* 1652, clericus sine Episcopi licentia patrimonium renuntiare non potest, licet aliunde habeat ut honeste vivat.

—Si titulus, quo quis unum Ordinem suscepit, etiam casu pereat, sine novo titulo ad superiorem Ordinem ascendere non potest. Secus si casu pereat, cum ad alium Ordinem non sit ascensurus, et aliunde habeat unde certo, et firmiter vivat. (*S. Lig.*, *n.* 813, *Scavini*, *n.* 560).—Si tituli defectus ad quintam partem non accedat, juxta *Vivam*, quilibet ordinari potest, Episcopo dispensante.—Qui actu possidet beneficium, cujus redditus exigere nequit usquedum sacerdos sit, ordinari valet subdiaconus, et diaconus. *Ita Barb., Garcias.* (V. *Scavini*, *n.* 670, *et* S. *Lig.*, *n.* 815).

896. **Exercitia spiritualia.** Innocent. XI per *Cong. Ep., et Reg.*, 3 *oct.* 1682, mandavit, ut singuli clerici Italiæ per 10 continuos dies spiritualibus exercitiis vacarent, etiam ad minores Ordines suscipiendos. Id confirmavit Innocent. XII, 1 febr. 1700; qui insuper indulgentiam plenariam concedit omnibus ecclesiasticis, qui id in aliqua pia domo egerint per decem dies, diu noctuque ibidem morando. Attamen invaluit usus, ut 10 dies præscribantur tantum pro iis, qui majores Ordines sunt suscepturi, quæ obligatio gravis non apparet, cum nullibi inveniri possit tale præceptum. Maxime tamen conferunt ad consequendum spiritum rectum, sanctum, constantem, ac invincibilem. Pro clero universim hodie minori tempore clauduntur, quin privilegia amittantur etiam quoad residentiam, ex universali praxi. *Scavini*, *n.* 561.

**Ordinatio per gradus** fieri debet (licet unius Ordinis collatio ante alium valida sit, Episcopatu excepto); idque sub gravi præceptum est in jure canonico. (Cap. *de cler. per salt.*) (*Scavini*, *n.* 562).

**Immunitas a censura, et irregularitate** requiritur, ut habetur in tractatu de censuris. Hinc ex Pontificali Episcopus, antequam ordinare incipiat, sub excommunicatione præcipit, ne quis alterutro impedimento ligatus accedat, sicut et non descriptus, aut non approbatus, aut extraneus, sub protestatione se nolle eos ordinare. Si vero accederet, valide ordinaretur; quia illa verba communiter censentur dicta ad terrorem. (*Scavini*, S. *Lig.*, *n.* 784). Si intentio sit dubia, interrogetur Ordinans; ac, dubio remanente, sub conditione repetatur ordinatio. Benedict. XIV, de *Sacrif.*, *l.* 3, *c.* 10, S. *Lig.*, *n.* 784.

897. **Interstitia** sunt *intervalla, quæ inter unum et alterum Ordi-*

*nem excurrere debent.*—1.° Trid., *sess.* 23, *cap.* 11, inter ipsos minores Ordines aliquod spatium requirit, quod judicio Episcopi relinquit.—2.° Probabilius licite recipi potest Tonsura una simul cum Ordine minori: sub gravi autem, et etiam sub irregularitatis pœna prohibetur eodem die duos Ordines sacros recipere, ex *C. Litteras de temp. ord.* Item sub gravi, seclusa Episcopi dispensatione, vetatur quatuor minores simul cum subdiaconatu eodem die dare, ac suscipere ex *cap.* II *de eo qui furtive*; et *ex S. C. C.* 21 *febr.* 1728, taliter ordinatus fieret irregularis quoad alios Ordines suscipiendos.—3.° A minoribus ad subdiaconatum Trid. requirit annum, *nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* 4.° A subdiaconatu ad diaconatum unum etiam annum requirit, *nisi aliud Episcopo videatur.* (Cap. 13.) Unde hic non requiritur necessitas, sed quævis rationabilis causa.—5.° A diaconatu ad sacerdotium requirit saltem anni intervallum, *nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videatur.* (Cap. 14.) Quæ verba Conc. declaravit *S. C.* esse intelligenda disjunctive. *Scavini, n.* 564. Annus non computatur mathematice, sed ecclesiastice, a quatuor Temporibus unius anni ad alia anni sequentis. S. *Lig., n.* 794. Tamen Episcopus circa interstitia dispensare valet, etiam quoad regulares: probabilius autem non potest quoad subditum alterius diœcesis sibi dimissum, sine habita facultate; quæ facultas etiam Vicario Generali (si habeat mandatum generale), et Capitulari competit ex S. C. C. (*Scavini, l.* 3, *n.* 565). Hodie mos est, ut uno die suscipiantur omnes minores, et subdiaconatus; vel sero minores, et mane sequenti subdiaconatus. S. *Lig., n.* 797.

Quoad Episcopatum requirit Trid., ut consecrandus in sacro Ordine antea saltem sex mensibus sit constitutus. (*S. Lig., n.* 795).

898. **Tempus ad Ordines:** 1.° *Quoad Tonsuram,* quocumque die, et hora, et loco licet conferri.—2.° *Quoad minores,* ubi adsit legitima consuetudo, conferri possunt feria VI, aut IV ante generalem ordinationem; secus eo die, quo majores conferuntur; et conferri possunt extra generalem ordinationem diebus festis, licet suppressis, sed *tantum mane,* S. C. R. 12 nov. 1831, et 16 mart. 1833, et congruentius in Missa. —3.° *Ordines majores* tantum conferri possunt in Sabbatis quatuor Temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis, et ante Dominicam Paschatis ex *cap. III de temp. Ord.* (*S. Lig., n.* 794). Tamen ex Pontificia dispensatione aliis etiam diebus conferri possunt; qui obtinet facultatem a Papa suscipiendi Ordines extra Tempora a quocumque Episcopo, tantum eget testimonialibus sui Ordinarii; si vero cum clausula, *a suo Ordinario tantum,* cum dimissoriis sui Ordinarii ab alio ordinari etiam potest. Licentia autem suscipiendi Ordines sacros in tribus diebus festivis, intelligitur, ut dies sint interpolati, prout refert *Croix, n.* 2301, declaratum a *S. C.* Ita *S. Lig., n.* 797. Licitum est Episcopis Dominicis, et aliis festis diebus unum, aut duos ad minores Ordines promovere ex Alexand. III *cap. De eo de temp. ord.*, seu plures, modo privatim, ac generalis ordinatio non videatur, ut communiter dicunt cum *Salm., S. Anton., Scavini, n.* 565.—4.° *Episcopi consecratio* fieri debet in die Natalium Apostolorum ex Pontificali, vel in Dominica ex jure canonico, cap. *Ordinationes* 1; *et c. Quod die, dist.* 75, vel alia die festiva ex Papæ indulgentia. Consulitur jejunium in vigilia consecrationis consecranti, et consecrando.

899. **Locus ordinationis** est cathedralis, vel dignior ecclesia propriæ

diœcesis ex Trid., *sess.* 23, *c.* 8, si in ea Episcopus sit. Hac de re *S. C. Ep.* censuit ordinationem non generalem ubique haberi posse, etiam in privata capella. Et *S. Lig.* n. 798 ait: *Scio tamen plures Episcopos etiam Ordines sacros solere in privato sacello conferre; forte hodie sic usus habet.* —Ordinans sine venia in alieno territorio ex Trident., *sess.* 6, *c.* 5, incurrit suspensionem ab exercitio pontificalium, et ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti. Excipitur communius Tonsura; nam privatim, et sine pontificalibus confertur, ad quod non requiritur licentia Episcopi loci. *S. Lig., n.* 756.

**Communionis susceptio** ex Pontificalis romani gravi præscripto requiritur quoad presbyteros, ut Sacrificium compleant; siquidem cum Episcopo concelebrant: non pauci dicunt quod pro eo stipendium accipere possunt; nam postquam a Trid., *sess.* 22, vetitum fuit munera pro Missis novis tribuere, decrevit S. C. C. 1573: *Licere se vertere in medio altaris ad populum, et accipere oblationes, non autem circuire ecclesiam.* —Sub levi autem requiritur quoad subdiaconos, et diaconos, ut docent *Croix, et Gobat;* cum nullam habeat relationem cum eorum ordinatione: —et de solo consilio pro ordinandis in minoribus; nam passim extra Missam ii dantur.

900. **Episcopus proprius quoad Ordines:** Hac de re habet Trid., *sess.* 23, *c.* 3: *Episcopi per semetipsos Ordines conferant. Quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam jam probatos, et examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.*—Examen alteri committere potest. Nomine ægritudinis hic ex jure intelligitur quæcumque justa causa. *Cap.* 1 *de temp. ordinat. S. Lig., n.* 787.—Qui ordinat, ipse celebrare debet, ut ajunt Innoc. III, et Bened. XIV, etsi alias valida etiam esset ordinatio ex *S. C. C.* Tamen ex eadem *S. C.*, 23 *sept.* 1837, id non liceret, etiam interveniente gravi causa. (Quoad suspensiones, V. t. I, n. 270).

—*Episcopi consecratio hodie* a R. Pontifice communiter est petenda: tempus pro consecratione definitum est trium mensium ab Episcopatus provisione, quibus elapsis, si Episcopus consecrari neglexerit, perceptos fructus amittet, atque ecclesia privabitur, si alios tres menses consecrationem protraxerit. (Trid., *sess.* 23, *c.* 2, *de Ref.*).

901. **Litteræ dimissoriæ, remissoriæ, et testimoniales.** 1.æ sunt, *quibus proprium subditum ordinandi delegatur licentia alieno Episcopo, ea tamen conditione, ut suo Ordinario adhuc subditus remaneat.*— 2.æ vero sunt, *quibus aliquis obtinet, ut alterius Episcopi subditus fiat.* Ea sola ratione quia extraneus est, ab Episcopo refutari non potest ex *S. C. Ep.* 17 *dec.* 1839, de mandato Gregor. XVI.—3.æ tandem sunt illæ, *quæ vulgo commendatitiæ vocantur,* illisque commendatur clericus e propria diœcesi recedens. Dimissorias concedere valet Episcopus nondum consecratus, si possessionem adeptus sit, et licet in aliena diœcesi existat, cum talis actus non sit jurisdictionis contentiosæ. Item a Capitulo, Sede vacante, seu a Vicario Capitulari conceduntur, excepto anno luctus, nisi agatur de arctatis, ratione beneficii, ad Ordines intra illum annum suscipiendos, ex *Trid., sess.* 7, *c.* 10; vel de illis, quibus ab Episcopo in mortis articulo concessæ fuerunt dimissoriæ ad se promovendos in præfato anno ex *S. C. C.* 24 *apr.* 1700; vel de licentiam Papæ habentibus, ut ait *Garcia,* et sustinet *S. Lig. n.* 788. Vicarius Generalis dimissorias concedere nequit sine expresa Episcopi venia, vel nisi Episcopus sit extra provinciam, aut distans sal-

tem per unam dietam. *Salm., n.* 62, *S. Lig., n.* 787, *cum communi.*– Regulares exempti dimissorias habere debent a suis prælatis generalibus, vel provincialibus. *Salm., S. Lig., n.* 788, *cum communi.*—Harum usus, cum sit gratia facta, non expirat morte, vel renuntiatione, aut cessatione jurisdictionis concedentis, nisi per successorem revocetur. (Ita *Barbosa, Nav.,* et *Passerinus),* qui id definitum a *S. C. Ep.* 21 *nov.* 1600 tradit. S. *Lig., n.* 787. Nuntius Apost. Taurin. ex S. C. C. 25 aug. 1653 absque Episcopi diœcesani licentia Ordines in propria cappella conferre valet habentibus litteras dimissorias a propriis Ordinariis, cum clausula, quod ordinari possint a quolibet Antistite.

902. Q. *Quid dicendum de precibus, et Missis in ordinatione impositis ?*

R. Alii cum *Lessio* sub gravi obligare dicunt, quia ex se materia est gravis ;—alii cum *Soto* probabiliter ex sola decentia obligare docent ; vel nonnisi sub levi, ut tenent *Varceno,* et *Gury,* cum Episcopus id non declaret.—Nocturnum unum feriale diei ordinationis respondens cum suis antiphonis, vel primum Dominicæ, ex Pontificali est recitandum, nisi aliud exprimat Episcopus. (Ita S. C. R. 11 *aug.* 1860).

—Missæ vero impositæ sunt dicendæ quando rubricæ votivas permittunt ; sed non est necesse, ut servetur ordo in earum celebratione, et differri possunt, si adsit causa. *Cavalieri.* Insuper sola Missæ qualitas, non sacrificii applicatio præcipitur.

– Commune est, cum stipendio illas applicari posse pro quovis offerente. (*Scavini, l.* 3, *n.* 665, *Varceno, p.* 247, *Gury, n.* 716, S. *Lig., n.* 829).

---

## DE SACRAMENTO MATRIMONII.

903. **Matrimonium** dicitur a *matris munere;* quia in hac societate præcipuæ partes ad matrem pertinere videntur. Appellatur etiam *conjugium* a *communi jugo,* cui vir, et mulier subjiciuntur.—*Connubium,* vel *nuptiæ* a verbo *nubere ;* quia sponsæ olim, cum viris tradebantur, caput quasi nube sibi tegebant in signum verecundiæ, et subjectionis. Dicitur etiam *consortium;* quia vir, et mulier communem sortem habent. (S. *Lig., n.* 879). Duo plerumque præcedere debent Matrimonium, *sponsalia,* nempe, et *banna.*

---

## CAPUT I.

### De sponsalium natura, et divisione.

904. **Sponsalia,** dicta a *spondendo,* sunt : *Promissio vera, deliberata, mutua, signo sensibili expressa futuri matrimonii inter determinatas, idoneasque personas.* Unde ad sponsalium validitatem requiritur:

I. **Promissio vera:** et non sufficit simplex propositum, uti dicere: *Volo te in uxorem ducere ;* nam hæc verba ordinarie continent tantum promissionis propositum. Nec valet ficta promissio, licet in externo foro, ad vitandas fraudes, de animo non quæritur, sed de facto : tamen hujus-

modi contractus etiam in externo foro luculenter est probandus ex S. C. C. 5 *apr.* 1851, *et* 13 *aug.* 1870, nempe validis argumentis, quæ dubium excludant; nam quisque præsumitur se ad minus obligare voluisse, quam potest. (S. *Lig.*, *n.* 831, *etc.*) Unde verba hæc : *Non ducam aliam præter te*, vera sponsalia non constituunt; potest etiam nullam ducere: hinc sponsalia manent suspensa. Ita S. C. C. 13 *jul.* 1725.—Secus dicendum, si in verbis negativis contineatur vera promissio, quam pars acceptaverit, uti si dicatur : *Non aliam, sed te ducam.* In dubio verborum, vel signi promissionis, in foro interno videatur intentio; in externo resolvatur in favorem libertatis. Ita S. C. C. 31 *mart.* 1760, *et* 5 *apr.* 1851.

II. **Deliberata.** scilicet, cum mentis advertentia, et libero voluntatis motu, uti de voto dicitur; nam agitur de gravi obligatione, et gravissimo, perpetuoque onere. Unde 1.° sponsalia (et etiam matrimonium) inita a pueris ante expeditum rationis usum; vel a furiosis, ebriis, licet antea hujusmodi voluntatem jam habuerint; vel ab amentibus, vel semifatuis, qui lucida intervalla non habent, nulla prorsus sunt. *Ita omnes.* In dubio de deliberatione pro sponsalium exclusione judex generatim pronuntiare debet. *Romana Rota in Ventimil.* 8 *febr.* 1705. Attamen aliqui spondent sine prudentia, passione ducti, minime vero sine advertentia.

2.° Item probabilius invalida sunt sponsalia ex metu gravi, et *injuste* incusso ab extrinseca, ac libera causa; quia ex jure canonico nullum est matrimonium tali metu contractum; eo ipso ergo nulla esse debent sponsalia, quæ sunt via ad illud. *(Ita Gury*, Scav, *S. Lig.*, *n.* 844).—Imo probabilius etiam ex jure naturæ invalida sunt; nam injuria, quæ sic libertati officit in re tam gravi, nullo jure pollet; et *connexorum idem esse debet judicium.*—Secus si *juste* metus incutiatur; vel ab intrinseco sit, v. gr. morbo; vel a naturali causa, v. gr. naufragii periculo; quia tunc nulla fit injuria, et adest libera electio. *(S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 844 *et* 1058).

3.° Probabilius valida sunt sponsalia ex metu levi inita; quia talis metus nulla fit æstimatio; licet metus causam dederit contractui; etsi tunc resilire permittunt innocenti ob injuriam, quam patitur. Idem dicunt de metu reverentiali, nisi accedant graves minæ, verbera, et similia. *(Ita Croix, Scavini, n.* 739, *Gury, n.* 724, *S. Lig.*, *ibid.)*, contra *alios* docentes, quod repugnat legi naturali per injuriam aliquem urgere, aut malum quodcumque pati, aut admittere contractum alioquin ipsum nolentem; vel commodum reportare ex propria iniquitate; nam jus naturale exigit, ut cuique servetur jus suum, et si forte læsum fuerit, in integrum denuo restituatur.—At si metum injuste incutiens, ut ait *S. Ligor.*, *l.* 6, *n.* 844, *cum communi,* tenetur fidem relaxare, et ita metum passus fidem datam revocare potest in conscientia. Unde sequitur nullam adesse obligationem. Et sane, nisi abuti velimus verbis, numquam validus dici poterit contractus, qui nullam pariat obligationem; atqui nulla reapse est dicenda obligatio, quam quis, ut in præsenti, pro lubitu potest excutere; merito igitur contractus dici debet ipso jure naturæ invalidus. Et sic in hac opinione publicæ honestatis impedimentum tunc non exurgit; atque ideo valide, licite, et libere matrimonium contrahi potest. *(Ita Ballerini, n.* 724, *cum Nav.*, *Less.*, *Silv.*, *Roncag.*, *etc.)*.

4.° *Pœna in sponsalibus apposita* sive juste sive injuste resilientibus, etsi juramento sit firmata, *communissime* est illicita, *graviter* juxta *aliquos, leviter* autem juxta *alios,* ex parte eorum, qui sponsalia ineunt

cum hac pœna, sive a seipsis, sive a consanguineis, et amicis apposita (non vero ab extraneis); quia faciunt contra legem, et contra matrimonii libertatem. —Imo *Bal.*, *Salm.*, *Hurt.*, *et alii* contra *Less.*, *et Sanch.*, docent eam pœnam esse restituendam; cum lex omnino irritet talem promissionem. *(S. fin. c. de spons.)*. Et sic nulla sunt illa sponsalia. Si juste apponatur pœna, scilicet, contra partem injuste resilientem tantum, probabilius erit valida, et licita; nulli porro juri officit, imo est conformis. *(Ita Suar., Lay., Ronc., Salm., Scavini, S. Lig., n.* 844, *et* 1056, *et alii* contra *Sanch., Con., Bon.)*.

5.° *Qui ficte sponsalia promisit* sine animo se obligandi, etsi cum juramento, nulla inivit sponsalia; deest quidem essentia promissionis; et juramentum sequitur naturam contractus; tamen graviter peccavit decipiendo in re gravi, et de damnis tenetur; fuit sane injusta et eficax eorum causa; imo si defloratio intercesserit, vel aliter damna reparare non valeat, contrahere debet. (Ita *Scavini*, S. *Lig.*, *n.* 833, *D, Thom., sup., q.* 46, *a.* 2, *aliique plurimi)*. Si vero promiserit animo se obligandi, sed non adimplendi, valida sunt sponsalia, licet ad obligationem non advertat; jam enim habet virtualem se obligandi voluntatem sicut cæteri.

III. **Mutua**, idest, cum reciproco consensu, repromissione, et promissionis acceptatione, adeo ut non sufficeret promissio ex una parte, et simul acceptatio ex altera, si deesset repromissio ex hac, et dein acceptatio ex illa; cum sit contractus bilateralis. Secus promittens onus fidelitatis tantum induceret; sed communiter nemo præsumendus est voluisse independenter a repromissione alterius se obligare. *(Scavini)*. Repromissio honestæ mulieris præsumi potest, si constiterit de deliberata promissione ex parte viri, et illa stuprum post dictam viri promissionem passa fuerit. Secus si promissio stuprum non præcesserit. Ita S. C. C., 18 *aug.* 1870 apud *Varceno*.

IV. **Signo sensibili expressa**; puta verbis, nutibus, litteris, procuratore; nam agitur de humano contractu. Taciturnitas, annuli subarrhatio, seu in digitum illius immissio, manuum porrectio, missio, vel acceptatio munerum jocalium, si tractatus de matrimonio præcesserit inter amicos, in foro externo signum sufficiens esse potest. In foro autem interno videndus est contrahentis animus, et consensus; nam hæc per se ad solatium, risum, vel seductionem etiam fieri possunt. Si tamen ex patria consuetudine veram promissionem determinent; aut si tractatus de matrimonio inter amicos præcesserit, et sic sponsus munera et arrhas mittat, quæ sponte a sponsa acceptentur, satis habentur ad sponsalium obligationem. Alias silentium ex se non dicit assensum neque dissensum. Ita *Scav., n.* 738, *Schmalzgr., Ballerini, n.* 722, S. *Lig., n.* 838. — Idem est dicendum de sponsalibus a parentibus pro filiis scienter tacentibus contractis; silentium pro consensu habetur in foro externo, ex Bonifacio VIII *(c. un.* § 2, *de desp. impub. in* 6).— Idem probabilius dicunt *Spor., Salm., Scavini, et alii*, si absentes fuerint filii, ac per epistolam, vel nuntium a parentibus conscii facti de sponsalibus pro ipsis initis, cum hi non illa ratificaverint; nam in filiorum favorem cedere censentur; et in favorabilibus qui tacet consentire videtur. Tamen si filius in animo suo dissentiat, præsumptio tunc cedit veritati. *Scavini, n.* 741. Sed nomine parentum non veniunt hic avi, nec tutores, vel curatores; quia agitur de jure personali. *(Schmalzgr., l.* 4, *t.* 1, *n.* 67).

—Aliter est dicendum de sponsalibus a filiis sine parentum consensu initis; quia adest tunc liber, ac internus consensus de re bona in se; cum parentum consensus non necessitate, sed de simplici honestate a jure requiritur; unde tantum deficit in modo accidentali contractus; nam filii in iis, quæ ad matrimonium pertinent, sunt sui juris. (Ita *probabilius et communius Berardi, Croix, Elbel, Sanch., Laym., et alii).* Excipe si scandalum, vel infamia, familiæ dedecus, aut alia gravia, et perpetua incommoda ex tali matrimonio promisso timeantur, v. gr. exhæredatio; tunc etsi accedat juramentum, vel stuprum, esset invalida promissio, utpote de re mala, vel nociva. Urbanus I talia sponsalia non approbat. *Caus.* 1, *q.* 2. *(Ita Scavini, n.* 740, *Ballerini, Gury, n.* 732, *S. Lig., n.* 877, *cum communi).* Si enim dissensus causa sit temporanea, v. gr. minæ, discordiæ, etc., quæ tractu temporis cessare solent, experientia teste, valent sponsalia; sed eorum executio est differenda ad causæ cessationem. Ast compars diu spectare non tenetur, nisi, sciendo illam difficultatem, contraxerit. *Scavini.* Major difficultas adest, num publicæ honestatis impedimentum ex clandestino matrimonio oriatur. Plures cum *Scavini, n.* 745 affirmant oriri usque ad 4.^m^ gradum ex jure antiquo S. Pii V, Const. *Ad Romanum* 1 jul. 1568, et ex matrimonii attentatione sine parochi, et testium præsentia.—*Alii* vero non pauciores cum *Barb., Engel., Less., Sanch.,* in oppositam ivere sententiam; contrarias declarationes partim apocryphas esse dicunt, partim ad rem non facere ostendunt; ergo casum dubii impedimenti habemus. *Ballerini.*—Unde parentum dissensus per se non est legitima solutionis sponsalium causa, si absque rationabili motivo contradicunt.—Ad civiles autem effectus in Hispania parentum consensus ad sponsalia requiritur pro viris 25 annorum minoribus, et pro fœminis minoribus 22. *(L.* 18, *tit.* 2, *lib.* 10, *N. R.)* De hoc infra.

V. **Inter determinatas personas**: nam sicut matrimonium esse debet unius cum una, ita et illius promissio. Hinc si quis *duabus simul* matrimonium promitteret, hæc promissio, licet ab illis acceptata, induceret justitiæ vinculum, non sponsalium. Aliter esset si duabus successive promitteret. Tunc cum prima esset contracturus; quia secundæ invalide promisit, utpote de re alteri jam obligata. Imo etsi cum secunda sponsa copula intercesserit, ac juramentum; neque enim injuria uni illata, jus alterius prioris adimit. *(Ita probabilius, et communius Elbel, Croix, Sanch., Ronc., Anacl., Scavini, n.* 738, *etc.*)

Ex quadam æquitate autem, juxta S*anchez*, tenenda est contraria opinio, si deflorata grave, prior vero leve pateretur damnum; hæc siquidem modicum illud sustinere adigitur ad vitandum gravissimum proximi damnum: hanc sententiam secuta est Rota Romana *decis. recent.*, ut refert *Del-Vecchio, n.* 738.

IV. **Et idoneas**: id est, non prohibitas, tum impedimento aliquo canonico sive dirimente, sive mere impediente; tum ob ætatis defectum, aut rationis; frustra equidem promittitur quod suo tempore tribui nequit.—Quoad ætatem, ex jure canonico ad sponsalium validitatem requiritur septennium, et quidem completum, cum agatur de re adeo gravi. Attamen *probabilius, et communius cum Salm., et Sanch.,* juré naturæ etiam puer remanet obligatus, si perfecto rationis usu polleat, et onera matrimonii aliquo modo comprehendat; quia deliberate se obstringeret, et impedimentum *publicæ honestatis* induceret. *(C. Litteras* 4, *C. Acces-*

*sit* 5, *C. Ad dissolvend.* 13 *de desp. impub., etc.*) Quoad alia impedimenta dicuntur impediti inter quos dari non potest matrimonium; nam frustra præparatur, qui arcetur, uti esset inter catholicum et hæreticam. *Scavini, n.* 738.

905. Q. *An matrimonium mere civile coram laico magistratu haberi possit instar sponsalium?*

R. Negandum videtur: 1.° quia si sponsi coram Ecclesia deinde contrahere intendunt, supponi debet vera sponsalia jam præcessisse, seu mutuam expresse fidem dedisse de matrimonio; aliter ibi publice non se sisterent; — 2.° si vero coram Ecclesia contrahere nolunt, neque in fide antea mutuo data adest vera matrimonii promissio; neque talis habetur fides, ac promissio coram magistratu civili, sed tantum promittitur conjunctio mere concubinaria; nam inter christianos nullum datur matrimonium extra sacramentum; — 3.° quia neque matrimonium clandestinum, etiam copula subsequuta, ac jurata, in sponsalia de futuro resolvitur ex duplici declaratione S. C. C. *Trid.* penes *Benedict XIV, Gury, Ballerini, n.* 730. Quocirca non audiendi sunt illi, qui docuerunt hinc impedimentum publicæ honestatis usque ad primum dumtaxat gradum oriri, ut ait *Ballerini, n.* 730.— Excipe, si animum se obligandi eo modo, quo possunt habuerint clandestine contrahentes; nam ad sponsalia potuerunt se obligare, non vi contractus de præsenti, qui nullus est, sed ex sponsalibus ibi in eorum mente contentis. Idem currit, si ita se gerant animo postea coram Ecclesia revera contrahendi. (*Scavini, l.* 3, *n.* 744, *Varceno*).

906. **Divisio**: 1.° Sponsalia alia sunt *ecclesiastica*, seu solemnia, quæ coram sacerdote ad id deputato ac testibus celebrantur; hæc in desuetudinem abierunt: alia sunt *privata* seu *clandestina*, quæ solo contrahentium consensu, aut coram parentibus perficiuntur. — 2.° *Absoluta*, vel *conditionata*, prout sine ulla conditione, vel cum aliqua adjecta fiunt.—3.° *Simplicia*, et *pœnalia*, prout pœnam in resilientem non important, vel eam continent.

Q. *An sponsalia tabulis sint exaranda publicis, aut privatis?*

R. I. Certum est quod sponsalia sive *publica*, sive *privata* sint, eodem modo valere; quia duorum consensus ad verum contractum bilateralem sufficit; numquam sane Ecclesia irritavit sponsalia privata; et nunc hæc sunt frequentiora, et omnes effectus suos producunt; ideoque et impedimentum publicæ honestatis, quidquid sit de lege civili quoad civiles effectus. Ita *S. C. C.* 4 *febr.* 1859, *Scavini, n.* 743, *cum communi.*

II. Monet tamen Benedict. XIV, tutius esse sponsalia in tabulis publicis, aut saltem privatis coram testibus exarare, ut sic ubi opus fuerit, melius comprobari valeant; secus in externo foro non admittitur ulla reclamatio circa ipsa. Et sic intelligi etiam videtur civilis lex, cum neque ad immobilium venditionem publicam exigat scripturam, nisi ad obligationem jam contractam apud judicem urgendam, nempe, utpote regulam boni communis. *S. C.* 15 *apr.* 1864, *Scavini, S. Lig., n.* 845, *cum communi.* (V. n. 214).

907. Q. *An licite apponantur arrhæ in sponsalibus?*

R. Arrhæ hic *sunt donationes a sponsis, vel parentibus traditæ in pignus futuri matrimonii.* Arrhæ jure naturali matrimonio non officiunt; nam tribuuntur, ut firmior evadat contractus.—Ex jure canonico, cui

consonat jus hispanum, statutum est: 1.° quod, secuto matrimonio, arrhæ ad tradentem redeant.—2.° Si qui arrhas dedit, injuste a sponsalibus resiliat; illas amittit; si vero juste, eas sibi comparat.—3.° Si injuste resiliat, qui arrhas accepit, reddat quantum accepit, si ætate minor sit; si vero major, duplum restituat, scilicet acceptas, et proprias. *L.* 5, *Cod. ubi de sponsa.* Si vero, spectata sponsi conditione, munera sint parvi momenti, et hic non reclamat, ea remittere censetur, etsi ex culpa sponsæ solvantur sponsalia. *(Gury, n.* 728).

---

# CAPUT II.

## De obligatione, et effectibus sponsalium.

908. **Sponsorum obligationes** hæ præcipuæ sunt: I. *Ut in christianæ religionis rudimentis, si opus sit, apprime instruantur.* Unde ex decreto Clem. XI, confirmato a Bened. XIV, Encyclica *Etsi* 1742, et ex Rituali, parochus antequam ad proclamationes procedat, scire debet sponsos in iis bene esse intructos; secus neque ea observare, neque filios edocere poterunt, vel in dilationis et scandali discrimen se immittent. Attamen non est a matrimonio prohibendus si quis hebetis ingenii, vel exilis memoriæ scit præcipua fidei nostræ mysteria, sed ea retinere et recitare non valet, si aliquo rudo modo ea perceperit. Bened. XIV, *De Syn., l.* 8, *c.* 14.

II. *Ut ante conjugium generalem confessionem peragant,* licet non de necessitate sit, ac omnia impedimenta, si forte adsint, declarent. ac de illis interroget confessarius, ne instantibus nuptiis in graves incidant angustias una cum confessario, si tunc aliquod impedimentum detegatur.

III. *Ut in eadem domo non cohabitent,* quod hortatur Trid., sess. 24, c. 1. Id enim esse non potest generatim sine animæ periculo.—Eadem ratione expedit; ut matrimonii celebrationem diu non protrahant: nec secum soli maneant, nec visitent. Licet ex se permitti possit juveni puellam invisere animo matrimonium contrahendi, quia nemo personam sibi ignotam ducere tenetur, neque expedit: in praxi tamen, teste experientia, valde periclitantur sibi invicem ita invisentes; et ideo cum id absolute impediri non possit, curet confessarius. ut nonnisi maxima cum cautela fiat, et in aliorum præsentia, quo rarius obtineri queat, et adhuc cum visitationes sint juxta morem regionis. Ita *S. Ligor., l.* 6, *n.* 54 *et* 853. qui in *Hom. Ap., n.* 7, et *opere moral., n.* 854, addit: Vix sponsis permitti possunt oscula illa, vel amplexus, quæ mos patriæ permittit, modo non sint pressi, neque per notabile tempus protracti.—*Moraliter est impossibile in talibus actibus, causa voluptatis habitis, se continere a non labendo in pollutionem vel copulæ consensum.*

IV. *Ut damna omnia illata resarciat.* si quis ficte promiserit; attamen per se ad contrahendi obligationem non devincitur.—Excipe, pro foro externo, si fuerit deflorata puella, quæ apud judicem promissionem factam probet: et in foro interno etiam ex justitia ad damna juste compensanda, vel eam ducere tenetur, si aliter illa reparare non valet. *Scavini, n.* 880, *S. Thom., suppl., q.* 46, *a.* 2, exceptis hisce casibus: 1.° si puella cum alio fornicetur;—2.° si facile fictionem advertere potuerit;—3.° si sponte satisfactionem pecuniariam acceptaverit;—4.° si adsit scandalum;—5.° si deflorator

notabiliter virginis conditionem excedat; — 6.° si damnum grave eveniat, puta rixæ perpetuæ inter parentes, etc. (V. n. 368 et seq.)

909. **Effectus sponsalium.** I. *Ex jure naturæ adest gravis obligatio justitiæ:* 1.° *matrimonium contrahendi* tempore statuto; si vero nullum fuerit præfixum tempus, ex juris regula, et communi *AA.* sententia cum *Scavini*, quam primum una pars rationabiliter exigit; cum enim adsit verus contractus in re adeo gravi, inde sequitur gravis obligatio tam in foro interno, quam in externo; — 2.° non transeundi ad alia sponsalia, aut vota; — 3.° jus inchoatum in corpora. (*Gury, n.* 726, *S. Lig., n.* 845).

II. *Ex jure canonico oritur impedimentum impediens matrimonium, et impedimentum publicæ honestatis* in perpetuum in primo gradu consanguinitatis, etiam finitis, aut solutis sponsalibus. — Imo ubi Trid. non est publicatum, sponsalia cum copula, non cum affectu libidinoso, sed maritali habita, ad matrimonium transeunt, ex jure canonico. *Cap.* 30 *de Spons. et matr.*, et *S. C. de Propag. fide* 5 *mart.* 1816, *et* 17 *jan.* 1821.

III. *Ex lege civili hispana, et ecclesiastica* resiliens a judice cogi potest ad matrimonium, etiam per pœnas respective ecclesiasticas, vel civiles, et ad solvenda omnia damna realia, nulla tamen habita ratione damnorum casualium, vel clausulæ pœnalis. Sed ad hoc requiritur publica scriptura, ubi de consensu ascendentium, vel consilii familiæ constet, si res sit de sponsalibus filiorum, vel minorum (*Ley* 18, *tít.* 2, *lib.* 10, *N. R.*); quamquam hortationes præcedere debeant, et a coactione abstinere, ubi, inspectis circumstantiis, prudenter ex nuptiis invitis sint timenda scandala, rixæ perpetuæ, divortium, aut conjugicidium; expedit enim gravius malum cavere. (*Sanch.*, *Concina*, *Schmalzgr.*, *Ballerini*, *n.* 726, *S. Lig.*, *n.* 845). Ita *S. C.* penes *Croix*, et jus canonicum, *cap.* 10 *de spons.* — *Bouvier* hanc tradit praxim confessariis: *Adhortationibus premant executionem promissionis; et si eam obtinere nequeant, præcipiant reparationem damni, aut liberam utriusque partis compositionem, quod ordinarie melius est. Eam per se, vel per mediationem alicujus tertiæ personæ petant. (S. Ligor., n.* 845). — Si in bona fide quoad damni reparationem, aut contrahendi onus, versentur, ac nocitura sit monitio, melius erit ad pœnitentiam eos tantum adducere.

910. **Promissio conditionata.** Si possibilis conditio sit *de præsenti*, valent hic et nunc sponsalia, si illa sit adimpleta: — si vero sit *de futuro*, valebunt statim ac adimpleatur conditio absque novo consensu, modo prior non fuerit revocatus, ac honesta et possibilis sit conditio; vel si intercedat copula; quippe tunc censetur remissa conditio; vel si conditio sit turpis; nam a jure rejicitur talis conditio, ut non adjecta. (*Gury, n.* 723) — Si quis post sponsalia conditionata cum una, contrahat alia absoluta, etsi jurata, cum tertia persona, hæc nulla sunt, utpote de re alteri promissa, licet priorum conditio non verificetur; porro quod ab initio non subsistit, tractu temporis convalidari nequit.

911. Q. *An sint valida sponsalia inter impedimentum canonicum habentes sub conditione, si Papa dispenset?*

R. I. Nega, si in eo impedimento non soleat Papa dispensare, vel nonnisi difficile; aut reputatur impossibile; vel si spondentes causam aliquam ad dispensationem obtinendam non habeant. (Ita *fere omnes*).

II. Nega conditione nondum verificata, et seclusa dispensatione, etiamsi Papa dispensare soleat, et adsit causa, licet agatur de consanguinea violata cum dispensationis obtinendæ promissione; cum enim sponsalia sint media ad matrimonium, et media ad finem rationem habeant, ac finis cum tali impedimento fiat impossibilis, impossibilia evadunt, seu nulla sponsalia; nam omnis contractus necessario fieri debet de re possibili; secus erit stulta promissio. (V. n. 80). (Ita *omnes cum Ballerini, n.* 725,

S. C. C. 2 *maj.* 1857, *et* 29 *mart.* 1862). Tamen damna resarcire tenetur promittens modo quo possit, sive per dispensationem obtentam, sive alio modo, ratione promissionis, non ratione sponsalium; nam præfata S. C. C. decreta semper in favorem illius, qui a contractu recedebat ante conditionem impletam, sententiam ferunt. (Ita *Ballerini, l. c.)*

Merito tamen dicunt ad spectandum conditionis eventum teneri promittentes, et sponsalia cum alia persona inita esse nulla; quia fides data est servanda. Unde tunc est contractus conditionalis suspensus usque ad conditionis verificationem, qua adimpleta, absque novo consensu contractus evadit absolutus, et validus. (Ita *communiter Scav.*, *n.* 747, S. *Lig.*, *n.* 859, *Ballerini*, *l. c.*, *Schmalzg.*, *l.* 4, *t.* 1, *n.* 108). Tamen hodie ex praxi *Rotæ Romanæ*, et *S. C.*, hæc sponsalia uti nulla habentur, adeo ut, obtenta dispensatione, necessarius sit novus consensus. (Ita *Varceno* cum *Gury*, *n.* 725).

---

# CAPUT III.

## De sponsalium dissolutione.

912. **Sponsalia dissolvi possunt** quoad promissionem; quia non pariunt vinculum indissolubile, ut matrimonium; sed non dissolvuntur quoad impedimentum canonicum, seclusa dispensatione. Sponsalia ergo quoad promissionem sequentibus causis dissolvuntur:

**Mutuo contrahentium consensu.** Attamen requiritur 1.° *Liber consensus*, mutuus, absque dolo, metu gravi, aliisque libertati graviter adversantibus; nam res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.—2.° *Causa*, si juramento sponsalia sint firmata, ob hujus reverentiam; sed tantum sub levi id obligat; juramentum enim sequitur contractus naturam. -3.° *Pubertas* ex utraque parte (licet impuberes valide sponsalia contrahant, atque impedimentum publicæ honestatis. si perfectum rationis usum adepti sint); sub hac consideratione, quod si impuber sponsalia contraxit, adepta pubertate, etiam alio renuente, resilire potest, si id agat intra triduum a die cognitionis privilegii et pubertatis. Puber, qui cum impubere contraxit, resilire a sponsalibus nequit sine alterius consensu. pubertate adepta; inter puberes requiritur consensus utriusque; nam privilegium impuberi est concessum. (*S. Lig.*, *n.* 855 et jus canonicum).—4.° *Si duo impuberes sponsalia contraxerint, qui prius ad pubertatem perveniat*, statim potest sponsalia dissolvere, etiam altero renuente.—Excipe ex Alexandro III eos, qui pubertati proximi sponsalia copula, vel juramento, malitia ætatem supplente, firmaverint; sane resilire prohibentur, renuente comparte. *S. Lig.*, *n.* 856. Proximi pubertati dicuntur mas a 10 anno et dimidio usque ad 14; fœmina a 9 cum dimidio usque ad 12. — 5.° *Si impuberes sponsalia de præsenti contrahant*, hic contractus non valet pro matrimonio, ad quod inhabiles sunt (nisi malitia suppleat ætatem), sed pro sponsalibus de futuro, nisi expresse vinculo matrimonii se constringere intendant, aut per copulam id significent, ubi Trident. non est publicatum quoad clandestinitatem, ex *Cap. ult. de desp. impub.*, *et C. de illis* 7 *de despons. impub. etc.* (Ita *Varceno*, *p.* 259, *Sanch.*, *n.* 3, *Bus.*, *Habert*, *Ballerini*, *n.* 723). Tamen hoc jus de matrimonio clandestino ab impuberibus contracto, adhuc in sponsalia transit ex Trid., ut *ex S. C. Card.* refert *Ballerini*, *l. c.*

En España son válidos los esponsales de los impúberes; pero no tendrán fuerza

coactiva, si no se ratifican expresa ó tácitamente por el varon en llegando á los 14 años, y en la hembra en llegando á los 12. *(Ley* 18, *tít.* 7, *part.* 4.ª, *lib.* 10 *N. Recop.).* Recte id est inductum, ne in infinitum sponsalia contrahant impuberes, ac impedimenta publicæ honestatis multiplicent.

913. **Impedimento superveniente.** Si de impedientibus agatur, excepta melioris status electione, non dissolvuntur sponsalia; nam loquendo de *tempore feriato*, et *Ecclesiæ vetito*, hæc matrimonii celebrationem tantum suspendunt: si de *novis sponsalibus* sermo sit, ea nullius sunt roboris; cum sint de re jam alteri obligata (nisi inita fuerint cum copula, ubi Trid. non est promulgatum; tum enim sponsalia in matrimonium transeunt). Neque obtinent, quamvis priora dissolvantur; non firmatur quidem tractu temporis, quod ab initio non subsistit. Tamen pars innocens a sponsalibus resilire potest; quia *frangenti fidem fides servanda non est*: et secunda sponsalia invalida contrahens, omnia damna secundæ sponsæ ignaræ compensare tenetur; nam per suum delictum illorum causa fuit. Ast vim habent secunda sponsalia, si ea contrahens, causam habeat a primis resiliendi. Ita *communissime Gury, Scavini, n.* 754, *S. Lig. n.* 857.

*Impedimenta dirimentia* certe sponsalia dissolvunt ex parte innocentis; uti si quis initis sponsalibus cum Caja, postea cum sorore Cajæ carnale commercium habeat; exurgit enim *affinitatis* impedimentum; vel si initis sponsalibus cum una, matrimonium cum alia contrahat; oritur impedimentum *ligaminis*. Tunc probabilius, et communius sponsalia non solvuntur ex parte nocentis, sed suspenduntur; æquum sane non est, ut commodum reportet ex sua iniquitate, fidemque alteri frangat.–Unde quoad affinitatem probabilius, si innocens matrimonium urgeat, tenetur nocens ære suo dispensationem postulare, si fieri possit sine longa mora, et magnis expensis, aut damno multo graviori, quam pars læsa ex nuptiarum omissione pateretur; nisi reparandum esset deflorationis damnum, vel fama defloratæ; tunc enim ad magnas expensas teneretur. *(Varceno, Scavini, S. Lig.*, *n.* 858, *Ballerini*, *n.* 730).—Si vero utraque pars sit innocens, tunc, superveniente impedimento, dissolvuntur prorsus sponsalia; quia sine culpa saltem difficile evadit matrimonium.—Sola fides servanda a S. *Pœnitentiaria* sufficiens causa censeri non solet ad dispensandum. Communius sponsalia per subsequens matrimonium cum altera persona tantum suspenduntur ex parte nupti; ita ut, soluto matrimonio, si velit pars innocens, alteram urgere valeat. (*Gury*, *n.* 732, *S. Lig.*, *n.* 875).—Contradicunt non pauci cum *Bon.*, *Laym.*, *et S. Bonav.*; quia obligatio semel extincta nunquam reviviscit. In praxi sit omnibus libertas. *(Ballerini)*.

914. **Meliori status electione**, scilicet in religioso sensu. Adverte aliud esse votum religionem ingrediendi; aliud votum in ea profitendi; aliud votum Ordines sacros suscipiendi; aliud votum perpetuam castitatem servandi.—Et aliud esse profiteri, Ordines sacros suscipere, perpetuam castitatem vovere. Hinc: 1.° Certum est sponsalia dissolvi, licet jurata, ex parte utriusque per religiosam professionem; vel per Ordinis sacri susceptionem; quippe tunc fit homo inhabilis ad matrimonium, ex *Trid.*, *sess.* 24, *c.* 9.—2.° Certum est per vota religionem ingrediendi, profitendi, Ordines suscipiendi, perpetuam castitatem servandi, sponsalia dissolvi ex parte non voventis; censetur siquidem voventem renuntiasse.—3.° Certum est voventem ingredi religionem licite vovere, et ingredi teneri, rejectis sponsalibus, si sequatur professio; secus si egrediatur; erat enim obligatio suspensa.

—*Tota quæstio est, an votum servandæ perpetuæ castitatis, vel sacros Ordines suscipiendi, vel religionem profitendi, sponsalia dissolvat etiam ex parte voventis.*

R. I. Invalida quidem sunt sponsalia, si vota ante hæc fuerint emissa; porro jam Deo erat res perpetuo consecrata; ideoque sponsalia sunt de re illicita, ac invalida. *(Gury, n. 731, Scavini, n. 762).*

II. Si secus evenerit, affirmant probabilius etiam *plurimi cum Salm., Gury, Suar., Varceno, S. Thom.:* tum quia ubi concurrunt duæ obligationes, potior est præferenda; tum quia promissio sponsalium semper censetur facta sub conditione: *Nisi melior status eligatur.*—Negant *alii non pauci cum Bon., Laym., Viva, Sanch., S. Anton.;* nam Deus non acceptat promissionem rei alteri promissæ, et ab ipso acceptatæ, nec ullo jure habetur quod sponsalia per hæc vota dirimantur. *Pontius* pro hac sententia affert declarationem *S. C. C.* Hanc sequi solet judex, qui de internis votis non judicat.

Q. *Quid si vir vovens religionem, Ordines sacros, vel castitatem, mulierem cognoscat sub promissione matrimonii?*

R. I. Si votum fuit emissum post promissionem, ad conjugium tenetur; quia votum in alterius injuriam est nullum. (Ita *communius* apud *Croix, l.* 3, *n.* 320).

II. Si votum fuit ante promissionem, *plurimi* cum *Salm., Laym., Nav..* negant ad conjugium teneri; nam promissio fuit nulla, cum verum consensum ponere nequibat, ideoque solum tenetur ad damna.—Sed *alii non pauci cum Less., Sanch., Lugo, S. Lig.,* affirmant; quia damnum hoc adæquate non reparatur nisi per conjugium, ad quod tenetur ratione delicti, nempe fraudis. Nec obstat votum; debita etenim gratuita onerosis sunt postponenda. (*Ita Lugo, S. Lig., l.* 3, *n.* 649, *et lib.* 6, *n.* 877, *cum communi*).—*In hoc conveniunt fere omnes:* 1.° si sponsus matrimonii spe suam sponsam deflora-set:—2.° si aliter scandalo, infamiæ, et damnorum sponsæ, et multo magis prolis legitimationi occurri non possit; nam tunc ex jure naturali voti dispensationem postulare, et præfata damna resarcire tenetur. *(Scavini, n.* 762, S. *Lig., n.* 870).

*An liceat viro jam desponsato Ordines sacros suscipere, inscia, aut invita sponsa?* Affirmant aliqui; adest quippe melioris status electio, et vir utitur jure suo. *(Ita Nav., Pont., Con., Bon., Salm., Silv. et alii),* quibus adhærere videtur *S. Lig., l.* 6, *n.* 871, contra *Sanch., Croix,* et *alios,* qui graviter peccare dicunt; nam nullo jure datum est sic sponsalia cum alterius damno dirimere. Communius non dissolvuntur sponsalia per Ordinum minorum susceptionem. S. *Lig., n.* 872. Ast in praxi hodie difficulter ad Ordines admittitur sponsus, invita sponsa, ob dicteria exinde oritura.

915. **Sponsorum crimine**, quod gravem infamiam, vel damnum item grave pariat, uti homicidium, furtum, fornicatio, hæresis, etc., sponsalia solvit ex parte innocentis. *Fornicatio sponsæ tam post sponsalia, quam ante illa, sed ab sponso ignorata, licet per vim facta,* solvit sponsalia. *(Ita S Ligor., n.* 860, *cum communi).* Item si sponsa permittat se impudice tangi ab alio per oscula, et amplexus: sed non viceversa; vilior equidem facta est sponsa, non autem vir juxta communem æstimationem —Si fornicatio se teneat ex utraque parte, *alii* cum *Viva, Bon.,* nemini resilire concedunt; nam adest injuriæ compensatio.—Alii cum *Palao* utrique resilire permittunt; quia fidem frangens, jus resiliendi tribuit.—Alii *communius* id concedunt sponso, non vero sponsæ; cum hæc sit notabiliter mutata, non autem ille. *(S. Lig., n.* 862, *Salm., Varceno, etc.).*—Excipe, si vir in talia sit frequens, aut valde propensus, ut deinde etiam id timeri possit; vel si duæ jam sint viri fornicationes *(ait Varceno);* vel si prolem jam susceperit, aut cum pluribus fœminis se commiscuerit, ut dicit *S. Lig., n.* 861.

916. **Notabili mutatione** superveniente, vel de novo detecta, qua prævisa, aut cognita, sponsalia non essent inita. hæc, licet jurata, illa dissolvit; semper enim inita sub hac conditione censentur. *(Ex L. 5 Cod. de spons., S. Lig., n. 865).* Quod valet, etsi aliquis sponsorum peccaverit, matrimonium differendo, ut postea eveniat mutatio; nam adhuc jure suo utitur.—*Mutatio notabilis* ea censetur, *qua existente, prudentis judicio, sponsalia inita non essent.* Idque contingere potest in *bonis animæ, corporis*, et *fortunæ.*

I. *Animæ:* 1.° Si sponsus cognoscatur ebrietati, blasphemiæ, ludo, impietati deditus.—2.° Si in eo deprehendatur infamia, sævitia, gravis asperitas, etc., ut dicetur de divortio.—3.° Si ex conjugio timeatur gravis inimicitia, rixa, aut odium inter conjuges, parentes, aut consanguineos. *(Arg. cap. 13 et 17 de spons.).*

II. *Corporis:* 1.° Si alteruter incidat in lepram, paralisim, morbum gallicum.—2.° Si graviter deformetur, v. gr. gravi mutilatione, uti amissione oculi, manus, pedis, nasi, etc., præsertim sponsæ, etiam si clauda facta sit, ut declaravit S. C. C., 22 *febr.* 1698.—3.° Si sponsus reddatur ineptus ad officium suum, ad familiæ sustentationem necessarium. *(S. Lig., n. 863, cum communi).*

III. *Fortunæ:* 1.° Si notabilis paupertas detegatur, vel superveniat utrique, vel alterutri sponso.—2.° Si nimio ære alieno gravatus sit sponsus, quin habeat unde facile solvat.—3.° Si alteruter dotem amittat, aut exhæredari timeat, vel notabile præjudicium in bonis paraphernalibus ex parte sponsæ.—4.° Si sponsus vagari incipiat cum sponsæ incommodo; vel alia adsint quæ, re bene perpensa, reddant sponsalia non solum minus appetibilia, sed etiam nimis gravosa, aut noxia. *(S. Lig., n. 863, Scavini, n. 757).*

Q. *An pars occulto defectu laborans sufficienti ad solvenda sponsalia illum manifestare teneatur?*

R. I. Si defectus ille nuptias perniciosas reddat, ut esset lepra, morbus gallicus, vel alius contagiosus, aut gravis infamia, sive personalis, sive generis, vel familiæ, utique manifestare tenetur, vel a nuptiis desistere (nisi altera pars eodem defectu laboret); venderet profecto rem noxiam, et contra justitiam peccaret. *(Ita S. Lig., n. 864, Gury, n. 732, cum communi).*

II. Si vero defectus reddant nuptias tantum minus appetibiles, uti si sponsa esset pauper, ignobilis, deformis, corrupta, quæ aliter putabatur, quin ipsa fingendo, aut interrogata mentiendo, virum deceperit, sed tantum defectus occultaverit, aut dissimulaverit per mentalem restrictionem, non peccat; est enim consuetudo jam recepta, et nemo tenetur suum defectum cum proprio damno propalare, cum jus alterius non lædat.—Tamen sponsus, cognito defectu notabili, licet sponsa per vim sit corrupta, jus habet resiliendi a sponsalibus; sed usque dum exceptionem propter talem defectum non apponat sponsus, cogi potest ab sponsa ad matrimonium, sicut adultera debitum urgere valet usquedum vir non opponat exceptionem propter adulterium. *(Ita S. Lig., n. 865, Gury, cum communi).*— Excipe, si sponsa sit prægnans ex alio; vel si prudenter timeatur, ne postea propaletur defectus, et graves inde sint orituræ discordiæ. (*S. Lig., Salm., n. 98, cum communi*).

Communissime docent solvi non posse sponsalia, si sponso superveniat nova hæreditas; nulla siquidem adest deceptio, neque sponsæ mutatio. *Scavini, n.* 757. *Varceno, Sanch.*, etc. Alii vero cum *Trull., Hurt., Gury, Ballerini, n.* 731, satis probabiliter contrarium dicunt; adest quippe nunc mutatio ac inæqualitas magna, quibus prævisis, nullo modo cum illa sponsa esset contractus initus. At si resiliat sponsus,

alterius damna compensare debet; et confessarius ad matrimonium urgere nequit. *Ballerini.* Si vero qui sponsalia contraxit cum una, postea ei offeratur conjugium cum alia ditiore, primam relinquere non poterit. Attamen si qualitas 2.æ sponsæ esset excedenter melior, non auderem sponsum omnino damnare (ait *S. Lig.*), si cum ista contrahere vellet; amissio enim magni lucri positivo damno æquiparatur, quo præviso cum prima non contraxisset. *S. Lig*, *n.* 876.

917.* **Status disparitas** videtur ratio sufficiens ad solvenda sponsalia, si in nobilitate sit (et idem ferme est dicendum, si disparitas sit tantum in divitiis), et illam ignorabant sponsi; nam sponsalia semper inita censentur inter pares. Idem dicendum si disparitatem jam noverint, ast matrimonium contrahi non possit absque familiæ dedecore, vel magno scandalo; ut si vir nobilis se desponsaret filiæ vilis agricolæ, vel mechanici; esset quidem promissio nimis prodiga, et de re illicita. Excipe si divitiis fiat compensatio ob sponsæ honestatem, pulchritudinem, prudentiam, propter quam putat sponsus quietam cum ea ducturum vitam. Multo magis si intercesserit defloratio; sane jactura virginitatis, aut bonæ famæ excessum conditionis superat. *Suarez*, *Scavini*, *n.* 758, *cum communi.* Unde ait *D. Lig.*, *n.* 865, *et communiter*, quod si causa superveniens fuisset prævisa, ob quam sponsalia non essent contracta, vel jam existens sed ignota, jam esset sufficiens ad illa rescindenda, tunc ab eis libera manet pars; adest quidem notabilis mutatio.

Unde si ex tali matrimonio sit oriturum familiæ dedecus, vel scandala inter propinquos, et multo magis malum commune regni, vel oppidi, aut si plures graviter perturbarentur familiæ, vel si pater etiam injuste minaretur exhæredationem, cessat sponsalium obligatio, nisi exhæredatio jam fuerit prævisa; censetur enim tunc juri suo cessisse sponsum. *S. Lig*, *n.* 877.

—Si vero injuste contradicant parentes, non erit causa sufficiens resiliendi, et peccarent illi, ac etiam filius, contra sponsalia agentes, cum parentum consensus non sit de necessitate, sed de honestate sponsalium. Secus si juste dissentiant parentes; quia pars ratione famæ, conditionis, indolis, etc., familiæ disconvenit; neque enim obligant illa sponsalia, utpote illicita; et filius obedire tenetur quoties potest sine suo gravi incommodo, et, ex charitate saltem, odia, damnaque inter parentes impedire, ob quæ aliquando filius obedire debet, quamvis dissensus parentum aliter injustus sit. Tamen, ut bene advertit *Sanchez*, sæpe minæ, et discordiarum pericula jactata, ubi nuptiæ contractæ sunt, facile cessant, et animi conciliantur. (*S. Lig.*, *n.* 877).

918. **Discessu unius ex sponsis**: si inscio, aut invito altero, alio transferat domicilium, aut in regionem longinquam abeat, etsi cum animo redeundi, jure poterit sponsa transire ad alias nuptias; censetur enim sponsus renuntiasse; neque compars est liganda cum incontinentiæ periculo, vel alias nuptias amittendi. (*C. de aliis* 5 *de spons.*). —Si secus, erit spectandus, vel postulandus; et si justa causa adhuc adimpletionem distulerit, arbitrio judicis ecclesiastici causa erit remittenda, cujus erit partem admonere, et terminum eidem statuere, quo transacto, liberum comparti erit a sponsalibus resilire. Ita *S. C. C.* 2 *oct.* 1725. —Dispositio legum civilium dumtaxat ad amissiones arrharum, et ad alios civiles effectus spectat. (*L.* 11 *cod. de spons.* —*S. Lig.*, *n.* 866).

**Mora posita.** 1.° Ubi nullus terminus sit præfixus, si ad annum protrahatur, judex definire debet; nec aliquis expectare tenetur ad duos, vel tres annos dilationis, si aliud melius sit; nam altera pars sic videtur cedere jure suo.—2.° Si terminus erat affixus, post hunc elapsum, pars innocens semper resilire valet, quamvis alia inculpa-

bilis sit. (Ita *communius Scavini, l.* 3, *n.* 760, *S. Lig.*, *n.* 867).—3.° Si ex utraque parte stet culpa, utraque libera manet; quia implicite jure suo cedit.—4.° Quoad partem culpabilem communius adest obligatio; quia non debet commodum ex sua iniquitate reportare. (Ita *Scavini*, *Laym.*, *Salm.*, *Sanch.*, *S. Lig.*, *n* 867, *et alii)*. Saltem si terminus non fuit appositus nisi ad obligationem urgendam; ut si dicatur: *Contraho tecum, et volo, ut matrimonium ultra trimestre non protrahatur;* nam tunc duplex adest obligatio, una contrahendi, et altera contrahendi intra trimestre; neglecta hac obligatione, adhuc remanet prima. Secus si tempus ad extinguendam obligationem sit appositum, v. g.: *Contraho tecum, dummodo intra trimestre celebretur matrimonium;* quia tunc terminus est conditio intrinsece contractum afficiens, qua deficiente, et iste deficit, ideoque probabilius utraque pars remanet libera.

Cæterum ut dignoscatur, an terminus præfixus sit ad extinguendam, vel sollicitandam obligationem has communiter tradunt regulas: 1.° Si terminus ab una tantum parte ponatur, altera se negative habente, censetur appositus ad sollicitandam obligationem.—2.° Si vero ab utraque parte ponatur, vel antequam celebrentur sponsalia, censetur ad terminandam.—3.° Si res dubia sit, censebitur appositus ad sollicitandam obligationem, si adhuc matrimonium commode iniretur: secus ad eam terminandam. *Scavini, n.* 760, *S. Lig.*, *n.* 867. Si de intentione et modo contrahendi dubitetur, consulantur sponsi.

919. **Auctoritas ad sponsalia dissolvenda** est judex ecclesiasticus in casibus dubiis, vel necessariis ad vitandum scandalum.—Si vero causa certa sit, non requiritur hujus auctoritas, sed pars innocens resilire potest a sponsalibus, secluso scandalo, et licet causa coram judice probari nequeat; nam defectus externi judicii jus certum non adimit. *(Scavini, S. Lig., n.* 878). Ad solvenda sponsalia in foro externo et interno sufficit unus testis juratus, si agitur de aliquo impedimento canonico probando; si vero de alia causa sermo sit, requiruntur saltem duo testes fide digni deponentes sub juramento. Ita *communius S. Lig.*, *n.* 878. *Alii* cum *Trull.* unum sufficere docent.

# CAPUT IV.

## De proclamationibus, seu bannis.

920. I. **Banna** sunt *publicæ denuntiationes, quibus admonentur fideles de matrimonio inter determinatas personas contrahendo.*—Hæc non de necessitate sacramenti, sed de Ecclesiæ gravi præcepto fieri debent: 1.° Ut detegantur impedimenta, si forte adsint.—2.° Ut eliminentur matrimonia clandestina.—3.° Ut filiifamilias invitis parentibus non contrahant.—Si tamen banna culpabiliter omittantur, non ideo matrimonium est invalidum, sed ex jure canonico proles suscepta illegitima habetur; et ex *Trid.*, *sess.* 24, *c.* 1, conjuges sunt separandi, absque dispensationis spe, si postea detegatur impedimentum aliquod; vel nonnisi cum magna difficultate dispensatur, et cum onere talem omissionem in supplicatione exprimendi. (*S. Lig.*, *n* 990). Ab hac lege excipiuntur tantum 1.° principes ex usu; quia eorum genus, et connubia ordinarie satis publica, notaque sunt: —2.° casus necessitatis, ut infra de matrimonio dicetur:—3.° legitime dispensati a Superiore.—*Antequam matrimonium contrahatur,*

*ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum,* præscribit Trid., *sess.* 23, *c.* 1 *de R.* Unde requiritur:

1.° Ut banna fiant *tribus continuis diebus festivis,* sive sint festivi ex generali lege, sive ex locali, aut ex consuetudine, licet sint ex suppressis ab Ecclesia, ut habet *S. C. C.*, 8 *apr.* 1862 ad *Pinarol. Episcop.* Imo Episcopus dispensare potest, ut etiam in diebus ferialibus fiant ex S. C. C., penes *Barbosam*, si æque servetur finis legis ob populi concursum. Ex usu licite fieri possunt diebus festivis immediate sibi succedentibus in Hispania; et probabiliter etiam extra.—Probabiliter nonnisi leviter peccatur, si dies festi, uno, alterove interjecto, non sint continui; quia leve periculum est, ne populus obliviscatur, et levis materia censetur. *(S. Lig., n.* 992).

2.° *In ecclesia* parochiali contrahentium; etsi probabiliter fieri possunt in publico oratorio, saltem cum aliqua causa; quod absolute liceret, si illuc generaliter veniant parochiani, et Missa parochialis celebretur; imo ad ecclesiæ januam, ac etiam extra ipsam, si ratione magni populi concursus, et ob aliam causam ita expediat. Ita satis probabiliter *Sanch., Barb., Diana, S. Lig., n.* 991; quia sic jam obtinetur finis Concilii. Et si pestis tempore in ecclesia fieri nequeant banna, nec differri matrimonium, Episcopus posset permittere, ut voce præconis, vel in loco publico affixa, et quocumque die fiant, vel ea remittere potest, et ad id etiam tenetur, si urgeat necessitas. *(Boss., S. Lig., n.* 991). Quod si Episcopus adiri nequeat, parochus bene potest, imo urgente causa tenetur, sponsos conjungere, postquam tamen certior factus est nullum omnino subesse impedimentum. *Scavini, n.* 900, *S. Lig., n.* 991.

3.° *Inter Missarum solemnia*, nempe in Missa conventuali, seu parochiali, ex S. C. C. in *Novar.* 1 jul. 1724; et non opus est, ut in duabus Missis fiant, ut mos est in aliquibus populis. Fieri autem nequeunt in Vesperis, aut in Missis privatis, ex *Rit. Rom.*—Si vero parochus oblitus fuerit, et nuptiæ urgeant, id supplere valet in solemnibus Vesperis cum Episcopi venia, si tempus suppetat ad eam postulandam, ex *S. C. C.*, 25 *oct.* 1586. Juxta *Ferraris* idem dicendum videtur de tempore processionum, concionum, (et in populis) Rosarii, modo adsit populi concursus; quia finis Concilii eodem modo adimpletur. (*Sanch., Scavini, l.* 3, *n.* 809, *et S. Lig., n.* 991, hoc dicit *sat probabile*).

4.° *A proprio contrahentium parocho.* Si sponsi in diversis parochiis habitent, in utraque est facienda proclamatio, nisi parœciæ essent valde propinquæ, ut dicunt *Bossius, Laym., Salm., c.* 8, *n.* 72.—Si alter sponsorum ad aliam diœcesim pertineat, vel ex ea discessit, ætate jam nubili, debet etiam referre statum *liberum* coram Ordinario, ut habetur in instructione *S. C. O.*—Si quis duplex habeat domicilium, vel quasi-domicilium, etiam in utroque proclamationes fieri debent.—Si contrahens recens domicilium in actuali parœcia fixerit, banna publicari debent etiam in parœcia derelicta. *(Gury, n.* 737, *Scavini, n.* 809, *S. Lig., n.* 991).

Pluries declaravit S. C. denuntiationes esse faciendas in loco originis, ut refert *P. Zacharias* apud *Croix, l.* 6, *p.* 2, *n.* 447.—Sed addit *Croix*, quod id hactenus non potuit (saltem ubique) in praxim deduci.—Quidquid sit, ait *Del-Vecchio,* præstat saltem, ut parochus matrimonii scribat ad parochum originis, ut tutus procedat; fieri enim potest, ut post longissimam moram in alio oppido, aliud matrimonium tentetur, nemine suspicante, ut jam ita evenit.

921. **Tempus discessus sufficiens ad omittendas proclamationes in loco discessus.** Ex Concilio nihil circa hoc statutum est.—Ex *S. C. Conc.*

(V. Thesaur. Resol. S. C. C. tom. 6, pag. 272 et 274), colligitur sufficere tempus 10 an., vel 8, et jam non infra; etsi in *Ballerini* legatur etiam quinquennii, sed non ex iis colligitur. *Del-Vecchio, l.* 3, *n.* 900, sic habet: 1.° Si nondum sex menses præterlapsi sunt, ex quo quis vetus domicilium reliquit, et simul in novo domicilio nondum per mensem integrum habitavit, solummodo in veteris domicilii parochia fiunt proclamationes, licet benedictio pertineat ad novi domicilii parochum.—2.° Si post domicilii mutationem unus saltem mensis, nondum tamen medius annus effluxerit, in utriusque domicilii parochia fieri debent proclamationes.—3.° Si post mutationem domicilii medius annus peractus est, solum in novi domicilii parochia fieri poterunt proclamationes. —4.° Si nupturiens ultimis annis passim in loco originis, vel parentum versatus quidem est, sed jam per annum integrum, ex quo sui juris est, in alio loco statuit proprium ac verum domicilium, sufficit proclamatio in hoc loco.—5.° Si per sex menses nondum ibi habitavit, proclamatio tam in hoc vero, quam in ultimo quasi-domicilio erit facienda.—6.° Si nupturiens, licet proprium domicilium fixerit, ultimis annis ita frequenter, et per longa temporis spatia in loco originis, vel parentum est versatus, ut illa loca etiam tanquam domicilium retinuisse videatur, in iisdem fieri debet proclamatio. (Ita *Scheider*, *Scavini*, *n.* 900).

Ad hoc non parum deservire potest originem, ac progressum bannorum scire. Ex Benedict. XIV, Epist. *Paucis abhinc*, originem habent ab Odone de Soliaco, Parisiensi antistite, initio sæculi XIII, qui in parœciis suæ diœcesis promulganda matrimonia statuit, priusquam inirentur: et deinde propagari cœpit tam laudabilis usus, quem Innocent. III in Conc. Lateran. IV ad universam Ecclesiam extendit. *Cum inhibitio de clandest. despons.;* demum Trid., *sess.* 23, *c.* 1, *de R.*, id ipsum præcepit, quin de præfato parœciarum discessu, ac mora aliquid habeat.

—Romæ post duos menses banna fieri solent in parœcia tantum actualis domicilii. Ante duos menses elapsos, fiunt in parœcia domicilii præcedentis, minime vero in parœcia domicilii actualis. *Hoc pro norma esse potest, ubi aliud non est statutum,* ait *Del-Vecchio*, *in comp.*, *n.* 997. —*Schmalzgrüeber* addit de proclamationibus: *Necesse non est eas fieri in loco, ubi contrahitur, si v. g., factis denuntiationibus in civitate, de licentia, ex justa causa velint celebrare ruri, vel migrent in alium locum. Generatim enim satisfit decreto Tridentino, si matrimonia denuntientur, ubi contracturi matrimonium tempore denuntiationum sunt parochiani.* (L. 4, t, 3, n. 14).

922. **Vagi et peregrini.** Parochus ex Trid., sess. 24, c. 7, assistere non potest eorum matrimoniis, nisi post diligentem inquisitionem adhibitam, et nisi prius ab Ordinario licentiam assistendi obtinuerit. Unde ajunt *Bon.*, *S. Ligor.*, *n.* 991, quod graviter peccaret parochus, si hoc præceptum non servaret, etsi alioquin matrimonium esset validum; cum non adsit causa irritans, sed prohibens. Et proclamari debent in loco originis, vel saltem ubi diutius commorati sunt, et in parochia ubi tempore nuptiarum commorantur. (*Scavini*, *n.* 900, *Gury*, *n.* 738).

—*Militum banna* sunt facienda in loco ubi sunt in præsidiis, seu ubi degunt, et insuper in loco in quo residebant ante militiam susceptam; aliud quippe non acquisierunt domicilium juris. (*Ita communiter*, *cum Scavini*, *n.* 900, *Gury*, *n.* 738, *Varceno*, *p.* 264).—*Minores* proclamari debent in parochia, in qua habitant: ex jure canonico nil aliud habetur. Minor vir parentibus orbatus, fit major statim ac 21 an. complevit.—*Famuli* qui perpetuo laborant in una parochia, et in altera fixam habent domum, vel cubiculum, in ista publicandi sunt. Secus in parochia heri, apud quem ab uno saltem anno famulantur. (*Scavini*, *n.* 900, *Scheider*, *Manuale sacerd. Colo-*

*niæ*, 1863).—Si vero contrahentes, jam rite proclamati, intra duos menses matrimonium non celebrant, banna sunt reiteranda, nisi aliud Episcopo videatur ex *Rit. Rom.*, vel si intra quatuor menses, ex *S. Congr. in sess.* 24, *cap.* 1, *de Ref.* penes *Gallemart*, *Bus.*, *etc.* (Ita *Salm.*, *Pont.*, *Leand.)*. (V. S. Lig., n. 993). Et si per quatuor menses in alia parœcia fuerint, sin minus facere tenentur unam denuntiationem in parœcia novi domicilii, et duas in ea unde discesserunt, ut ait *Varceno, p.* 264).

923. Q. *An sub gravi fieri debeant tria banna?*

R. 1.° Parochus sub gravi ea facere debet; etsi nullum appareat impedimentum; fieri enim potest, ut, factis proclamationibus, aliquod superveniat.—2.° Probabilius contra *Salm.*, *Trull.*, *Reb. et alios,* duorum bannorum omissio est etiam peccatum grave; quia duo ex tribus est pars notabilis.—3.° Probabiliter ex se veniale non excedit unius omissio; quia pars levis totius præcepti videtur, cum moraliter certum sit nullum subesse impedimentum. (Ita *Scavini*, *n.* 811, *S. Lig.*, *n.* 990, *cum Sanch.*, *Gasp.*, *Hurt.*, *et alii* contra *alios)*.

Q. *Quomodo fieri debent proclamationes?*

R. Vulgari sermone populo notificet parochus sponsorum nomen, cognomen, ac eorum parentum, parœciam, diœcesim, domicilium illorum; vel si diversæ sint diœcesis. aut vidui, et a quo; item sponsi officium, postquam de libero eorum consensu constet, et id omne bene compertum ac scriptum habeat, ne in actu proclamationis ob morositatem tædium populo generet, et confabulationes, ut non raro evenit, maxime cum parochus perspicillis, non ex vanitate, sed necessitate opus habet. (Aquí conviene recordar el aprisa de espacio de S. Francisco de Sales.)—Insuper admonere debet de vice in vicem, quænam sit proclamatio, quam agit, et quando una, vel altera sit dispensata, pariter in reliquis indicandum est fidelibus, addendo in omnium fine unoquoque die, ut si quod dignoscant impedimentum apto tempore illud revelent. Unde emanat gravis obligatio in parocho fideles edocendi circa impedimenta, præsertim cognationis spiritualis, publicæ honestatis, ut monet *Catechismus Romanus*, et *Scavini*, *l.* 3, *n.* 810. Ut obtineatur finis Concilii, matrimonia non celebrentur eo die, quo ultima fit denuntiatio. Si urgeat tempus, monendus est populus. *Scavini*, *n.* 810.

924. Impedimentorum denuntiatio ante matrimonium, ac etiam post, sub gravi obligat, etsi secreta sint, ex gravi Ecclesiæ præcepto, ut habet *Scavini*, *n.* 812, *cum communi.* 1.° Ex motivo religionis, ut validitati, dignitatique sacramenti consulatur. —2.° Ex motivo charitatis, ut legitimitas filiorum curetur.—Hoc præceptum obligat omnes utriusque sexus fideles, etiam amicos, et consanguineos, ipsos sponsos, ac etiam cujuslibet parœciæ, et diœcesis fideles, et obligat quamprimum; ne invalide ineatur matrimonium. *(Scav.*, *Gury*, *n.* 741, *S. Lig.*, *n.* 994). Imo licet impedimentum sit occultum, et infamatorium, scilicet, ex peccato, vel si sub secreto commisso, et naturali, etiam jurato non propalandi, sciatur; vel unus tantum sciat, vel a persona fide digna, quamvis illud probare nequeat; servit enim ad amplius inquirendum. S. *Lig.*, *n.* 994, 995 *et* 998 *cum communi)*. Advertunt tamen *AA*. præmittendam esse correptionem fraternam, modo periculum non sit in mora, et monitio probabiliter sit profutura.

—Excipe 1.° Si illud sciatur sub secreto sacramentalis confessionis; et probabilius etiam sub secreto consilii ratione officii, v. gr. medici, obstetricis, parochi; nam societatis valde interest hæc secreta servari. *(Bouvier*, *Carriere*, *Scavini*, *n.* 812, *Gury*, *n.* 742, *et alii* contra *alios)*. Sed illi, qui sub tali secreto (consilii) impedimentum no-

runt, sponsos saltem monere debent, ut a matrimonio desistant. *(Gury)*.— 2.° Si quis tantum audiverit, et nesciat a quo; vel si pro foro interno sit dispensatum occultum impedimentum; vel si metuat magnum scandalum, aut grave periculum.—3.° Si sint in bona fide, et monitio nihil esset profutura, et multo magis si obfutura prudenter judicetur; maxime si, inito matrimonio, non de facili ab sponsis dignosci queat. —4.° Si grave damnum sui vel suorum timeatur; quia lex humana, et charitas non obligant cum tali detrimento; uti si quis suam propriam copulam revelare deberet. (Ita *communiter Gury, S. Lig., l.* 6, *n.* 992, *et* 995).—Si vero parochus solus impedimentum extra confessionem sciat, et multo magis, si id a persona fide digna didicerit, matrimonium impedire tenetur, etsi rem Ordinario sit deferenda; maxime cum ipse specialiter validitati sacramenti, ac ovium suarum bono sit prospecturus; nisi ex modo dictis consultius sit tacere, donec obtineatur dispensatio, si facile obtineri valeat, ne alias sponsi formaliter peccent. (*S. Lig., n.* 1002). Tunc occulto peccatori negatur sacramentum propter gravia damna alias oritura; ut esset prolis illegitimitas, etc. *Bon., Bossius, Sanch., Scavini, n.* 813.

825. **Dispensatio bannorum** ex Trid., *sess.* 24, *cap.* 1 *de R.*, justa interveniente causa, ad Ordinarium spectat; *et illius prudentiæ et judicio Sta. Synodus reliquit;* et probabilius etiam competit Vicario generali Episcopi; quia Concilium hanc facultatem Ordinario tribuit; ergo ex officio hic dispensare potest; atqui materia officii, nisi expresse excludatur, ad Vicarium Episcopi etiam de jure pertinet; quia unum facit tribunal cum Episcopo; ergo... Id consuetudine firmatur. (Ita *Bal., Gury, n.* 740, S. *Lig., n.* 1007, *Del-Vec., n.* 815, *Gutt., Barb., Bon. cum communi).*—Tam Episcopus, quam Vicarius generalis hujusmodi facultatem delegare valent. (Ita *Ballerini, Sanch.,* S. *Lig., de priv., n.* 58, *Schmalzgr., l.* 4, *t.* 3, *n.* 30 *et* 32).—Omnes autem id parocho negant, cum nulla in foro externo gaudeat jurisdictione.—Id unum concedunt, ut cum Ordinarius dispensare teneatur, et adiri nequeat, et periculum sit in mora, declarare possit præceptum bannorum non obligare, modo certus sit nullum adesse impedimentum; v. gr. si moriturus concubinam, vel civiliter unitam ducere velit, ob prolis legitimationem. (Ita *Bus., Pont., Boss., Salm., Bon., Silv., Sanch., Gury, n.* 740). (V. S. *Lig., n.* 1003, *et* 1007). Idem docent aliqui cum *Bossio,* et *Sanch.,* si periculum sit in mora, Ordinarius injuste dispensare recuset, et ad superiorem aditus non pateat.

Multo facilius ab una, vel altera proclamatione dispensatur, quam ab omnibus. Omnino autem dispensare Episcopis vetat Benedict. XIV, Bulla *Nimiam licentiam,* 18 maj. 1743, nisi *urgente legitima, gravissima et ineluctabili causa, ut liquet ex Trid.*

**Causæ a bannis dispensandi** aliæ sunt *obligatoriæ, quibus stantibus Ordinarius dispensare tenetur;*—aliæ sunt *licitæ,* ob *quas dispensare potest, sed non tenetur, licet Trid. ad exemplum, ut declaravit S. C. C., unicam assignet.*

I. *Obligatoriæ* sunt, quando ad vitandum grave damnum commune, vel privatum, spirituale, vel temporale (ac idem de notabili bono consequendo dicendum), dispensare expedit. Hinc: 1.° Si adsit probabilis timor, ne matrimonium malitiose impediatur.—2.° Si matrimonium sit necessarium ad vitandum damnum, infamiam, vel scandalum ex matrimonii dilatione imminens, v. gr., si concubinarii reputabantur conjuges; vel si præcesserit defloratio, et timeatur ne vir voluntatem mutet; vel alter sponsorum in mortis articulo sit, et esset legitimanda proles.—3.° Item, si matrimonio jam celebrato, aliquod detegatur impedimentum; vel

matrimonio civiliter inito, sponsus in tria banna consentire recusat.—4.° Si sponsus illico sit longe profecturus, et urgeat contrahendi necessitas ex aliqua ex præfatis causis.—5.° Si parentes, vel tutor conentur, ut cum indigno virgo nubat.—6.° Si immineat tempus Adventus, vel Quadragesimæ, et alias incontinentiæ periculum, vel gravis damni, si differatur; sed melius videtur propter hanc causam posse Ordinarium dispensare, sed non teneri; cum nulla sit culpa ante Missam nuptialem matrimonium consummare. (Ita *communiter, S. Lig., l.* 6, *n.* 1005).

II. *Licitæ causæ* sunt: 1.° Si nuptiæ sint contrahendæ inter magnates. —2.° Si sponsi sint valde senes, aut valde dispares ætate, conditione, divitiis, aut qualitate, ne pudore suffundantur.—3.° Si certo moraliter constet nullum adesse impedimentum. Hic autem notandum, quod Episcopus dispensans in denuntiationibus, semper diligenter inquirere aliunde tenetur de impedimentis, nisi communiter constet ipsa non adesse. Ita S. *Lig.*, *n.* 1007. Trid., sess. 24, c. 1, et S. C. C. (ut referunt *Escob., n.* 586, et *Boss.*, *n.* 34) Episcopis reliquit de causarum sufficientia judicare; non est ergo nimis restringenda facultas.

Q. *Quid si sponsi diversæ sint diœcesis?*

R. Probabilius requiritur utriusque Episcopi dispensatio; nulla siquidem adest connexio inter dispensationem unius, et dispensationem alterius. Aliunde solus Ordinarius loci cognoscere valet de causa dispensationis; et si ex una parte non adsit periculum impedimenti, adesse potest ex altera. *(Gury, n.* 740, *Scav.*, *n.* 816). Ita se habet praxis. Tamen negant *alii* cum *Barb.*, et *Ronc.;* nam hac in re contrahentes una persona censentur; ideo dispensata una parte ab Episcopo loci in quo est celebrandum matrimonium, censetur etiam dispensata et altera; et si Episcopus conjungere valet non subditum, item et dispensare. Quidquid sit, saltem opus est alterius Ordinarii, vel parochi testimonium de statu libero.

---

# CAPUT V.

## De impedimentis Matrimonii in genere.

926. **Impedimenta Matrimonii** sunt *obstacula quædam rite Matrimonium celebrare vetantia.*—Duplicis generis sunt: *juris naturalis* vel *divini*, scilicet, et *juris humani.* Prima omnes obligant etiam infideles: secunda tantum baptizatos, licet hæreticos.—Subdividuntur impedimenta hæc in *impedientia,* et in *dirimentia:* 1.ª solummodo *reddunt matrimonium illicitum:*—2.ª vero *etiam invalidum.*

**Potestas constituendi canonica Matrimonii impedimenta** jure proprio et originario in sola Ecclesia catholica residet. Est contra Waldenses, Lutherum, Calvinum, Antonium de Dominis, aliosque canonistas, theologos, et politicos, civile conjugium plus æquo defendentes, et de fide. Constat: 1.° Ex Trid., sess. 24, can. 3: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et*

*dirimant; anathema sit.* Et can. 4: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta, matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* Scilicet jure proprio et originario, non ex Principum concessione. Et can. 12: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit.*

—Principes sæculares leges condere valent quoad jura civilia, et temporalia bona, non autem Ecclesiæ leges moderari, aut irritare, quod est contra *Josephum II, an.* 1782, *Litta, Tamburini, Nestium, Dupin*, etc. Probatur assertio ex Bened. XIV, Const. 9 febr. 1749; ex Pio VII scribens ad Nuntium Apostolicum Poloniæ 1808; ex Pio VIII, Encyclic. 24 maj. 1829; ex Gregorio XVI, Encyc. 15 aug. 1832; et Pius IX in *Syllabo*, prop. 68, etc., et in Allocut. 27 sept. 1853, ait: *Conjunctionem cujuscumque etiam legis civilis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum, ab Ecclesia tanto tempore damnatum, ac proinde, a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere.* Et in Syllabo, prop. 68 et seq. damnavit asserentes, Ecclesiam hac potestate non potiri *jure proprio et originario.*

2.° Ex ratione theologica. Matrimonium a Christo est elevatum ad dignitatem sacramenti; necessario ergo spirituali potestati subjici debet. Et quamvis matrimonium habeat rationem contractus et sacramenti, non separatur, nec distinguitur inter christianos, cum in integrum ad sacramentum pertineat; nam ubi adest talis legitimus contractus, ibi adest sacramentum. Alioquin non raro haberetur potestatis conflictus in commune damnum.—Insuper Ecclesia a Christo accepit potestatem utilem ad christianam societatem recte gubernandam; atqui potestas talia impedimenta statuendi est non solum utilis, sed etiam necessaria ad hoc; alias matrimonium quod est societatis fundamentum, indigne tractaretur, ac in abusum converteretur cum damno ipsius societatis; ergo...—Ita se habet praxis, traditio, et sensus communis.

Præterea matrimonium omnem legem, omne gubernium, omnem societatem præcedit, ut ex *Gen.* I, et *Math.* XIX colligitur; ergo nunquam aliquid potuerunt leges civiles quoad matrimonii substantiam. Quocirca matrimonium spectari potest per mentis abstractionem, ut contractus *naturalis, civilis,* et *sacramentalis;* ut officium *naturæ, societatis,* et *religionis;* et sub quolibet hoc respectu bene attingitur a lege *naturali, civili,* et *ecclesiastica;* a *lege naturali*, ne fiat contra honestatem; a *lege civili*, ne contra bonum civile, et politicum redundet; quod multipliciter obtinere potest, quin proprios limites transiliat; v. g., uti publicas habere nuptias, quæ sunt publicæ contractæ coram Ecclesia; a *lege ecclesiastica*, quæ efficit, ut contractus naturalis, et fac ut advertas, non civilis, sed naturalis contractus, tanquam materia sacramento inserviat; seu est sacramentum ipsum, a quo contractus non distinguitur. *Matrimonium in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad matrimonium illegitima.* (S. Thom., l. 4, sent. dist. 34, q. 1, art. in resp. ad 4). Et licet principes sæculares ratione boni publici contractus mere temporales irritare possint; ast non ita est de matrimonii contractu; ex quo enim elevatus fuit ad dignitatem sacramenti, spiritualis evasit. Concludamus ergo cum Pio VI, Brevi ad Episcopum Modulensem, 16 sept. 1788: «Dogma fidei est, ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum

ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo D. institutum.» Unde civilis auctoritas hinc omnino exulat, ad nihil requiritur; neque exinde civili potestati aliquid potestatis ademit Ecclesia, sibi talem contractum inter christianos sacrum assumendo, ac gubernando; nam est jam de suprema, ac divina ordinatione res sacras a civili commercio, et jurisdictione avellere; secus etiam dici posset in hostias consecratas habere potestatem civiles principes, eo quod ex re materiali conficiatur hostia. Sic homo civiliter mortuus, v. gr., in perpetuum exilium damnatus, adhuc est per se materia apta hujus religiosi contractus; e contra homo infidelis omnibus juribus civilibus præditus, incapax est sacramenti, et valde capax matrimonii civilis. Hinc aperte elucet quod contractus civilis *ex se* materia esse nequit contractus sacramentalis. *(Scavini, n.* 771 *et* 774). Lex civilis (etiam inter infideles) externe tantum contractum naturalem attingit, scilicet, circa actus externos et civiles, et Ecclesia etiam intrinsece. Unde nihil circa ejusdem contractus intimam naturam immutavit Christus, nihilque principibus subtraxit; at Ecclesiæ sacramentum matrimonii commisit.—Ad rem Pius VI in suis Litteris ad Episcopum *Agrariæ*, 11 jul. 1789: *Quo manifeste patet, matrimonium vel in ipso statu naturæ. ac sane ante multo quam ad proprie dicti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum, indissolubilemque nexum, qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet sacramenti ratio a matrimonio sejungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est matrimonium, perstare debet, omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a prima origine, divino jure, matrimonio ita adhæret, ut nulli subsit civili potestati.* Ita jure ac solide tuentur *Barruel, Peller, Martin, Reuscher, Muzzarelli, Perrone, de matr., l.* 2, *secc.* 2, *c.* 3, *etc.*

Hinc quamvis Ecclesia nihil possit circa materiam sacramentorum, tamen Christus ad esse sacramenti non elevavit qualemcumque contractum, sed tantum legitimum; cum autem Dominus præcise non definierit in quonam sit collocanda ista legitimitas, bene potuit Ecclesia in publico bono illam statuere, cum sacramenta sint propter homines, atque indirecte ac materialiter facere ut quod prius erat legitimus consensus, amplius non sit talis. *Billuart.*

927. **Impedimenta ligant etiam invincibiliter ignorantes**; quia proprie non sunt pœnæ, sed inhabilitates sive naturales, sive divinæ, sive canonicæ, quæ per se obtinent independenter a cognitione et voluntate nostra. Quod verius, et communissime dicendum de illis impedimentis, quæ naturam pœnæ habere videntur, uti est impedimentum *criminis;* quia nonnisi secundario rationem pœnæ habent, et primario rationem vinculi Præterea leges irritantes in omni casu effectum suum sortiri debent, nisi aliter petat bonum commune. Talis est praxis tribunalium, et sensus ubique receptus. Ita *Scav., n.* 764, *Gury, n.* 788, *aliique plurimi* contra *Krimer, n.* 1024, *Lugo, n.* 337, *Pal., n.* 4, *Sanch., n.* 17, *Schmalzg., l.* 4, *t.* 7, *n.* 58, *et alios,* dicentes impedimentum criminis rationem pœnæ extraordinariæ habere, ideoque ejusdem ignorantiam irritationem conjugii impedire, aliasque rationes adducentes, quas pro excusanda irregularitate ex delicto, et censura adduci solent. (V. T. I, n. 285). Quæ quidem impedimenta si juris naturalis, vel divini sint, etiam infideles obstringunt, cum illi juri omnes subdantur: secus solummodo fideles obligant. Quoad hæreticos (V. infra de cognatione naturali).

928. Impedimenta hæc statuere potest Papa ob plenitudinem jurisdictionis; Concilium generale, et, etiam dicunt, consuetudo legitime præscripta. *(Ita omnes).* Sed *ex se* non potest Episcopus, neque pro sua diœcesi; nam id expresse prohibuit *S. C. C., Urbano VIII* probante, ut testatur Benedict. XIV, *De Synod. l.* 12, *c.* 5; quia est res maximi momenti, quæ

nonnisi a capite peragi valet. Unde S. C. C., 28 *mart.* 1878, declaravit: Non sustineri dispositionem synodalem quoad facultatem Ordinario tributam dispensandi sponsalia, sine solemnitatibus contracta; esset enim contra jus commune. (Act S. Sedis, pag. 230).

*Hinc leges Ecclesiæ impedimenta dirimentia constituentes urgent, etiam cum gravi incommodo, vel periculo;* nam si ignorantia legem irritantem non suspendit, multo minus metus damni. (Ita *Gury, n.* 788). (V. n. 927, et l. 1, n. 166).

929. **Matrimonium contrahere cum dubio impedimento**, seu probabili probabilius licet, si agatur de probabilitate *juris ecclesiastici*, et quandocumque datur opinio vere probabilis de carentia impedimenti, et quoties *AA.* tenent Ecclesiam supplere jurisdictionem in sacramento Pœnitentiæ (v. n. 767); nam opinio docens Ecclesiam etiam in præsenti casu de dubio impedimento supplere, generaliter est recepta; unde Ecclesia supplere recte censetur, ne contractus de jure canonico irriti forte invalidi maneant cum fidelium detrimento. (Ita *Croix, Gury, Ballerini, n.* 789, *S. Lig., n.* 901, *cum communi*).

Imo etiam ex principio legis dubiæ sic resolvi licet: *Si omnino res sit dubia, an interveniat impedimentum, necne, nulla opus est dispensatione .... Quando res non esset vere dubia, sed essent opiniones..., si opinio negans est vere probabilis, quamvis affirmans esset probabilior, posset ille, sequens opinionem probabilem, inire id matrimonium, absque ulla dispensatione.* (Ita Sanchez, n. 18). -- Et Palaus, n. 4, sic habet: *Si opinionem vel dubium habeas subesse impedimentum, et diligentia facta ad veritatem investigandam vincere dubium non potes, a matrimonio contrahendo non impediaris; quia dum tibi non constat de impedimento jure humano inducto, liberum te reputare debes ob possessionem innatæ libertatis.*— Viva sic ait: *Si probabilitas sit circa jus, hoc est, quando probabiliter utrinque DD. censent, aliquod esse, vel non esse impedimentum... consuetudo et praxis Ecclesiæ fert, quod matrimonium sic contractum censeatur validum; atque adeo Ecclesia non vult dirimi ab impedimento, quod probabiliter non est impedimentum.* (In prop. 1 Inn. XI, n. 29). (V. t. 1, n. 53 et 55).

Nega, si sermo sit de probabilitate *juris naturalis, vel divini*, uti in impedimento *ligaminis*, et *impotentiæ;* nam tunc Ecclesia defectum probabilem supplere nequit, et matrimonium sic contractum semper dubium remaneret. Excipe, si urgente gravissima causa, et accedente declaratione Pontificia, aliter expediat *(S. Lig., n.* 902, *Ballerini, Gury, n.* 789). Idem dicendum in dubio *facti*, cum ex utraque parte adest facti probabilitas pro existentia, et pro carentia impedimenti; porro non eadem currit ratio ac in dubio juris; nam in dubio facti non præsumitur Ecclesiam supplere, aut dispensare. Contraria opinio non fundat nisi semiplenam probationem communiter rejectam: nimia siquidem incommoda sequerentur, si contracto matrimonio error detegeretur. (Ita *communiter Croix, Viva, Gury, S. Lig., n.* 902).

Unde: 1.° Non valet matrimonium, si cum certitudine impedimenti contrahatur, quod parvipenditur; sane tunc non prædominat voluntas contrahendi nisi concubinatum. — 2.° Valet, si contrahens sit dubius de impedimento, quod abest; quia contrahit saltem conditionate, scilicet, in *quantum possum;* etsi ad hanc conditionem non reflectat; unde deficiente impedimento, absolutus evadit consensus.— 3.° Si contrahat putati quidem impedimenti conscius, sed reapse non existentis, ast de illo dolens, et ipsum revelare non audens, ne infametur, aut ne impediatur matrimonium, aut ex inadvertentia, probabilius valet matrimonium ob voluntatem prædominantem illud contrahendi: tamen ad cautelam in praxi renovandum foret. *(Croix, n.* 525, *Gury, n.* 791).

930. Q. *An conjugibus liceat matrimonio uti, si post initas nuptias in bona fide dubium de aliquo impedimento oriatur?*

R. 1.° Nega ante sufficientem veritatis inquisitionem; etenim jam adest mala fides. — 2.° Si unus tantum dubitet, hic reddere potest et debet, non vero petere; quia alter in bona fide existens, a jure certo defraudari nequit, nisi adveniente altero jure item certo. — 3.° Si adhibita diligenti inquisitione ad veritatem detegendam, dubium subsistat, standum est pro valore sacramenti, et tum possessio jus certum præbet. (Ita *communiter S. Lig.*, *n.* 904, *Gury*, *n.* 790, contra *paucos*).

---

# CAPUT VI.

## De impedimentis matrimonium impedientibus.

Quatuor numerantur impedimenta matrimonii impedientia, præter censuram, et peccatum mortale, hisce versiculis contenta:

*Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum*
*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

931. I. **Ecclesiæ vetitum.** In præsenti disciplina habetur *generalis,* ac *particularis* Ecclesiæ prohibitio. 1.ª est *quæ ab ipso jure statuitur,* ut si fuerint omissæ proclamationes, si sponsi rudimenta fidei ignorant, si catholicus velit hæreticam ducere personam. — 2.ª vero est *quæ a Papa, vel ab Episcopo, vel a parocho fit.* Papa etiam clausulam irritantem adjungere valet. — Horum prohibitio pro causa habere solet: 1.° *suspicionem latentis impedimenti dirimentis,* vel *impedientis,* uti consanguinitatis, excommunicationis; — 2.° *timorem gravis damni,* v. g., rixarum, scandali, et similium. — Sponsi sub gravi obtemperare debent, cum de re ex se gravi agatur; imo possunt etiam inobedientes censura mulctari. *(Cap. ult. de matrim.)*

II. **Tempus** vulgo *feriatum* dictum, quo *Ecclesia sub gravi nuptiarum solemnitates vetat.* Idque incipit a primis vesperis *Adventus Domini* ad diem Epiphaniæ inclusive; et a die ipsa *Cinerum* usque ad Paschæ octavam, item inclusive, ex Trid., *sess.* 24, *c.* 10, *de R.* — Solemnitatum nomine communiter intelliguntur: 1.° solemnis nuptiarum benedictio, scilicet cum Missa pro sponsis, ut in missali extat: — 2.° publica sponsæ traductio in sponsi domum, splendida convivia, choreæ, soni, cantica, et alia profana lætitiæ signa; at convivia et tripudia non prohibentur sub gravi, nisi magnus sit excessus: imo si moderate fiant, nulla erit culpa. *Scavini, n.* 765. — Prohibitionis causa fuit, quia indecorum Christi fidelibus videtur, indulgere conviviis, ac deliciis, cum pœnitentiæ, ac orationi vacare debent. — Non autem vetatur proclamationes peragere, uxorem sine solemnitatibus ad viri domum traducere, matrimonia quiete inire cum benedictione annuli, et jam contracta consummare. Si quid contrarium inveniatur, est de consilio tantum, vel antiquatum. *(Benedict. XIV, Notif. VIII, Scavini, et alii communiter).*

III. **Sponsalia** cum una persona jam legitime inita, et non dissoluta impediunt conjugium cum alia; est quidem injustum uni tradere, quod jam alteri promissum est.

IV. **Votum** hic intelligitur simplex, sive castitatis, sive ingrediendi religionem, sive suscipiendi Ordines sacros, sive non nubendi. Per tale enim votum corpus voventis Deo promittitur; ergo non licet amplius alteri id of-

ferre, quin graviter violetur fides Deo data. Aliunde agitur de statu meliori.

932. **Dispensare ab impedimentis impedientibus.** 1.° Nemo potest, neque Papa, quoad valida sponsalia; agitur equidem de jure tertii. —2.° Ordinarius dispensare nequit absolutum votum perpetuæ castitatis, vel ingrediendi religionem; neque circa matrimonia mixta; hoc triplex impedimentum Papæ est reservatum.—3.° Item nihil potest Ordinarius *in vetitum specialiter latum a Papa,* vel ab Archiepiscopo in appellationis causa; neque *in tempus feriatum* circa nuptiarum solemnitates, ex S. R. C. 23 *jun.* 1853. Agitur enim de lege superioris.—4.° In voto castitatis conjugum de mutuo consensu emisso solus Papa dispensare valet. Ita communiter S. *Lig.*, *n.* 986.

Quoad cetera Ordinarius suos subditos universaliter dispensare potest ex consuetudine, imo hanc facultatem delegare. 1.° Circa votum perpetuæ castitatis conditionale, vel pœnale.—2.° Circa votum castitatis emissum post consummatum matrimonium; cum obligare nequeat ad non reddendum debitum, proindeque non sit omnimodæ castitatis. Censent *Salm.*, *n.* 13, etiam Vicarium generalem Episcopi dispensare posse in hujusmodi voto, ex generali concessione, quam habet ad omnes casus episcopales. —3.° Probabilius et communius etiam Ordinarius dispensare valet castitatis votum ante conjugium emissum ad petendum debitum, sive ex consuetudine, sive ex necessitate, scilicet propter incontinentiæ periculum. S. *Lig.*, *n.* 987.—4.° In impedimentis, quæ matrimonio jam inito superveniunt, et debiti petitionem impediunt, uti in affinitate.—5.° Cum periculum sit in mora, dispensare potest a voto perpetuæ castitatis ad contrahendum matrimonium, si non adsit aditus ad Pontificem. *Suar.*, *Sanch.*, *Gury*, *n.* 784, S. *Lig.*, *n.* 987.

*Regulares mendicantes confessarii* ex vi privilegiorum, (et signanter S. Pii V, vivæ vocis oraculo) dispensare valent in omnibus votis, in quibus jure ordinario possunt Episcopi. Unde dispensare valent a voto temporaneæ castitatis, vel non perfecto, a voto non nubendi, et ad petendum debitum post initum matrimonium, superveniente affinitate. *Ballerini*, *n.* 784, S. *Lig.*, *n.* 1076, *etc.*, *cum communi*, ex privilegio Martini V, et ex declar. Julii II, etc.

# CAPUT VII.

## De impedimentis dirimentibus in specie.

933. **Quindecim enumerantur impedimenta dirimentia :**

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.*
*Ætas, affinis, si clandestinus et impos,*
*Raptave si mulier, parti nec reddita tutæ.*
*Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.*

**Erroris impedimentum** est *inhabilitas ad ineundum matrimonium ex errore circa personam orta.* Quadruplex distinguitur error : *personæ*, *fortunæ*, *qualitatis*, et *conditionis*.

I. *Error personæ* est *cum putatur Titus, et est Cajus.* Hic jure naturæ matrimonium dirimit, etsi sit concomitans, vincibilis, et crassissimus; quia rei substantiam

afficit, ideoque consensus cum eo non componitur. *S. Lig.*, *n.* 1010 *cum communi.*

II. *Error fortunæ, qualitatis*, et *conditionis*, servitute excepta, per se matrimonium non irritat; imo communius, et probabilius etsi error contractui causam dederit, nisi explicite veniat in conditionem *sine qua non*, ut dicunt; nam hoc in casu consensum tollit, et deficiente consensu, deficit contractus. (Ita *S. Lig.*, *n.* 1012, *Gurg. n.* 795, *Scavini, Varceno, p.* 294, *Lugo, n.* 88) Ratio est, quia in iis, quæ constituunt irrevocabilem statum, uti professio religiosa, et matrimonium, voluntas juxta naturam rei, de qua agitur, consentit sine restrictione, omnino absolute, et independenter ab aliis conditionibus, præter eas, quæ sunt de substantia ejusdem contractus: seu adest jam voluntarium simpliciter circa substantiam. Secus plurima matrimonia, magno prolium, maximoque reipublicæ damno, et scandalo publico dissolverentur, ut ait *Schmalzgr., l.* 4, *t.* 1, *n.* 447.

—*Tribus modis cognosci potest an qualitas substantiam induat*: 1.° Cum adsit antecedens, vel concomitans apposita conditio talis fortunæ, vel qualitatis personæ.—2.° Quando adjuncta personæ sunt ipsius propria, ac individua, uti primogenitura.—3.° Si consensus directe, et principaliter in qualitatem feratur, et minus principaliter in personam; v. g., si quis diceret: *Volo nobilem ducere, qualem puto Rosam*; aut *volo ducere divitem, et ideo duco Titiam.* In hisce casibus error qualitatis in substantiam redundat. Secus si diceret: *Volo ducere Teresiam, quam puto nobilem*, aut *divitem esse.* (*Varceno, Scav.*, S. *Lig.*, *n.* 1016). Unde valide quis viduam ducit, virginem putatam; licet si sciret, non contraheret; item quæ ducit virum vagum se nobilem falso jactantem; licet cum eo cohabitare non teneatur, et perpetuum divortium statim facere possit. (S. *Lig*, *et alii omnes*, ait *Varceno, p.* 295). In foro externo generatim judicium ferri solet pro matrimonii validitate.

924. **Impedimentum conditionis.** Conditio hic est servitus, qua *quis ita est sub alterius dominio, ut hic pro libito eum vendere, locare, permutare possit*, et vocatur *mancipium.* Non veniunt hic *famuli* sive *domestici*, sive *glebæ* dicti, id est stipendio conducti, neque *servi pœnæ*, seu ad pœnam damnati, sed tantum stricte *servi mancipia* vocati.—*Impedimentum conditionis* est *inhabilitas canonica ad matrimonium ineundum orta ex servitute stricte sumpta a parte libera ignorata.* Unde: 1.° Ab Ecclesia inductum est hoc impedimentum ad tollendam inæqualitatem, et libertatem tuendam.—2.° Afficit tantum liberam personam *mancipii* conditionem nescientem; si enim jam scit, vel postea cognita servitute, matrimonium ratificat, etsi fiat irregularis, tamen valide contrahit; quia cessit jure suo.—3.° Mancipium cum mancipia, licet hanc liberam putet, valide init; adest quidem æqualitas. *S. Lig.*, *n.* 1017, *Scav.* contra *alios* cum *Varceno, p.* 296, dicentes quod in hoc casu deest perfectus consensus ad matrimonium requisitus.

—*Servus libertatem acquirere potest*: 1.° Si dominus dotale instrumentum conferat ancillæ contrahenti.—2.° Si ipse in conjugem illam accipiat, aut domina servum.—3.° Si dominus sciens et prudens permittit conjugium servi cum libera, aut viceversa. —*Mancipium domini consensu ad valide, et licite contrahendum matrimonium non indiget*, et peccaret dominus id impediens; nam servus non est subditus domino in iis, quæ sunt de jure naturæ. *(Cap. de Conj. serv.)*

935. **Impedimentum voti** est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex solemni castitatis voto emisso in professione religiosa, vel per susceptionem Ordinis sacri.* Hinc Trid., sess. 24, c. 9: *Si quis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto; anathema sit.* Hinc:

1.° Votum simplex castitatis, licet perpetuum, est tantum impedimentum *impediens*, non *dirimens;* nisi emissum ab uxore, quæ consentiat virum suum sacro Ordine initiari, vel emissum in Societate Jesu post biennium tyrocinii ex Bulla Gregorii XIII *Ascendente*, nisi Generalis illius Ordinis dispenset.

2.° Votum solemne religiosæ professionis dirimit non tantum matrimonium contrahendum, sed etiam ratum, ut patet ex Trid., sess. 24, c. 6. Non vero dirimit matrimonium consummatum ex Cap. Si *quis conjug.*

3.° Probabilius cum *D. Thoma*, S. *Bonav.*, S *Lig.*, *n.* 1025 *aliisque*, dirimit jure divino tale votum ; nam per solemnem religiosam professionem corpus Deo consecratur, et ab ipso per prælatorum legitimam acceptationem solemniter acceptatur, cum in voto simplici corpus Deo tantum promittitur. Tamen alii jure ecclesiastico dirimere docent; quia non dirimit ratione voti, sed solemnitatis, quæ ex jure ecclesiastico est. *Sanch.*, *Gerson.*, *aliique*. (V. l. 1, n. 640). Semper vero requiritur votum deliberatum, ac cum animo se obligandi emissum ; secus non esset validum.

4.° Bimestre habent sponsi post matrimonium ad deliberandum religionis ingressum, in quo debitum negare licite valent ex Cap. *Ex publico* 7, *de conver. conjug.* Et si sponsa per vim matrimonium consummet, adhuc religionem ingredi potest; quia nemo injuste jure suo spoliari debet. Vir tunc religionem amplecti nequit, ac profiteri nisi ex mulieris consensu. Quoad censuram, in quam incurrunt in sacris ordinati, vel solemniter professi, qui matrimonium attentare audent. V. T. I, n. 259).

936. **Cognationis impedimentum** est *inhabilitas ad ineundum matrimonium inter personas sive carnaliter, sive spiritualiter, sive legaliter propinquas.*—Unde triplex est cognatio : 1.ª *naturalis*, quæ *a carnali generatione oritur ;* — 2.ª *spiritualis*, quæ *a Baptismo et Confirmatione habetur ;*—3.ª *legalis*, quæ *ex civili adoptione oritur.*

**Cognatio naturalis** est *vinculum personarum, quarum una ab alia, vel ambæ ab eodem proximo stipite per carnalem generationem descendunt.* Nihil refert an ex copula licita, vel illicita, dummodo ex patre et matre simul, vel ab alterutro tantum generatio deducatur. (Quoad stipitem, gradum, et lineas, vide n. 177, et seq.).

**En regulæ, quibus facile inveniuntur consanguinitatis gradus:** 1.ª Si cognitus sit stipes, a quo descendunt personæ, de quibus quæritur, scribatur nomen stipitis in charta, et infra hinc inde generationes, et nomina descendentium, usque dum perveniatur ad personas, quæ matrimonio sunt jungendæ. In linea recta, tot numerantur gradus quot generationes; v. g., *pater*, *filius*, *nepos*, *pronepos*, quatuor sunt personæ, sed tres tantum generationes, et dempto semper stipite (nempe patre; quia non est gradus, sed ipse est unde incipiunt gradus), tres tantum hic adsunt gradus; addatur *abnepos*, et quatuor erunt gradus in linea recta.

2.ª *In linea collaterali æquali* eadem ac præfata regula adhibenda est, dempto etiam stipite: Sic frater et soror sunt inter se in primo gradu; filii eorum erunt inter se in secundo gradu; eorum nepotes in tertio ; ipsorum pronepotes in quarto.

3.ª *In linea collaterali inæquali*, tot sunt gradus quot generationes in parte remotiori. Hinc si frater quatuor jam habet generationes, et tres tantum soror, abnepotes fratris erunt consanguinei in 4.° gradu cum pronepotibus sororis ; nam gradus remotior trahit ad se propinquiorem.

4.ª Si vero incognitus sit stipes, scribatur in parte inferiori chartæ sponsi nomen, ac eorum consanguineorum ; et idem fiat quoad sponsam ; et deinde ascendatur per unam et alteram partem, usque ad quartam generationem, et videatur an sponsi conveniant in stipite communi: hoc invento, animadvertatur, an ipsi in linea æquali, vel inæquali sint; et sic an in gradibus vetitis inveniantur.


4 ABAVUS ABAVIA
4 PROPATRUUS PROAMITA
3 PROAVUS PROAVIA
4 PROAVUNCULUS PROMATERTERA
4 HORUM FILII
3 PATRUUS AMITA MAGNI
2 AVUS AVIA
3 AVUNCULUS MATERTERA MAGNI
4 HORUM FILII
4 NEPOTES
3 HORUM FILII
2 PATRUUS AMITA
1 PATER MATER
2 AVUNCULUS MATERTERA
3 HORUM FILII
4 NEPOTES
4 PRONEPOTES
3 NEPOTES
2 PATRUELES AMITINI
1 FRATER
N
1 SOROR
2 CONSOBRINI AMITINI
3 NEPOTES
4 PRONEPOTES
4 PRONEPOTES
3 SOBRINI
2 FRATRIS FILII
1 FILIUS FILIA
2 SORORIS FILII
3 SOBRINI
4 PRONEPOTES
4 HORUM FILII
3 FRATRIS NEPOTES
2 NEPOS NEPTIS
3 SORORIS NEPOTES
4 HORUM FILII
4 FRATRIS PRONEPOTES
3 PRONEPOS PRONEPTIS
4 SORORIS PRONEPOTES
4 ABNEPOS ABNEPTIS
ARBOR

**Specimen.** Abavus: (tatarabuelo) *Petrus Nisi.*
1. Proavia: *Rita Nisi.*—1. Proavus: *Paulus Nisi.*
Uxor: *Titi Ronda.*
2. Avus: *Pius Ronda.*—2. Avus: *Leo Nisi.*
3. Pater: *Primus Ronda.*—3. Pater: *Odon Nisi.*
4. Sponsus: *Didacus Ronda.*—4. Sponsa: *Rosa Nisi.*

Unde *Didacus Ronda* et *Rosa Nisi* consanguinei sunt in 4.° gradu æquali. Si vero *Rosa Nisi* immediate descenderet a *Leone Nisi*, essent in 4.° cum 3.° gradu.-Duplicatur consanguinitas, si personæ de quarum consanguinitate quæritur, descendant ab uno communi stipite, mediantibus tribus fratribus, vel sororibus, v. gr., *Lucius* habuit *Procerum, Quintum*, et *Julianum. Zenon* sponsus habet patrem et matrem descendentes a *Lucio* per lineam *Proceri*, et *Julii;* et pater *Annæ sponsæ* descendit per *Quinti* lineam: et sic parentes *Zenonis* et *Annæ* sunt (demus) consanguinei in 3.° gradu.—Quæ consanguinitas erit quadruplex, si eadem curreret duplicata consanguinitas in Annæ parentibus ac in Zenonis, ut diximus. Sic multiplex esse potest.

936. Q. *Quo jure consanguinitas in præfatis gradibus matrimonium dirimit?*

R. I. Jure naturali matrimonium dimirit in primo lineæ rectæ gradu tam ascendentium quam descendentium. *(Ita omnes).* In aliis gradibus lineæ rectæ probabilius jure tantum ecclesiastico matrimonium dirimit usque ad 4.^m^ gradum. (*S. Thomas, Varceno. Ballerini, n.* 802, *cum communi).* Quamvis parum in praxi hæc conferunt. Habes infideles ad fidem conversos, quibus Ecclesia suas uxores in secundo gradu lineæ rectæ consanguineas retinere permittit.

II. In nullo gradu lineæ collateralis jure naturæ matrimonium dirimit, sed jure ecclesiastico usque ad 4.^m^ gradum inclusive tantum. Habes filios Adæ. Unde ait *D. Thomas*, 2. 2. *q.* 154, *a.* 9, cum S *Augustino: Commixtio sororum et fratrum quanto fuit antiquior, compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, religione prohibente.* Ita *Cajet., Bon., Pal., Tamb., Diana, Varceno, p.* 307. *aliique plurimi* apud S. *Lig., l.* 6, *n.* 470, et *Schmalzgr., l.* 4, *t.* 14, *n.* 45 *et* 46, contra *alios non paucos*, qui etiam sustinent incestum inter fratres et sorores specie differri ab incestu inter alios consanguineos in linea collaterali. (V. t. 1, n. 920). Hinc cum in dubio standum sit pro valore actus, infideles inter fratrem et sororem conjuncti non essent separandi, etsi ad fidem convertantur. Quoad hæreticos inter varias sententias, ut videre licet apud *Schmalzgrüeber, l.* 4, *t.* 1, *n.* 378 *et* 380, hæc dicenda videntur cum *Scavini:* 1.° omnes docent irrita esse matrimonia inita a sacerdotibus, vel religiosis apostatis;—2.° communiter est receptum hæreticos ex benignitate Ecclesiæ non ligari ab impedimentis, quæ post eorum separationem instituta sunt;—3.° quoad reliqua hæretici iis subjacent; sane ob eorum desertionem suo marte a legibus Ecclesiæ non sunt liberandi. Ita late prosequitur Pius VII ad Archiepiscopum *Maguntinum* Brev. 8 oct. 1803.

*Consanguinei collaterales* sunt ex parte patris 1.° *propatruus*, et *proamita*, seu frater proavi et soror ejusdem (hermano y hermana del bisabuelo);—2.° *patruus magnus* et *proamita*, seu frater avi et soror ejusdem;—3.° *patruus* et *amita*, frater patris et soror ejusdem;—*patrueles*, filii fratrum ex parte patris. Item ex parte matris evenit: 1.° *proavunculus*, et *promatertera;* seu frater proaviæ (bisabuela), et soror ejusdem; – 2.° *avunculus magnus*, et *matertera magna;* frater aviæ et soror aviæ;—3.° *avunculus* et *matertera;* frater matris et soror matris;—4.° *consobrini* et *amitini;* filii fratrum ex parte matris (cosins germans materns, primos hermanos), et filii fratrum (cosins germans, primos hermanos);—5.° *sobrini*, horum filii, (sobrinos);—6.° *nepotes*,

filii fratrum, (nietos); — 7.° *pronepotes*, horum filii, (biznietos). — Personæ quæ tractu conjunguntur sunt inter se in linea recta, cum cæteris in linea collaterali. — Ubi lineæ conjunguntur, ibi stipes habetur. Sic in adstante arbore describitur.

937. Cognatio spiritualis est *propinquitas personarum jure ecclesiastico inducta, proveniens ex Baptismi, et Confirmationis sacramentis.* — Ex Trid., *sess.* 24, *c.* 2 *de R.*, cognationem contrahunt baptizans, vel confirmans, et patrini, cum baptizato, vel confirmato, ejusque patre, et matre. — Unde patrinus et matrina hanc cognationem mutuo inter se non contrahunt; neque cum sint tantum adhibiti ad supplendas Baptismi solemnitates; quia non suscipiunt *de sacro fonte.*

— *Multiplex esse potest spiritualis cognatio*, uti si duo alter alterius invicem filios tenuerint; vel si unus alium tenuerit in Baptismo, et Confirmatione: secus si plures filios ejusdem patris in Baptismo teneret. vel in Confirmatione tantum.

Q. *Quid requiritur ad cognationem spiritualem valide contrahendam?*

R. 1.° Ut patrinus (idem dic de baptizante), sit baptizatus; nequit enim esse spiritualis pater, qui spiritualiter nondum est natus. — 2.° Ut rationis usum habeat; aliter muneris illius incapax esset. — 3.° Ut intentionem gerant patrini tale officium obeundi; secus pure materialiter agerent; sed non opus est, ut ipsam cognationem contrahendi intentionem habeant. — 4.° Ut *baptizatum de sacro fonte suscipiant*, habet *Trid., sess.* 24, *c.* 2, *de R.;* sufficit ut infantem ab obstetrice suscipiant, ac ipsum teneant dum baptizatur, ut mos inter nos est; vel saltem ut eum physice tangant in actu ablutionis ex *S. C. de propag. fide* 21 *jan.* 1856. Non autem respondere tenentur; ita firmat usus. — 5.° Ut patrinus sit designatus, et admissus a parentibus, vel a parocho, seu baptizante; et cognationem spiritualem non contrahunt *alii ultra designatos baptizatum tangentes*, ex Trident. Hinc:

I. *Si vero nullus fuerit designatus, communissime omnes simul tangentes cognationem contrahunt*, ex S. C. C., teste *Barbosa*, ait *Scavini*, *n.* 892; quia in hoc *Trid.*, non derogavit juri antiquo, ex quo omnes simul tangentes cognationem contrahebant. — Si plures successive tangant, solum primus, vel primi, qui simul tangunt, cognationem contrahunt. — Si dubium sit, quisnam primus fuerit, omnes tangentes patrini censendi sunt *ex S. C.* penes *Pignatelli*. — Si parochus injuste patrinos a parentibus designatos rejiciat, et infantem tangant, juxta *omnes* cognationem contrahunt; si vero juste eos repellat, controvertitur; *plures* cum *Billuart* id negant. — *Probabilius patrini non sunt adhibendi in Baptismo privato, neque adhibiti cognationem contrahunt;* utique tamen contrahit baptizans. *(Scavini, n.* 892, *S. Lig., l.* 6, *n.* 149). — Item dicunt contrahi cognationem, quando sub conditione quis baptizatur cum vero dubio (secus si inane sit); quippe tunc præsumitur fieri sacramentum. At in praxi curandum est, ut in utroque Baptismo sint iidem patrini *(S. Lig., n.* 151)

II. *Si vero infans a procuratore suscipiatur, a solo mandante contrahitur cognatio.* Ita definivit S. C. C., ut refert *Pontius* apud *Scavini*, *n.* 892. Procurator se habet velut instrumentum; et non hic, sed mandans est designatus a parentibus.

III. *Si quis unum ex errore pro alio suscipiat, probabilius contrahit*, nisi expresse intentionem exprimat non suscipiendi nisi sibi creditum. (Ita *S. Lig.*, *Pontius*, *Pal.*, *Vecchoitti*, *Scav.*, *l. c.* contra *Sanch.*, *n.* 7, *Tour.*, *et alios*, illum contrahere negantes). — Parentes vero in necessitate, vel in bona fide prolem suam baptizantes, nullam cognationem contrahunt ab usu conjugii prohibentem. *(Gury, n.* 808, *S. Lig., n.* 150). Imo probabilius, addit *Gury*, licet ex industria, seclusa necessitate, prolem baptizarent; saltem res dubia est, et ideo jure certo non privat. (*Ballerini*).

IV. Ad valide cognationem in Confirmatione contrahendam, præter dicta de

Baptismo, insuper probabilius requiritur, ut jam suscipientes sint confirmati. Ita *Renzi* declarationem S. C. C. afferens. *Scavini, n.* 784.

938. **Cognatio legalis** est *propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Adoptio* est *assumptio extraneæ personæ auctoritate principis in filium, vel nepotem,* ita ut transeat in adoptantis potestatem, eique succedat. *Adoptio perfecta*, seu *arrogatio dicta*, illa est, *qua principis rescripto persona sui juris in potestatem et familiam adoptantis transit. Imperfecta est, quando fit auctoritate inferioris magistratus, nec adoptatus cum filiis in potestatem adoptantis transit.* Ita *S. Lig., n.* 1027. Verum hodie non amplius fit mentio hujus duplicis adoptionis, sed tantum illius, quæ juxta normam civilis legis in unoquoque regno viget. Ex hac adoptione probabilius hodie oritur legalis cognatio, quum fit legitima juris solemnitate, licet non eadem, quam adhibebat jus romanum ad perfectam adoptionem. Ita *Carriere, Bouvier, Giovine,* et *Del-Vecchio, n.* 785 (afferens declarationem *S. Pœnit.*, 17 *maj.* 1826, ad Vicarium generalem *Petrocorien.*, contra *Sanch., Salm.*, S. *Lig., n.* 1027, *aliosque antiquos* ad solam adoptionem perfectam hanc cognationem extendentes. Cognatio legalis prius a jure romano stabilita, postea de jure canonico constituit impedimentum matrimonii dirimens, et eruitur *ex resp. Nicolai I ad Bulgaros,* et dirimit in perpetuum: 1.° Inter *adoptantem,* et *adoptatum adoptatique legitimos posteros* sub adoptati potestate existentes tempore adoptionis, et dum ita sub patria potestate existunt.—2.° Inter *adoptantem,* et *adoptati uxorem,* et *vicissim,* per modum *affinitatis.* — 3.° Inter *adoptatum,* et *legitimos filios adoptantis* sub adoptantis quoque potestate extantes, quasi in linea collaterali, dum adoptio durat, seu quandiu sub potestate adoptantis sunt. *S. Lig., n.* 1027 *cum communi, S. C. in Hortana* 26 *sept.* 1734.

Jure hispano plura circa hoc habemus constituta. Probabilius et communius cum *Sanch., Salm., n.* 44, legalis cognatio non extenditur ultra primum gradum; quia hic tantum a jure positivo assignatur.

—Jure romano solvitur adoptio: 1.° morte naturali, vel civili adoptantis: - 2.° ob nuptias incestuosas; — 3.° ob dignitatem, v. gr., episcopalem; — 4.° per emancipationem; - 5.° per sententiam. *(Schmalzgr., l. 4, t. 12, n. 26).*

939. **Impedimentum criminis** est *inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium orta ex adulterio cum conjugii promissione, vel attentatione, vel ex homicidio, vel ex utroque simul.* Hinc:

I. *Ut adulterium cum conjugii promissione* impedimentum inducat, requiritur: 1.° ut adulterium sit *verum,* seu in valido matrimonio;—2.° *formale,* id est, ut utraque pars cognoscat alterutram esse conjugatam *(Schmalzgr., l. 4, t. 7, n. 50, S. Ligor., n.* 1033): satis probabiliter excusat ignorantia crassa, non autem affectata; nam requiritur dolus ex jure canonico *(S. Lig., n.* 1036);-3.° *consummatum* ex utraqueparte, quod in externo foro semper præsumitur; in foro interno, si confessarius vere deprehendat, actum etiam ex parte fœminæ consummatum non fuisse, non deberet scrupulum impedimenti injicere. *(Scav., n.* 786, *Schmalzgr., S. Lig., n.* 1036 *cum communi).*

—*Ex parte promissionis* requiritur: 1.° ut sit *vera;* probabilius et communius promissio ficta non inducit impedimentum *(S. Lig., n.* 1039); idem dicit de conditionata; nam in odiosis requiritur ut sit absoluta promissio, ut dicatur fides data:—2.° *externa,* aliquo signo manifestata, et ab altero acceptata; probabilius opus non est repromissione: —3.° ut *fiat vivente eodem conjuge;* secus si promissio in uno matrimonio fiat, et adulterium in alio:—4.° ut *non sit serio retractata* ante adulterium; secus si postea:—5.° ut *non sit conditionata;* sed si adjecta conditio adimpleatur ante conjugis mortem, ac multo magis si ante patratum adulterium, promissio tunc fit pura. (Ita

*Schmalzgr.*, *Ballerini*, *n.* 820, *et alii*).—Promissio nubendi post conjugis mortem, absque adulterio, vel conjugicidio impedimentum non inducit, sed grave peccatum; cum ansam præbeat machinandi, vel desiderandi conjugis mortem; nec inducit obligationem servandi fidem. (Ita *Laym.*, *Sanch.*, *Elb.*, *Varceno*, *p.* 312, *et alii*). Item non incurrit in impedimentum, si quis dicat: *Si moreretur mea uxor, te in uxorem ducerem*, vel *si voluero, te ducam.*

II. *Matrimonii attentatio* habetur *cum duo conscii matrimonii hic et nunc existentis, ante vel post adulterium, consensum emittunt de præsenti, et volunt haberi uti conjuges.* Ut autem adulterium cum matrimonii attentatione impedimentum criminis inducat, requiritur *ex parte adulterii*, ut supra; *ex parte vero attentationis* probabilius, ut adulterium, et attentatio matrimonii fiant, *eodem durante conjugio.*—Non est necesse, ut adulterium antecedat matrimonii attentationem; neque refert, an hæc attentatio fiat clandestine, aut coram parocho; nam hic sola criminis ratio attenditur.—Tamen si Titus copulam habeat cum Caja, et matrimonium cum ipsa attentet, putans esse mortuum illius maritum, cum adhuc vivat, aut viceversa, non adest formale adulterium, et ideo neque impedimentum; secus si cum illa matrimonium iniret, credens esse solutam, et comperto ejus conjugio cum altero, non retractat matrimonium; tunc committet adulterium. (*Schmalzgr.*)

III. *Ut solum homicidium criminis impedimentum inducat, probabilius et communissime cum S. Lig.*, *n.* 1033, requiritur: 1.° *mutua conspiratio*;— 2.° *intentio matrimonii* exterius significata, v. gr. per munera, epistolam amatoriam, familiaritates, etc., (quæ sufficit ut sit ex parte unius); nam de internis Ecclesia non judicat;— 3.° *mors revera secuta ex actione physica, vel morali alterius complicis*, sive per se, sive per alium, v. gr., sive ferro, veneno, etc., sive consilio, aut jussione; non autem si ex incuria medicorum, cum alias percussio mortalis fuerit.—Hinc non adest impedimentum: 1.° Si conjux occidat suum conjugem, hanc actionem ignorante, vel contradicente persona, cum qua matrimonium inire cupit; vel si hæc, post mortem patratam, ipsam ratam habet.—2.° Si fiat, ut vir liberius alia muliere frui possit, aut vicissim; aut ex vindicta, odio, etc. In foro externo semper præsumitur mutua conspiratio, si mulier et vir alterius ad conjugis innocentis mortem communi opera concurrunt, vel si adulterium præcesserit. (*Sanch.*, *Less.*, *Varceno*, *p.* 313, *S. Lig.*, *n.* 1031, *et alii*).—3.° Si mandans ex conspiratione cum alterius muliere, postea mandatum revocet; nihilominus hoc sciens mandatarius conjugem assignatum occidat; sane occisio jam non fit mandantis malitia.—Item, si facta conspiratione cum illa uxore, conjux est ab alio occisus, et conspirantes id audientes ratum habent; etenim non ex eorum causa est secuta mors, et ratihabitio post factum venit. (*Schmalzgr.*, *l.* 4, *t.* 7, *t.* 56 *et* 57).

IV. *Ad criminis impedimentum ex homicidio una cum adulterio*, ex hujus parte requiritur ut supra, et ut præcedat adulterium. Ex parte *homicidii:* 1.° Ut sit patratum cum intentione matrimonium ineundi, et sufficit, ut hæc intentio ab uno habeatur. (Ita *Reiffenstuel*, *l.* 4, *t.* 7, *Goussel*, *n.* 824, *S. Lig.*, *n.* 1031 *et* 1035 *cum communi*).—2.° Ut mors revera sit secuta, ut supra, licet contradixerit altera pars, vel id ignoraverit; quia non requiritur promissio matrimonii, neque mutua conspiratio quoad homicidium. Controvertitur, an opus sit comparti manifestare præfatam intentionem per aliqua saltem signa, ut supra. Affirmant *Salm.*, *n.* 93, *Sanchez*, *Varceno*, *S. Lig.*, *n.* 1036, *aliique plurimi.*

Unde si vir uxorem occidat, ut altera liberius fruatur, vel simpliciter ut cum alia indeterminata nubere possit, quin adulterium præcesserit, impedimentum non incurrit, v. gr., si Titus suam conjugem occidat, et copulam habuerit cum Caja, etiamsi

hæc consentiat ad homicidium, ut contraheret cum Berta, vel cum indeterminata, contrahere potest cum Caja; nam homicidium non fuit patratum causa contrahendi cum ipsa. (*S. Lig.*, *n.* 1036).

—Requiritur ut impedimentum criminis sit totum consummatum post Baptismum. Unde si quis ante Baptismum promiserit matrimonium, et post illum commiserit adulterium, aut viceversa, impedimento non ligatur. Et sic infideles ista crimina perpetrantes contrahere possunt, aut in conjugio remanere, licet ambo postea recipiant Baptismum; extra Ecclesiam siquidem viventes ab hac non puniuntur. Secus si fidelis hæc delicta committat cum infideli, si postea infidelis veniat ad fidem; nam fidelem punire potest Ecclesia, inhabilem reddendo ad contrahendum cum complice delicti, etiamsi, ut ad fidem convertatur, id fiat ex peculiari dispositione Cœlestini V, *cap. de conv. infid.*, etc. *Sanch.*, S. *Lig.*, *n.* 1037.

940. **Cultus disparitas** est *inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium inter personas, quarum una est baptizata, altera non.* Ex consuetudine prius inductum est, et a fere sæculo XII vim legis obtinuit, ut habet Benedict. XIV, Const. *Singulari*, 9 *febr.* 1749.—Attamen hujusmodi matrimonia tum a jure naturali prohibita habentur, ratione perversionis periculi, et malæ educationis prolis; tum a jure divino positivo, dicente Apostolo: *Nolite jugum ducere cum infidelibus... Aut quæ pars fideli cum infideli?* (II Cor. VI); tum a jure ecclesiastico, non obstante peculiari aliqua consuetudine; nam Clemens XII per Congr. S. *Officii* præcepit, ut si matrimonia inter catholicos et infideles absque dispensatione forte contracta fuissent, *consensus deinde foret renovandus.*—Quare invalide contraheret baptizatus cum catechumena, vel invalide baptizata, etsi id ignoretur. Matrimonia cum hæreticis sunt omnino illicita, sed non invalida. S. *Lig.*, *n.* 1044.

Propositum fuit ab Episcopo Vivariensi, an coram parocho esset consensum renovatura pars conversa ex matrimonio hæreticòrum civiliter tantum contracto, vel an essent relinquendi in bona fide. *S. C. Inq.* 6 *jul.* 1848, respondit: *Conjuges de validitate matrimonii non dubitantes, in bona fide esse relinquendos, neque a participatione sacramentorum arcendos fore.*

*Conditiones ad dispensandum* quoad matrimonia inter christianos et infideles sunt: 1.° Ut hujusmodi cohabitatio contumeliam Creatoris, vel perversionis periculum non adducat.—2.° Ut proles in christiana Religione instituatur.—3.° Ut dispensetur solum in locis ubi plures sint infideles quam christiani, ex decreto *S. C. de propag. fide*, 4 febr. 1804.—4.° Ut gravibus tantum de causis concedatur dispensatio, adeo ut potius dispensetur in impedimentis consanguinitatis, vel affinitatis, si hoc pacto vitentur matrimonia cum infidelibus.—5.° Ut adsit spes probabilis de conversione contrahentis infidelis, (additur aliquando). *Filii tempore infidelitatis procreati*, cum unus conjux ad fidem venit, si doli capaces sunt, in propria relinquantur libertate; secus conditionem fidelis sequi debent, ut habetur in cap. *Judicis* 28, quæst. 1.ª: in dubiis etiam fidelem sequi debent; quia possessio stat pro fide. (*Bonac.*, *l.* 1, *n.* 11, *Varceno*, *p.* 317, *et alii*).

941. **Vis** hic definitur: *Inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex vi, et metu gravi injuste incusso ab extrinseco in ordine ad illud extorquendum.* Hinc requiritur: 1.° *Metus respective gravis;* nam metus levis non aufert sufficientem deliberationem. Ita *communius cum* S. *Ligorio* contra *Lug.*, *n.* 141, *Nav.*, *n.* 51, *Tamb.*, *n.* 12, *Viva*, *n.* 6, *aliosque*, metum levem matrimonium irritare docentes, si metus ita huic causam dederit, ut absque eo non fuisset initum: idem dicitur de metu reverentiali,

nisi cum timore gravi sit conjunctus ; uti si adjungantur verbera, aut minæ, aut timor odii, diuturnæ indignationis. Ita communius S. *Ligorius*, *n.* 1056, contra *Nav.*, *Abb.*, *aliosque*, dicentes, purum metum reverentialem, cum sit principalis causa matrimonii, illud irritare, etc. (V. l. 1, n. 21).—2.° *Injuste incussus ab extrinseca et libera causa*, ut de voto dicitur; nam si justa de causa incutiatur, v. g. cum sententia in defloratorem lata; vel ex metu gehennæ, valebit conjugium; quia nulla infertur injuria. —3.° *In ordine ad matrimonium extorquendum;* aliter dici nequit matrimonium contrahi ex metu, sed sponte, ut malum vitetur.

**Resolves.** 1.° Invalidum erit conjugium, cum pater stupratorem filiæ suæ inveniens, et mortis minas incutiens, vel aliter ad illud extorquendum, id consequatur. Secus si istud ad ulciscendam tantum injuriam agat, et stuprator ad minas, vel timorem avertendum nuptias offerat. Idem dic si pater accusare stupratorem apud judicem minetur, et ille, ne accusetur, filiam ducat.—2.° Irritum erit matrimonium, si judex absolute stupratorem cogeret ad ducendum puellam ; quia de jure non tenetur stuprator nisi ducere, vel dotare, excepto casu quo nollet, aut non posset alia via damna resarcire quam per conjugium. *Lugo*, *n.* 51, *S. Ligor.*, *n.* 1049. Valebit autem matrimonium, si judex stupratorem in carcerem includeret, ut puellam ducat, vel dotet ; et ille, matrimonium iniret. *Cap.* 1 *et* 2, *de adult.* Item si juste ad mortem damnatus, ducat filiam judicis ei oblatam ; nam metus non infertur a judice, potius aufertur. Item si judex alicui a se injuste damnato ob aliam causam, postea offerat liberationem, si ducat talem puellam. Secus si ad hoc injustam tulisset sententiam.—3.° Irritum erit matrimonium, si medicus puellam mederi nollet, nisi nubat sibi, vel filio suo, cum urgeat medicinæ necessitas, vel medicus ex justitia jam mederi teneatur. Præterea cum matrimonium semel validum sit indissolubile, a natura habere debet, quod per metum sit nullum. Unde jus canonicum non videtur nisi jus naturale promulgare, hoc statuens impedimentum. Qui injuste metum alteri incutit ad matrimonium extorquendum, graviter peccat contra justitiam, et contra religionem. (*Varceno*). Quoad censuram, v. T. I, n. 260.

—*Controvertitur quo jure vis matrimonium dirimat*; forte probabilius de jure naturæ, ait *S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 1054, et *S. Thom. suppl. q.* 47, *art.* 3, *cum aliis plurimis;* quia matrimonium est vinculum perpetuum mutui amoris inter conjuges, et repugnat, ut amor a metu, seu injuria producatur ; secus natura approbaret actum, ex quo gravissima mala contra bonum commune orirentur. *Alii non pauci* cum *Sanch.*, *Bon.*, *Less.*, de jure ecclesiastico solum irritare tenent ; quia adest sufficiens voluntarium. Juxta *Bus.*, *Sanch.*, *aliosque* a matrimonio etiam resilire valet metum incutiens; nam contractus nullus nullam parit obligationem ; et injuria alio modo compensari potest. At *Bon.*, *Sanch.*, *n.* 17 *cum aliis* contrarium docent ; quia nemo ex suo crimine commodum reportare valet. Utraque sententia est probabilis, ait *D. Lig.*, *n.* 1057, sed hæc secunda videtur probabilior, maxime si metus non possit probari, ratione scandali ex separatione, et injuriæ præsertim fœminæ illatæ.

—Sufficit ut malum timeatur, etsi non sibi, sed aliis sibi conjunctis, saltem in quarto gradu sive consanguineis, sive affinibus, vel etiam famulis et domesticis. (*Sanch.*, *n.* 5, *Pont.*, *n.* 5, *Varc.*, *p.* 317, *etc.*) Insuper requiritur 1.° ut malum quod minatur sit grave;—2.° proxime inferendum;—3.° alias vitari nequeat, S. *Lig.*, *n.* 1047.

—*Matrimonium metu gravi contractum non firmatur* : 1.° juramento ; quia esset contra bonum commune, *ex cap. De eo, qui duxit* ; — 2.° neque dispensatione, eadem ratione. Ita Alexander III, *C. cum locum*, 1, *de spons. et matr.*; — 3.° neque cohabita-

tione et copula ; nam si metu contrahi nequit, sic nec convalidari. Attamen metus in foro externo non ita facile probari potest ; ideo in dubio judicatur in favorem matrimonii.—*Convalidari potest tale matrimonium :* 1.° Consensu libero metum patientis, et affectu maritali, vel spontanea, ac continua cohabitatione ; nam hæc pro consensus ratificatione accipitur *ex c. Ad id,* 21, *de spons. et matr.* (Ita *communiter cum D. Thom. in* 4, *dist.* 29, *q.* 1, *a.* 3, *etc.*). —2.° In tali casu, si occultum sit impedimentum, renovare consensum coram parocho necesse non est, ex generali doctrina, quam ex S. *Pœnitentiariæ* decretis, S. *Pii V* auctoritate latis, et *ex* S. C. C. declarationibus, atque *ex* S. *Rotæ* praxi, confirmat Benedict. XIV, *Instr.* 87, *n.* 62 ; —3.° Neque est certioranda pars impedimenti inscia, cum utriusque consensus compleatur positione unius deficientis. (*Sanchez, n.* 2, *Varceno, p.* 318).

942. **Ordo** est hic *inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium orta ex sacrorum Ordinum susceptione.* Ordo sacer dirimit matrimonium contrahendum, non vero jam contractum ; et probabilius, et communius solo jure ecclesiastico; nam continentia non est de necessitate Ordini adnexa (ut patet in græcis), sicut religiosæ professioni. (S. *Thom. in* 4, *d.* 37, *q.* 1, *art.* 1, S. *Lig., n.* 1059). (V. l. 1, n. 659, et quoad censuram, n. 259.) Qui autem tale matrimonium attentatum consummat, incurrit etiam irregularitatem.

943. **Ligamen**, prout est dirimens impedimentum matrimonii, definitur : *Inhabilitas ad aliud ineundum matrimonium quoad eum, qui legitime jam contraxit, primo perdurante.*—Idque oritur ex jure tum civili et ecclesiastico, tum divino ; imo ipsi voci naturæ congruum est ; et consurgit ex omni et solo matrimonio valido sive rato, sive consummato ; fundatur in attributis *unitatis,* et *indissolubilitatis* matrimonii. — Hinc 1.° Qui, etsi bona fide, secundum matrimonium contraxit, vivente comparte priori, a secunda conjuge separari illico debet.—2.° Si dubitat de compartis vita, a debito petendo abstinere debet (non a reddendo, supposita alterius bona fide), ante diligentem veritatis inquisitionem.—3.° Non sufficit longa absentia unius conjugis, nec incertus rumor, nec ordinarie unus testis, cum agatur de solvendo priori vinculo arctissimo, ut rescripsit Pius VI, 11 jul. 1789, ad Arch. *Pragensem.*

—*Unde requiritur juxta sacros canones:* 1.° Authenticum obitus documentum exaratum ex registris parœciæ, vel xenodochii, vel militiæ, vel etiam a gubernio civili loci, in quo supponitur, personam obiisse.—2.° Iis deficientibus, saltem duo esse debent testes jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes.—3.° Iisce deficientibus, unus testis servire poterit, ubi conjux alias nuptias inire peroptat, dummodo recensitis conditionibus testis præditus sit, nulli exceptioni obnoxius, ac ejus depositio aliis gravibus adminiculis fulciatur.—4.° Eo non invento, sufficit, ut testes omnimode fide digni testificentur se, tempore non suspecto, conjugis mortem ex aliorum attestatione audivisse, cum hi examinari nequeunt ; tunc dicta ex alieno ore, aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus, prudens judicium formant. — 5.° Hisce deficientibus, obitus probatio ex conjecturis, et adjunctis quibuscumque, sedula certe, et admodum cauta investigatione curanda erit ; et quandonam justa probatio ex præfatis habeatur, prudenti judicis arbitrio erit relinquendum. (Ita *Del-Vecchio, l.* 3, *n.* 888). Cæterum conjugium ob aliquod impedimentum nullum, si ab una saltem parte sit bona fide contractum, non tantum a jure canonico, sed fere ubique ab ipsa lege civili quoad suos respectivos effectus uti legitimum habetur, si præscriptis solemnitatibus fuerit celebratum.

944. **Honestas** hic *est propinquitas orta ex sponsalibus validis, aut matrimonio tantum rato;* quæ vocatur impedimentum *publicæ honestatis*, jure ecclesiastico tantum inductum. (Ita *omnes*).—Hoc impedimentum oritur etiam ex sponsalibus privatis, etsi legitime solutis, modo sint *vera, valida, absoluta,* vel *conditio jam impleta;* quia inter sponsalia publica et privata nullam Ecclesia admittit distinctionem. (S. *Lig., n.* 1061).

Si quis sponsalia conditionata de futuro, et postea cum alia ipse absoluta contrahat, impedimentum publicæ honestatis ex neutris oritur; nam prima sunt suspensa; secunda sunt invalida, cum in alterius damnum fuerint inita; tenetur ergo conditionis eventum expectare, et damna resarcire.—Item, si quis filiabus Titi promittat se unam ex illis ducturum, et ipsæ repromittant, invalida sunt sponsalia; deest quidem personæ determinatio. (*Varceno*, et ex cap. *de spons. in* 6).

Hoc impedimentum perpetuum est, durat etiam solutis sponsalibus ac matrimonio, et contrahitur inter virum, et omnes consanguineos mulieris, et viceversa; ut patet ex cap. Si *quis uxorem;* et *ex sponsalibus* validis dirimit matrimonium in primo gradu tantum. Ita *Trid., sess.* 24, *cap.* 3 *de R. Ex matrimonio autem rato* dirimit usque ad 4.ᵐ gradum inclusive, ut declaravit S. *Pius V.*

Neque obstat quod matrimonium fuerit invalidum, ut declaravit S. Pius V, Const. *Ad Romanum,* 1 jul. 1560, *nisi* 1.° *invaliditas proveniat a priori impedimento publicæ honestatis orto ex sponsalibus validis.* Hinc si Titus, initis sponsalibus cum Berta, eaque relicta, ejus sororem in matrimonium ducat, quin rem cum ipsa habeat, ad Bertam redire potest et debet, quin dispensatione indigeat; nam cum tale matrimonium sit nullum, non dissolvit quod antea valide erat factum, neque ideo impedimentum honestatis inducit relate ad Bertam, sed utique relate ad ejus consanguineos, cum exceptio sit tantum inducta pro primis sponsalibus. S. *Lig., n.* 1064. Si vero antequam Titus Bertæ sororem duceret, fuissent jure soluta sponsalia inita inter ipsum et Bertam, controvertitur an posset adhuc redire ad ipsam Bertam. Verius affirmant; nam cum ex validis sponsalibus jam sit ortum impedimentum, hoc amplius auferri nequit per voluntatem sponsorum, vel aliam causam supervenientem. Ita *S. Lig., n.* 1063, affens declarationem S. C. approbatam ab Alexand. VII. 6 jul. 1668, ubi Pontifex prohibuit quod deinceps hæc resolutio in dubium revocetur. Allii autem negant; eo enim casu priora non amplius existunt; ergo nec præjudicare.—Si vero matrimonium cum sorore Bertæ consummavit, neutram ducere valet; non Bertam ob exortam affinitatem ex illo illicito commercio; non sororem, ob honestatis impedimentum jam existens.—2.° *Nisi matrimonii invaliditas oriatur ex defectu consensus*, v. gr., si cum ebrio, amente, vel cum errore personæ, aut gravi injusto metu, vel ficto consensu (ut declaravit S. C. C. 23 *mart.* 1644), connubium fuerit initum. Ita S. *Lig., n.* 1062, et jus canonicum *cap unic. de spons in* 6.—Unde probabilius dicunt quod ex matrimonio nullo ratione clandestinitatis, vel civili matrimonio, oritur publicæ honestatis impedimentum; quia hoc matrimonium non est nullum defectu consensus, sed solemnitatis requisitæ. (*Varceno, Scavini, Gury, n.* 819, S. *Lig., n* 1064 *cum communi*).—Ex matrimonio impuberum oritur impedimentum ratione sponsalium, in quibus resolvitur tale matrimonium, ex *cap. Tuæ nobis de despons. imp.*—Qui autem sponsalia contraxit cum Caja, et postea matrimonium cum Berta, si hæc sit consanguinea illius in primo gradu, nullum est matrimonium ob impedimentum publicæ honestatis; si ita consanguinea non est, valet matrimonium; quia, deficiente impedimento, vinculum fortius rumpit minus forte. Item qui sponsalia conditionata cum aliqua muliere contraxit, et

ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba de præsenti contraxerit, cum hac remanere debet. *S. Lig.*, *n.* 1061.

945. Ætas hic est *inhabilitas orta ex defectu ætatis sufficientis ad conjugii officia adimplenda.*—Jure naturæ præter consensum ad valide contrahendum non plus requiritur, quam corpora habilia, etsi non proxime, seu hic et nunc; et sic a matrimonio excluduntur perpetuo amentes, furiosi, ac imbecilles; quia capaces consensus non sunt. Item senes omnino impotentes ad copulam. *Sanch.*, *n.* 23, *Silv.*, *Lopez*, *Scoto*, *Boss.*, *n.* 190 *aliique*. Secus si dementia non sit perpetua, vel superveniat matrimonio jam rite inito. *(Caus.* 32, *quæst.* 7). Attamen quia scopus matrimonii adhuc non parum læditur; ideo præstat, ut dementes non perpetuos ad conjugium non admittat parochus, inconsulto Episcopo, ut ait *Sanchez*. Surdus et cœcus simul nec sponsalia, nec matrimonium valide contrahere valet ex cognitionis defectu. *Sanchez*.

—Jure autem canonico ad matrimonium requiritur *pubertas*, seu 14 an. in viris, et 12 in fœminis; nam potentia generandi citius incipit, et deficit in fœminis quam in viris. (Ita *Reiffenst.*, *l.* 4, *t.* 2, *n.* 3, *Schmalzgr.*, *et alii)*. Probabilius sufficit, ut annus sit moraliter completus, ita ut nonnisi duo, vel tres dies saltem deficiant. Ita *P. Ledes.*, *Bon.*, *Varc.*, *et alii* contra *Sanch.*, *et alios*, qui saltem inchoatum ultimum diem desiderant. Unde cum hoc impedimentum sit de jure ecclesiastico, ut *communius* dicunt cum *D. Thom.*, *in* 4, *dist.* 36, *q.* 1, *a.* 5, impuberes infideles conjugati, ubi alia non obstet lex, valide contraxerunt. *(Schmalzgr.*, *l.* 4, *t.* 1, *n.* 48 *et* 49).

Imo etiam jure canonico valet hujusmodi matrimonium, absque pontificia dispensatione, ubi malitia ætatem suppleat, si nempe adsit discretio ad vim et naturam consensus intelligendum, et potentia ad conjugalem actum perficiendum, ut habet *D. Thom.*, *in* 4, *dist.* 36, *quæst. unic.*, *art.* 5, *cum communi.*—Tunc ex Bened. XIV, Const. *Magnæ nobis*, Episcopus licentiam impertiri valet, ut contrahant impuberes; secus Papa tantum dispensare potest, ut constat ex Nicolao I, cap. *Ubi non est*, 2 *de desponsat. impub.*, et præsertim quoad principes pro bono pacis. (V. S. Lig., n. 1065).—Episcopus etiam urgentissima causa, præsertim publica, dispensare potest. (Ita *Reiffenst.*, *Barbosa*, *Suar.*, *Gonz.*, *et alii)*. Pubertate adepta, sufficit naturalis potentia, quæ aliquando expediri possit. Neque perpetua impotentia declarari solet ante 18 annum viri, et 14 fœminæ. *(S. Lig.*, *n.* 1066, et ex *cap. de illis* 9, et ex *cap. ult. de desponsat. impub.)* Matrimonium sine legitima dispensatione contractum inter impuberem et puberem, vel inter duos impuberes, in quibus malitia defectum ætatis non suppleat, licet sit nullum, tamen ex juris dispositione resolvitur in sponsalia de futuro; (nisi illi id expresse excluserint); et tunc impedimentum publicæ honestatis sponsalium contrahunt. *S. Lig.*, *n.* 841.

946. Affinitas est *propinquitas orta ex copula carnali, sive licita, sive illicita inter cognoscentem, et consanguineus personas cognitæ, et vicissim.*—Impedimentum affinitatis est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium proveniens ex tali propinquitate;* nempe inter virum, et consanguineos mulieris; et vicissim, inter mulierem, et consanguineos viri.—Affinitas contrahi potest inter ipsos conjuges, si alteruter rem habeat cum alterius consanguineis primi, vel secundi gradus ex declar. Greg. XIII apud *Boss* *n.* 23: sed tantum privat jure petendi, non autem reddendi. *(Gury*, *n.* 912, *S. Lig.*, *n.* 1067).—Affinitas non contrahitur nisi per copulam perfectam; aliter non fiunt una caro: in dubio perfecta præsumitur in foro externo; in foro autem interno non potest pro impedimento sententia ferri, nisi ex utraque parte sit perfecta. (Ita *Schmalzgr.*, *l.* 4, *t.* 14, *n.* 71 *et* 73, *Ballerini*, *n.* 810, *et alii* contra *alios*). Dicunt *Avers.*,

*Dian.*, *Krimer* et *Gobat* apud *Croix*, semper præsumi seminationem, etiam mulieris, quando ipsa in coitu magnam senserit voluptatem.—Sed non refert an sit habita cum invita, vel amente, aut ebria; nam ex parte nocentis semper urget eadem ratio. (*S. Lig.*, *n.* 1071, *cum communi*).—Secus ex parte innocentis, quoad jus petendi; quia vis, et gravis metus excusant a lege Ecclesiæ; ideoque ab ejus pœna. *S. Ligor.*, *l. c.*, *cum communi.*

—*Affinitas multiplex esse potest;* v. g., si quis plures consanguineas cognoverit; et quidem in eodem gradu; uti duas sorores suæ uxoris. Quare qui cognoverit duas sorores, aut consobrinas germanas, aut matrem, et filiam, nullam harum sine dispensatione ducere potest. Qui vero fornicatus est cum sorore sponsæ suæ, cum neutra valide contrahere valet; imo nec cum earum consobrina, vel matertera. *S. Ligor.*, *n.* 1068. Si post dispensationem rursus cognoscit eamdem sororem sponsæ, non eget nova dispensatione. *S. Lig. n.* 1069.

Hanc affinitatem etiam infideles contrahunt, vel fidelis cum infideli: ideo ad fidem conversi cum tali impedimento, dispensatione indigent ad matrimonium ineundum, vel retinendum. Ita *S. C. de propag. fide,* 23 *aug.* 1852.—Si duo infideles, contracto matrimonio in primo gradu affinitatis in linea recta, ad fidem venirent, cum dubium adsit, an jure naturæ irritum sit, ad Papam esset recurrendum ante separationem, nisi lege positiva irritentur inter ipsos infideles talia conjugia. (*Schmalzgr.*, *l. c.*, *n.* 101 *et* 105).—Si infideles contrahant in gradibus affinitatis jure tantum canonico prohibitis, et veniant ad fidem, non sunt separandi. (*Varceno*, *p.* 329). Hinc:

I. *Affinitas non parit affinitatem;* id est, vir affinitatem contrahens cum consanguineis uxoris, non ideo contrahit affinitatem cum affinibus eorumdem consanguineorum; v. g., non ideo fiunt affines sorores uxoris cum fratribus viri, aut vicissim; unde licite conjungi valent in matrimonio; item pater, et ejus filius ducere possunt matrem, et hujus filiam.

II. *Affinitas solo jure canonico matrimonium dirimit in linea collaterali,* et probabilius etiam in linea recta, si forte primum gradum excipias, ait *Gury*, *n.* 813. Attamen probabilius neque in hoc gradu jure naturæ matrimonium dirimit, ait *Schmalzgr.*, *l.* 4, *f.* 14, *n.* 103, *cum aliis non paucis canonistis.* Ecclesia nunquam dispensare voluit in hoc primo gradu ex commercio licito orto; non raro autem dispensat pro affinitate ex illicito commercio orta in primo lineæ rectæ gradu; v. g., ut vir ducat mulierem cujus matrem cognovit, dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiæ, ob periculum ne cum propria filia contrahat.

III *Affinitas in linea recta dirimit indefinite.* In linea vero collaterali ex licita copula, vel in bona fide ex utraque parte ad 4.ᵐ gradum inclusive; ex illicita autem ad 2.ᵐ tantum juxta *Trid.*, *sess.* 24, *c.* 4.—Affinitas ex invalido matrimonio consummato dirimit ad 2.ᵐ gradum tantum; quia est ex copula illicita: sed dirimere ad 4.ᵐ gradum videtur ratione *publicæ honestatis;* nam matrimonium etiam invalidum, nisi tale sit ob defectum consensus, ut supra, ad 4.ᵐ gradum sic dirimit.

*Regula ad dignoscendos affinitatis gradus* hæc est: *quo gradu consanguinitatis quis est viro junctus, eodem gradu affinitatis est junctus mulieri*; et vicissim.

947. Clandestinitas hic est *inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium orta ex defectu parochi præsentiæ, et saltem duorum testium.*—Porro iis in locis ubi *Trid.* est publicatum, matrimonia clandestina invalida sunt, neque in sponsalia transire possunt, ut declaravit *S. C.* penes *Fagnanum*, ait *S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 1079.

Sic habet Trid.: *Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi,*

*vel Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat.* (Sess. 24, cap. 1, de R. m.)—Hæc doctrina est *localis*, et *personalis*. Quatenus *localis* afficit territorium, et eos omnes, qui ibi matrimonio sunt conjungendi, etsi venerint a regno, ubi non viget præfatum decretum.—Quatenus vero *personalis* eos afficit, qui domicilium habentes in loco ubi est promulgatum *Trid.*, contrahere vellent ubi illud promulgatum non est. Hinc angli apud nos, vel hispani per Angliam transeuntes inter se clandestine contrahere nequeunt, nisi ibi domicilium, vel quasi domicilium acquirant. Ita S. C. 14 aug. 1627, approbante Urbano VIII anno 1627, et confirmante Bened. XIV Epistola *Paucis abhinc*, 19 *mart.* 1758.—Si vero hispanus cum angla ibi clandestine contraheret, valide contraheret; nam hæc illi privilegium communicat ob contractus individuitatem. Ita Clemens XIII, an. 1767 ad Archiep. *Mechlin.* Pariter valet, et licet matrimonium sine parocho in locis infidelium celebratum a fidelibus captivis, vel mercatoribus ibi degentibus per modum hospitii. *Salm.*, *n.* 22, *Sanch.*, *Bon.*, *S. Lig.*, *n.* 1079 *et* 1080.

**Receptum agnoscitur Trid. decretum** *in Italia*, *Hispania*, *Lusitania*, *Gallia*, *Hollandia*, *Belgio*, *Hibernia*, et *in partibus Germaniæ tunc catholicæ*, ait *P. Gury*, *n.* 838. In dubio, an alicubi fuerit hoc decretum promulgatum, præsumitur promulgatio, ubi illud fuerit aliquo tempore in parœcia tanquam decretum Concilii observatum. Ita *S. C.* apud Benedict. XIV *de Synod.*, *l.* 12, *t.* 5, *n.* 6. Item in locis infidelium, vel ubi Trid. non est receptum, cum lex saltem per 10 annos non est recepta, non obligat, ut docent *Sanch.*, *n.* 2, *Pont.*, *Bon.*, *Salm.*, *n.* 11, *et alii* apud *S. Lig.*, *n.* 1079.

In locis autem ubi *Trid.* non est publicatum, ut in *Anglia*, *Suecia*, *Scotia*, *Saxonia*, *Dania*, *Borussia*, et aliis provinciis septentrionalibus, quæ a fide defecerunt ante 1564, quo decreta Concilii confirmata, et promulgata fuere, et in locis infidelium validum est clandestinum matrimonium, etsi graviter prohibitum, ut ait *Scavini*, *n.* 797; quia *Trid.* statuit, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post 30 dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ. Quæ promulgatio ex declaratione S. C. C., referente *Zallinger*, satis obtinere censetur, etiam per solam observantiam decreti, et ita etiam respondit Cardinal. *Zelada* nomine Pii VI ad Episcopum *Lucion.*, 28 maj. 1793.

Quæstio est de *Belgio* et *Hollandia* (Países Bajos), ubi lex fuit publicata, sed postea calviniana hæresis principatum obtinuit. Quoad hæreticos, vel inter catholicos et hæreticos validitatem declaravit Benedict. XIV, an. 1741, Const. *Matrimonia*, licet clandestine contrahant; sed non respicit hæc declaratio catholicos inter se, ut ipse Pontifex docet *De Synod.*, *l.* 6, *c.* 6. Imo solas respicit fœderatas illas provincias, ut respondit Pius VII ad Vicar. Gen. *Pictav.* 20 aug. 1818.

948. **Proprius parochus ad validitatem** assistere debet; nempe parochus domicilii, vel quasi-domicilii, non vero originis, ut declaravit S. C. 18 *nov.* 1707, ait *S. Lig.*, *n.* 1081, et communiter docent AA. cum Bened. XIV, *Notif.* 33, n. 6. Item Episcopus, vel ejus Vicarius in sua diœcesi. Episcopus enim nec parocho, nec suo Vicario generali potest interdicere, ne matrimoniis assistant, ut alias declaravit S. C. apud *Croix*, *l.* 6, *n.* 725, ait *S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 1081. Nihil refert uti constat ex jure canonico et ex decretis S. C. ait *D. Lig.*, *n.* 1081, quod extra ecclesiam, imo extra parœciam, vel diœcesim assistat, contradicente loci parocho; quia est actus assistendi uti testis qualificatus, non uti judex. Recte autem dicunt *Sanch.*, *n.* 19, *et Boss.*, *n.* 33 ex de-

cretis S. C., peccare graviter parochum, si in alterius parochia sponsos a se conjugatos solemniter benediceret sine alterius licentia. *S. Lig.*, *n.* 1087.

—*Domicilium acquiritur* per habitationem simul cum vero animo in tali loco perpetuo manendi, et acquiritur ipsa die habitationis ex jure canonico. *Ex cap. fin. de paroch.*—*Quasi-domicilium vero acquiritur* per habitationem cum vero animo eo in loco manendi per dimidiam saltem anni partem, et spatio primi mensis cum præfato animo jam acquiritur ex Bened. XIV, Const. *Paucis abhinc*, 19 mart. 1758, et ex S. C. C. 4 *maj.*, 20 *jul. et* 14 *sept.* 1878.

—Alicubi ex lege civili ad acquirendum domicilium sufficit inscriptio in albo oppidi; tamen hæc constituere non potest domicilium, quod a jure canonico præcipitur ad rite contrahendum, ex S. C. C. 28 aug. 1864.

—Famula vero, quæ parœciam domicilii derelinquit, et pro una, vel altera hebdomada, donec sit matrimonio juncta, cum sorore sua commoratur, ac deinde se transferre debet ad aliam parœciam, ubi habitat ejus sponsus, uti *vaga* nunc est reputanda. (*Sanch.*, *Dens*, *Scav.*, *n.* 895, *et S. C. C.* 14 *sept.* 1878). Hinc resolves:

I. *Gubernatores, judices, medici, scholastici. puellæ educandæ,* vel *expositæ*, aut *in nosocomiis viventes, famuli,* et *ancillæ* valide contrahunt coram parocho loci, ubi ad tempus habitant ratione domicilii, vel quasi-domicilii. (*Scavini, n.* 799, *cum communi*, ex S. C. C. 19 dec. 1748, et 22 apr. 1651. Contraria dispositio, cujus meminit Benedict. XIV, respicit tantum statum romanum, ait *Scav.*, ib.

II. *Exteri carceribus detenti* contrahere ibi non possunt, si custodiæ causa detineantur. Secus si in pœnam sit carcer ad certum tempus assignatus.—Item *extranei infirmi*, citra extremæ necessitatis casum, matrimonium inire non possunt coram parocho loci, in quo hospitale situm est, nisi ibi domicilium, vel quasi-domicilium contraxerint ex S. C. 22 *apr.* 1622.

III. *Milites* sive in præsidiis, sive in stationibus, sive in castris sint, de jure communi coram parocho loci contrahere debent, saltem ex condicto cum castrensi.

—En España por *R. O. de* 22 *de oct. de* 1877 se dispone que los indivíduos de tropa durante los cuatro primeros años de servicio, áun cuando se hallen con licencia temporal ó ilimitada, pertenecen á la jurisdiccion castrense, y no pueden contraer matrimonio; pero sí, despues de haber servido cuatro años, aunque pasen á la reserva, y dejen de pertenecer ya á la jurisdiccion castrense, y sus expedientes matrimoniales se instruirán por las autoridades eclesiásticas ordinarias.—Madrid 13 noviembre 1877.—*El Cardenal Patriarca.*—En el artículo 23 del reglamento de 1867 se lee: «Ningun capellan podrá solemnizar con su asistencia matrimonio alguno de sus »feligreses, ni de cualquier indivíduo del ejército, sin nuestros despachos expresos ó »de nuestros subdelegados.» —En el artículo 9.° se manda: «Todos los domingos del »año, especialmente en Adviento y Cuaresma, á la hora y en el lugar que señalaren »los jefes de los cuerpos, dirigirán los capellanes pláticas doctrinales á sus feligreses, »proponiéndose en ellas la enseñanza de las virtudes cristianas y la represion de los »vicios, inculcándoles la obediencia y el respeto á las autoridades.»

—Se les concede decir Misa á sus feligreses una hora antes de amanecer y otra despues del medio dia; y en caso necesario, fuera de la iglesia, en el campo, en altar portátil, aunque esté roto ó sin reliquias de Santos, y tambien celebrar dos misas en un mismo dia, siendo grave y urgente la necesidad en la parroquia. Así consta del Breve de Clemente XIII en 1768 confirmado por Pio IX en 1862, y en 16 marzo 1869, prorogando por siete años más dichas facultades y otras varias.

IV. *Vagus* contrahere potest coram quolibet parocho, in cujus ditione versatur, etsi tantum alter sponsorum sit vagus; quia sponsus fixum habens domicilium alterius privilegio uti valet; idque *Barbosa* refert decisum a S. C. C., et patet ex *Trid.*,

*sess.* 24, *c.* 7, *de R. m.).*—Hoc non sinant parochi, nisi prius diligentem fecerint inquisitionem, ut præscribit Trident. *sess.* 24, *c.* 7, et re ad Ordinarium sub gravi delata, licentiam ab ipso assistendi obtinuerint. Episcopus ex instructione S. *Inq. generalis* edita 21 aug. 1670 coram Clemente X, hanc licentiam ne concedat, nisi ei de libero statu authentica fides Ordinarii originis exhibeatur. Si legaliter, aut authentico scripto, aut testibus probari non valet status libertas, in necessitate (Papa indulgente), juramento *suppletorio* ab ipsa parte emisso, in propria causa suppletur. *(Scav., n.* 799). Nomine vagorum hic non comprehenduntur vagi illi, qui in eodem loco vagi sunt et jam noti, licet certam non habeant parochiam; unde præmissis denuntiationibus bene possunt a quolibet parocho conjungi. S. *Lig., n.* 1089.—Peregrini qui exiguo tempore domo absunt, contrahere non possunt peregre coram parocho loci, nisi alicubi habitationem figant pro majore anni parte. S. *Lig., n.* 1097.

V. S*i duo sint parochi ejusdem parœciæ*, assumi licet quem libuerit, altero etiam invito, ex S. C. C. – S*i autem sponsi duo habent domicilia* fere seu moraliter æqualia, communissime in utraque parochia contrahere valent. At ex Benedicto XIV, *Notif.* 33, parochus ruralis nón est proprius, quando ibi rusticantur sponsi recreationis causa, vel pro rusticanis negotiis, vel pro salute recuperanda. *(Scav*., S. *Lig* , *n.* 1086).—*Si sponsi ad diversas parœcias pertineant*, nihil refert, an assistat parochus sponsi, vel sponsæ. Inter nos tunc partibus liberum est eligere, modo assistat parochus parœciæ alterutrius, in qua celebratur matrimonium.

Q. *Quænam esse debet qualitas parochi assistentis?*

R. Sufficit quod communiter ut verus parochus habeatur, vel coloratum titulum habeat per se aptum ad parochiale beneficium obtinendum, etsi ob occultum vitium, v. g., ob simoniam, illud non conferat. Hinc valide assistit parochus nondum sacerdos, quamvis sacerdos esse debeat, qui ab ipso delegetur; S. *Lig., n.* 1084 : item etsi sit irregularis, excommunicatus, interdictus, publice denuntiatus, et vitandus, ab Episcopo prohibitus; nam hæ censuræ *per se* parœcia non privant, ut declaravit S. C. C., et refert *Fagnanus*, et communiter docent AA. cum S. *Ligor.* Tamen probabilius graviter peccaret, violando grave superioris præceptum, et vitandus extra necessitatem in divinis communicando. *(*S. *Lig., n.* 1083, *Scav., n.* 801).—Invalide assisteret publicus ac declaratus hæreticus, vel ab officio depositus, vel intrusus; jure quidem beneficio parochiali ii privantur. *(Scav.).*

949. Q. *Quisnam ultra parochum assistere potest?*

R. 1.° Pontifex pro toto orbe; — 2.° Legati a Latere, et Nuntii quoad proprias provincias; — 3.° Episcopi pro tota diœcesi, qui etiam, ipso parocho invito, delegare valent, sine læsione tamen jurium parochialium. Idem dic de Vicario Generali; — 4.° Vicarius capitularis, sede vacante, Abbates cum jurisdictione quasi-episcopali, Archiepiscopi in diœcesibus suffraganeorum tempore visitationis, vel appellationis; — 5.° Quilibet sacerdos ab Ordinario, vel a parocho expresse delegatus, ut habet *Trid.*, etsi metu extorta sit licentia; *Con., Salm., n.* 56, *Sanch., n.* 20, vel si adsit generalis deputatio ad cuncta omnino munia parochialia; non autem sufficit præsumpta licentia. Ex *Trid., sess.* 24, *c.* 1, *de R. m.*, quilibet sacerdos, vel regularis, qui absque licentia assistere auderet matrimonio, vel benedicere, ipso facto incurreret suspensionem, tamdiu duraturam, quamdiu ab Ordinario illius parochi, qui matrimonio assistere deberet, absolvatur; probabilius ab exercitio sacerdotali tantum. (Ita *Alasia, Sanch., Scavini, n.* 802).

—Quoad vicarium, vel delegatum parochi in hujus absentia, in praxi nisi clare,

et expresse deleget parochus, vel nisi diu abesse debeat, etsi illi dixerit; *sacramenta administra, fac quidquid ocurrit*, censetur ad matrimonia non se extendere delegationem; quia plura opera requirunt. Et sic, si casus urgeat, tutius erit ad Ordinarium recurrere. (*Carriere, Bouvier, Dens, Scavini, n.* 803).—*Subdelegatus alterum subdelegare nequit*, nisi ab Ordinario, vel parocho deputatus fuerit ad *universalitatem causarum; uti sunt vice-parochi, regentes, et semper ac parochus dicat: in omnibus omnino fac ut alter ego. (Scavini, S. Lig., l.* 6, *n.* 566).—Si parochus per nuntium a se electum licentiam mitteret sacerdoti matrimonio assistendi, et interea moriatur ipse parochus, antequam sacerdos licentiam acceperit, probabilius invalide assistit; acceptare quippe nequibat voluntatem penitus extinctam.—Idem plures dicunt, si nuntius fuisset ab ipso delegando sacerdote missus, et parochus obiisset post delegationem nuntio impertitam; cum enim sit gratia in alterius favorem concessa, est potius gratia facienda quam facta, et ideo, re integra manente, finit morte concedentis, veluti facultas alicui sacerdoti concessa absolvendi aliquam determinatam personam; quia hæc delegatio non est jurisdictionis, sed repræsentationis parochi ut testis; atqui defunctus repræsentari nequit; ergo... (*Scavini, n.* 898, *et alii* contra *alios*).

950. Q. *Quid dices, si neque ad parochum proprium, neque ad delegatum recurrere possint contrahentes?*

R. I. Si agitur de particulari necessitate, v. gr., ad legitimandam prolem moribundi, non potest valide matrimonium contrahi; lex enim non respicit accidentia. (Ita *probabilius, et communius cum Scavini, l* 3. *n* 798, *S. Lig., n.* 1079). Tamen aliqui dicunt cessare legem irritantem, etiam ob bonum privatum; quia ut omnes cum *D. Thoma* docent, lex nociva non obligat; nam in eo tunc non est justa; et sic, ut communiter dicunt, cessant impedimenta ecclesiastica, quando differri nequit matrimonium absque infamia, vel scandalo, uti si sponsi jam in ecclesia ad contrahendum pervenerint, et unus eorum occultum impedimentum confessario detegat; cur non est idem hic dicendum? Nonne omnia impedimenta dirimentia sunt etiam irritantia, sicuti hoc de clandestinitate? Undenam est ratio discriminis inter casum impotentiæ communis, et impotentiæ particularis? In primo casu cessat lex in communi; ast in secundo cessat in particulari tantum. Nonne quoad cætera impedimenta canonica dispensatur in communi, et in particulari? Demum *lex humana non obligat cum gravi incommodo, et ad impossibile nemo tenetur*. Ita disserunt *Pignatellus. n.* 5, *Amici, n.* 139, *Graffius, Soto, Marchant*, et pro hac profuse disserit *P. Ballerini, n.* 840.

II. Si illa impotentia sit communis in aliqua provincia, vel oppido ubi haberi non possit parochus, vel alius sacerdos ejus vices gerens, uti durante aliqua politica, et religiosa perturbatione licite contrahi potest; quia lex esset tunc bono communi nociva. Insuper evincitur ex declaratione *S. Congr.* apud Bened. XIV, *de Synod., l.* 12, *c.* 3, *n.* 5, necnon ex decisione Pii VI, Epist. ad Episcop. *Lucion.*, anno 1793 dicens: *Quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere. horum profecto conjugia contracta coram testibus, et sine parochi præsentia, si nihil aliud obstet, et valida, et licita erunt, ut sæpius declaratum fuit a S. C. C. interpret.*—Ex *S. C. Inq.* decretum nuper prodiit, ait *Ballerini*, quo declaratur facultatem præfato modo contrahendi tunc adesse, quando per *spatium mensis* tutus non sit ad parochum vel superiorem accessus. Hortandi tunc fideles, ut cum sacerdotem habere possint, ab eo benedictionem petant, non cogendi. Hæ resolutiones etiam applicari possunt matrimoniis catholicorum in *India*, apud *Sinenses*, etc., cum ad Missionarium recurrere nequeant.

951. **Matrimonii publicitas in eo stat, ut contrahatur coram pa-**

**rocho et testibus**: I. Quoad *testes* sufficiunt duæ personæ quæcumque, ratione pollentes; et sic etiam fœminæ, pueri, infames, parentes, servi, infideles, coacti, casu transeuntes, modo sufficienter testari possint de contracto matrimonio, etsi affectent non intelligere, vel sponsorum verba distincte non audiant; eo enim ipso quod illos vident coram ministro libere sistere, uti mos est, et ritum celebrare, jam moraliter sunt præsentes, ac certi de matrimonio celebrato. Ita S. *Lig.*, *n.* 1085, et ex pluribus declarationibus S. C. C., ait *Scav.*, *n.* 796, cum S. *Lig.*, *n.* 1092, et *communi*.

II. Quoad *parochum* idem est dicendum; quia nihil amplius opus est, nisi ut testari possit matrimonium esse revera celebratum coram duobus testibus. Ideoque sufficit præsentia moralis, nempe, ut audiat verba, vel videat signa mutui consensus, uti in mutis evenit. Unde valide assistit parochus cœcus, ut *communiter* dicunt cum *Scav.*, *n.* 796; non autem cœcus simul et surdus.—Si diversi fuerint idiomatis, satis est, ut per interpretem de vero consensu certioretur.—Si per dolum, injuriam, aut metum detineatur parochus, licet contradicat, resistat, aufugiat, oculos claudat, aures affectando non intelligere obturet, valide assistit, uti sæpe a S. C. C. fuit definitum. Tamen graviter contra parochum, contra sacramentum, et Ecclesiam peccarent contrahentes. (*Scav.* S. *Lig.*, *n.* 1093).

Parochus de mutuo consensu interrogare utrumque contrahentem debet, et sub levi cum de utriusque libero consensu jam constat. *Sanch.*, *Con.*, *Dian.*, *Salm.*, *n.* 70, et *alii*. Idem dicunt, etsi, intellecto consensu, non dicat parochus: *Ego vos in matrimonio conjungo*, etc. (V. S. Lig., n. 1094).

952. **Impos.** Impotentia est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex incapacitate ad copulam maritalem*. Hæc incapacitas oriri potest ex *membrorum privatione*, vel *improportione; ex frigiditate*, vel *maleficio;* vel ex *mixtione sexus:* (S. *Lig.*, *n.* 1095); quia copulæ tantum capacitas ad conjugii essentiam requiritur, non generatio. Juxta medicum *Vallisnieri*, *P. Ballerini*, *aliosque* ad viri potentiam sufficit, ut extra se semen effundat. Sic Ecclesia conjugia inter senes, steriles, ac moribundos permittit. Neque impotentes sunt fœminæ illæ, quæ receptum semen retinere nequeunt, vel parere sine mortis periculo. (*Scavini*, *n.* 805).—E contra impotentes sunt omnino eunuchi, vel ita imperfecti, qui verum semen emittere nequeunt intra vas naturale; vel fœminæ, quæ illud recipere non possunt. *S. Lig*, *n.* 1095, et Bulla Sixti V, *Cum frequenter*. *Nicolaus* et *Mariana*, quum septem mensium spatio mutuis indulsissent amoribus, matrimonium inierunt: carnalis copula semel, iterum ac tertio tentata, perfici tamen nequivit; nam accedens vir ad eam præpropere, semen extra vas effundebat; ita ut quoties conamina repetita fuere, in irritum cedere visa sunt. Unde pluries ad S. C. allatus casus, denique die 30 jun. 1878 ad quæsitum: An consulendum sit SSmo. pro dispensatione matrimonii rati, et non consummati in casu: S. C. C. respondit: *Affirmative*. Et die 22 sept. ejusdem anni iterum respondit: *In decisis* Nullitatem matrimonii noluit decernere, quia non aperte erat probata impotentia. sed tantum *pro gratia* dispensare.

**Impotentia multiplex est**: 1.° *Accidentalis*, vel *perpetua;* prout a morbo, maleficio, vel ab alicujus personæ natura provenit, quæ naturalis dici potest; vel prout tolli potest mediis licitis, vel non; nam si antecedat, et auferri nequeat nisi per miraculum, aut per peccatum, aut cum periculo mortis, tunc matrimonium irritat, ut constat ex *C. Frater. de Frig. et malef.*—2.° *Absoluta*, vel *relativa*, prout est cum personis quibuscumque, vel cum aliqua tantum.—3.° *Antecedens*, vel *consequens*, prout matrimonii celebrationem antecedit, vel subsequitur.—Cum tempore

matrimonii quicumque sit præsumendus capax, nisi contrarium illico probetur, si deinde dubitetur, an impotentia præcesserit, vel subsecuta fuerit, judicabitur præcessisse, si a causa intrinseca profecta sit; quod enim a natura est, semper inesse præsumitur. Si vero ortum habuerit a causa extrinseca, v. g. a morbo, abscissione, maleficio, judicabitur antecedens, si allegetur brevi tempore, v. g. uno, vel altero mense post matrimonium; secus subsequens. (*Scav.*, S. *Lig.*, *n.* 1095 *et* 1104). Hinc:

I. Impotentia antecedens, et perpetua omne matrimonium dirimit respectu omnium, si absoluta sit; respectu vero illius personæ, quacum coiri nequit, si relativa sit. Non autem matrimonium dirimit impotentia temporanea, neque subsequens; quia jam validum illud invenit, idque dissolvere non potest; etsi usum ita impediat, ut soli contactus, et oscula liceant citra periculum pollutionis. (*Scav.*, S. *Ligor.*, *n.* 1085, *cum communi).*

II. Judicium de impotentia ad judicem ecclesiasticum tantum spectat, qui auditis medicis, et obstetricibus, seu matronis (quorum præscriptionibus standum est, si hæ non sint valde dolorosæ et molestæ), casum definiet. *(C. Laudab. de frig.*, *et* S. *Lig.*, *n.* 1099). Tunc necessitas talem inspectionem cohonestat. *Salm.*, *n.* 137, *Sanch.*, *n* 17, *et alii.* (V. S. Lig., n. 1103).

III. Si impotentia dubia remanet, ante factum dubitans sub gravi contrahere nequit, ratione injuriæ comparti, et sacramento illatæ. Si vero non obstante dubio iste contraxerit, licite reddere et petere potest, et gaudet triennali experientia. S. *Lig.*, *n.* 1102. Imo in dubio de impotentia ob aliquod positivum iudicium licet matrimonium sub conditione contrahere, monita comparte; nam quisque præsumitur habilis nisi aliud constet; et adest necessitas sic contrahendi, ne secus cogatur perpetuo manere cœlebs. (V. n. 929). S. *Ligor.*, *n.* 1102, *Dic.*, *Elb.*, *n.* 265, et *alii.* — Post factum, jure canonico triennalis experientia datur, ut conjuges cohabitent, qua durante, licite possunt conjuges copulam tentare, licet sæpe aut semper semen extra vas effundatur, et tandiu licet ad copulam conari, quamdiu probabilis spes intra vas seminandi adsit. Ita communiter *Sanch.*, *n.* 20, *Salm.*, *n.* 134, S. *Lig.*, *n.* 1103. Triennio elapso, et perdurante dubio, judicatur perpetua impotentia, et tunc interdicitur omne copulæ experimentum, et ut soluti vivere debent. Tamen in hoc casu caute agere debet confessarius. «Ut nobis videtur (ait *Gousset*, *n.* 791), confessarius prudens et discretus de impotentia conjuges non interrogabit, neque etiam eos, quos credit impotentes præmonebit, neque ipsis ea de re consulentibus ultimo respondebit, nisi prius ipse consuluerit Episcopum.»

Nobis in praxi videtur, post præfatam regulam: 1.° quod si confessarius deprehendat publicam esse impotentiam, vel in dubia, seu mala fide jam versari conjuges, illico separandos esse quoad torum, et mox judicis ecclesiastici auctoritate etiam quoad habitationem; alias suboriretur scandalum, et animæ periculum.—2.° Si vero in bona fide eos inveniat, et aliunde pios, ac bene dispositos ad separationem ipsos judicet, Ordinarii consilio semper obtento, separationem quoad torum illico exigat; et si habitare simul velint uti frater, et soror, id eis permittat; et tunc nullum datur scandalum.—3.° Si vero sponsi adhuc florentis ætatis sint, præstat, ut ad separationem inducantur, ut habet Sixtus V, litteris ad Episcop. *Novar.*, *Apostolicæ Sedis in Hispania Legatum.* Idem est faciendum semper ac impotentia sit certa ac perpetua. Unde, cognita impotentia certa et perpetua, sponsi possunt illico separari, etiam ex propria auctoritate, si id sine scandalo fieri possit (quod in praxi fere semper eveniet); imo tenentur, si adsit periculum incontinentiæ; et pars impedimento non laborans

ad alias nuptias etiam transire potest ante triennium probationis; nam experientia datur pro impotentia dubia, non pro certa. *Sanch.*, *n.* 8, *Salm.*, *n.* 135, S. *Ligor.*, *n.* 1101.—4.° Denique si, cognito impedimento occulto, in bona fide judicentur sponsi, et ex monitione timeri prudenter queant formalia scandala, et peccata, absque spe majoris boni, in ipsa relinquantur; nam facile non est, quod moniti sint obtemperaturi, et a copula abstenturi. (*Scavini*, *n.* 806, S. *Lig.*, *n.* 1101, *Ballerini*, *Gury*, *n.* 856).

953. **Raptus**, hic est canonica *inhabilitas ad contrahendum matrimonium, orta ex violenta mulieris abductione matrimonii ineundi causa.*—Habet Trid., sess. 24, c. 6 de R.: *Decernit sancta Synodus, inter raptorem, et raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium:* etsi raptor opera alterius utatur; aut penes alios fœminam vi retineat; aut in propria domo obsideatur, ut exire non valeat; vel impediatur ad suam redire domum, postquam libere exivit. Hic requiritur 1.° *Violentia sive physica, sive moralis ex parte viri* sive per se, sive per alios, uti dolus, metus gravis, abductio; secus, erit mulieris fuga, si mulier consentiat, et talis putatur, si tractatus de nuptiis, vel sponsalia præcesserint cum raptore. (*Scavini*, *n.* 807).—2.° *Mulieris repugnantis abductio*, cum de viro non loquatur Concilium, neque eadem sit ratio, neque possibilitas. (Ita *communiter cum Bill.*, Sanch., Scavini, *n.* 807, contra *Collet. et Clericatum*).—3.° *Abductio, seu traductio de loco in locum* (non de cubiculo in cubiculum, licet ibi per vim cognoscatur), modo sub raptoris potestate detineatur, ut docent *Clericatus*, *Gury*, *n.* 860, S. *Lig.*, *n.* 1107, *aliique;* secus esset vis, non abductio.—4.° *Matrimonii ineundi causa;* nam ita spectat Concilium hujusmodi raptum, ad matrimonii libertatem tuendam. Ideo deest impedimentum, si abducatur mulier sola voluptatis causa, vel divitiarum, etsi postea de conjugio conveniatur. S. *Lig.*, *ib.*, *cum communi.*

Unde probabilius impedimentum raptus non adest: 1.° Si quis pro alio rapiat, vel si interveniat solum raptus seductionis, v. g. cum mulier blanditiis, muneribus, promissis, illecebra voluptatis raptorem sequatur, invitis iis, a quibus ipsa dependet, ut patet ex litteris Pii VII, 27 jun. 1805, ad Napoleonem I, qui inter cæteras causas dissolutionis postulatæ matrimonii fratris sui Hieronymi, memorat raptum seductionis, quod Pontifex non admisit. Impedimentum sicut, et cæteras pœnas verius etiam incurrit, qui jam desponsatus rapiat sponsam, si invita abducatur; nam Conc. indistincte loquitur. *Scav.*, *n.* 808, *S. Lig.*, *n.* 1107 *cum communi.* Sed *alii* contra sentiunt; quia raptor juste operatur. (*Bal.*, *n.* 857, *Ledes.*, *Henr.*, etc.—2.° Cessat ex *Trid.* impedimentum, si mulier sit *a raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta; et eum in virum habere consenserit* (Gousset, n. 797).—3.° Probabilius valent sponsalia inter raptorem et raptam, tempore raptus inita; quia sponsalia, utpote rescindibilia, non tantam requirunt libertatem, et *Trid.* tantum de matrimonio loquitur. (Ita *Pikler*, *Krimer*, *Perez*, *Scavini*, *n.* 807, *Croix*, S. *Lig.*, contra *Salm*, *Sanch.*, *et alios*).

**Pœnæ contra raptores** ex *Trid.*, *l. c.* sunt: *Raptor ipse, ac omnes consilium, auxilium, et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Sed hæ pœnæ sunt ferendæ; seu post sententiam obligant, utpote privativæ, nec eas incurrunt qui domi suæ retinent mulierem jam raptam; quia raptus jam est consummatus. S. *Lig.*, *n.* 1107.

# CAPUT VIII.

## De potestate dispensandi, de causis dispensationis, et de modo dispensationem a dirimentibus impedimentis obtinendi.

954. **Potestas dispensandi.** I. *Papa ab omnibus impedimentis juris ecclesiastici dispensare potest; valide* in omni casu; agit equidem in re sua; *licite*, cum adsit justa causa, prout recta gubernatio requirit. Communius et probabilius Papa dispensare nequit in iis, quæ sunt de jure naturali, vel de absoluto jure divino, sed tantum declarare potest in aliquo speciali casu, quod jus divinum non obligat; quia hæc potestas fuit necessaria propter humanarum rerum varietatem; alias Deus bono regimini Ecclesiæ non satis providisset. Unde id potest declarare Papa in residentia Episcoporum, in matrimonio rato: item declarare valet in aliquo urgentissimo casu validum esse matrimonium, non obstante impedimento quod probabiliter de jure naturæ illi officit, prout de facto declaravit Clemens XI in Brevi edito die 2 apr. 1701, matrimonia quorundam indiorum invalide inita convalidans sine novo consensu. Idipsum declaravit Benedict. XIV, Const. *Cum super matrimonio,* die 27 sept. 1755, quemdam virum, qui bona fide invalide contraxerat ob occultum impedimentum consanguinitatis, a certioranda parte excusans. *S. Lig., n.* 1115, *et* 1120 *cum communi.* Ex Veracrux; *de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare, instar sacrilegium est.*

II. *Episcopus jure proprio dispensare nequit in iis impedimentis;* porro nihil potest in jure communi Ecclesiæ, nisi ex Papæ concessione, vel consuetudine, aut necessitate. Ita ex variis declarationibus *S.* C., et ex Pio VII, an. 1809, et jam an. 1802 suppresserat in Galliis Episcoporum privilegia circa hanc rem.—Probabilius Episcopus dispensare potest in dubiis impedimentis; cum enim reservatio sit res odiosa, stricte est accipienda, et ad casus certos restringenda.—At si sermo sit de dubiis, seu *de probabilitate juris,* neque ad Episcopum, neque ad Papam est necessario recurrendum; hoc in casu Ecclesia quidem supplere censetur, ut adnotavimus n. 929. *(Ita Gury, n.* 863).

955 **Commune tamen est posse Episcopum dispensare,** compellente necessitate, tum ante matrimonium, tum post ipsum contractum in aliquo casu peculiari.

*Ante matrimonium* dispensare potest suos subditos super occultum impedimentum, si alias immineat sponsis periculum mortis, vel infamiæ, vel alterius gravis damni, et non est facilis recursus ad Papam; v. g., si honesta mulier parata tali die nuptias inire, in ipso die, vel in confessione impedimentum manifestet, vel si urget prolem legitimare. Tunc vel cessat reservatio, vel est habendus casus urgens circa impeditos Romam adire; vel si Episcopus dispensat, est quia præsumitur Papam consentire, maxime cum sciat hanc sententiam esse inter AA. communiter receptam. *(S. Lig., n.* 1122, *Pignat., n.* 5, *Scavini, n.* 818, *cum communi).* V. l. 1, n. 178.

*Post initum matrimonium* dispensare potest Episcopus: 1.° Si conjugium sit contractum cum impedimenti ignorantia etiam crassa, saltem ex

una parte (sed non requiritur ex utraque; *S. Lig., n.* 1124), et consummatum, quod post aliquos dies supponitur.—2.° Si occultum sit impedimentum, seu non publica fama vulgatum, v. gr. si illud non innotescat nisi septem, aut octo personis in aliqua civitate; et sex in aliquo oppido. Ita *Bened. XIV, Notif.* 87, *n.* 45, *Tamb., Nav., etc.* (V. T. I, n. 232). —3.° Si non sit facilis ad Papam, vel ad *S. Pœnit.* recursus per epistolam *(ait Scavini, n.* 818 cum *Croix et S. Ligorio*, ut supra; sed *Vide l.* 1, *n.* 235, *et* 236), uti si partes sint pauperes, ad supplicandum non habentes unde expensas solvant. Si commode dispensatio obtineri possit, et sponsi in bona fide sint; est expectandum, et interim in bona fide relinquantur. *S. Lig., n.* 56).—4.° Si matrimonium in facie Ecclesiæ fuerit initum, neque omissæ proclamationes.—5.° Si immineat periculum infamiæ, vel scandali putatos conjuges separando, vel incontinentiæ non eos separando, ut supra. Ita *Episcopus Zerola*, qui in *sua praxi episcopali* testatur sibi a Romana Curia affirmative fuisse responsum; item *S. Lig., n.* 1123, et *Benedictus XIV cum communi theologorum, ac canonistarum* (non secluso rigidissimo *Fagnano) sententia.*

Insuper Episcopus dispensare valet in impedimentis, quæ matrimonio superveniunt, et petitionem debiti impediunt, uti in affinitate ex incestu, in cognatione spirituali. *Sanch., n.* 13, *S. Lig., n.* 1126. Quoad petendum debitum dispensare valent etiam confessarii regulares mendicantes, et benedictini de licentia tamen suorum provincialium, vel generalium. *S. Lig., n.* 1127. Quam facultatem non modo in particulari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus delegare potest Episcopus, aut Vicarius Capitularis, non vero generalis Episcopi; nam hæc potestas officio seu dignitati annexa est, ac ordinaria reputatur, tamen nonnisi ex præsumpta Pontificis voluntate. *(Scavini, S. Lig., n.* 1125 *cum communi).*

Si vero (addit Bened. XIV ex *Cabassutio)* aliquæ ex præfatis circumstantiis desint, et personæ sint revera pauperes, et rudes, episcopalis charitatis erit hanc dispensationem prosequi in forma pauperum apud Sedem Apostolicam.—Item est advertendum, dispensationem Episcopi in præfatis casibus prodesse tantum pro foro conscientiæ; ideo si postea externe detegatur impedimentum, nisi fides fieri possit de dispensatione, ad Pontificem erit recurrendum; nam quod semel est sublatum, non debet iterum reviviscere, nisi ratione scandali. *(S. Lig., n.* 613, *et* 1123).

III. *Metropolitanus ex se dispensare nequit cum subditis suffraganeorum ;* nam dispensatio est actus jurisdictionis gratiosæ; recursus vero ad Metropolitanum tantum habetur in casibus ad forum contentiosum spectantibus. *(Gury).*

IV. *Probabilius sponsi ex diversa diœcesi dispensationem super eodem impedimento utrumque afficiente non sunt obtenturi ab utroque Episcopo*, si uterque ex indulto speciali facultate dispensandi pollet; etenim cum Episcopus ita dispensat, cum toto Pontificio jure delegato dispensat; ergo valet Episcopi dispensatio, perinde ac si a Papa fieret.—Aliunde, in omni casu, cum Episcopus, vel Papa impedimenta aufert a suo subdito, habilem reddit ad contrahendum cum alio impedito; nam si dispensatus cum hoc conjungi valet, quare non potest impeditus cum non impedito? In impedimentis enim semper adest reciprocatio, et sine hac deest impedimentum, nisi agatur de impotentia *relativa ;* ita aperte fluit ex supra dictis de clandestinitate, v. g. si hispanus in Anglia conjugium

contrahat, vel in Helvetia cum hæretico; communicatur tunc privilegium ex unitate actus. (Ita *Scavini, n.* 820, *Carrierre*, *Gury*, *Ballerini, n.* 862, *Bouvier*, ex *pluribus S. Pœnit. decisionibus nuper obtentis*, ut ipse ait, et probabilem dicit hanc opinionem *S. Ligorius, n.* 1142; ergo opus non est altera dispensatione, ex generali principio, quod Ecclesia supplet, ubi forte opus fuerit. (Sic *Ballerini*).—Unde sufficit pro uno dispensationem impetrare. Ita etiam *Sanch., n.* 4, *Salm., n.* 37. Alii negant, dicentes quod Episcopus unius jurisdictione caret in subditum alterius; sed cum sit Papa, qui dispensat per Episcopum, non evincit ratio. Et id valere docent *Tour.*, *et Episcopus Tutelensis*, contra *alios*, de sola Episcopali dispensatione.

956. **Causæ dispensationis** sunt *graves*, vel *leves; finales*, vel *impulsivæ; veræ*, aut *falsæ*. Ad dispensandum in omni re legitima causa est tum *necessitas*, tum *utilitas; prima* facit dispensationem necessariam; *secunda* convenientem reddit.—Ubi majus est impedimentum, urgentior requiritur causa ad dispensandum. Juxta hodiernum morem justæ dispensationis *papalis* causæ ex *S. C. de propag. fide*, 9 maj. 1877, sunt:

1. «*Angustia loci*, sive absoluta, sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio fœminæ ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem; patriam verō deserere sit ei durum. (Augustus autem reputatur omnis locus 300 focos non habens: et hoc valet, licet sponsa domicilium alio sit translatura. Ita *Gury, et Ballerini, n.* 866. *Angustiam loci non esse desumendam a numero focorum cujusque parœciæ, sed a numero focorum cujusque loci, vel etiam plurimorum locorum, si non distant ab invicem ultra milliare, censuit rescribendum.* S. C. C., 16 dec. 1876, ad Vicar. Gener *Ovetensem*).

2. *Ætas fœminæ superadulta*, si scilicet 24m ætatis annum jam egressa, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Hæc vero causa haud suffragatur viduæ, quæ ad alias nuptias convolare cupiat.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe fœmina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo æqualis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quæ causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter et integre dotare paratus sit.

4. *Lites super successione bonorum jam exortæ, vel earumdem grave aut imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, præter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim reipublicæ, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. *Paupertas viduæ*, quæ numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduæ ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiæ versetur.

6. *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum fœdera inter regna et principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Hæc causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quæ inter contrahentium consanguineos vel affines ortæ sint, quæque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos vel affines inimicitiæ graves viguerint, (etsi ob incestuosam fœminæ deflorationem), et licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas*, nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quæ facile impediri non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affine, vel alia persona impedimento laborante

præhabita, et *prægnantia*, ideoque *legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quæ secus innupta maneret. Hæc profecto una est ex urgentioribus causis; ob quam etiam plebeiis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quæ circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9 *Infamia mulieris*, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, præsertim fœminæ, *cap. VII de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. (sess. 24, cap. V, de Refor. matrim.)

11. *Periculum matrimonii mixti, vel coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiæ auctoritate, justa invenitur dispensandi causa; quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus ubi hæreses impune grassantur. Id docuit hæc S. Congregatio in instructione die 27 Apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius apostolicus Bosniæ postulasset utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud prætexunt motivum quam vesanum amorem, et simul prævidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore ituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV, 14 Augusti 1822 decrevit. «Respondendum oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in form. II comissis, prout in Domino expedire judicaverit.» Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione anni 1820 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti æternæ salutis discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile*, ut ajunt, celebraturi sunt, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicæ hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus. (Item virtutes christianæ quæ in alio viro probabiliter non invenirentur. *S. Lig.*, *n.* 1129 et *seq.*)»

—Conceditur etiam aliquando dispensatio *ex certis rationabilibus causis*, uti cum magnates, principes, vel nobiles sine certæ causæ allegatione dispensari postulant; eo in casu major taxa in pios usus impendenda imponitur, et sic meritum ad gratiam obtinendum acquirunt: et etiam congruum est, ac multum Ecclesiæ interest potentiores non habere contrarios, a quibus magis salus publica pendet, ut observat *S. Thomas*, 2. 2, *q.* 63, *a.* 2. Ita *S. Lig.*, *l.* 3, *n.* 96, *l.* 6, n. 1129, et 1130.—Aliquando contingit, ut una causa seorsim sumpta non sufficiat, sed cum altera juncta gravis censeatur, et sufficiat. Hæ sunt potiores causæ dispensationum.

957. **Impedimenta, in quibus S. Pœnit. dispensat** pro foro tantum conscientiæ. In triplici materia dispensat: in *votis*, in *impedimentis*, et in *variis censuris*.

I. *In votis:* 1.º In voto religionis, ob parentum inopiam, vel fratrum.—

2.° In voto castitatis simplici, vel etiam religionis, postquam vovens contraxit matrimonium, ad manendum in conjugio, debitumque licite petendum. – 3.° In voto religionis ob virium debilitatem, aut ob metum incontinentiæ, aut dotis defectum in ordine ad contrahendum matrimonium. *S. Lig.*, *l.* 1, *n.* 203.

II. *In impedimentis impedientibus* præter simplicem votum castitatis, vel religionem ingrediendi, aut sacros ordines suscipiendi, vel uxorem nunquam ducendi, legitima causa extante, dispensare, et dispensari mandare potest etiam in sponsalibus occultis, ut cum alia matrimonium contrahatur. Quoad Ecclesiæ vetitum dicere prætermittimus; quia semper publicum est.

*In dirimentibus* autem nihil potest quoad matrimonia contrahenda super quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali proveniente, etsi occulta sint, et periculum sit in mora. Ita ex Bened. XIV, 13 apr. 1744, Bulla *Pastor bonus* § 39, ubi confirmata est Bulla *Rom. Pontifex* Innocent. XII, emanata 3 apr. 1692. Excipe dubia impedimenta. Ita communissime cum *Tour.*, *Dian.*, *S. Lig.*, *n.* 54.

*In matrimoniis vero jam contractis* ex § 40 nihil potest in 1.° et 2.°, seu 2.° tantum gradu consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam occultis. – Dispensare vero potest: 1.° In 2.° gradu prædicto, si impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint, convixerintque, et uti conjuges fuerint reputati; nam etsi aliqua impedimenta natura sua sint publica, fieri tamen potest per accidens, ut sint occulta. *Primo:* Ob diuturnitatem temporis, ex quo sunt contracta. *Secundo:* Ob loci distantiam a loco contractæ cognationis. *Tertio:* Per mortem eorum, qui fuerunt conscii. *Quarto:* Per ignorantiam hujus contractionis. *S. Lig.*, *l.* 1, *n.* 203.

2.° Item in 3.°, et 4.° gradibus occultis, et etiam publicis si matrimonium sit invalide contractum ex causa subreptionis, et obreptionis occultæ in obtentione Litterarum Apostolicarum; præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ antea revera non intercesserit.

3.° Item in impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, sive fornicaria, sive adulterina, aut cum stupro habita, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet scandali periculum non immineat in matrimoniis tam contractis quam contrahendis, in foro conscientiæ dispensare et dispensari mandare valet ex § 43, et ex Const., *Ex quo,* n. 20, Bened. XIV.

4.° Item *super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis quam contractis matrimoniis dispensare. – Si vero crimen fuisset, utroque, vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem concedere; raro tamen, et quando necessitas postulaverit ratione alicuius gravis periculi imminentis.* Ita ex § 44, *et* n. 21.

5.° Item dispensare valet super impedimento publicæ honestatis ex occultis sponsalibus proveniente: n. VII dictæ Const. Item in spiritualis cognationis impedimento occulto, inito jam matrimonio, non vero antea: n. XI.

6.° Præclusus est aditus ad S. Pœnitentiariam illis, qui a Dataria dispensationem aliquam obtinuerint, non explicantes in supplici libello copulam, quæ intercessit, aut voluntatem, et consilium, quod tunc habuerunt, nempe, ut facilius ejusmodi dispensationem assequerentur: n. XII.

Potest tamen Major Pœnitentiarius dispensare, seu absolvere, cum

reticita, vel jam declarata fuerit Datariæ illa copula occulta, sed tacendo præfatam intentionem, sive matrimonium contractum jam fuerit, sive contrahendum sit.—Item facultatem impertiri potest, ut matrimonium in quacumque orbis parte contrahatur: n. 22. *Scavini, n.* 819. (V. *S. Ligor.*, *l.* 6. *n.* 1144).

III. *In variis censuris,* ut in excommunicatione, suspensione, item in irregularitatibus, præsertim occultis, ad absolvendum ab iis, vel dispensandum, aut in pristinum statum restituendum, etc. Item ad condonandam obligationem restitutionis ob Horas neglectas, ad commutandum onus recitationis Horarum, eligendum confessarium, etiam pro reservatis, transeundum ad aliam religionem, sive Ordinem, pro utroque foro, etiam post apostasiam a suo. *S. Lig.*, *n.* 203. Nulla solvitur taxa in Pœnitentiaria, et juramentum præstant illius ministri, se nihil etiam sponte donatum accepturum.—Dispensatio, seu ejusdem commissio, a Pœnit. impertita non extinguitur morte Pontificis, licet res adhuc integra sit, scilicet, si delegatus nondum aliquem suæ delegationis actum excercere incœpit, ut notat *Marcus Leo.*—Item verius dicunt de delegatione tributa a Dataria; nam in hac exsecutori mandatur ut dispenset, et gratia jam censetur facta relate ad Pontificem. *S. Lig.*, *l.* 1, *n.* 268, *Scavini, n.* 820 *cum communi.* —Hodie aliquando conceditur ut adeatur ad S. Pœnitent. etiam pro notoriis impedimentis, et pro externo foro, si agatur de causa gravi, ac de vere pauperibus; et tunc parva solvitur taxa ad Datariam transmittenda; sed facto verbo Pontifici. In impedimentis 3.ⁱ et 4.ⁱ gradus consanguinitatis et affinitatis ex illicita copula solvuntur tria scuta romana : in imped. 2.ⁱ gradus, vel secundi tertii, quinque vel sex: in imped. 1.ⁱ gradus et primi-secundi, sex, aut septem, vel octo: et in aliquo casu extraordinariæ paupertatis dispensatio gratis conceditur.

958. **Modus dispensationem obtinendi.** Sed jam se convertit præfata instructio 9 maj. 1877 ad ea, quæ præter causas in litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda, de jure, vel consuetudine, aut stylo Curiæ exprimendæ sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficitur. Hæc autem sunt:

I. «*Nomen* et *cognonem* oratorum, utrumque distincte ac nitide, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum.

II. *Diœcesis originis,* vel actualis domicilii. Quando oratores habent domicilium extra diœcesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium diœcesis, in qua nunc habitant.

III. *Species etiam infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita, vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento criminis utrum provenerit ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii, (vel ex homicidio cum communi conspiratione); in cognatione spirituali utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

IV. *Gradus consanguinitatis,* vel *affinitatis,* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior; uti et linea, an sit recta, vel transversa : item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris. (Si ex errore ponatur gradus proximior pro remoto, communiter valere dispensationem dicunt, si uterque sit ejusdem spe-

ciei, cum minus in majori contineatur. *Barb., Reiffenst., Scav., n.* 822, *etc.)*

V. *Numerus impedimentorum;* v. gr. si adsit duplex, aut multiplex consanguinitas, vel affinitas, vel si præter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

VI. *Variæ circumstantiæ*, scilicet, an matrimonium sit contrahendum, vel contractum. Si jam contractum, aperiri debet: 1.° an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti. — 2.° An præmissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini.— 3.° An spe facilius dispensationem obtinendi.—4.° An sit consummatum; si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

VII. *Copula incestuosa habita inter sponsos* ante dispensationis executionem, sive ante, sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta.»

Si hæc reticeantur, subreptitias esse, et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis declaravit *S. C. Officii* 1 *aug.* 1866. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis 1.ⁱ et 2.ⁱ gradus lineæ collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto conjuge oratoris, vel oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali, seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat hujusmodi illicitæ copulæ, ex *S. Pœnit.*, 20 *mart.* 1842, probante S. m. Gregorio XVI, *et* 10 *dec.* 1874.

*Utrum per Bullam Benedicti XIV,* Pastor bonus, *intelligatur canonice decisam fuisse quæstionem alias agitatam super validitate, vel nullitate dispensationum obtentarum, reticita copula incestuosa, vel occulta, et malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem?* S. Pœnitentiaria die 20 jul. 1869 respondit: *Post Constitutionem Benedicti XIV,* Pastor bonus, *non posse amplius dubitari de nullitate dispensationis obtentæ, reticita incestuosa copula, vel prava intentione facilius obtinendi dispensationem habita in ea patranda. (Scavini, l.* 3, *n.* 822).— Non est tamen exprimendum quoties copula fuerit habita; quia eadem affinitas ex omnibus oritur; neque de ea sunt interrogandi sponsi dispensationem postulantes, nisi aliqua suspicio illius habeatur; et in hoc casu prudenter, ac gradatim interrogentur, ne offendantur, aut scandalizentur.

—Ut copula de necessitate sit exprimenda, esse debet: primo: *consummata:* tamen referente *Dens,* Leo XII, 5 maji 1827, declaravit pro externo foro sufficere ut *vas fœmineum fuerit penetratum:* secundo: *formaliter incestuosa*, seu cum scientia impedimenti; secus non esset nisi materialiter talis, ut habet Lambertini, *Not.* 88, *n.* 23.—*Conradus* aliter tenet ex stylo Curiæ; et idem tenet *Scavini* de dispensatione in *forma pauperum.* Sed stylus Curiæ, absque superiori aliquo decreto, legem non efficit. Neque profecto est charitate plena præfata exceptio quoad pauperes; nam si est sermo de lege, et de principiis, et de validitate, æque omnes, vel nullos, sive divites, sive pauperes adstringere debet regula, nisi aliud certo exprimatur. (V. Inst. Bened. XIV, *Ex quo pervenimus* n. 18 et 23.)

959. **Resolves.** 1.° *Impedimenta sunt exprimenda in una eademque supplicatione,* ast probabilius nonnisi cum illa sint talis rationis, ut conjuncta majorem afferunt repugnantiam; v. gr. siquis ducere velit consanguineam, cujus sororem turpiter cognovit; nam difficilior redditur

dispensatio. Secus si unum ex altero non augeatur, uti votum et consanguinitas. *Scavini, S. Lig., n.* 1139, *Salm., n.* 54. Item est declaranda jam obtenta dispensatio super eodem crimine, vel materia peccaminosa; siquidem ex criminis repetitione difficilior evadit nova dispensatio. Secus si impedimentum non sit ex aliquo delicto, vel in diverso crimine. *S. Lig., n.* 1137 *cum communi.* Etiam dicunt quod in gradu inæquali est declarandus sexus stipiti proximior; quia difficilius dispensatur, ut nepos amitam ducat, quam ut patruus ducat nepotem, cum sit major inordinatio, ut nepos suæ amitæ caput constituatur. Si reticitus gradus non sit primus aut secundus consanguinitatis, vel affinitatis, erit valida, sed illicita dispensatio, ita ut sub peccato teneantur oratores obtinere a S. Sede litteras declaratorias super illo reticito gradu ex Const. *Etsi* Bened. XIV. *S. Lig., n.* 1136. Item exprimendum est matrimonium civile, si illud celebratum fuerit in contemptum canonici matrimonii, vel ut facilius dispensatio obtineatur; etsi in hoc casu non conveniant canonistæ, tamen satius erit id exprimere in supplicatione. *Scavini.*

2.° *Si duo adsint impedimenta, unum publicum, aliud occultum,* vel cum occulto crimine, v. g. copula, vel machinatione, si omnino disparata sint, uti consanguinitas, et crimen, fit recursus ad Datariam pro publico, ad Pœnitentiariam autem pro occulto impedimento, quin necesse sit apud aliquod tribunal mentionem facere de altera dispensatione postulata, aut obtenta. Secus publicum Datariæ exponitur, occulto reticito, ne infametur orator, et utrumque explicatur in Pœnitentiaria, simul exponendo dispensationem a Dataria postulatam, vel obtentam; quia tunc difficilior redditur dispensatio; v. gr siquis ducere vult consanguineam, cujus sororem cognovit, consanguinitas Datariæ, affinitas una cum dispensatione a Dataria postulata Pœnitentiariæ exponitur. (Ita *communiter Scavini,* et *S. Lig., n.* 1139.)

3.° *Ut nulla intercedat obreptio, vel subreptio exprimi etiam debet vera, et legitima causa finalis dispensationis;* alias nulla est dispensatio; cum superior dispensare non censeatur nisi sub tacita conditione: *Si preces veritate nituntur*. Secus dic de causa mere *impulsiva*, vel *accidentali.* In dubio an causa falso allegata sit *finalis*, vel *impulsiva,* vera, an falsa, valida est censenda dispensatio; cum in dubio standum sit pro valore actus. *Gury, n.* 868, *S. Lig., n.* 1133.

4.° *Cessante causa dispensationis, etiam hæc cessat:* uti si mortua fuerit proles per matrimonium legitimanda; dummodo cesset causa priusquam expediatur dispensatio, aut fiat ab illo, cui fuit a Papa commissa. Secus si causa cessat, dispensatione jam expedita, et a delegato oratoribus communicata, licet ante conjugium cesset; nam per dispensationem jam est sublatum impedimentum. *Gury, n.* 868, *S. Lig., n.* 1132.

960. Q. *An si quis post obtentam gratiam dispensationis super occultum affinitatis impedimentum ob copulam illicitam, relabatur cum eadem consanguinea suæ sponsæ ante matrimonium, nova indigeat dispensatione?*

R. Non indigere conveniunt, si nondum dispensatio sit executioni mandata; nam tales dispensationes effectum non sortiuntur a die concessionis, sed a die executionis ex parte delegati; atqui numerus incestus ejusdem exprimi non debet; ergo... (Ita *omnes*, ait *S. Lig., n.* 1140). Imo probabilius idem docent, si dispensatio jam fuerit executa; quia illa affinitas jam est sublata in ordine ad tale matrimonium ineundum: ita

respondit S. Pœnitent., 21 sept. 1752, ut refert *S. Ligor.*, *ibid. Gury, n.* 874, *Scavini, n.* 823, *S. Lig., n.* 1140, et *alii* contra *Elbel, Giovine* et *alios*, dicentes, per primam dispensationem non esse sublatam subsequentem affinitatem, sed tantum jam existentem. Et hoc valet, ait *D. Ligorius*, etiam quoad dispensationem obtentam a Dataria, atque exsecutam in impedimento consanguinitatis, modo non sit impertita in *forma pauperum*.

Unde: 1.° Si quis copulam haberet cum alia consanguinea sponsæ ante matrimonium, novam contraheret affinitatem, et nova indigeret dispensatione.—2.° Si, matrimonio inito, cum eadem suæ sponsæ consanguinea peccaret, jure debitum petendi tantum privaretur, ob illam novam affinitatem. (Ita *Scavini, n.* 823, *Gury, l. c.)*—3.° Si denique, obtenta dispensatione inter gradus prohibitos, intercesserit copula inter ipsos sponsos, antequam exsecutioni mandetur, *verius*, ait *S. Lig., n.* 1141, *cum Sanch., Guttier.*, et *aliis*, nova requiritur dispensatio; quia sic se habet stylus Curiæ, quæ tunc non intendit, ut vim habeat dispensatio, majorque imponitur pœnitentia, ac major exigitur taxa, et sic etiam declaravit S. C. maj. 1635 apud *Pitton., n.* 878. Ita etiam *Scavini, n.* 828, *Gury, n.* 872, contra *Ballerini, Sa,* et *alios*, dicentes, quod hic stylus Curiæ adhuc est probandus; aliunde talis stylus aliis necessitatem non induceret, nisi sit *scriptus, probatus, et speciali decisione, ac declaratione Pontificis confirmatus*, ut canonistæ apud *De Justis, n.* 345, docent. Et multo magis cum talis copula cum ipsa sponsa nullum adducit impedimentum, ut recte ait *Scavini, l. c.* Ast Curia tunc vim dispensationi adimere intendit. Tamen eo in casu esset dispensatio conditionata, quæ non est supponenda; sed loculenter probanda. Quoad declarationem S. C. de ejus authenticitate dubitatur. – 4.° Si copula fuerit habita post dispensationis exsecutionem, non requiritur nova dispensatio; nam ablata matrimonii prohibitione, cessat malitia incestus. (*Gury, n.* 872).

961. Q. *An valeat dispensatio, si sponsi eam obtinuerint in forma pauperum, falso exponendo se pauperes esse?*

R. Negant *Croix, n.* 859, *Alasia, Bouvier, Gousset, n.* 866, *et alii;* quia Pontifex dispensare non intendit sub illa forma, nisi eos, qui vere pauperes sint, sicut evenit in Bullis provisionis beneficiorum.—Affirmant vero alii cum *Gury, n.* 879, *S. Lig., Hom. Ap., n.* 87, ubi dicit, id constare ex decisione *S. C.*, 9 *sept.* 1679; nam paupertas non est causa neque finalis, neque impulsiva; sed tantum ratio cur dispensatio ipsa gratis conceditur.—Hinc semper aliunde adesse debet justa causa: et sic *preces veritate nitantur*. S. C. C. interrogata hac de re, 18 apr. 1863, in causa *Granaten.*, respondit: *Dilata*, et 28 jul. 1873 respondit: *Nihil esse innovandum.*—Quare in praxi non videtur facile judicanda nullitas dispensationis; et contracto matrimonio, videtur quod standum sit pro illius valore, nisi aliud omnino certe declaretur; nam in hac re nihil valent gratuitæ suppositiones. *(Varceno, p.* 352, *Gury, l. c.)* –Tamen semper illicite agerent tum orator, tum exsecutor, si falso oratores se pauperes esse affirmaverint, et in conscientia ad compensationem tenerentur in Dataria, ex S. Pœnitent., 3 dec. 1852. (*Scavini, l.* 3, *n.* 916).

Attamen in Indultis pontificiis per quæ impertitur generalis auctoritas dispensandi cum quibusvis pauperibus, clausula adjecta *nonnisi personis vere pauperibus*, nullam facit dispensationem, si falso allegata sit paupertas. Ita declaravit *S. C. C.* 26 *apr.* 1873 quoad Archiepiscopos, Episco-

pos, Vicarios Capitulares, quibus Pius IX indultum dispensandi tribuit in tertio, et quarto consanguinitatis, et affinitatis gradu, sive simplici, sive duplici, ac etiam mixto, dummodo 1.° primum non attingat: -2.° canonica adsit causa:—3.° dispensatio omnino gratis concedatur:—4.° auctoritas Apostolica non desit. Ratio, quia tunc per ly *nonnisi*, exprimitur conditio *sine qua non*.

—Adest etiam dispensatio *sine causa;* quæ conceditur ex *certis rationabilibus causis*, et jure merito cum Benedict. XIV admittenda est veluti commutatio voti in alia opera pia; sic commutatur vinculum impedimenti. Et sane hujusmodi elargitiones ex præcepto Innocentii X reservantur in *Monte pietatis*, et inde non extrahuntur, nisi de mandato Pontificis, ut in sola pia opera impendantur; neque aliquid in dispensantis utilitatem occasione dispensationis cedit, quod quidem Trid., *sess.* 24, *c.* 6, prohibuit, et vult, ut gratis dispensationes concedantur. *(S. Ligor.*, *n.* 1130, *Scavini, n.* 918).

962. **Pauperes.** Virtute facultatum a SS. Pontificibus obtentarum S. Pœnit. dispensare valet matrimonii impedimenta contrahentibus, *de quorum paupertate constet per authenticum Ordinarii testimonium.* Ita *Card. Pœnitentiarius*, 16 *jun.* 1875.—Absolute pauperes censentur oratores, qui nihil possident, *atque ex suis labore et industria vivunt.* S. Dataria horum dispensationes concedit per taxam 15 *paulos*, id est, 30 rs., et insuper parvum sumptum ministerii; at aliquando ab hac eximit taxa. *Card. Pro-Datarius*, 26 *jan.* 1878. Denique 15 jun. 1878 ex doctrina S. C. C. decrevit: quod accipi pro regula debet Bened. XIV decretum, 16 sept. 1754, juxta quod velut pauper est censendus omnis, qui capitale non possidet 1600 francis æquivalens, scilicet, 6,080 rs. Tunc oratores congruam eleemosynam impendunt, atque in toto, vel in parte eximuntur a taxa juxta circumstantias et capitalis exiguitatem. Taxa fere numquam exigitur, si proprietas ad 10,260 rs. non pertingit.

In praxi exponendus est status fortunæ; vel standum est regulis Episcopi. Ex stylo Curiæ sic confici debet petitio: *Oratores pauperes et miserabiles existunt, atque ex labore et industria sua vivunt.*

963. **Dispensatio in radice** est *abrogatio legis ecclesiasticæ in casu particulari, conjuncta cum irritatione omnium effectuum, qui etiam antea ex lege subsequuti sunt*. Bened. XIV, *Inst.* 87, *n.* 80. Triplex est effectus hujus dispensationis: 1.° Sanat vitium consensus.—2.° Matrimonio validitatem tribuit.—3.° Filiis legitimitatem in ordine ad spirituales effectus, v. gr., ad sacros Ordines, ad beneficia et officia ecclesiastica. Quocirca hæc dispensatio ad originem ascendit, et rem in eodem statu ponit, perinde ac si impedimentum nunquam extitisset, et probabilius etiam quoad omnia jura civilia, v. gr., hæreditatem, legitimam, etc. *Sanch., n.* 3 et 4. —S. Pontifex in *radice* dispensare potest tantum quoad omnia juris ecclesiastici impedimenta; non vero juris naturalis, aut divini: ejus enim est tollere, cujus est condere: si ergo impedimenta dispensare valet, abrogare etiam potest eorum effectus jam productos. Hac potestate usi fuerunt Bonifacius VIII, anno 1301, Clemens XI, an. 1701, Pius VI, Pius VII, Leo XII, Pius IX, etc.—Nequit Episcopus sic dispensare, licet dispensare valeat ab impedimentis dirimentibus ob particulare indultum; equidem dispensatio in radice majorem requirit potestatem. Ita *Gury*, et *Ecclesiæ praxis*.

**Tria requiruntur ad hanc dispensationem**: 1.° Ut conjunctio

extrinsecam habuerit speciem justi matrimonii, nec fuerit manifeste fornicaria; aliter deesset verus consensus, seu radix conjugii. Ita *Bened. XIV*, et *Cardinal. Caprara.* —2.° Ut consensus utriusque perseveraverit; secus convalidari nequit. —3.° Ut adsit urgens ac gravissima causa. Ita Benedict. XIV, Const. *Cum super,* § 7, et *Inst.* 87, *n.* 80, *De Synod., l.* 13, *c.* 21, *n.* 7, et Const. *Reddite nobis.*

964. **Justa causa dispensandi in radice esse poterit:** 1.° Quando altera pars consensum de præsenti exhibet in matrimonio remanendi, sed adduci nequit ad consensus renovationem. Sic *Card. Capr., Gury, n.* 903: etsi impedimentum utrique parti sit notum, ut ait *Scavini, l.* 3, *n.* 825. Tamen non prodest impedimentum scientibus actu conjugii, nisi non cognoverint proinde nullum esse suum matrimonium; quippe tunc deest verus consensus in radice, et adfuit animus in concubinatu vivendi. Id applicari videtur clandestinis matrimoniis, et civiliter tantum contractis. *Gury, n.* 904, *cum communi.*—2.° Cum impedimentm uni parti notum alteri manifestari nequit absque gravi periculo separationis, scandali, incontinentiæ, etc.—3.° Quando nullitas utrique parti ignota sine pessimo exitu revelari non potest, vel quia ob alterius culpam dispensatio invalide fuerit applicata. Ultima conditio ad validitatem non opus est, nisi ab Episcopo ex indulto particulari dispensatio concedatur. *Carriere, n.* 1444, *Gury, n.* 903.—Hæc dispensatio applicari quidem potest utrique parti ignaræ; nulla sane cognitio requiritur, ut Ecclesia dispensare possit, seu effectus legis tollere, vel obicem, qui efficaciæ consensus oberat. *Collet* refert Clem. XIII facultatem fecisse cuidam Procopo, ut sanaret in radice, partibus non monitis, plura matrimonia invalide inita. *Gury, n.* 904.

---

# CAPUT IX.

## De modo dispensationem petendi, et eam exsequendi.

965. Duo pro varia qualitate impedimentorum constituta sunt tribunalia, nempe *Dataria,* et *Pœnitentiaria.*—Ad 1.$^{m}$ recurrendm est pro omnibus notoriis impedimentis, vel quæ in aliorum notitiam ventura prævidentur; aut pro iis, quæ sine infamiá, scandalo, aliisque incommodis manifestari queunt, et semper per Episcopum est petenda dispensatio.—Ad 2.$^{m}$ est recurrendum *ex se* pro dispensationibus, et facultatibus occultis, quæ ad forum internum tantum spectant; et in præsens etiam pro impedimentis notoriis, cum dispensatio in *forma pauperum* postulatur, ut supra. Petitio immediate ab oratore, vel ab alio ejus loco fieri potest, etsi securius, et facilius, mediante Episcopo, sponsorum nomine postulatur. (*Gury, n.* 880).—In postulato autem, tacitis semper propriis nominibus, et cognominibus, ficta nomina apponuntur, quando ad S. Pœnitentiariam pro occultis causis fit recursus; secus quando ad Datariam pro notoriis.

### Formulæ ad postulandas dispensationes.—1.ª A Dataria.

Beatissime Pater:

Petrus N. N. et Anna N. N. a parochia vulgo dicta N., diœcesis N., consanguinei in 2.° gradu æquali, matrimonium secum inire cupiunt, et ideo dispensationem sibi neces-

sariam a Beatitudine Vestra suppliciter postulant. Rationes sunt 1.ª N.—2.ª N.—3.ª N. (ponantur omnes causæ vere existentes).
In loco N., die N., etc.

P. Rector Parochiæ.

(Ubi N. invenitur, ponatur nomen, et cognomen propriæ personæ; et sic fiat quoad causas, locum, diem, etc.; nam in Dataria publice fit petitio.—Si paupercs sint, post expositas alias causas, additur: *Pauperes ac miserabiles existunt, atque ex labore et industria tantum vivunt.*—Supplicatio a parocho oratorum confecta, ad Ordinarium proprium mitti debet; hic, vel ipsius Vicarius Generalis, eam testimonio, sigillo, et chirographo episcopali munitam, mittit directe Romam ad suum mandatarium, qui dispensationem sollicitat, eamque ad Episcopum item directe transmittit.

## 2.ª A Pœnitentiaria.

Eminentissime et Reverendissime Domine: Titius et Berta consanguinei in secundo gradu, vesana libidine victi, rem secum habuerunt. Nunc autem Berta cum Paulo Titii fratre nubere cupit: 1.° quia ætate jam est provecta, scilicet triginta annorum nata; —2.° quia sufficientem dotem non habet, ut alium virum sibi convenientem sperare valeat. Eminentiam vestram humiliter supplicat oratrix, ut non obstante affinitatis ex illicita copula provenientis impedimento, matrimonium cum eodem fratre licite, ac valide contrahere, atque in eo contracto manere valeat.
Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad me infrascriptum N. N.
In civitate vulgo dicta N.

Exprimuntur propria nomina ubi N. adest, et nomen oppidi, vel civitatis, vulgari lingua.—Supra supplicationem clausam, et sigillatam ponitur:
«Eminentissimo ac Reverendissimo DD. Cardinali Majori Pœnitentiario.»

Romæ.

## Alia formula.

Eminentissime et Reveren., etc.
Puella quæ iam annos circiter viginti nata, scienter et libere votum castitatis perpetuæ emisit; nunc autem judicio confessarii in certum salutis discrimen veniret, nisi nubat; quocirca humiliter supplicat, votum sibi commutari ad effectum contrahendi matrimonium.
Dignetur Eminentia Vestra, etc.

## Formula ex certis rationabilibus causis.

Beatissime Pater:
Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte N. et N., ex loco N., quod ipsi, qui vere de nobili genere procreati existunt, ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus cupiunt matrimonium contrahere. Sed quia secundo et tertio consanguinitatis gradibus detinentur, etc.

## Formula matrimonii mixti.

Illustrissime et Reverendissime Domine:
Lucia N., romano-catholica, ætatis annorum 27, parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Lino N., ex N., sectæ lutheranæ addicto, et in suis erroribus saltem hucusque persistenti. Pars catholica coram me sub fide juramenti promisit, omnes utriusque sexus infantes ex illo matrimonio nasci turos, in fide romano-catholica baptizandos et educandos esse, iisque æque ac sibi prorsus liberum fore Religionis romano-catholicæ exercitium. Præterea pars catholica spopondit se pro viribus curaturam, ut, quantum in ipsa erit, vir ad veram fidem convertatur. Quare humillime supplicat Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut ipsi super eo impedimento S. Sedis dispensatio procuretur. Causæ sunt: 1.ª vani conatus, ut oratrix tali matrimonio renuntiet; —2.ª formæ civiles certo brevi adimplendæ; —3.ª spes fundata conversionis, etc.
In loco N.

Humillimus servus
N. N.

Et notandum : 1.° Supplicationes ad Datariam, in quibus causæ canonicæ non exprimuntur, vel testimonio Episcopi, aliave conditione carent, dilacerantur, et non eis respondetur.—2.° Nunc causa sæpe esse potest, matrimonium civiliter contractum, vel periculum ne contrahatur; et dispensatio tunc conceditur præsertim in prolis gratiam, familiæ decus, scandali obicem.—3.° Dispensatio in foro interno, seu S. Pœnit. committi solet doctori (non licentiato) in theologia, vel in jure canonico; vel Religioso Soc. Jesu, aut mendicanti, de superioris licentia ex Gregor. XIII, an. 1582, *S. Lig., n.* 205; vel in horum defectu, confessario ab Ordinario approbato, qui dispensationem exsequi non potest, nisi prius audita confessione. Sed ordinarie, prævisis difficultatibus, simpliciter facultas hæc confessario a pœnitente, vel Ordinario eligendo committitur. *(Gury).*

966. **Exsecutio dispensationum.** I. *Quoad exsecutionem dispensationum quæ ab Episcopo tribuuntur,* observandæ veniunt clausulæ ab ipso præscriptæ, quæ ferme eædem esse solent, ac illæ, quæ a S. Sede statuuntur, organo Datariæ et Pœnitentiariæ; nam hæc est mens S. Pontificis, ut Episcopi non alio modo concessione Apostolica uti queant; et Episcopus virtute Apostolici indulti dispensans, sub pœna nullitatis id exprimere debet, et tali die, et anno concessum, et tot menses, aut annos valiturum indultum; eo quia indulta id vulgo præscribunt, et sub pœna nullitatis, ut asserit Benedict. XIV, Const. *Ad tuas manus,* 2 aug. 1748.

II. *Quoad dispensationem Datariæ,* Breve ordinarie mittitur exsequendum ad Episcopum, (vel ejus Vicarium generalem) oratricis, si oratores sint diversæ diœcesis. Porro delegatus antequam de facto dispenset, ac deinde mandet parocho, ut, servatis servandis, nuptiis assistat, ex Bened. XIV, Const. *Ad Apostolicæ,* 1742, per se, vel per alium tenetur: 1.° Inquirere de causarum veritate, ut in rescripto habetur; licet probabilius hæc inquisitio ad validitatem non requiritur, cum jam ante dispensationis postulationem habita fuerit hæc informatio. Alii tamen contrarium tenent; nam sub hac conditione ipsi facultas tribuitur. Utique precum verificatio necessaria reputatur. Ut valide agat delegatus, servare debet clausulas omnes in Brevi contentas, quales sunt, v. gr. sponsorum separatio ad tempus, confessio, pœnitentia gravis, etc.—2.° Coram partibus, ac testibus declarare debet auferri matrimonii impedimentum, et jubere, ut hujus dispositionis attestatio in registris diœcesis scribatur.—3.° Transmittere debet Rescriptum Datariæ ad parochum alterutrius partis cum venia matrimonio assistendi. *(Gury, n.* 880).

III. *Quoad dispensationem S. Pœnitentiariæ,* eligi solet ad eam exsequendam confessarius a pœnitente designandus ex approbatis: at si confessarius designatur uti laurea donatus, talis esse debet. Ait *Pichler,* quod si electus dispensationem exsequi recuset, vel nimis sit rigidus in pœnitentiæ impositione, pœnitens alium eligere valet, licet apertæ jam sint litteræ, sed nondum exsecutioni mandatæ. Exsecutio fit post absolutionem hisce, vel similibus verbis: *Auctoritate Apostolica dispenso tecum super impedimentum N., quod incurristi, ut matrimonium inire* (vel initum consummare, vel in eo permanere), *valeas, et legitimam reddo prolem susceptam* (vel suscipiendam), *in nomine Patris,* etc. Si dispensatio sit a voto castitatis, dici potest: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, ac illo uti, in opera, quæ tibi præscripsi,*

*dispensando commuto, in nomine Patris,* etc. Dixi *hisce, vel similibus verbis;* quia nulla formula sub nullitatis pœna, neque sub præcepto præscribitur; nulla enim in *Rit. Rom.* habetur. *(Gury).* Si confessarius prolem legitimare omisisset, id reparare posset; causam enim sibi commissam et nondum absolutam continuaret. *(Bouvier).* Quæ porro in rescripto apponuntur clausulæ, sedulo sunt attendendæ utpote essentiales, quarum aliæ sunt ad effectum contrahendi matrimonium; aliæ ad effectum in jam inito remanendi.

967. **Clausulæ matrimonii contrahendi in dispensatione a S. Pœnitentiaria appositæ esse solent:**

1.ª *Si ita sit, si preces veritate nitantur:* Unde discrete investigare debet exsecutor, num veræ sint causæ motivæ; agitur enim de validitate matrimonii. Ordinarie Papa, aut Dataria, vel Pœnitentiaria nunc non dispensat, sed facultatem dispensandi delegat *(Scav., n.* 820); et sic satis est ut causæ veræ sint tempore exsecutionis; nam rescripti verba: *Si vera esse repereris...* sunt futuri temporis. Secus dicendum, quum conceditur mandatum de exsequendo. Non adhibentur testes, neque juramentum exigitur de veritate dicenda, sed tota fides pœnitenti adhibetur, nisi rescriptum aliud præcipiat, vel extra confessionem aliud sciatur. *(Scavini, n.* 824, *Conrado, Garcia, Ballerini,* contra *Gury, n.* 889, *Suar.*, etc., sentientes, quod causa existere debet tempore concessionis; secus esset petitio subreptitia).

2.ª *Audita prius sacramentali confessione;* quia dispensationis exsecutio confessario in actu confessionis committitur; vel saltem immediate post. *S. Lig., n.* 1143. Sed ex S. Pœnit. apud *Compans,* valet dispensatio, etsi nulla et sacrilega sit confessio, et absque sacramentali absolutione, si forte aliqua urgens necessitas id suadeat. Si impedimentum uni parti sit notum, unica requiritur exsecutio; si utrique conjugi est commune et notum, utriusque confessio requiritur; et in hoc casu uterque a suo respectivo confessario (si diversus eligatur) est dispensandus ex responso S. Pœnit., 15 nov. 1748; ac idem rescriptum duobus confessariis inservire potest, et dilaceratur ab ultimo exsequenti. *(Collet, Bouvier, n.* 884, *Scav.)*

3.ª *Sublata occasione peccandi,* nempe, voluntariam, et proximam tollendo; et necessariam ex animo remotam reddendo. Idque ex *Bouvier* ad dispensationis validitatem; et juxta alios ad liceitatem, et confessarii monitionem requiritur.

4.ª *Dummodo impedimentum sit occultum.* Si dicat *omnino occultum,* non est amplius tale, si per duos testes probari possit. Si vero dicat simpliciter *occultum,* juxta *Fagnanum,* non obstat, si notum sit 4, aut 5 personis loci; et juxta alios, si sciatur a 7, vel 8 personis in civitate, modo ab eis non fuerit divulgatum, et 6 in oppido. (V. T. I, n. 232, et T. II, n. 398). Si nunc est oblitteratum impedimentum, delegatus exequi valet rescriptum; sed exigunt decennii oblivionem, ut notat *Marcus Leo.* - Non autem dispensare potest, si adsit prudens timor ne impedimentum fiat publicum, vel si illud sit *materialiter* publicum, sed occultum *formaliter;* uti si sciatur crimen, sed ignoretur impedimentum dirimens. Ita *Benedictus XIV,* qui etiam docet iterum recurrendum esse, si delictum in loco celebrationis matrimonii sit occultum, sed alibi publicum. Ast tunc recurri iterum potest ad S. Pœnit., cum factum unde exurgit impedimentum est tantum *materialiter* publicum. *Scav., n.* 824. Eo in casu S. Pœnit. dispensare solet tanquam de occulto; et aliquando etiam dispensat, etsi im-

pedimentum sit cognitum 10 personis, si ad eam specialiter recurratur. *(S. Lig., n.* 1111).—Si in rescriptis ponatur clausula: *Dummodo res non fuerit deducta ad forum contentiosum;* intelligitur ad judicium, et saltem unius testimonio probata, vel cum judex causam audire cœperit, quæ dicitur causa contestata. (*S. Lig., l. 7, n.* 76).

5.ª *Injuncta gravi pœnitentia salutari,* seu juxta vires, et conditionem pœnitentis. Talis est pro omnibus jejunium semel in hebdomada per sex menses; Rosarii recitatio ter in hebdomada; frequens confessio semel saltem in mense, etc. Si præcipiatur pœnitentia *gravis et longa,* erit, v. g. recitatio Coronæ singulis hebdomadis per annum. Si *diuturna* dicatur, erit per tres annos. Si vero pœnitens debite jam satisfecerit, poterit ea moderari, nisi a S. Pœnit. sit injuncta. *Scavini.* Quoties vero quolibet mense, vel singulis mensibus injungenda dicitur confessio, opus est, ut ad plures menses imponatur; graves auctores monent, ut plurimum per semestre. Hæc pœnitentia ab alio confessario mutari non potest: excipiunt nisi id suadeat vera utilitas ex præsumpta superioris voluntate. *(Scavini, n.* 824. Si confessarius culpabiliter pœnitentiam congruam non imponat, graviter peccat, sed juxta fere omnes valida est dispensatio; non autem si pœnitens intentionem eam implendi non habeat. *Scavini, n.* 824.

6.ª *Et aliis de jure injungendis; aliudque non obstet:* 1.° Respicit onera, quæ aliunde pœnitens habere potest; v. gr. famæ restituendæ, aliaque damna reparandi.—2.° Præcipit inquirendum, an aliud adsit impedimentum, quo in casu iterum esset recurrendum.

7.ª *Ut dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur.* Hinc si impedimentum post dispensationem fieret publicum, conjuges essent separandi ad scandalum vitandum, donec a Dataria obtinuerint dispensationem; tamen secreto uti conjuges haberi queunt; sublatum quidem est impedimentum. Et si testimonium de dispensatione obtenta, v. g. fides confessarii accedat, nulla amplius superest ratio inferendæ molestiæ. *(Scavini, n.* 824).

8.ª *Præsentibus laceratis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ* (non vero nullitatis dispensationis), ne occultum pœnitentis delictum in lucem veniat; quæ laceratio saltem intra triduum est facienda (ex regula juris) post exsecutionem.—Si autem matrimonium adhuc est celebrandum in facie Ecclesiæ, etsi uti verum publice habeatur, tunc litteræ non lacerantur, sed coram testibus, et parocho (omissis publicationibus), secreto celebrato conjugio, parochus caute adnotare debet dispensationem in libro secreto, qui tamen fidem faciat de matrimonii legitimitate. *(S. Ligor., n.* 1143, *Gury, n.* 882).—Si tamen concubinarii conjuges reputati, aliquo alio occulto laborent impedimento, duplex rescriptum mittit S. Pœnit., unum ad renovandum matrimonium ut supra, et non laceratur; aliud ad dispensandum super illo impedimento, et lacerari debet. *(Scavini, S. Lig., n.* 1143).

Quoad dispensationes in forma pauperum S. Pœnit. addere solet: *Interdicto prius oratoribus quocumque tractu per mensem, aut per duos menses, aut per tempus Ordinario bene visum, et exhibita ab eis fide sacramentalis confessionis.*—Quæsitum fuit 1.° *quid intelligendum per vocem tractu;*—2.° *si interdicto per Ordinarum quocumque tractu, oratores nihilominus tempore interdicti habeant in se tractum, an ideo opus sit nova dispensatione, seu revalidatione.*

S. Pœnitentiaria 15 febr. 1854 respondit: *Ad* 1.^m^ *Id omne vetari, quod opponitur fini, qui in interdicendo quocumque tractu quœritur, nempe oratorum resipiscentia, aut dati scandali reparatio;* tractus, id est, familiaris usus et consuetudo inter sponsos.—*Ad* 2.^m^ *cum clausula apposita det jurisdictionem sub conditione, sed non respiciat ipsam dispensationem, debere quidem conditionem appositam impleri, ut commissarius exequi valeat Rescriptum. Non vero novam petendam esse dispensationem, si oratores, violata interdictione cujuscumque tractus, fideles abstineant per tempus prœscriptum; dummodo tamen violatio interdicti non pervenerit usque ad incestum.* (Act. S. Sedis, l. 1, pag. 445).

968. **Clausulæ speciales, quæ verificari debent ad dispensandum in jam contracto matrimonio sunt:**

1.ª *Si separatio fieri nequeat absque scandalo, et ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timeatur, inter se secreto* (id est sine præsentia parochi et testium) *contrahere valeant.* In praxi vix aliter evenire potest: unde rarissime necesse erit experiri, an conjuges separari, et honeste vivere possint uti frater, et soror; et sic hæc clausula confessarium agitare non debet. *Scavini, ibid.*

2.ª *Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii;* (ut novum consensum emittat; nam hæc est substantialis clausula), *sed ita caute, ut oratoris delictum nunquam cognoscatur, neque separationis periculum inducatur.* Unde, deficientibus hisce periculis infamiæ, vel separationis, aperte dicat sponsa parti ignaræ: *Nullum est matrimonium nostrum propter impedimentum aliquod;—vel dixit mihi confessarius nullum esse; ideo consensum renovemus.* Si adsit præfatum periculum, dicat sponsa: *Cum tecum nupsi, non satis curavi de vero consensu; nunc verum præstare volo: vis præstare et tu?*—vel: *Scrupulis angor de nostri matrimonii valore, ideo consensum renovemus.*—Si id fieri nequeat, dicat in opportunitate: *Ita amo te, ut si non esset inter nos conjugium, te in conjugem acciperem, et nunc ita te accipio; tu ne idem ex tua parte facis?* Si respondeat *facio,* vel similiter, valet conjugium: secus si dicat *vellem, facerem;* quia deesset consensus de præsenti.—Tunc restat adhuc alius modus, quando scilicet non esset locus dictis modis; ut accedat copula maritali affectu habita ex parte impedimenti conscia, intendendo novum consensum sic exprimere ad matrimonium; nam ex inscia parte jam exercetur eo affectu ex primo consensu perseverante. Hunc modum non reprobat Benedict. XIV, *Notif.* 87, *n.* 74. Ita *Sanch., Nav., Bon., Salm., Scavini, n.* 824, *S. Lig., n.* 1117, qui addit: *Neque tunc obstat clausula certiorationis, quœ apponitur a S. Pœnitentiaria, quia (ut ait Tiburt., Nav., apud Bened.), in hoc casu necessitatis censetur S. Sedes relaxare prœfatam conditionem, providendo meliori modo quo potest bono animarum, cum talis conditio tunc sit moraliter impossibilis exsecutioni. In hoc igitur casu licite potest hic modus in praxim deduci.* Si prudens confessarius judicet has conditiones non profuturas, quia in discordiis vivunt conjuges, id ab initio S. Pœnit. exprimat, ut postea dispensationem in radice obtineat. (V. n. 985).

# II.—DE NATURA SACRAMENTI MATRIMONII.

## CAPUT I.

### De matrimonii natura, sanctitate, divisione, et consensu.

969. **Matrimonium** spectari potest ut contractus, seu officium naturæ, et uti sacramentum. Si 1.° definitur: *Conventio, qua vir et mulier sibi invicem legitime dominium in corpora tradunt in ordine ad prolis generationem, et individuam vitæ societatem.*—Si 2.° est *Sacramentum a Christo D. N. institutum, ad legitimam viri, et mulieris unionem maritalem sanctificandam, prolem pie suscipiendam, sancteque educandam.*—De fide est christianorum matrimonium ritu legitimo celebratum esse verum Christi sacramentum. Constat: 1.° Ex verbis Apostoli ad Ephes. v: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* — 2.° Ex Trid., sess. 24, c. 1: *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo D. institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre; anathema sit.*— 3.° Ex SS. Patribus, inter quos D. Augustinus ait: *In christianorum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas uteri.* (Lib. de bono conjug., c. 18).— 4.° Accedit constans, et perpetua utriusque Ecclesiæ orientalis, et occidentalis traditio, ac praxis.

**Matrimonii sanctitas** in eo maxime sita est, quod sit verum sacramentum a Christo D. N. institutum; ideoque conjuges sanctificat. Item ex parte significationis, cum significet unionem Christi cum Ecclesia. Unde *quod... Deus conjunxit, homo non separet.* (Matth. xix); atqui ea, quæ a Deo sunt conjuncta, mala esse non possunt: ergo... Sic præsentia sua nuptias in Cana Galileæ actas honoravit. Et Apost. I Cor. vii ait: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere:... qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit.*—Imo cadit sub generali præcepto divino positivo juxta illud: *Crescite, et multiplicamini.* (Gen i et ix.) Hoc enim præceptum non singulos obligat, sed communitatem; alias errasset Apost. dicens: *Dico... non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego... qui* (matrimonio) *non jungit, melius facit.*

**Institutio.** Alii tempus sacramenti matrimonii institutionis dicunt esse cum Christus ejus indissolubilitatem sancivit per ea verba: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* (Matth. xix).—Alii cum Christus in Cana Galileæ illud præsentia sua cohonestavit.

**Divisio.** I. Matrimonium est *legitimum*, *ratum*, et *consummatum*. 1.m est *quod contrahitur juxta normam legis naturalis, et civilis*, quale fuit, et est inter non baptizatos;—2.m est *quod contrahitur inter christianos, nullo impedimento, sive naturali, sive canonico irretitos, quin intercesserit adhuc conjugale commercium;*—3.m vero est *ipsum matrimo-*

*nium, sive legitimum, sive ratum, carnali postea copula perfecta completum.*

II. Est etiam *verum, præsumptum*, et *putativum;* prout reapse valide contractum est, et uti tale certis argumentis probatur, v. g. parochi, et testium depositione, conjugum confessione, diuturna cohabitatione, etc.; —vel prout *a jure* præsumitur; v. g. quando in locis ubi non viget Trid., post sponsalia, sive absoluta, sive conditionata inter personas habiles, secuta est carnalis copula, seu oscula, amplexus, et cohabitatio ;—vel prout legitime contractum existimatur, cum tamen ob latens impedimentum sit nullum, ad quod legitimandum duo sunt necessaria: 1.° bona fides saltem ex una parte:—2.° celebratio publice facta in facie Ecclesiæ, seu coram parocho, et testibus, præmissis, vel dispensatis bannis.

III. Est *canonicum, politicum, morganaticum*, et *conscientiæ.*—1.m est *in quo concurrunt omnia quæcumque ab Ecclesia præscripta sunt:*—2.m in *quo concurrunt ea, quæ a lege civili præcipiuntur, quoad civiles effectus tantum;* v. g. quoad pacta dotalia, hæreditatem, etc.—3.m seu *morganaticum*, dicitur *legitima conjunctio nobilis viri cum fœmina inferioris conditionis, eo pacto inita, ut uxor, et liberi inde nati, dono nuptiali, vel alia certa portione sponsalium tempore destinata, contenti sint, et a cæteris bonis, titulis, dignitatibus, et insignibus sese abstineant.* Sine gravissima causa illud celebrare disconvenit, cum æqualitatem inter sponsos, et non raro pacem inter propinquos nimis lædat.—4.m, seu occultum est *quod, omissis denuntiationibus, contrahitur coram parocho et duobus testibus fidelissimis, ea lege, ut non reveletur.* Illud permittere solum valent Episcopi ex Bened. XIV, Const. *Satis nobis,* 17 nov. 1741, sub hisce conditionibus. 1.a Ut adsit urgentissima causa ; ut si vir et mulier vivant in occulto concubinatu, neque ulla suspicio adsit; etc.—2.a Ut constet partes nullo ligari impedimento. - 3.a Ut in cancellaria Episcopi liber retineatur sigillo clausus, ubi illud matrimonium describatur, et alio simili libro proles inde nata fideliter adnotabitur. *Scavini, n.* 871.

IV. Matrimonium spectari potest *in fieri*, et in *facto esse;* seu in actuali contractu, qui mutuo consensu viri, et mulieris perficitur; et in vinculo, quod ex matrimoniali contractu provenit. -Matrimonii contractus inter christianos est omnino inseparabilis ab ipso sacramento, ut supra diximus. Unde qui vellet contractum, implicite includeret quidquid ab eo inseparabile est, ideoque et sacramentum; si autem vellet præcise sacramentum excludere, nec contractum efficeret; nam hic cum impossibili conditione, et contraria subsistere nequit. *Antoine,* et Pius IX, Brevi *Ad Apostolicæ.*

970. **Matrimonium per procuratorem** valide, et licite contrahi potest ex hodierna disciplina, sicut quilibet alius contractus. Attamen postea a partibus renovatur consensus, *majoris dumtaxat cautelæ gratia*, ut habet Benedictus XIV, non ratione necessitatis.—Ut enim procurator pro alio contrahere valeat, jure requiritur : 1.° Ut adsit mandatum speciale, ac personæ determinatio.—2.° Ut procurator per se ipsum exequatur mandatum, quin substantiales fines mandati excedat.—3.° Ut procurator coram parocho, et testibus matrimonium cum comparte celebret, mandato non revocato. Parochus vero graviter prohibetur, inconsulto Episcopo, tale matrimonium permittere; nam ex praxi Ecclesiæ vix inter alios quam inter dispensatos, vel principes viget. *(S. Lig., n.* 885).

971. **Consensus** ad matrimonii validitatem esse debet verus ex utraque parte; quia matrimonium est bilateralis contractus, seu mutua viri, et mulieris conventio: consensus vero conventionis essentiam constituit; ac proinde esse debet: 1.° *Deliberatus, ac plene voluntarius;* nam gravem, perpetuamque inducit obligationem; aliunde est vinculum amoris, et electionis, quod profecto sine plena libertate non concipitur.— 2.° *Mutuus, ac externe manifestatus;* conventio siquidem inter homines aliquo externo signo cognosci debet, et mutuam acceptationem inter contrahentes necessario supponit. Sed ex consuetudine Ecclesiæ verbis fieri debet, si non obstat causa, uti in mutis, qui signis contrahere valent; imo etiam alii sub levi tantum probabilius verbis uti adiguntur. *(S. Lig., l.* 6, *n.* 888, *Gury, n.* 748). —3.° *De præsenti;* secus essent sponsalia, non matrimonium. *(C. Si inter* 31 *de Spon. et matr.).*

**Resolves:** I. In foro interno, qui asserit se ficte consensisse, est arguendus de gravi peccato contra *veritatem*, mentiendo in re adeo gravi; —contra *Religionem*, sanctitatem sacramenti violando;—et contra *justitiam*, alium decipiendo in re gravi mutuo promissa.—Deinde est abstenturus sub gravi a debito petendo, et reddendo, donec convalidetur matrimonium; quod quidem etiam sub gravi ordinarie curare tenetur, et sic illatam injuriam reparare; nisi 1.° fraus ex altera parte etiam intercesserit; v. gr., virginem se fingendo;—2.° si aliter decipiens damna ex illa deceptione alteri illata reparare possit; vel pars decepta aliam admittat compensationem;—3.° si decipiens manifesta præbuit indicia ficti consensus, uti si esset altioris status, etc.;—4.° si pars decepta separationi consentiat, aut si deceptor ad contrahendum coactus fuerit;—5.° si deceptor matrimonium cum alia jam inierit; vel si deceptæ parti nullum obveniat damnum, vel alio modo compensari possit;—6.° si adsit ingens disparitas, vel infelix exitus timeatur, v. gr., scandala, rixæ, aliaque gravia incommoda. (*Gury, n.* 753, *Ballerini, S. Lig., n.* 88, *et* 1113).

II. In foro externo pars etiam cum juramento affirmans se ficte consensisse, non auditur, neque ab altero conjuge, ex S. C. C. 24 *febr.* 1720, nisi ex adjunctis de gravi metu, vel dolo certe constet; secus nullus contractus satis firmus haberetur. Unde etsi ficte consenserit, in foro externo non permittuntur aliæ nuptiæ.

972. **Si conditionate contrahatur.** I. Sine gravissima causa ab Ordinario approbanda, præsertim si conditio sit de *futuro,* illicitus erit contractus; quia scandalum, jurgia, ambages, aliaque gravia incommoda exinde facile subsequi valent. (Ita *communiter cum Gury, n.* 751, *S. Lig., n.* 892).

II. Si conditio matrimonio adjecta sit: 1.° De *præterito* (v. gr. *si pater consenserit*), et extiterit; vel *præsenti* (v. gr., *si pater consentit*), et extat, valet matrimonium; consensus est equidem absolutus. Ita *omnes.* 2.° Si vero conditio sit de *futuro necessario;* v. gr.: *te duco, si cras oriatur sol,* nisi intendatur matrimonium suspendere, communiter hoc valet; est quippe præsens conditio, et in causa naturali determinata.—3.° Idem dicendum si conditio sit de *futuro impossibili;* v. gr., *contraho tecum, si cœlum digito tetigeris;* porro habetur pro non adjecta in matrimonii celebratione ex *cap. finali de Cond. appos. S. Lig., n.* 891.—4.° Si vero conditio sit de futuro contingenti et honesta, non valet conjugium, nisi adimpleta conditione.

III. *Si conditio sit turpis,* distinguere oportet. Si est serio posita, et expresse in pactum deducta, ac substantiæ matrimonii adversetur, nempe: 1.º *bono sacramenti; uti contraho tecum, sub conditione quod per adulterium dissolvatur conjugium;* vel si generationem prolis evites; vel usque aliam divitiorem inveniam; — 2.º *bono fidei,* velut: *contraho tecum, si pro quæstu adulteriis te tradas;* — 3.º *bono prolis,* v. gr., *contraho tecum, si prolem natam occidas, vel in idololatria edoceatur,* nullum est matrimonium ex *cap. fin. de Cond. ap.*, et ex pluribus S. Sedis declarationibus. *Scavini, Gury, Ballerini, n.* 752, *S. Lig., n.* 891. Excipe cum communi, si ab uno tantum sponso ea conditio adjiciatur, altero contradicente; et ut *alii* dicunt, saltem tacente; nam in odiosis contradicere ille censetur.— Si vero conditio adjecta matrimonii substantiæ non officiat, v. g. *contraho tecum, dummodo victum furtis compares,* in foro externo habetur pro non adjecta; nisi 1.º Certo constet sponsos illam pro honesta habere.— 2.º Vel constet serio eam posuisse, atque ideo consensum nisi sub illius eventu præstitum non fuisse.—3.º Si saltem alteruter contrahens ignoraverit Constitutionem, quæ has conditiones habet pro non adjectis; nam tunc verus consensus cum illis adesse potest. *Ballerini, n.* 752. In dubio juxta juris regulam standum est pro valore conjugii. *S. Lig., n.* 891.— Pro foro autem interno videatur ut supra, an intentio matrimonii substantiæ adversetur vel non. Si 1.m, contrahendi verus defuit animus; quisquis enim animum habens excludendi aliquam ex necessariis obligationibus, eo ipso excludit matrimonii essentiam; secus si 2.m. Conditio educandi prolem in hæresi, licet iniqua sit, et nullius valoris, non invalidat matrimonium; cum christiana religio non excludatur. Ita *Dens, et Reiffenst.*

IV. Si conditio *in se turpis non sit, ast bonum prolis futuræ excludat,* v. g., *duco te, si mecum in perpetua castitate vivas,* vel *meo castitatis voto non obsistas:* 1.º Turpis erit conditio, et invalidum conjugium, si sponsi usum conjugii limitent, expressa conditione generationem vitandi, ex jure canonico. *S. Lig., n.* 891, et *S. C. C.*, penes *Scavini.*— 2.º Turpis vero non est, si pactum sit de servanda continentia, et conditio post ipsum conjugium ponatur; quia ejusdem usum tantum interdicit.— 3.º Si autem cum tali pacto iniatur, controvertitur an sit validum. Multi cum *Alasia* negant; nam essentiam conjugii lædit talis conditio, excludens jus radicale utendi matrimonio. Affirmant valde probabiliter plures cum *Collet, Scavini, n.* 867, *Ballerini, n.* 752; nam potestas bene separari potest ab usu; sola potestas est de matrimonii essentia: Ergo... Aliunde si licet, juxta *omnes,* obligationem suspendere per aliquod tempus; quare non per duos annos, per 10, per 50, per 100, accedente ultroneo partium consensu? – In tali matrimonio duplex adest contractus, alter matrimonii proprius, quo mutue in corpus potestas traditur; alter vero, quo partes exercitio hujus juris invicem cedunt; quæ abdicatio si fieri licet post contractum matrimonium, fieri et in ipso contractu potest; nam in ipsa cessione juris adest hujus exercitium, sicut qui domum emit, et eam non occupat, vel venditori ad habitandum cedit; cedit usum juris, sed non jus. Et nonne duo castitatis voto ligati valide matrimonium contrahunt, etiamsi postea illius usus maneat ligatus, et graviter illicitus? Et sic apprime explicari potest validitas conjugii B. V. Mariæ cum S. Joseph, quin ad revelationes accurramus, et S. Pulcheriæ cum Marciano Augusto.

Nec dici potest ejusmodi contractum carere omni effectu; nam 1.º adest

vinculum; — 2.° facultas conjugalis actus sine fornicationis crimine; — 3.° ita maritus, qui castitatis votum permittit uxori, si mutato proposito, velit jure suo uti, peccabit contra fidelitatem promissionis, vel contra justitiam, pactum violans, sed dici nequit fornicarius; — 4.° si uterque conjux castitatem voveat, et dein votum non servet, contra religionem peccabunt, sed non contra castitatem; —5.° si alteruter cum extraneo peccaverit, adulterio reus erit. *(Ballerini, n.* 752).

Resolves. Nullum est matrimonium: 1.° Si antequam verificetur conditio, vel etiam verificata conditione juxta aliquos, ut infra, unus sponsorum dissentiat; quia non haberetur reciprocus consensus tempore contractus. — 2.° Si duo sint celebrata matrimonia conditionata, valet quod prius absolutum evadit; quod si eodem tempore utriusque conditio verificetur, neutrum valet. — 3.° Ante conditionis verificationem nefas est conjugio uti; alias matrimonium evadit absolutum, nisi positive aliud constiterit. *Conc.* refert sic fuisse a S. C. C. declaratum. *S. Lig., n.* 895. - 4.° Commune est valere matrimonium sub hac conditione: *Contraho tecum, si pater meus consentiat,* et pater sit jam mortuus, id sciente filio; habetur uti impossibilis adjecta conditio; et probabilius etiamsi illud ignoraret; nam conditio intelligitur, ne contra patris voluntatem contrahatur. *Sanch., Scavini, n.* 867.— 5.° Probabilius invalide agit qui cum errore contrahit, putans, scilicet, vivere primam sponsam, cum revera jam sit mortua, cum intentio esse nequeat in voluntate, nisi secundum quod præcessit in intellectu. Secus si agat cum dubio; tunc enim contrahit quantum potest. *Tour., Scavini, n.* 867. - 6.° Verificata conditione, *alii* cum *Suarez* novum requirunt consensum; nam valor sacramenti suspendi nequit. *Alii* vero cum *Scavini,* (et id probabilius *S. Lig., Salm.*) negant; quia hoc sacramentum habet rationem contractus. Juxta *Fagn.* hæc est receptissima canonistarum sententia, quæ in Romana curia servatur. In praxi tutior est sequenda.

973. **Parentum consensus ad validitatem** *contractus matrimonialis* nullo jure requiritur. *Trid., sess.* 24, *cap.* 1, anathemate damnat eos, qui *falso affirmant matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse:* et revera nihil deficit ad valorem; et lex civilis non se extendit ultra civiles effectus. *(Gury, n.* 754).—*Quoad liceitatem* affirma, ratione honoris, reverentiæ, et obsequii, maxime in iis, quæ ad pacem et honorem totius familiæ sæpissime spectant. Excipe si parentes injuste consensum recusent. (V. l. 1, n. 846 et seq.) —Confessarius generatim parentum partes tueri debet, nisi gravi ratione ducti filii, legalibus servatis conditionibus, in matrimonio ineundo persistant; præsumptio enim parentibus favet. Parochum matrimonio assistere non decet, nisi adimpletis conditionibus jure civili præscriptis; nam Ecclesiæ non officiunt, et parocho, ac contrahentibus quoad civiles effectus earum omissio adversari posset. *(Gouss., n.* 839).

---

# CAPUT II.

## De matrimonii unitate, firmitate, fine, et effectibus.

974. **Matrimonii unitas** seu *monogamia* est *conjunctio unius viventis cum una vivente.* Unde: I. *Polyandria,* seu *biviratus* simultaneus, qui

est *cum uxor plures eodem tempore viros habet*, legi naturali plane adversatur; nam officit præcipuis conjugii finibus, nempe, generationi, ut probat *Debreyne*, certitudini prolis, ac ejus educationi. *(Ita omnes).*

II. *Polygamia*, seu *bigamia simultanea*, seu *cum vir plures simul habet uxores viventes*, est in omni casu prohibita, saltem jure positivo divino in lege nova, ut constat ex Luc. XVI: *Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur.* Constat etiam ex definitione Trid., *sess.* 24, *c.* 2: *Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.*

*Polygamia* simultanea licet non repugnet modo absoluto primario conjugii fini, ita ut locum habere non possit divina dispensatio, uti Deus cum Patriarchis dispensavit ad gentis et veræ religionis post diluvium propagationem, cum valeat unus vir ex pluribus uxoribus filios suscipere, eosque rite alere ac educare; tamen ex se probabilius videtur jure naturæ prohibita; imo Benedic. XIV, *De Synod.*, *l.* 13, *c.* 2, contrariam sententiam improbabilitatis arguit, et ait alienam esse a communi theologorum sensu ratione æqualitatis contractus; nam sicut uxor viro, ita vir totius corporis dominium uxori tradit. *Scavini*, *n.* 736.

III. Licet secundas, et ulteriores nuptias successivas inire juxta illud: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: Quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino.* (I Cor. VII). Idque paritate rationis valet de viro, ut definivit Eugenius IV, decreto *ad Armenos.*

975. **Firmitas matrimonii** duplex est, quoad *vinculum*, et quoad *torum*. — I. *Quoad vinculum* de fide est, saltem de lege positiva, matrimonium indissolubile esse. Contat 1.° ex S. Scriptura: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* (Matth. XIX).—Et I Cor. VII: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*—2.° Constat ex *Trid.*, *sess.* 24, in prooemio, ubi definit: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit cum dixit:* Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea: *Quamobrem* relinquet homo patrem suum, et matrem; et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. (*Gen.* II, *Eph.* V). Quæ omnia etiam de matrimonio rato sunt accipienda, cum ea indistincte sint prolata, ut aiunt *Salm.*, *n.* 11. — 3.° Constat ex ratione, seu jure naturæ. Semel enim admissa vinculi dissolutione, conjugalis societas concuteretur, et familiæ turbarentur, et prolis educatio desineretur, et quia, ut ait *La Motta*, cum Christus matrimonium ad dignitatem sacramenti evexit, ipsum ad perfectionis suæ culmen elevavit, et proprium est cujusque rei in perfectionis statu firmari, immutabiliterque stabiliri. Contrariam sententiam reprobavit Pius IX in Syllabo, prop. 67. Unde privata incommoda patienter sunt toleranda in bonum prolis, conjugum, et societatis, quod per sacramenti gratiam, et Dei misericordiam facile obtineri potest.

Tamen conjugii dissolutio primis ac invariabilibus legis naturalis principiis non ita adversatur, ut Deus omnium jurium dominus non possit jus quod una pars habet, in alteram transferre, quo sublato, corruit conjugium. Sic Deus permisit judæis libellum repudii, cum quo vir uxorem suam dimittebat propter aliquam fœditatem, et uxori sic egressæ permit-

tebatur alium virum ducere. *Alii* volunt divortium judæis permissum fuisse ut minus malum, non ut a peccato immune. Sed *alii plures* cum *Bill., Bellarm., Sanch., Scavini, n.* 877 contrarium tenent, dicente Christo apud Matthæum, 5: *Moyses ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic.* Si permisit, ergo licitum fuit ; neque enim Deus malum positive permittere valet, licet ob duritiem cordis hominum.

Unde neque propter adulterium solvitur matrimonii vinculum. Hinc Trid., *sess.* 24, *can.* 7 : *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, dum docuit, et docet, juxta Evangelium et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi.....; anathema sit.*

976. **Matrimonium quoad vinculum dissolvi nequit** propter hæresim, aut molestam cohabitationem, vel affectatam absentiam a conjuge, ut definivit Trid., *sess.* 24, *can.* 5, et probat constans Ecclesiæ praxis et doctrina. Ast utique solvitur : 1.° *Per unius conjugis mortem,* dicente Apostolo: *Si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult, nubat.* (I Cor. VII). —2.° Per dispensationem.—3.° Per religiosam professionem.—4.° Per conversionem unius conjugis infidelis ad fidem.

I. *Per dispensationem Papæ* dissolvitur matrimonium *ratum,* non autem semel consummatum ; porro tunc completa est significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia. Patet ex eo quod SS. Pontifices jam sæpe hac potestate usi sunt. Exempla enim habemus apud *Schmalzgr., l.* 4, *t.* 19, *n.* 46, et *Pignatelli, n.* 5, et usque ad Pium VII, Gregorium XVI, et Pium IX apud *Perrone.* Unde contraria opinio jam est absoleta: hodie jam non est sermo nisi de causa sufficienti pro tali dispensatione. *(Ballerini, n.* 759). Idem dicunt quoad infideles, etsi matrimonium in infidelitate consummaverint, si post Baptismum, quo conjugium fit *ratum,* iterum illud nondum consummaverint, quod fuse probat *Ballerini, n.* 759. Ratio est, quia Pontifex, ut Christi Vicarius, in bonum commune constitutus, ob hujusmodi gravissimum bonum dispensare seu declarare valet in iis, quæ juris divini sunt, si humanos actus respiciunt. *S. Lig., n.* 959.

II. *Per solemnem professionem religiosam unius conjugis* dissolvi potest matrimonium *ratum,* et non *consummatum,* ex speciali Christi privilegio, ut ex Trid., sess. 24, c. 6, constat : *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.* Idque jam ab Alexandro III, et Innocent. III declaratum fuerat. Pro hujus privilegii usu requiritur in jure: 1.° Ut deliberatio fiat intra duos menses post nuptias, quo tempore nemo tenetur debitum reddere ; licet graviter peccaret, qui conjugium iniret cum intentione religionem postea ingrediendi ; compartem non monitam graviter quidem offenderet. Tempus autem judicis arbitrio restringi potest, vel prorogari, etsi a dicto spatio discedere haud oportet, ait *Scavini, n.* 853 ex *cap.* 3 *de Cons. Conj.*, et *S. C. C.* 17 *sept.* 1772, *et* 28 *sept.* 1779.—2.° Si pars per vim fuerit violata, adhuc innocens jure suo uti valet: neque id impedit fornicatio ante matrimonium habita, nisi aliter expediat, v. gr., ad legitimandam prolem, reparandum scandalum, aut sponsæ honorem. *(S. Lig., n.* 958). Imo si post bimestre matrimonium consummatum non fuerit, etiam per illicitam debiti negationem, privilegio quisque gaudet. *(Ferraris, Gury, n.* 759). Excipitur matrimonium *con-*

*summatum*, ratione significationis supra allatæ. Si sponsa traducta jam ad viri domum; religionem ingredi velit, non auditur, si vidua, vel jam corrupta sit; creditur porro a suo conjuge cognita. — 3.° Ut professio fiat in aliqua religione a Sede Apostolica approbata, prout hæc distinguitur a Congregationibus, in quibus vota tantum simplicia emittuntur, excepta societate Jesu. Probabilius bimestre non conceditur iis, qui nunc animum non habent religionem ingrediendi, nec habebunt; tunc enim nulla adest ratio. *Del-Vecchio, n.* 853.

III. *Per unius conjugis conversionem, nempe, per Baptismi susceptionem* dissolvitur matrimonium etiam *consummatum,* renuente altero infideli cum eo *pacifice cohabitare;* vel nonnisi cum *injuria Creatoris*, vel *Religionis christianæ contemptu ;* aut si conatum adhibet ad fidelem partem pervertendam. Hæc autem divina concessio eruitur ex Apostoli verbis: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam... Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater, aut soror in huiusmodi.* (I Cor. VII). Ita etiam deducitur ex declaratione Innocent. III apud *S. Lig., n.* 956, et in *cap. Quanto 7 de divort.*, ex communi interpretum expositione, ut fuse ostendit *A-Lapide,* ex constanti traditione, ex praxi Ecclesiæ, et ex Bened. XIV, *de Synod., l.* 13, *c.* 21. - Matrimonium vero eo tantum momento solvitur, quo secundum initur, ut declaravit S. C. C. 27 *jul.* 1726. Proles autem in infidelitate suscepta, antequam usum rationis habeat, parti fideli traditur in fidei favorem; postea ipsa eligat; nemo quippe cogendus est ad fidem. *Cap.* 10, *causa* 28, *q.* 1, etc. (V infra de divortio.) Attamen antequam conversus ad fidem secundis nuptiis se obstringat, necessarium est interpellare conjugem adhuc infidelem, ut constet, an velit pacifice cum converso cohabitare; velitne et ipse fidem amplecti, ut revera pateat *discedere.* Excipiunt plures, ut fatetur Benedict. XIV, *de Synod., l.* 6, *c.* 4, *n.* 5, quando de infidelis obstinatione moralis adest certitudo; et ideo poterit fidelis libere aliud matrimonium inire. Sed cum interpellatio sit difficilis, ex *Pontio, n.* 22, et ex Bened. XIV, *de Synod., l. c., n.* 3, fidelis nubere non potest, *nisi dispensatio Pontificis accedat, qua suppleatur ea admonitio.* (Vide *Ballerini, n.* 759). —Si vero ambo convertantur, post Baptismum fit ratum, et firmatur eorum matrimonium. *(S. Lig.. n.* 958).

Hinc: 1.° Si infidelis convertatur, qui plures habet uxores, primam valide acceptam tantummodo retinere debet, si et ipsa convertatur ad veram fidem, vel saltem consentiat habitare sine injuria Creatoris.— 2.° Quod si prima converti nolit, et reliquæ, vel aliquæ sese exhibeant ad veram fidem, cum omnes illæ sint illegitimæ ex divino præcepto *(et erunt duo in carne una),* quod etiam infideles obligat, libertas ipsi relinquitur, tam ad secundam, quam ad aliam retinendam. Ita *S. Pius V, de Indis*, et *cap.* VIII *de divort.*—3.° Si autem serio dubitari possit, an vera fuerint matrimonia, an contubernia, post conversionem quamlibet catholicam aliam mulierem liberam ducere valet. Ita *S. C. Inq.* 8 *jun.* 1836.— 4.° Si denique infidelis interpellatus converti nequit, sed tamen pacifice habitare consentit cum parte conversa, attendatur praxis regionis, et periculum perversionis. Sic S. Sedes permittit inter *Sinas, Indos*, etc., talem cohabitationem. *Scavini, n.* 925.

977. **Finis matrimonii** triplex esse potest: *essentialis* , *accidentalis*

*intrinsecus*, et *secundarius extrinsecus.*—1.ˢ *est mutua corporum traditio, radicalis obligatio ad debitum conjugale, et ad vinculum indissolubile ex tali traditione exurgens.*—2.ˢ seu accidentalis primarius *est tum prolis generatio, tum mutuum adjutorium, tum concupiscentiæ remedium.*—3.ˢ est *voluptas, honor, pax inter propinquos, divitiæ, etc.* Hinc:—1.° Finis *essentialis* validitatem, et liccitatem matrimonii afficit; alii vero fines liceitatem tantum. Sic nullum erit peccatum conjugium inire sine prolis, remedii concupiscentiæ, aut adjutorii spe, ut in sene contingere valet.—2.° Communiter docent quid inordinatum, et veniale peccatum esse contrahere ob solos fines *extrinsecos turpes*, v. g. ob puram voluptatem, aut cupiditatem, vanum honorem, licet non excludatur finis primarius; nam esset ad finem inhonestum res sacras dirigere; imo mortale erit finem ultimum in ipso fine turpi constituere, sicut equus, et mulus.—3.° Communius licitus videtur finis *extrinsecus honestus*, v. g. pax, aut honor familiæ, consanguineorum, vel populi, decens collocatio, modo non excludatur finis primarius; nulla enim ibi apparet inordinatio. (*Scavini, n.* 724, *S. Lig., n.* 883). Idem docent si contrahatur *primario* ad concupiscentiæ remedium; vel habeatur copula *principaliter* ad propriam concupiscentiam sedandam; nam propter hoc etiam instituit Deus matrimonium, dicente Apostolo: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.* (I Cor. VII). *Scavini, SS. Ligor., n.* 882, *Anton., Bonav.* contra *alios*, qui leviter malum esse dicunt.

978. **Matrimonii effectus** sunt: 1.° *Gratia* tum sanctificans, tum sacramentalis.—2.° *Jura*, et *onera* individuæ vitæ illi societati adnexa, quæ propria sunt tam mariti quam uxoris, uti jus, et onus mutui amoris, fidelitatis, et auxilii;—vel solius viri, uti jus potestatis maritalis, et patriæ, onus familiam alendi, educandi, ac tuendi;—vel solius uxoris, uti jus participandi dignitatem, nobilitatem, aliaque mariti privilegia, et onus subjectionis.—3.° *Obligatio* debiti conjugalis juxta Apostoli præceptum. (I Cor. VII).

**Conjugum cohabitatio** quoad domum, et torum sub gravi præcipitur, tum ex titulo justitiæ, ratione debiti conjugalis, individuæ societatis, et mutuæ promissionis; tum ratione boni exempli, seu ad vitandum scandalum.

Hinc: 1.° Vir sub gravi expellere nequit uxorem, neque debitum negare, et vicissim; neque probabilius, et communius ratione dotis nondum solutæ, etsi promissæ; illa enim obligatio non ex dotis solutione oritur, sed ex lege naturali, et divina positiva.—2.° Item nequit diu abesse sine justa causa, præfata ratione; secus enim onera sua adimplere non valeret. Potest tamen vir, etiam invita uxore, suscipere brevem peregrinationem (item et uxor cum viri licentia, v. g. devotionis causa; quia uxor sub viri potestate manet); item ad publicum bonum tuendum, familiam alendam, damnum ab inimicis vitandum.—3.° Tenetur vir secum uxorem ducere, si diu abesse cupiat, ne illius fraudetur jus, nisi magnæ requirerentur expensæ ad eam peregere transvehendam. Ita *Salm., n.* 48, *Sanch., S. Lig., n.* 977, *cum communi.*

Generatim tenetur uxor virum sequi mutantem domicilium: 1.° Dummodo possit sine periculo vitæ, vel salutis.—2.° Si contrarium non sit pactum, nisi nova superveniat gravis causa.—3.° Si ad turpem causam

non mutet, aut brevi sit reversurus.—4.° Si vagari non velit; nisi antea jam fuerit vagus, et ipsa id sciverit; aut eam duceret ad malum finem.—5.° Si gravis remanendi pro uxore non urgeat necessitas.—6.° Si uxor a viro peregre alatur. Ita probabilius *Nav.*, *Scav.*, *n.* 835, *S. Lig.*, *n.* 352 et 977. Imo probabilius docent, quod uxor virum sequi debet etiam in exilium; nam sufferre tenetur viri infortunium, non ab ipso electum, sed a lege inflictum. *Scavini*, *Salm.*, *Sanch.*, *S. Lig.*, *n.* 351 contra *Henriq.* et *Bartol.* E converso dicunt *Salm.* cum *Sanch.*, *aliisque* quod si mulier domicilium mutet, coacta a necessitate, vir eam comitari debet. Ratio omnium est, quia vir est caput mulieris; sed esse debet sanum, et non amens, ut jus subjectionis inviolabile servet.

Por derecho español se excusa á la mujer de la cohabitacion por razon de la condena judicial, por falta de salud, y por la traslacion del marido á Ultramar. 1.° Por el presidio del marido; —2.° si un pueblo por experiencia es nocivo á la salud de la mujer, puede esta abandonar á su marido, aun contra su voluntad; —3.° si el marido se trasladase al Nuevo Mundo, toca á las autoridades el impedirlo. Empero la mujer que sin razon se negase á seguir al marido al punto donde fijase su residencia, queda privada del derecho á los alimentos y de los beneficios de la sociedad conyugal. (Así *Gut.*, *p.* 415, *con el comun de los autores).*

---

# CAPUT III.

## De materia, forma, ministro, et subjecto matrimonii.

979. **Materia remota** sacramenti matrimonii *sunt sponsorum corpora in contractu matrimonii invicem tradenda in ordine ad usum conjugalem.*

**Materia vero proxima** est *ipsa mutua corporum traditio per verba, aut signa consensum exprimentia.*

**Forma** consistit *in mutua contrahentium acceptatione verbis, aut signis expressa.* Quocirca prorsus absoleta est illa opinio, quæ formam in verbis a sacerdote prolatis statuebat. Unde verba, et signa sponsorum sunt simul *materia* et *forma*; *materia* in quantum traditionem exprimunt; *forma* vero in quantum acceptationem traditionis exhibent. (*Ita communiter cum Gury, n.* 766, *Hurter, n.* 657, *Suar.*, *Bellar.*

**Minister matrimonii.** Hodie non tantum est certum, sed fidei proximum, ut ait ad rem *P. Cretoni,* ex principiis a S. Sede solemniter traditis, quod ministri hujus sacramenti sunt ipsi contrahentes. Idque aperte constat: 1.° Ex definitione Trid., *sess.* 24, *c.* 1, *de R.*, ubi declarat, *clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit;* atqui fidelium matrimonia existere nunquam possunt absque sacramento, ut definivit Innocent. III, et declaravit Pius IX in Allocutione 27 sept. 1853 dicens: *Cum nemo ex catholicis... ignorare possit, matrimonium esse vere, et proprie unum ex septem Evangelicæ legis sacramentis, a Christo D. institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum,* et ita passim; ergo datur matrimonii sacramentum absque sacerdote; ergo ipsi contrahentes sunt quidem

hujus sacramenti ministri. Idem dicendum de hæreticorum conjugiis, quæ non amplius ab Ecclesia benedicuntur, licet illi convertantur.

2.° Ex eo quod S. C. C. declaravit valere matrimonia etiam in facie Ecclesiæ, licet parochus nulla verba proferat; imo licet affectet verba sponsorum non intelligere, vel renuat, increpet, etc., modo revera intelligat quid agitur; ergo sacerdos non est ibi minister, sed solum testis.— Et Instructione *S. C. de Propag.* anno 1869 ad Archiep. *Fogarien.*, etc., legitur: *Si quis mixta connubia cum passiva tantum parochi assistentia, quæ S. Sedes pro validis habet, sacramenti ratione destituta esse pronuntiaverit, contractum in matrimonio christianorum a sacramento dividi posse supponeret, atque in hoc doctrinæ Ecclesiæ contradiceret:* unde fluit Ecclesiæ doctrinæ contradicere asserentem, sacerdotem esse ministrum matrimonii.

3.° Ex eo quod Christus D. contractum naturalem elevavit ad dignitatem, et esse hujus sacramenti; atqui causa efficiens hujus contractus naturalis est mutuus contrahentium consensus, ut dicit Eugenius IV in decreto *ad Armenos;* ergo et sacramenti legitime celebrandi; cum hic contractus habeat rationem sacramenti, seu non distinguatur a sacramento inter christianos.—Et nulla adest in hoc repugnantia. ¿Nonne quilibet etsi ethnicus cum aqua naturali valide baptizare potest, et sic etiam sacramentum conferre?—Sic in Rituali Romano *Sangallensi* de novo anno 1849 impresso, quo illa diœcesis utitur, hæc habetur forma: *Matrimonium per vos contractum secundum ordinem S. Matris Ecclesiæ, ego auctoritate, qua in hac parte fungor, ratifico, confirmo, et benedico in nomine Patris,* etc. Hanc et alias formæ variationes non permitteret Ecclesia, si sacerdos esset minister hujus sacramenti: ergo... (V. n. 500).

4.° Ex doctrina *S. Lig., l.* 6, *n.* 54, (a S. Sede, et a S. Pœnit. toties approbata), ubi dicit, quod *ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes, et parochus non est nisi merus testis.* Unde parochus non proprie conjungit coram Deo, sed in facie Ecclesiæ approbat, et palam eorum conjunctionem jam initam declarat esse legitimam, uti necessaria conditio a Trid. definita, ubi est promulgatum clandestinitatis decretum. (Ita *Scavini, l.* 3, *n.* 733, *Hurter, n.* 652 et *communissime*).

980. **Subjectum sacramenti matrimonii** est *omnis homo baptizatus, nullo impedimento, sive naturali, sive divino, sive canonico laborans.* —Unde matrimonium inter infideles est tantum naturalis contractus, cum non baptizati incapaces sint sacramenti. Controvertitur an fidelis, Papa dispensante, cum infideli contrahens, sacramentum conficiat. Negant aliqui, cum utriusque consensus per modum unius concurrat ad materiam unius sacramenti; unde si materia ex parte unius idonea non sit, incapax erit et ex parte alterius; nam hæc sola pars non affert nisi medietatem, ut ita dicam, sacramenti materiæ; et esse nequit sacramentum partiale, sed integrum, ac generale inter sponsos. Aliunde signum unionis Christi cum Ecclesia, gratiam sacramentalem conferens, minime in unione partiali, sed in unione viri et mulieris consistit, quæ unio Christi cum Ecclesia non potest repræsentari ab infideli. *(Billuart,* et *Gury; n.* 772, *contra paucos,* ut ipse ait).—Affirmant *alii;* cum enim ex parte fidelis nihil deficiat ad esse sacramenti, ipse recipiet gratiam sacramenti. *(Del-Vecchio, Perrone, Vega,* etc.)

**Hæretici, et schismatici**, qui substantiales Ecclesiæ leges matrimo-

nium ineundo servant, valide contrahunt, et sacramento muniuntur, licet informi; nihil siquidem hujus valori obstat. Idque confirmat Ecclesia, quæ ad nihil amplius eos adigit, si resipiscentes ad veram fidem redeunt. (Ita *omnes*).—Si de Baptismi validitate dubitetur, en S. O. C. decretum 5 febr. 1831: *Generatim qui convertuntur ad catholicam fidem, habendi sunt ex capite Baptismi tanquam valide conjugati, nisi forte certe, et evidenter constet in aliquo particulari casu hæreticum, de quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum. Sed orator, quoties occurrunt casus particulares hujus generis, recurrere debet cum expositione omnium omnino casus circumstantiarum ad S. Sedem; et detur decretum authenticum*, 17 *nov.* 1830 *a Pio VIII approbatum*. In eo autem decernitur, quod etiam dubio perseverante de valore Baptismi, validum illud sit censendum, in ordine ad matrimonii validitatem. *(Scavini, l.* 3, *n.* 726).

Quoad Baptismum vero propositum fuit: «An Baptismus sub conditione conferri debeat hæreticis, qui se convertunt ad religionem catholicam, a quocumque loco proveniant, et ad quamcumque sectam pertineant?» In Congr. generali S. Inq., 20 nov. 1878, responsum fuit: *Negative*. «Sed in conversione hæreticorum a quocumque loco, vel a quacumque secta venerint, inquirendum de validitate Baptismi in hæresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tum *sub conditione* secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem, seu professionem fidei.» (V. n. 555).

*Hæretici cum catholicis valide* matrimonium inire queunt; nam cultus disparitas tantum inter baptizatos, et non baptizatos locum habet.—Sed per se prorsus illicite: 1.° *Jure naturali* ob perversionis conjugis, et prolis periculum.—2.° *Jure divino* jubente hæreticos vitare. (Tit. III).—3.° *Jure ecclesiastico*, ut patet ex pluribus Conciliis, et SS. Pontificibus incipiendo a Clemente VIII usque ad Pium IX, dispensatione seclusa. Hinc puella catholica, quæ graves habet rationes, sive ob familiarum circumstantias, sive ob alia magni ponderis motiva, matrimonium cum hæretico inire licite valet hisce conditionibus:—1.ª Ut ei permittatur in fide libere permanere.—2.ª Ut absit perversionis periculum.—3.ª Ut detur libertas prolem catholice educandi.—4.ª Ut facile non sit invenire parem inter catholicos.—5.ª Ut conjugis acatholici conversio ab ipso conjuge catholico pro viribus procuretur, super quibus juratam promissionem conjuges respective emittere debent; quarum si una desit, non licebit. *(Croix, n.* 95, *S. Lig., n.* 56). Additur, ut petatur prius dispensatio. *(Gury*, et *alii plurimi)*.

**Matrimonium inire cum publico peccatore** non licet, si agatur de excommunicato vitando; quia non licet cum eo communicare in re sacra; aliter dic probabilius de tolerato. *(Sanch., S. Lig., n.* 55, et *alii plures)*. Secus, si sermo sit de alio peccatore, et aliter contrahens sine gravi incommodo a matrimonio recedere nequeat; nam etsi contrahentes sacramentum conficiant, non sunt tamen ministri ad sacramenta deputati. (Ita *Lugo, n.* 23, *Gury, n.* 775, *cum communi)*. (V. n. 517 et 520).

# CAPUT IV.

## De celebratione Matrimonii canonici, et civilis.

981. **Ad matrimonii canonici celebrationem** aliquæ requiruntur conditiones, tum ex parte *sponsorum*, tum ex parte *parochi assistentis*. I. *Ex parte sponsorum* requiritur status gratiæ. Ideo *Trid., sess.* 14, *c.* 1, *de Matr.*, hortatur sponsos, *ut antequam contrahant... sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie accedant.* Tamen ex *S. C. C.* 28 *aug.* 1852 exigere absolute nequit parochus talem confessionem; sufficit enim contritio, secluso alio præcepto.

II. *Ex parte parochi,* vel alterius legitime assistentis, requiritur, ut accurate servet ea, quæ in Rituali sunt præscripta: 1.° Ut superpelliceo (depositis cappa et mozzetta), vel alba, et stola indutus, coram duobus saltem testibus de consensu in matrimonium utrumque sponsum vulgari sermone singillatim interroget: *Si immediate sequitur Missa, sacerdos præter albam et stolam induere debet etiam planetam.* S. R. C. 31 aug. 1867.— 2.° Si nuptiæ sint benedicendæ, Missam, servatis rubricis, convenientem legat. Vidua *solemniter* non benedicitur, etsi vir prima vice matrimonium contrahat, ex S. R. C., 8 *mart.* 1761. Mulier corrupta, si primo nubat, benedicitur, ex S. C. C., 2 *oct.* 1593. Sed si ante benedictionem conjuges in eadem domo habitent, non sunt amplius benedicendi ex S. R. C., 14 *aug.* 1858, apud *Scavini, l.* 3, *n.* 826. Sed possunt benedici, etsi mulier filios genuerit, vel gravida sit, ex S. C., *de prop. fide*, jun. 1841.—Nec probabilius est danda conjugibus jam benedictis, licet eorum primum conjugium sit renovandum, utpote nullum; quia benedictio primario personas respicit. Parochus vero commonéfaciat hujusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere conjugii. S. O. C. 1862. Nuptialis benedictio nonnisi in Missa est impertienda, ex mandato Pii IX, 23 jun. 1853, 26 mart. 1859, etc. Neque grave videtur illam in omni casu omittere; cum non sub gravi hæc cæremonia sit recepta. *(Scavini).*— 3.° Non est concedenda benedictio extra propriam parœciam sine parochi loci consensu; quippe etsi parochus valide ubique assistere possit, uti testis, nequit tamen ita exercere solemnitatis actum, qualis est nuptialis benedictio. *(Scavini).*

982. Q. *An, et quomodo parochus assistere possit matrimonio mixto?*

R. I. *Si altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtæ religionis, et servatis solitis clausulis, et conditionibus, licere* (assistere), respondit *S. C. Inq.* 20 dec. 1838. Celebratio istius matrimonii fieri debet *coram parocho, et duobus testibus*, et juxta *Trid.* extra ecclesiam, sub qua sacristia comprehenditur, et sine parochi benedictione, nec verba *Ego vos conjungo* proferenda ex S. C. O., 1 *sept.* 1841. Sed post instructionem 15 nov. 1858, jussu Pii IX ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, et locorum Ordinarios de mixtis matrimoniis datam, si absque parochi benedictione celebrari nequeat, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, judicio sacrorum Antistitum est caute remissa tolerantia adhibendi aliquam partem catholici ritus in ejusmodi nuptiis celebrandis,

exclusa vero Missæ celebratione. Neque fieri possunt bannorum proclamationes, ex Pio VI ad Card. de *Frankenberg.*

II. *Si vero uterque sponsus consentire nolit, ut proles in catholica religione edoceatur,* adhuc assistere poterit parochus ut merus testis qualificatus, ex Litteris Gregorii XVI ad Primatem, et Episcopos *Hungariæ*, 20 apr. 1841, modo adsit ratio tale matrimonium permittendi, nempe si absque graviori discrimine impediri nequeat; vel Ecclesiæ utilitati, aut bono communi expedire videatur. Ast sacerdos catholicus tuta conscientia assistere nequit matrimonio eorum, qui ante, vel post matrimonium contrahunt etiam in ecclesia protestantica ritu protestantico. Ita *S. C. Inq.* 21 *apr.* 1847.

Q. *Quid, si confessarius pœnitentem matrimonium hic et nunc contracturum absolvere non possit?*

R. I. Si pœnitens in bona fide putat se licite matrimonium contrahere posse, etsi non sit absolutus, et prævideatur monitionem contempturum esse, taceat confessarius de obligatione status gratiæ, ne formaliter ille peccet. Dicat autem pœnitenti, ut ante matrimonium contendat vero dolore conteri, et paulo post ad me, (vel apud alium confessarium) reverteris, ut confessionem tuam perficere valeas, et sic uberiores recipias gratias.

II. Si autem monitio sit profutura, vel in mala fide jam inveniatur pœnitens, de rei gravitate moneatur; et si minime absolvi possit, confessarius a matrimonio eum retrahere curet, usquedum absolvi possit, vel saltem corde conteratur, fortiter loquendo de sacrilegio, quod secus committet. Sic non censetur confessarius pœnitentis sacrilegium approbare, aut ad illud coöperari. *(Scavini, n.* 827, *Examen raisonné,* Lyon, 1851, *Gury, n.* 773).

Q. *An parochus assistere possit matrimonio publici peccatoris, vel illius, qui contra leges, ac jura Ecclesiæ agit, antequam a censuris absolvatur?*

R. Cavendum pro viribus est, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur; at si recusent, et nisi matrimonium celebretur, gravia damna sive parocho, sive parœciæ, sive alia scandala imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quæ a probatis auctoribus, et præsertim a S. Alphonso Ligori (... l. 6, n. 54) traduntur, ea declaret, quæ magis expedire in Domino judicaverit, exclusa semper Missæ celebratione. Ita *S. Pœnit.* 10 *dec.* 1860.

*S. Lig., l.* 6, *n.* 54, hæc habet: 1.° *Certum est teneri parochum arcere a matrimonio eos, qui nesciunt doctrinam christianam, uti constat ex Rit. Rom.*, ex *S. C. habita coram Innocent. XII, ann.* 1697, etc.—2.° Si contrahentes publice peterent, et essent indigni ratione peccati, vel censuræ occultæ, recte dicunt *Lugo, Croix, Arriaga, et communiter* parochum teneri assistere.—3.° Si contrahentes sint publice indigni, affirmant item *Layn, Croix, Lugo, cum Propos.*, modo parochus prius conatus fuerit disponere sponsos ad digne contrahendum, cum non sit nisi testis, et sua cooperatio mere materialis; nec possit suam negare assistentiam. — 4.° *Hoc tamen non obstante,* addit, *minime acquiescimus primæ sententiæ, et dicimus parochum non teneri, nec posse assistere tali matrimonio;* et cum Benedict. XIV, *de Synod.*, c. 7 et 29, sic assertum probat: *In multis* (parochus) *comparatur ministro, nec licite sua præsentia firmare potest*

*contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri.* Deinde *S. Doctor* addit : *De jure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter peccatum jam interne consummaverit;... ita nec parochus in nostro casu ; tum quia parochus tenetur ex justitia, ex contractu inito cum communitate, a qua stipendium accipit, incumbere saluti spirituali suarum ovium, eas avertendo a peccatis.* Sponsi enim jus non habent nisi ad id, quod confert ad bonum. — 5.° *Et quod dicimus de parocho, dicendum est etiam de testibus, qui tamen satis excusantur a peccato, si assisterent coacti metu gravi, cum ipsi non teneantur, nisi ex charitate impedire peccatum. Parochus autem etiam excusari potest ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato. Præterea satis excusantur a culpa parochi, ut ait Laym. d. n.* 8, *qui assistunt matrimoniis hæreticorum in locis ubi est consuetudo, et mixti sunt hæretici cum catholicis.*—6.° *Certum est tamen, quod parochi in matrimoniis contrahendis tenentur ex officio inquirere, an subsit aliquod impedimentum, et si probabiliter illud subesse judicent, tenentur suam assistentiam denegare, et nuptias vetare, donec saltem per Ordinarium decernatur, quid sit agendum.* (Ita *Sanch., Croix, Lugo, et alii communiter).*– Unde si sponsi jam sint civiliter conjuncti, vel in concubinatu, et ad meliorem frugem resipiscere nolint, ut ita a gravissimo concubinatus peccato liberentur, eos legitimo matrimonio conjungere valet parochus. *(Scavini, l.* 3, *n.* 828).

983. Q. *Quid si sponsi in confessione declarent impedimento aliquo occulto ex culpa ligari, at desistere non posse absque scandalo, cum omnia jam sint parata, invitati amici, factæ denuntiationes,* etc.?

R. I. Quoties Episcopus adiri possit, est adeundus; nam juxta communissimam probabilissimamque sententiam eo in casu ab ecclesiasticis impedimentis dispensare valet. (V. t. I, n. 178). Adest profecto lex superioris ordinis, scilicet, naturalis ad impediendum scandalum et infamiam adigens: proinde vel cessat lex, vel saltem tunc Episcopus dispensare valet; recte sane præsumitur Papam illi facultatem delegare. *Cardenas* hoc dicit moraliter certum; Bened. XIV, *De Synod. l.* 7, *c.* 31, concedit id esse fere commune; *Pyrrus Corradus* testatur insuper id declarasse Sixtum V. Ita *S. Lig., n.* 613, *Barb., Dejustis*, *Scavini, n.* 814, et fere omnes.—Imo valde probabiliter dicunt, tunc prædictam facultatem aliis elargiri posse; cum concedatur Episcopis ratione dignitatis; unde accipit rationem ordinariæ potestatis, quæ eorum Vicariis generalibus ratione sui officii denegatur. Ita communiter *Sanch., Bon., Salm., n.* 12, *S. Lig., ibid.*

II. Si vero Episcopus adiri nequeat, et nuptiæ differri non possint sine scandalo, aut infamia, vel aliis gravissimis incommodis, et pœnitens in bona fide versetur, ac spes fructus ex monitione desperetur; hæc omittenda est; tunc enim permittenda erit matrimonii celebratio, et interim obtineatur dispensatio; permittitur siquidem materialis fornicatio ad formalem vitandam. *Laym., Gury, n.* 771, *Lugo, n.* 24, *S. Lig. in praxi n.* 8.

III. Si denique pœnitentes in mala fide, aut vincibili ignorantia versentur, suadeat illis confessarius, ut contrahant sub conditione: *Si Papa dispenset;* animo tamen interea vivendi sicut frater et soror, cum nullum sit conjugium, ac obtenta dispensatione iterum contrahant. Si ad hoc convenire nolint, tunc infamia, et scandalum ex impedito matrimonio secuturum, malitiæ suæ erit imputandum. Si vero impedimenti cognitio

se teneat ex parte unius tantum; qui turpitudinem suam alteri parti non vult prodere, communiter *Ronc.*, *Salm.*, *Pignatell.*, *Cajet.*, *S. Lig.*, *n.* 613, *Scavini, n.* 814, *etc.*, concedunt, parochum eo in casu specialissimo declarare posse cessationem impedimenti; nam tunc lex fit nociva, ideoque cum cesset contrarie, cessat quoque habere rationem veræ legis: etiam pugnat cum alia lege superioris ordinis. Juxta *Pignatelli*, saltem ad cautelam, quantocius deinde ad S. Pœnit. fiat recursus. (V. t. I, n. 201.)

IV. Si autem impedimentum sit publicum, vel exurgat ex causa honesta, uti si quis consanguineam ducere velit, tunc nulla erit infamia, si illud manifestetur: imo potius tunc scandalum adesset, si contraheretur conjugium absque legitima dispensatione. *Scav.*, *n.* 814. *Unde si parochus, vel confessarius cognoscat inter civiliter conjunctos, vel alios concubinarios adesse publicum impedimentum*, a quo Ecclesia non dispensat, eos separare curet, et minime in tali concubinatu manentes ipsos absolvat; cum enim impedimentum sit publicum, ita est etiam scandalum, quod cessare nequit, nisi per separationem.—*Si vero in mortis articulo sic conjuncti inveniantur*, et confessionem petat concubinarius, dicat ei parochus, ut se corde pœniteat de scandalo dato, et ne cum concubina aliud habeat commercium; et si urgeat mors quin aliud permittat, illum absolvere poterit ea conditione parendi mandato Episcopi in ordine ad suam tristissimam conditionem. *(Gousset).*—Si id renuant, absolutionem negabit parochus, nisi asserat infirmus, quod, sanitate recuperata, coram Ecclesia contrahet; in quo casu absolvere eum poterit, si occultum sit impedimentum, et separationem *quoad torum* serio promittat, etsi non *quoad tectum;* nam *sacramenta propter homines:* et aliunde cum impedimentum et contubernium sint occulta, scandalum forsan ex separatione repentina oriretur. Ad hujus doctrinæ confirmationem sequens afferemus decretum. Titius et Berta, conjuncti in 3.° consanguinitatis gradu, abhinc pluribus annis maritaliter vivebant, exinde tres obtinuerant filios. Berta in mortis periculo constituta, parochum vocat, cui ad legitimandam prolem cum adire superiorem non suppeteret tempus, dispensando in matrimonium illos conjunxit, ac postea obiit Berta. De hac re certior factus Episcopus ad S. Pœnitentiariam recursum fecit, quæ sic respondit: «Sacra Pœnitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente SSmo. Dno. Ntro. Pio IX Papa, Ordinario *Pasen.* facultatem concedit prædictum matrimonium *nulliter* contractum ob impedimentum tertii consanguinitatis in linea collaterali gradus, super enuntiato tertii consanguinitatis gradus impedimento Apostolica auctoritate dispensando in *Radice* sanandi pro utroque foro, perinde ac si ab initio præfatum impedimentum minime extitisset, prolesque antea susceptas legitimas decernendi. Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus... Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 20 augusti an. 1870. Pellegrini, etc.» Eodem sensu respondit ad Archiepiscopum Granatensem etiam in Hispania. Imo eidem poscenti facultatem hujusmodi benedicendi, et eam parochis delegandi, responsum fuit: *Non convenire.* 18 maj. 1870.

V. *Si concubinatus*, vel *civilis sola conjunctio*, vel *impedimentum canonicum sit publicum*, et infirmus coram aliquo fideli veniam petat de scandalo dato, et serio promittat mandatis Ecclesiæ stare, obtenta salute, adhuc absolvere eum potest confessarius in urgente necessitate, et amoto omni commercio, et familiaritate cum sua concubina, et periculo peccan-

di; quæ quidem protestatio ad scandalum auferendum, aliquo modo publica fieri debet: si autem tempus permittat, saltem per epistolam Episcopus est adeundus ad obtinendam dispensationem. *(Frass., Scav., n.* 541).

—Si parochus in ipsa concubinarii confessione cognoscat hunc infelicem statum pœnitentis moribundi, venia petita, et obtenta, curare debet in primis, ut rite matrimonium contrahant concubinarii, si liberi sint, omissis denuntiationibus, et cum Episcopi licentia, si id permittat tempus. —Si vero prævideat parochus, quod non expediat tale conjugium ob graves rationes, sive ex parte concubinariorum, sive ex parte familiæ, sive ex alia ratione, tunc se gerere debet ut supra, quando, nempe, matrimonium est impossibile, ratione habita publici, vel occulti impedimenti, ac periculi mortis. *(Frassinetti).*

VI. Quando sponsus civiliter tantum conjunctus matrimonium in facie Ecclesiæ convalidare recusat, et a conjuge separari nolit, neque consensum suum renovare, nulla alia restat via quam dispensationem in *radice* obtinere, modo nulla pars consensum revocaverit; pars, quæ hanc postulat, alteram monere non debet, usquedum illam exequatur; ac interim a conjugio se abstinere tenetur; parochus deinde concubinario id ostendet, ut in bona fide vivat: a Communione vero privati manent, usquedum scandalum amoveatur per rei cognitionem. *(Gousset).*

—Si una, vel utraque pars ad renovandum consensum coram parocho et testibus consentiat, sed ad Ecclesiam pergere renuat, tunc, habita Ordinarii licentia, domi, vel alio loco conjungantur, modo adsint testes graves, quorum ope convalidatio rite fiat publica, si opus sit, ad tollendum scandalum. *(Gury, Scavini, l.* 4, *n.* 540 *et* 542).

Q. *Quid, si parochus fuerit interrogatus circa opportunitatem matrimonii contrahendi?*

R. Caute se gerat, ne in maledictiones compartis, vel propinquorum suorum se immittat. Consultius respondere poterit, ut coram Deo id recogitent; rectum finem sibi proponant; gratiam a Deo, et consilium a parentibus, vel propinquis prudentioribus postulent; et quod in mortis hora eligere vellent, nunc amplectantur.—Tamen si agatur de gravi familiæ damno, vel scandalo impediendo, tunc parochus, cum ex officio suo id impedire debeat, caute veritatem aperiat, et omnium bonum, maxime spirituale, curabit.—Quilibet sacerdos circa hanc rem interrogatus tam in confessionario quam alibi, omni modestia, ac verborum gravitate respondeat coram Deo, quod magis expedire censuerit; secus forsan suæ castitatis suspicionem ingeret, ac fidelium scandalum. *(Scavini, l.* 4, *n.* 536).

984. **Matrimonium civile** est quod *initur,* seu *attentatur coram civili auctoritate.* Hinc: 1.° In locis ubi Tridentinum decretum *Tametsi* viget, hoc matrimonium est, *per se solum,* civile contubernium, ac uterque contrahens absolutione indignus, donec præscriptionibus Ecclesiæ se subjiciat. (Ita *S. Pœnitent.*, 16 *jan.* 1866).—Unde filii ex civili conjugio orti sunt illegitimi, tanquam ex concubinatu nati. (S. C. C., 31 *jul.* 1867). —2.° At licitum est, ac expediens ad vexationes, pœnasque vitandas, ut fideles postquam canonicum legitime matrimonium contraxerint, civili auctoritati se sistant, ut civilem cæremoniam exequantur, ad civiles effectus obtinendos. Imo, si adsit coactio, etiam antequam coram Ecclesia contrahant, modo interim sejuncti vivant. (Ita *S. Pœnit.*)—3.° Quocirca

pergat parochus catholicam doctrinam matrimonii docere populum, admonens, eos, qui juxta Ecclesiæ praxim non contrahunt, mortaliter peccare, ac in publico concubinatu manere, et indignos fieri omnium spiritualium bonorum.—4.° Inquirat an aliquo impedimento canonico, vel civili sponsi detineantur, et conjugium differant, quousque omnia auferantur obstacula, ne se discrimini committant; et si urget coram Ecclesia contrahere, aliqua deficiente conditione civili, inconsulto Ordinario, ne procedat parochus ex *S. Pœnitentiaria*, ob subsequutura incommoda, ac pericula.

**En España**, segun *Real decreto de* 9 *de febrero de* 1875, se ordena: 1.° que el matrimonio canonico produce todos los efectos civiles; por lo que los reverendos Párrocos no pueden prescindir para autorizarle de lo prescrito por la ley civil respecto al consentimiento ó consejo. *Art.* 1.°—2.° A todos los que contraigan matrimonio les advertirá el Párroco la obligacion que tienen de solicitar en el término de 8 dias, contados desde su celebracion, su inscripcion en el registro civil, presentando la partida del Párroco, que acredita el matrimonio contraido; pues de no hacerlo sufrirán la multa de 5 á 50 pesetas, y además de 1 á 5 pesetas por cada dia de los que tarden á verificarlo, pero sin que ésta pueda exceder en ningun caso de 400 pesetas. *Art.* 2.°—3.° Segun *Real decreto de* 17 *de febrero de* 1879 se prorogan hasta que otra cosa se disponga, los plazos concedidos para la presentacion al registro civil de las partidas de matrimonios canónicos. En lo sucesivo no podrán admitirse en los juzgados y tribunales, ni en los consejos y oficinas del Estado las partidas de matrimonios canónicos que carezcan del requisito de la trascripcion al registro en la forma establecida en 9 *de febrero de* 1875, *art.* 4.°—4.° Los Parrocos deberán pasar á los encargados de dicho registro en los dias 1 y 15 de cada mes una relacion, ó negacion, de los matrimonios que autoricen en sus respectivas parroquias. *Art.* 15.

Segun *Real órden de* 7 *agosto de* 1875, las partidas de matrimonio, que expidan los Párrocos para su inscripcion en el registro civil, se extienden en papel de oficio cuando los interesados sean pobres, y cuando alguna autoridad sin instancia de parte reclame algun documento; debiendo entenderse que si el documento redundase en utilidad de alguna persona, que no tenga la consideracion de pobre, deberá reintegrarse oportunamente el valor del papel del sello 11.° con que en todos los demás casos se expidan las partidas de matrimonio. Las copias ó certificados de las partidas sacramentales ó de defuncion en papel de sello de 2 rs. *R. decreto de* 12 *de setiembre de* 1861, *art.* 44. (V. n. 132).

Segun *R. O. de* 6 *junio de* 1867 *y declaracion de la Administ. Económ. de la provincia de Madrid en* 8 *agosto de* 1878, se debe emplear papel de sello 9.° cuando el consentimiento paterno se lleva á efecto en diligencia judicial.—En papel de sello 5.° cuando se consigna en escritura pública.—En sello 11.° cuando se hace una comparecencia ante Notario, ó lo que se llama un acta notarial.—Segun la *Inst. de* 10 *de nov. de* 1861, *art.* 85. *prev.* 10, *y la R. O. de* 7 *de agosto de* 1875, los visitadores de papel sellado se limitarán á los libros y documentos sacramentales y de defuncion expedidos con posterioridad á la última visita: sin autorizacion de la direccion general no pueden ser examinados de nuevo los que lo hayan sido. Para esta visita no deben sacarse fuera de la oficina parroquial dichos libros.—La infraccion en la clase de papel será penada en general con el reintegro de la cantidad perjudicada á la Hacienda en papel de multas. *R. O. de* 7 *agosto de* 1875.

**Consentimiento paterno y consejo.** Segun la *ley de* 20 *de junio de* 1862, y *R. decreto de* 28 *de set. de* 1863, el hijo de familias que no ha cumplido 23 años y la hija 20, necesitan para casarse del consentimiento paterno.—Se exceptúan los hijos ilegítimos, los adoptivos y los viudos, segun declaracion del *T. S. de Justicia.* (*Gutierrez, l.* 1, *p.* 253).

El dar el consentimiento corresponde 1.° al padre;—2.° en su defecto á la madre, aunque pase á segundas nupcias;—3.° en defecto de ésta, al abuelo paterno, y al

materno, mas no pasa ya á las abuelas;—4.° pasa entonces al curador testamentario (menos que el matrimonio proyectado lo fuese con pariente suyo dentro del 4.° grado civil), y al juez de primera instancia sucesivamente: y tanto el curador como el juez procederán en union con la junta de parientes mas próximos, ó sea de ascendientes del menor, hermanos mayores de edad, maridos de hermanas en igual condicion, viviendo éstas; y en su defecto o cuando sean menos de tres, se completará la junta hasta el número de cuatro vocales con los parientes varones mas allegados mayores de edad, elegidos con igualdad entre las dos líneas, comenzando por la del padre. En igualdad de grado, serán prefereridos los parientes de mayor edad. El curador, aun cuando sea pariente, no se computará en el número de los que han de formar la junta. *Art.* 4.°—La distancia de mas de seis leguas escusa á los parientes de asistir á la junta; otramente si no hay legítima causa, la multa no excederá de 10 duros. *Art.* 5.° —Cesa la necesidad del consentimiento de los curadores, juez y junta de parientes, si el que quiere casarse ha cumplido la edad de 20 años, cualquiera que sea su sexo. *Art.* 3.°—Los ilegítimos solo han de impetrar el consentimiento de la madre; á falta de ésta, del curador, y por último del juez, como arriba.

Los jefes de las casas de expositos serán considerados para eso como curadores de los allí recogidos y educados. (*Art.* 13). Las personas autorizadas para prestar su consentimiento no necesitan expresar las razones en que se fundan para rehusarlo. (*Art.* 14). Si el consejo no fuese favorable, segun el art. 15 de la ley de 20 junio de 1862, no podrán casarse hasta transcurridos tres meses desde que lo pidieron.—La peticion del consejo se acreditará por declaracion del que hubiere de prestarlo ante notario público ó eclesiástico, ó bien ante el juez de paz municipal, previo requirimiento, y en comparecencia personal, y no ante el párroco. (*R. órden* 17 *nov. de* 1864). Ningun presidario podrá contraer matrimonio sin licencia expresa del Director general. *Ord de presid., art.* 122. Los gobernadores civiles podrán dar esta licencia en caso de conciencia o á la hora de la muerte. *R. órden de* 2 *set. de* 1871.—Segun los decretos de 21 mayo y 10 de set. de 1873, quedó suprimido el llamado *expediente de licencia* para los militares del ejército y armada, quedando sujetos á las prescripciones consignadas en la ley del matrimonio civil.

Los contraventores serán castigados segun el código penal (pero no se señala desheredamiento), y el párroco que autorizare el matrimonio, en la de arresto menor. (*Art.* 15 y *R. órden de* 16 *dic. de* 1863).

Con ansia se está aguardando hoy dia un decreto que resuelva lo que debe hacerse cuando el consentimiento y consejo sean favorables. Se ha opinado generalmente por varios prelados y escritores (como Salazar, La Fuente, Fermin Avella, etc.), durante algunos años, que en este caso basta que el llamado á darle lo manifieste así al Sr. párroco, y firme su declaracion en el modo y forma que se usa respecto al consentimiento: 1.° Porque únicamente despues de hablar del caso en que el consejo no sea favorable, exige que se acredite la peticion del consejo por declaracion hecha ante notario, pues entonces, como el hijo no puede contraer matrimonio sino despues de tres meses, es necesario que conste por un documento público, circunstancia que no existe siendo favorable el consentimiento.—2.° Porque bastando la simple comparecencia del padre para dar el consentimiento, con mayor razon debiera bastar para otorgar el consejo, por ser acto de menor importancia y menos peligroso; lo contrario solo ocasiona dificultades y gastos inútiles. Sin embargo, se ha dado el caso de procesar á algunos párrocos por haber recibido directamente de los padres de los contrayentes el consentimiento y consejos prevenidos por la ley. Varios prelados han dirigido consultas al ministerio de Gracia y Justicia, y es de esperar una solucion conforme á la razon. Aun, pues, que con arreglo á la justicia parece que los Sres. párrocos pueden recibir el consentimiento y consejo favorables, si lo hacen, se exponen. (Véase el periódico llamado *La Fé*, 21 junio de 1879).

Consultó el Excmo. Sr. Arzobispo de Valencia al Sr. Ministro de Gracia y Justicia el caso de dos jóvenes, uno de los cuales estaba en peligro de muerte, y querian ambos casarse y legitimar la prole; pero ó no hay tiempo para obtener el consenti-

miento, ó este es negado: quien, evacuando la consulta, dijo: «Que la ley no responde de un modo categórico... Mas interpretando el art. 8 º del Código penal, en que se trata de las circunstancias que eximen de responsabilidad criminal, considerando exento de ella al que obra en cumplimiento de un deber, supone que el eclesiástico que *in articulo mortis* casase á uno sin el consentimiento paterno, siendo el caso de grave necesidad, obraria en cumplimiento de un deber religioso.» *Boletin eclesiást. de Solsona, año de* 1878, *pag*. 194.

La *ley* 18, *tit*. 2, *lib*. 10, *Nov. Rec.* priva de accion civil á los contratos de esponsales no celebrados por personas hábiles y con pública escritura; lo propio hace la actual legislacion. Todas estas disposiciones civiles, en caso conveniente, podrian los reverendos párrocos notificarlas á los interesados para evitarles perjuicios é incomodidades.

---

# CAPUT V.

## De matrimonii revalidatione.

985. **Matrimonium invalidum esse potest** *ob defectum consensus, ob defectum formæ præscriptæ*, et *ob partium inhabilitatem*. Unde:

I. *Matrimonium irritum ob consensus defectum* revalidari potest per ejusdem positionem. Si ex utraque contrahentium parte consensus defuit, utraque ipsum renovare debet; nam sine consensu nullus subsistit contractus.—Si vero ex una tantum parte, communius, ac verius sufficit hujus renovatio, quin compartem moneat, præsertim si mali exitus timeri queant; consensus enim alterius partis vere positus *virtualiter* saltem perseverat, quandiu positive non retractetur. Ita *Scavini, Gury, n*. 891, *S. Lig*., *n*. 1114.—Tamen, si nihil mali timeatur, tutius, et in praxi tenendum erit compartem certiorare; agitur quippe de valore sacramenti. (Ita *Benedict. XIV, Gury, et communiter).* Non tamen est renovandus consensus coram parocho, et testibus ex praxi Ecclesiæ, et communi sententia; cum jam id sit adimpletum, et ex omissione nullum timeatur damnum. *(Ita Gury, n*. 898, *S. Ligor*., *n*. 1110, *et alii).*

II. Cum *matrimonium sit nullum ob defectum formæ præscriptæ,* v. gr. ob clandestinitatem, ad parochum fiat recursus, vel publice, vel occulte, prout nullitas matrimonii occulta, aut publica sit; nam in hoc casu scandalum est removendum; in illo autem sponsorum fama est curanda, nisi aliud Ordinarius judicaverit, amoto semper aliqua via publico scandalo. *Ita Gury, et communiter AA*., et confirmatur ex declaratione *Card. Caprara* legati *a latere* in Galliis.—Si altera, vel utraque pars renuat ad ecclesiam pergere, in sua ipsorum domo, vel alio loco ab ipsis electo coram parocho, et testibus contrahant, dummodo semper amoveatur scandalum. (*Gury, n*. 893).

—Si veró altera pars coram parocho contrahere renuat ex ignorantia, vel errore contra leges Ecclesiæ circa impedimenta matrimonii, cum charitate, et prudentia instruatur. *Et quatenus adhuc renuat matrimonium suum in facie Ecclesiæ convalidare, tunc satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui ejus nomine matrimonium contrahat de more; aut saltem, expresso consensu de præsenti per epistolam directam proprio parocho, vel alteri sacerdoti Ordinarii, aut parochi licentiam ha-*

*benti, matrimonium renovetur.* (Ita *Card. Caprara* in præfata instructione). Si hactenus præscripta obtineri nullatenus possint... ad dispensationem in radice... deveniri posse judicamus, ita ut saltem innocentis partis animæ saluti, prolis legitimitati, et familiæ tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animæ saluti provideri possit. *(Ita Card. Capr.)* Quod si neutra pars denuo matrimonium contrahere consentiat, restat ut parochus ferventi orationi vacet, et assidue horum conversionem curet. *(Gury).*

III. *Matrimonium irritum ob partium inhabilitatem revalidari debet per congruentem dispensationem.* Unde: 1.° Si matrimonii nulllitas sit publica, conjuges illico sunt separandi, ut scandalum auferatur.— 2.° Dispensatione obtenta, iterum coram facie Ecclesiæ centrahere debent, ut publice constet matrimonii validitas, scandalum tollatur, et Brevia *Datriæ* id exigentia adimpleantur: si quæ difficultas occurrat, adeatur Episcopus.—3.° Si impedimentum sit occultum, sufficit privatim consensum renovare; cum enim coram parocho et testibus jam fuerit initum conjugium, nihil aliud deerat, nisi solus consensus; nam *Trid., sess.* 24, *cap.* 1, assistentia fuit adimpleta; quippe præscripta est tum ad probandam matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem conjuges alias ineant nuptias; tum ad testandam conjugii validitatem, quæ multipliciter ignota esse potest. Ita Bened. XIV, *Notif.* 87, *n.* 62, *S. Lig., n.* 1110, *Gury, n.* 898, *cum communi.* Et *sic statuit, ac in praxim constanter deduxit S. Pœnitentiaria ex Oraculo S. Pii V,* ait *D. Ligorius ibid.* Ita evincitur ex praxi *S. Pœnit., S. C. Cardinal.,* et *aliorum tribunalium,* ait *Gury, n.* 898.—4.° Si impedimentum utrique parti sit notum tempore conjugii, uterque per novum consensum matrimonium renovare debet; quia scientia nullitatis prioris matrimonii ob impedimentum necessario verum consensum excluserat: tamen probabilius sufficit consensum privatim renovare, ut sustinent *Concin., Tamb., Gobat, Salm., n.* 129, *Gury, S. Lig., n.* 1112, contra *Sanch., Croix,* et *alios.* In praxi, seclusa gravi difficultate, pars tutior est tenenda, addit *Gury, n.* 899.—5.° *Si impedimentum uni parti tantum sit notum,* pars conscia ab usu conjugii abstinere debet, et alteri parti erit nullitas manifestanda, si absque pessimo exitu fieri possit; secus tacenda, ac interim veniat dispensatio, et pars conscia sub prætextu mercaturæ, devotæ peregrinationis, invisendi amicos, inserviendi propinquis, etc., ad tempus ire poterit, et debebit, si aliter incontinentiæ adsit periculum. Idem si occultum sit impedimentum, et utraque pars illius conscia. (V. T. I, n. 25).—6.° *Si impedimentum neutri parti sit notum,* et in bona fide versentur conjuges, monendi erunt, ubi sit certa spes, fore, ut matrimonium convalidetur.—Secus ex Innocent. III, si ex separatione grave scandalum immineat, dissimulare opus erit, vel melius dispensationem in radice obtinere. *Ex c. Quia circa, de Consang.* Sic ex duobus malis minus permittitur; permittitur materiale ad vitandum formale, quod solum punit Deus. Ita *S. Lig., l.* 6, *n.* 611, adducens etiam illud D. Bernardi, sermon. 42, in Cantic.: *Mallem aliquando tacuisse, et dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem.*

IV. Si matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, *plures* cum *Pal., Less., Sanch.* ad illud convalidandum necessario requirunt, ut uterque conjux fiat conscius de nullitate matrimonii; quia revalidari hoc

nequit per primum consensum utpote ab initio nullum; neque per secundum, cum desit animus illo tunc contrahendi, quoniam ignorat contrahens primi conjugii nullitatem; et maxime id valet de illo, qui matrimonium dissolveret, si nullitatem primi matrimonii agnosceret.—Tamen *alii* non pauci cum *Soto, Led., Rodr., Salm., n.* 182 contrarium tenent; nam, ablato impedimento, satis est quod pars conscia de illo consensum ab altera accipiat; prior quippe consensus de jure naturæ validus virtualiter perseverat, et per cohabitationem, et usum conjugii exprimitur; hinc accedente alterius partis libero consensu, effectum suum producit, velut in ceteris contractibus. Sic Bened. XIV, Const. *Cum super,* 27 sept. 1755, petitioni indulsit non certiorandi uxorem propter scandalum separationis, quod timebatur. *D. Lig., n.* 1115 idipsum probat ex decisione 687 *Rotæ Romanæ*, edita auctoritate Apostolica apud *Boss., n.* 332, ex Benedict. XIV, *Notif.* 87, *n.* 80, etc. Et quamvis S. Pœnit. addere soleat clausulam: *Altera parte de prioris matrimonii nullitate certiorata,* tamen habetur uti simplex instructio. Nihilominus in praxi non recedendum a prima opinione, nisi obtineatur dispensatio in radice; vel urgeat necessitatis casus, v. gr. si prudenter timeri possit periculum mortis, gravis infamiæ, aut scandali ex separatione secuturi, et ex alia conjux impedimenti conscia evitare non posset debiti redditionem; eo enim in casu sententia probabili uti potest cum periculo frustrationis sacramenti. Ita communiter *Sanch., Tour., S. Lig., n.* 1115, *Gury, Ballerini, n.* 896. In hisce porro angustiis cum dispensatio in radice de facili obtineri nequit, de facto Ecclesiam supplere tenendum est.

V. *Si unus ficte, vel ex metu contraxit matrimonium,* aliqui cum *Pont.,* et *Pal.* certiorem facere alterum conjugem teneri docent de matrimonii nullitate; cum enim nullus eo casu fuerit contractus, nullus etiam fuit consensus. Ast *alii* communius, et verius cum *Less., n.* 72, *S. Anton., D. Lig., n.* 1114 id negant; nam consensus unius moraliter perseverat, atque satis manifestatur per cohabitationem, et conjugii usum; accedente ergo consensu alterius, consummatur contractus. Probatur etiam ex *cap. Insuper* 4, *qui matrim. accus.,* et ex *cap.* 21 *de Sponsal.*—At opus est ut metum passus, vel ficte consentiens sciat primum matrimonium invalidum fuisse; quia ex parte illius defuit verus consensus; ergo verus consensus est ponendus. *Sanch., Tour., S. Lig., ibid.,* etc.—Non licet immediate post celebrationem matrimonii orationes missalis absque Missæ celebratione super conjuges legere. *S. R. C.* 4 *jan.* 1877.

Q. *Quid si impedimentum, quo devinciantur putati conjuges non sit dispensabile?*

R. 1.° *Si impedimentum sit publicum,* illico sunt separandi quoad torum, et habitationem, ad scandalum, ac incontinentiam vitandum.—2.° *Si impedimentum sit occultum et ipsis conjugibus,* in bona fide sunt relinquendi, ut supra, nisi separatio obtineri facile possit, et forsan sine infamia, vel scandalo, præfata ratione.—3.° *Si impedimentum utrique sit notum,* tantum permitti eis potest, ut vivant ad instar fratris et sororis, secluso incontinentiæ periculo; secus ad separationem tenentur, ac proli meliori modo possibili providere.—4.° *Si uni parti notum sit impedimentum,* pars inscia erit monenda, ac postea resolvendum ut mox diximus, et semper ad Ordinarium erit recurrendum. Si coram ipso nullitas conjugii probari nequeat, etiamsi per censuras ad cohabitandum cogat, non

poterunt ei parere, sed omnia sustinere; nam talis censura, ex errore lata, coram Deo non ligat. *(S. Lig., n.* 1109 *et seq.)*

---

# CAPUT VI.

## De actus conjugalis honestate, obligatione, et circumstantiis.

*Præventio animæ fidelis*, ad hanc rem pertractandam.—*Eripe me, Domine, de luto, ut non infigar.* (Ps. LXVIII).—Dei monitum.—*Ambula coram me, et esto perfectus.* (Gen. XVII).

986. **Actus conjugalis inter legitimos conjuges per se honestus, ac ratione justitiæ, et divini præcepti obligatorius est:** 1.° *Ratione justitiæ,* ex vi mutui contractus ortæ.—2.° *Ratione divini præcepti,* dicente Apostolo *(I Cor.* VII) : *Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus,... et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.*

Imo conducit : 1.° bono communi, nempe ad humani generis conservationem; — 2.° Religioni, ad prolem cultui Dei procreandam.

**Fines, qui actum hujusmodi honestum reddunt,** sunt: 1.° prolis generatio; — 2.° satisfactio oneris erga compartem; – 3.° concupiscentiæ sedatio; indeque incontinentiæ tum in se, tum in comparte vitatio;— 4.° desiderium honesti amoris conciliandi, vel fovendi. *Ita Gury, n.* 907, *S. Lig., n.* 881, *cum communi.*

**Hinc illicitus est usus conjugii :** 1.° Si fiat ob solam voluptatem, seu alios fines honestos positive excludendo, ut patet ex prop. 9.ª ab Innocent. XI damnata : *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali:* Sed *per se* veniale non excedit, veluti cibum ob solam voluptatem sumere, nisi finis ultimus in ea constituatur. *(Gury, n.* 908, *S. Lig., n.* 912*)*. Nullum erit peccatum agere cum delectatione, dicente Angelico *Contr. Gent., lib.* 3, *C.* 26, *n.* 6 : *Delectatio, quæ consequitur bonas et appetendas operationes, bona est et appetenda.* Et Apostolus ait : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat... Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* (I Cor. VII). *(Ballerini, n.* 908, *cum communi).*—2.° Graviter illicitus est conjugalis actus cum mente adulterina, aut bestiali, ut si quis ad suam accedens uxorem, aliam sibi repræsentet, aut bestiam. *(S. Lig., n.* 913).

Licet usus conjugii sterilibus, et senibus; tum quia nulla lex id vetat; tum quia id confirmat Ecclesiæ praxis talia benedicens conjugia; tum denique quia cum idonei sint ad perficiendum actum, per accidens se habet, quod non sequatur generatio; alios enim honestos fines habet connubium. *(Gury, S. Lig., n.* 954).

987. **Nulla per se urget obligatio debitum petendi** ; quia neuter jure suo uti tenetur, et uterque illud remittere valet : per *accidens* dari potest obligatio petendi ex charitate, vel alia virtute: 1.° Cum vir percipit

compartem velle sibi debitum reddi, aut versari in periculo incontinentiæ, et ob verecundiam tacet; nam adest implicita petitio. (Ita *Angelicus in 4 sent., Gury, n.* 915, *Scavini, n.* 837).—2.° Si proles sit necessaria ad grave reipublicæ, aut religionis damnum avertendum, vel proprium.—3.° Si opus sit ad conjugalem amorem restaurandum, vel fovendum, aut ad odia vitanda, et similia. *(Gury).*

988. **Resolves.** I. Tenentur conjuges ad cohabitationem, et graviter peccat conjux hanc renuens, vel etiam debitum negans, quoties adest incontinentiæ periculum, vel gravis molestia, aut injuria ex altera parte. Item si negat alteri *serio*, ac *rationabiliter* petenti; est quidem res in se gravis, et non raro gravior fit ob consectaria rixarum, adulteriorum, incontinentiæ, etc. Secus si oscitanter petat, et benevole remittat, secluso præfato periculo; tunc enim jure suo cedit. Hoc in viro colligitur, si facile quiescit; non sic in uxore, quæ sæpe ob verecundiam ita non urget. *(S. Lig., n.* 929, *Ferraris, n.* 2).—Graviter item peccat conjux, qui mediis quibusvis se impotentem reddit, v. g., macerationibus.

II. Non excusatur uxor a debito reddendo ob ordinaria partus, graviditatis, nutritionis incommoda; nec ob dolores diuturnos, sed moderatos; v. g., capitis per plures menses post partum; nec ob dolores graves quidem, sed ad breve tempus; nec ob sanitatem aliquantisper debilitatam; nam hæc omnia matrimoniali statui adnexa sunt.—Secus autem si immineret periculum vitæ, aut gravissimi morbi, vel contagii ex judicio medici; quia nemo est dominus vitæ suæ, et salutis; imo quisque impedire tenetur grave damnum, vel ejus periculum etiam in alio ex charitate saltem, licet iste in illud consentiat. *(Scavini, n.* 843, *Gury, n.* 916, *S. Lig., n.* 950). —Hinc: 1.° conjux nec petere, nec reddere potest conjugi laboranti morbo contagioso, v. g. peste, lepra, gallico, alioque simili; et dupliciter, vel tripliciter peccaret, qui tali morbo laborans fornicationem, vel adulterium committeret, ait *Bossius*; et expensas compensare teneretur pro alterius partis curatione. Excusant meretrices, nisi ipsæ requisitæ suum morbum negent.—2.° Uxor reddere non potest, si experta sit se parere non posse sine certo mortis periculo, aut morbi gravissimi.—3.° Si vero morbus esset diuturnus, nec ita proximum mortis periculum immineret, et aliunde justa extaret petendi causa, v. g. incontinentiæ periculum, vel magna vitare dissidia, bene liceret petere, et altera pars reddere teneretur; esset enim valde onerosum tamdiu ab usu conjugii abstinere. *(Scavini, n.* 883).

III. Non excusatur conjux a debito reddendo ob numerosioris prolis timorem; procreatio enim prolis ad præcipuum matrimonii finem spectat, et est quid intrinsecum ipsimet conjugio; et melius est, ut proles inops, aut infirma vivat, quam ut non sit. Item si prævideatur infirma nascitura: *Scavini, n.* 839, *Gury, n.* 916, *S. Lig., n.* 641, *et alii communiter* contra *Bon., Sanch., Pontas,* et *alios* qui, secluso periculo incontinentiæ, dissidiorum, vel alterius gravis incommodi, dicunt tunc juste debitum denegari posse; quia in omnibus debitis magna difficultas a solutione excusat.

IV. Fortiter sunt reprehendendæ uxores, quæ maritis suis absque sufficienti causa, licet falsæ pietatis prætextu, debitum negant, vel non cedunt nisi coactæ, vel dure, aut contumeliose virum petentem exprobrant. Tamen non peccat uxor, quando vir immoderate petit; v. g. quartum accessum in eadem nocte; nec si differat ad breve tempus, scilicet

ad noctem, vel a nocte ad matutinum; vel si neget una, vel altera vice, secluso incontinentiæ, vel alio gravis damni periculo. *(Gury, Scavini, S. Lig., n.* 940).—*Scavini* a gravi non excusat illum, qui semel in mense negat quinquies tantum petenti; quia petitio satis moderata est, et res in se gravis.—Communiter dicunt non esse illicitum accessum ad conjugem *amentem,* vel *ebriam,* secluso scandali, et abortus periculo, vel alterius damni; verum probabilius, et communius nulla adest tunc obligatio *per se;* quia, deficiente rationis usu, adesse nequit rationabile præceptum. Si adsit periculum incontinentiæ, urget tunc charitas ad debitum reddendum, ut etiam actus materialiter malus impediatur. *(Scavini, n.* 842).—Item licet excommunicato tum petere, tum reddere; quia lex ecclesiastica obligare non intendit cum tanto incommodo, ac periculo. *(Scavini, n.* 842, *Sanch., Suar., et alii communiter).*

989. **Ad personæ circumstantiam** referri debent votum castitatis; affinitas ex incestu; cognatio spiritualis, et impotentia corporalis. Hinc:—1.° Quilibet conjux voto castitatis innodatus, vel affinitate ex proprio facto contracta, sub gravi debitum petere vetatur: ast comparti petenti reddere potest, et debet; altera siquidem pars jure suo privari nequit. Controvertitur an idem sit dicendum de conjuge, qui citra necessitatem prolem suam baptizaret: plures tamen id satis probabiliter negant, ait *S. Lig., n.* 150. —2.° Neuter conjux petere, aut reddere potest, si uterque voto castitatis, vel affinitate, aut spirituali cognatione ex propria opera ligetur; nam ob votum, vel aliud impedimentum uterque constrictus manet. (V. t. I, n. 607).

990. **Illicite petere.** 1.° Certum est conjugem ad reddendum non teneri cum proprio peccato, neque veniali; porro nemo obligari potest ad peccandum. —2.° Si autem peccatum sit in ipso petenti, et mortale, ast *ex parte modi* actus ipsius; v. gr. si petitio fiat in loco sacro contra loci reverentiam; vel cum scandalo, si fiat publice; aut cum filiorum scandalo in eodem cubiculo commorantium; vel si fiat in vase præpostero, aut cum abortus periculo, vel propriæ sanitatis, certum est non licere reddere petenti ratione cooperationis ad eundem actum malum.—3.° Si vero culpa sit *ex parte petentis* tantum, v. gr. quia est voto castitatis ligatus, vel ad pravum finem petit, inter diversas sententias, probabilior et communior tenet, quod pars innocens ex charitate compartem admonere debet, ut a petendo desistat; cum possit sine periculo magni dissidii, vel indignationis, aut incontinentiæ alterius.—4.° Attamen si compars desistere nolit, et ex negatione gravia timeantur incommoda, iræ, adulteria, etc., innocens reddere tenetur; nam cum illicite petens jus ad debitum adhuc retineat, et alter directe actui licito, et ex justitia debito, operam det, tantum permittit petentis culpam ex justa causa. At tutius erit consulere, ut tunc conjux innocens prius petat. *S. Lig., n.* 944, *Scavini, n.* 840.—5.° Si denique actus sit leviter malus ex parte petentis ut supra, tenetur compars ei reddere; quia sermo est de actu ex se honesto ac debito.—6.° Si vero actus sit leviter illicitus ratione sui, v. gr. si petatur situ innaturali, potest, adstante qualibet rationabili causa, sed non tenetur compars reddere; nisi aliqua causa petentem etiam a veniali excuset.

**Resolves.** 1.° Debitum reddere potest, et tenetur (non autem petere), qui sive ante, sive post initum matrimonium castitatis votum emisit; quia licet graviter peccaverit contrahendo, valide tamen contraxit, ideoque jus in rem alter votum ignorans acquisivit.—2.° Licite petere, et

reddere valet qui post conjugium initum vovet religionem ingredi, aut sacros Ordines suscipere post uxoris obitum; nam talia vota non obligant nisi post conjugii solutionem.—3.° Communius, et probabilius conjux voto, aut affinitatis impedimento ligatus post initum matrimonium contracto, debitum petere potest, quoties advertat compartem versari in periculo incontinentiæ, aut *interpretative* petat, v. g. si uxor verecundia detineatur, ac vir sentit ejus voluntatem petendi; nam tunc est potius reddere quam petere. *(S. Thomas, S. Lig., n.* 931).—4.° Conjux autem vinculo impeditus, nec ad vitandam incontinentiam debitum exigere valet; nam tale periculum sufficiet ad dispensationem, aut voti suspensionem petendam, non autem ad petendum debitum. *(Sanchez, et alii).*—Ipsi tamen licitum videtur, rogare, atque monere alterum conjugem de proprio periculo, ut hac de causa subinde debitum exigat.—Item valet petere probabiliter, si agatur de impedimentis ab Ecclesia impositis, et dispensatio brevi tempore obtineri nequeat, si magnum incontinentiæ periculum sit in mora; quia lex humana non obligat cum tanto incommodo. *(Ita Gury, S. Lig., n.* 930).

991. **Ad temporis circumstantiam** præcipue spectant tempus *prægnationis, purgationis, lactationis, menstrui, morbi, festorum,* et *Communionis*. Hinc:

1.° *Tempore prægnationis,* probabilius omni culpa vacant conjuges jure suo utentes, secluso abortus periculo, quod non est præsumendum, ut ait *Bossius,* usquedum constet experientia aliquam uxorem ex coitu pluries fœtum emisisse, et ideo non sunt vexandi conjuges importunis interrogationibus, ut se abstineant illo tempore. *Quæ enim,* ait, *spes eos a concubitu evocandi? et quale non timendum periculum si a sua bona fide perturbentur?* Ratio est, *tum quia nullibi habetur id per se esse vetitum; tum quia esset onus gravissimum, et res exposita innumeris periculis peccandi venialiter* (vel mortaliter), *si conjuges tenerentur tamdiu abstinere ab usu conjugii.* (Ita *S. Lig., n.* 924, *cum Sanch., Salm., n.* 78, *aliisque plurimis* contra *non paucos alios.*

2.° *Tempore purgationis post partum, et tempore menstrui* naturalis, (qui singulis mensibus in fœminis accidere solet, et durat ut plurimum per duos, vel tres dies, ut ait *S. Lig., n.* 925), communius inter varias opiniones coitus a veniali non excusatur, nisi adsit causa cohonestans; v. g. ad vitanda dissidia, aut præcavendam incontinentiam, aliaque gravia damna. Ratio est, quia hodie saltem coitus tunc nullo jure prohibetur; continet tamen aliquam indecentiam. *(Gury, n.* 913, *S. Lig., n.* 924, *et* 925). Cum agatur tantum de culpa levi, ideoque non necessario confitenda, confessarius ab omni interrogatione in hac re abstinebit. *(Ita Gury, Ballerini).* Multo certius est mulierem non concipere tempore menstrui, ut dicunt *Sanch., Pal., Boss. et Salm., n.* 78. Ita *D. Ligor., ibid.*

3.° *Tempore lactationis, et festorum* communissime illicitus non est usus conjugii; quia nulla lex prohibens adest, nec periculum saltem proximum lac inficiendi. (Ita *S. Lig., n.* 911, *et* 933). Idem communiter dicunt *de Communione,* sive ante, sive post copulam, modo hæc non immediate post susceptam Communionem, neque ex mera voluptatis causa habeatur. *(Gury, S. Lig., n.* 922, *cum Lugo, Sanch., et aliis).* Attamen quoad lactationis tempus excipiunt *Pont. et Boss., n.* 215, si conjuges sint valde pauperes ad nutricem substituendam, et prudens adsit timor de gravi

damno prolis; tunc neuter reddere tenetur, imo nec potest petere, etiamsi adsit periculum incontinentiæ; quia agitur de damno innocentis, et alia extant media ad se continendum, ut dicunt. Verum *Sanch., n.* 15, *et Bon., n.* 11, excusant eo casu a reddendo, sed non damnant exigentem, cum alia via proli providere possint. Unde concludes, nullo tempore sub gravi conjugalem actum *per se* interdici, et tantum ratione abortus, aut valetudinis, ut supra.

—Quoad *balneum*, et *venæ sectionem*, videntur consentire tunc non licere copulam, cum sit notabiliter periculosa. Idem dicunt, si conjux gravi febri laboret. Quoad tempus post *prandium, aut cœnam*, non censent in hoc adesse grave damnum, nisi experientia aliter doceat. (*Scavini, n.* 846).

992. **Ad circumstantias situs,** *vel modi hæc spectant:* 1.° Situs naturalis, et licitus est, ut mulier succuba sit, et vir incubus. (Ita *S. Thomas cum communi).* Cæteri situs naturæ ordini adversantur; ideoque inordinationem *per se* continent; at communiter dicunt nonnisi levem, dummodo actus rite perfici queat. Secus si constaret nihil seminis fœminam retinere illo situ. (*S. Ligor., n.* 917).—Imo quilibet innaturalis situs, sive stando, sive sedendo, sive more pecudum, absque affectu bestialitatis, vel sodomiæ, sive succumbente viro, justa accedente causa, omni culpa vacat, modo generationem non impediat. Unde nullum est peccatum talis inversio causa ægritudinis, scandali, periculi abortus, difficultatis, etc. (S. *Lig., ibid., Gury, n.* 912, *cum aliis).*

2.° Situs, qui solus possibilis est, qualiscumque demum sit, nullatenus damnatur, licet non modica seminis perditio sequatur; nam pars ista non est generationi necessaria, et per accidens, invitis conjugibus, tunc deperditur. (Ita *Sanch., n.* 5, *Pont., Pal., Boss., Gury, aliique).* Grave peccatum evadere posset situs innaturalis, v. gr. si fiat ex prava concupiscentia, uti ex affectu bestialitatis, aut sodomiæ; aut si hujusmodi voluptas habeatur veluti ultimus finis, ut ait *Angelicus.*—Item verius mortale est copulam inchoare in vase præpostero, in ore, in aure, etc., licet dein in naturali vase perficiatur.—Imo flagitium grande est contra naturam, involvens rationem adulterii, et sodomiæ. (Ita *Scavini, n.* 848).—Et idem putamus dicendum, addit, de confricatione virilium circa vas præposterum uxoris. Saltem actus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico. Et *Sanchez*, qui illam habebat ut tactum simpliciter impudicum, se retractavit, testante *Moya.*

—Cavendum est confessario, ne de variis congrediendi modis quæstiones faciat, quæ non solum inutiles sunt, sed scandali etiam plenæ. Interrogatus breviter respondeat, vel caute interroget, *si prudenter timeatur, ne conjuges abutantur matrimonio,* ex *S. C. Inq.* 21 *maji* 1851. (*Gury, S. Lig., n.* 917).

---

# CAPUT VII.

## De conjugum excessibus, et de onanismo in particulari.

Triplicis generis sunt actus, qui præter copulam a conjugibus exerceri possunt.—1.° *Nocivi,* ut sodomia, et pollutio, quia sunt contra naturam:—2.° *utiles:*—3.° *nec nocivi, nec utiles.*

993. **Actus turpes inter conjuges.** I. Culpa vacant inter conjuges oscula quælibet honesta, tactus, aspectus, et verba tum honesta, tum etiam minus honesta, si caute fiant, et urgeat gravis causa ad amorem fovendum, affectum conjugalem demonstrandum, licet *per accidens* sequatur pollutio; cum enim ex vinculo matrimonii vir et uxor sint *cor unum, et caro una*, licita eis sunt omnia honesti amoris signa, ut media ad finem. (*Gury, n.* 919, *S. Lig., n.* 934).

II. Culpa *per se* vacant tactus, aspectus, et verba, licet sint simpliciter inhonesta, si conjungantur, vel ordinentur ad naturam excitandam, et ad copulam, modo utilis, aut necessaria sit hæc præparatio; sane cui licitus est finis, licita sunt et media ad ipsum. Excipe actus enormiter turpes, v. g. affectum sodomiticum præseferentes; nam mortale esse peccatum iis uti, docent AA.: licet aliis adhuc id forsan leve videatur, semper tamen conjuges graviter increpandi sunt, ut se ab illis abstineant. (*Scavini, n.* 844).—Item si prævideatur ante congressum pollutionem eveniendam, vel si id eveniat ex diligentiæ debitæ omissione; tunc enim graviter peccare possunt; secus si præter intentionem, adhibita diligentia, illa contingat. (*Gury, n.* 919).

III. Si tactus, aspectus, et verba turpia habeantur ad invicem causa voluptatis tantum, secluso pollutionis periculo, et alia prohibitione, venialia tantum sunt peccata; porro conjugium præbens jus ad copulam, ad hosce etiam actus ordinatos jus præbere debet: sola ergo deficit finis intentio. (Ita verius, et *communissime cum Salm., n.* 84, *Scavini, n* 844, *S. Lig., n.* 933). Imo etiamsi copula tunc ipsis esset vetita ob morbum, vel impotentiam, quæ supervenisset, ut dicunt *Sanch., n.* 20 *et* 22, *Croix, n.* 319, *et Boss., Con., S. Lig., et alii.* Secus si conjux voto castitatis esset ligatus; quia votum excludit omnem veneream voluptatem. *(Ita communiter).* Probabilius non prohibentur ob affinitatem, et cognationem spiritualem, licet in praxi ob periculum pollutionis, vel petitionis copulæ ab illis ordinarie conjuges abstinere debent. (Ita *S. Lig., n.* 933).

IV. Tactus turpes inter conjuges cum periculo pollutionis in se, vel in altero, nisi habeantur, ut conjuges se excitent ad copulam proxime secuturam, probabilius, et communius sunt mortalia peccata; nam quisque cavere tenetur peccata contra naturam, seclusa justa causa. Idem dicunt de pudicis habitis ob solam voluptatem, vel etiam ob levem causam. Secus si ob gravem causam; v. gr. si urgeat indicia amoris ostendere ad fovendum mutuum affectum, vel ut conjux suspicionem avertat ab altero, quod ipse sit erga aliam personam propensus. *(Scavini, S. Ligor., n.* 934).

Imo tunc plures cum *Sanch., n.* 34, *Elbel, Viva, Sporer, n.* 500, ab omni culpa excusant tactus turpes, etiam prævisa pollutione secutura, modo non sit intenta, nec adsit consensus periculum in eam, et modo tactus non sint adeo turpes, ut judicetur inchoata pollutio, prout esset digitum morose intra vas fœmineum admovere, ut ait *S. Lig., ibid.—Alii* vero communiter cum *Pal., Boss., n.* 213, *Cajet., Led., Salm., n.* 86 distingunt: mortalia esse peccata tactus impudicos dicunt, si prævideatur pollutio ex eis secutura; quia cum hi proxime ad pollutionem influant, et non sint per se instituti ad fovendum affectum conjugalem, censetur illa voluntaria in causa: secus si sint pudici, ut oscula et amplexus; quia per se apti sunt ad fovendum conjugalem amorem. Si tantum ex illis commotio spirituum exurgat, aut sequatur distillatio, quamvis hæc in solutis mortalia essent, non sic in conjugibus; nam secluso extra vas naturale voluntariæ pollutionis, vel sodomiæ crimine, nihil fit contra bonum matrimonii.

Unde levis culpa, quæ in præfatis tactibus turpibus adesse poterit, facillime excusari valet ob varios fines ipsi matrimonio intrinsecos, et extrinsecos, v. g. ad affectum fovendum, comparti obediendum, sedandam concupiscentiam, etc. (*Gury. n.* 919 .— Hinc sicut postulat sacramenti sanctitas, de hisce sermonem non intermisceat confessarius præter hunc generalem, *num aliquis scrupulus anxium animum utcumque habeat*, qui tamen ne ipse quidem fieri sine causa debet. Respondeat autem, si interrogatus fuerit, et responsio expeditissima sit, ita ut necessitati satisfaciat, et sacramenti reverentiæ consulat. (*Ballerini, n.* 919).

V. Semper ac quæratur a viro aliud vas præter naturale, v. g. os, videtur nova species luxuriæ, et etiam, secluso affectu sodomitico, mortale erit, extante pollutionis periculo; secus si obiter fiat. (*Sanchez, n.* 5, *Spor.*, *S. Lig.*, *n.* 935).

VI. Probabilius mortalia sunt tactus turpes, quos conjux ex venerea delectatione secum habet, altero absente, et etiamsi absit pollutionis periculum; quia non habet jus in proprium corpus nisi in ordine ad copulam, quæ tunc est impossibilis. *S. Lig.*, *n.* 936, *Gury, n.* 919, *Salm.*, *Scavini, n.* 843, *et alii plurimi* contra *Pal.*, *Boss.*, *Escob. aliosque* id negantes, secluso pollutionis periculo; nam hujusmodi actus ab ipso statu conjugali cohonestantur. Tamen prima est suadenda in praxi, ait *S. Ligorius.*

VII. Delectatio morosa de copula habita, vel remote habenda inter legitimos conjuges, secluso pollutionis periculo, juxta communem opinionem est tantum veniale peccatum; adest quippe in hac voluptate inordinatio quædam, ac inchoative saltem spiritus genitales incassum moventur. Non excedit veniale; nam cum agatur de re ipsis conjugibus licita, non potest esse graviter illicitum de illa delectari, etiamsi adsit commotio spirituum, modo absit voluptuosa titillatio; quia in hoc casu adesset proximum pollutionis periculum. (Ita *S. Lig.*, *n.* 937, *Salm.*, *Sanch.*. *n.* 4, *Scavini, n.* 845, *et alii plurimi*). — Non autem illicita ipsis est per se simplex cogitatio de his habendis, vel habitis, neque desiderium de futura copula, nec approbatio de præterita; quia desiderium moralitatem sumit ab objecto, et desiderium de re licita illicitum esse nequit. (*Gury*).—Graviter autem peccaret vidua se oblectans de copula olim habita, contraria ratione. *S. Lig.*, *n.* 933.

994. **Onanismus** in eo consistit, *quod vir, incœpta copula, se retrahit, ut semen extra effundat ad generationem impediendam.* Ab *Onan* sortitur hoc nomen, qui *semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.* (Gen., XXXVIII). Hinc:

I. Nunquam licet, neque ad mortem vitandam, semen directe effundere, cum sit intrinsece, et gravissime malum contra finem conjugii primarium, ac in societatis extinctionem tendens. - Constat etiam ex hac 49.ª prop. ab Innocent. XI damnata: *Mollities jure naturali prohibita non est.*—Idque confirmatur ex pluribus S. C. O., et *S. Pœnitent.* responsis, præsertim S. C. *Inq.*, 21 *maji* 1851. Proinde vir onanista nunquam est absolvendus, nisi se pœniteat, ac in posterum se emendare sincere proponat.

II. Graviter peccat mulier: 1.º Si statim post copulam surgit, vel mingit, vel aliud facit animo semen expellendi; secus si id ageret ex necessitate, v. gr., quia alii superveniunt. Hinc *Sotus*, et *Billuart* excusant virum, qui dum festinanter congredi conatur, seminat extra vas; *Sanchez* et *Sporer* probabiliter excusant conjuges, qui ob senectutem, vel aliam indispositionem seminant extra vas, quamdiu adest spes intra

vas seminandi; nam cum tali spe jus ad copulam habent, et effusio per accidens, et præter intentionem in utroque casu evenit.—Unde neque uxor diu immota manere debet post actum; cum brevissime hic perficiatur, ut dicunt *AA.* cum *Scav.*, *l.* 3, *n.* 848.—2.° Si incœpta copula, seminatio cohibeatur, uno se retrahente, repugnante altero, se retrahens graviter peccat, cum alium jure suo fraudet. Si vero ambo consentiant, erit mortale peccatum ex utraque parte, extante pollutionis periculo; secus per se mortale non erit, cum habeatur instar simplicis tactus. Verum periculum illud ordinarie adest, *ut sapienter notat Sanchez*, ait *Scavini.*—3.° Graviter peccat mulier, quæ virum ad matrimonio abutendum inducit, etiam tacite, et indirecte, v. gr. conquerendo de prolis numero, de partus laboribus, de liberorum educatione, et alimentatione, aut recantando sine ratione se in proximo partu morituram esse, etc. *(Gury, n.* 923).—4.° Graviter item peccat uxor pravæ viri actioni interius consentiendo, uti tali in se, etsi exterius aliud ostendat. Secus si gauderet de effectu inde sequuto. (V. T. I, n. 335).

—Uxor virum blanditiis, variis amoris signis, precibus, adhortationibusque sub gravi promovere debet ad actum rite perficiendum, vel ab eo prorsus abstinendum. Experientia docet, plurimos viros onanistas ab uxoribus sic allectos ad meliorem frugem sese recepisse, ait *Gury*, et *S. Pœnitent.* 27 *majii* 1847.—Tanquam exploratum jam habetur, ait *Ballerini*, *n.* 923, ex physiologis, sperari illum effectum (generationem) non posse a 14 die post incœpta menstrua usque ad subsequentis epochæ finem, id est ad sequentem usque menstruorum recursum; et sic potest maritus mediocri illa abstinentia prospicere tunc carnis infirmitati, tum justo numerosioris prolis timori.

995. Q. *An uxor debitum a viro onanista petere possit, vel ei reddere?*

R. *ad* 1.^m Nega, seclusa gravi causa, cum ex charitate impedire teneatur viri peccatum. Justa erit causa petendi, si uxor esset in periculo incontinentiæ, vel si deberet alias privari jure suo petendi plusquam semel, aut bis, cum perpetuo scrupulo an ei sit satis grave incommodum, necne, tunc se continere, ait *S. Lig.*, *n.* 947; nam in hac re abstinentia de facili fit onerosa et gravis, ut dicit *Scavini*, *n.* 841. Multo magis cum *Pont.*, *Tamb.*, et *Spor.*, *n.* 490, absolute id uxori concedant; nam mulier dat operam rei licitæ, et jure debitæ, a qua privari non debet propter viri malitiam: tunc habetur scandalum pharisaicum, propter quod post monitionem nemo jus suum abdicare tenetur. Neque singulis vicibus virum monere adigitur, si certo cognoscat se nihil obtenturam; debet tamen aliquoties ostendere se ejus crimini non assentire. *Bouvier.*

R. *ad* 2.^m Responsum habemus S. Pœnit., 1 febr. 1823: «Cum... tota actus inordinatio ex viri malitia procedat,... si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera, aut mortem, aut alia gravissima mala, poterit ipsa, (ut probati theologi docent), citra peccatum permissive se habere;... quoniam charitas qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat.»—Erit ex *Bouvier* grave incommodum, ideoque a peccato excusans ad reddendum viro onanistæ præter dicta: 1.° Rationabilis timor ne maritus ad concubinam vel ad meretrices accedat.—2.° Item si mulier certo sciat virum ex repulsa iratum, blasphemias in Deum et in religionem, injurias erga confessarium et sacerdotes in genere, verba scandalosa coram famulis, aut liberis pronuntiaturum; nam tunc unum peccatum impedire volens, in causa esset graviora patrandi.—3.° Metus divortii, aut separationis, aut infamiæ,

aut gravis scandali. At gravitas molestiarum ex personarum circumstantiis est judicanda. Sic rixæ, dissensiones transitoriæ, et quædam verbera non multum ponderantur inter rusticos; sed prorsus intolerabilia forent timidæ mulieri urbanitati assuefactæ. Metus ergo notabilium jurgiorum in his conditionibus esset causa sufficiens ad debitum reddendum. *Gury, n.* 923 et 925, *S. Lig., n.* 947, et *in praxi n.* 41, *S. Pœnitent. ad Ep. Bouvier*, 8 *jun.* 1842.

Neque peccat uxor tunc consensum internum voluptati præbendo, modo assensum peccato viri non præbeat; aut desideret, ut vir se retrahat; nam actus ille est in se mulieri licitus; unde non peccat voluptatem ex ea provenientem admittendo. *(Gury, n.* 929).

Non peccat, saltem graviter, juxta communiorem probabilioremque sententiam, uxor, quæ seipsam ad seminationem excitat statim post copulam, in qua solus vir seminavit; ad complementum equidem actus pertinet, ut sint ambo una caro; et sicut uxor potest tactibus se præparare ad conjugalem actum, ita etiam ipsum perficere: alias in magno peccandi periculo esset exposita. Ita *Gury, n,* 920, *S. Lig., n.* 919, *aliique plurimi.*

---

# CAPUT VIII.

## De causis quibus jus ad debitum amittitur, et de divortio.

996. Quatuor sunt hæ causæ: *Si nullum, dubiumque vetat, si incestus, adulter.* I. *Nullitas matrimonii,* qua statim cognita, vel ex una tantum parte, illico copula fit fornicaria; unde nec cum vitæ periculo ei consentire licet, sed divortium petere, et fugam illico arripere oportet, modo, quo supra n. 985 et seq. notavimus.

II. *Dubium de matrimonii validitate:* si in bona fide sit initum, adveniente gravi (non levi) dubio, puta si dubitetur de impedimento, neuter conjugio uti potest ante debitam diligentiam, ne fornicationis discrimini se committat.—Si una pars tantum dubitet, petere nequit, sed reddere tenetur, ne jus alterius violet. Idem statuitur ex jure canonico de muliere, quæ non est certa de vita primi mariti, reddere tenetur secundo viro petenti, sed ipsa non potest petere. *(Cap. Dominus de secund. nupt.).* S. *Lig., n.* 903.

—Debita diligentia adhibita, ac dubio perdurante, dicunt conjugem reddere ac petere licite posse; quia possessor bonæ fidei, superveniente dubio, habet jus moraliter certum, donec certo aliter probetur. (Ita *Scav., n.* 849, *qui hanc* (opinionem) *vocat communissimam ac probabilissimam; S Lig., l.* 6, *n.* 904, *qui ipsam dicit longe communiorem et probabiliorem* contra *non paucos* id negantes.

Si in dubia fide contraxerint, communius negant, ut de possessore dubiæ fidei dicitur. (S. *Lig., n.* 906).—Tamen *Elbel, et Holzm.* satis probabiliter, ut ait S. *Ligorius,* adhuc concedunt; nam in dubio standum pro valore actus.—Imo communiter dicunt *Sanch., n.* 8, *Bon., n.* 10, *Salm., n.* 48, *Croix, n.* 299, etc., quod etiam, contracto matrimonio cum dubia fide, potest dubitans petere, si matrimonium reputetur probabiliter vali-

dum; etiamsi probabilius sit esse nullum, addunt *Sanch.*, *et Spor.;* quod non admittit S. *Ligor.*, *n.* 906. Si autem conjux habet rationem probabilem pro invaliditate matrimonii, et nullam pro valore, plures cum *Sanch.*, *n.* 2, *Lug.*, *n.* 88, *Salm.*, *n.* 49, *Viva*, *n.* 11, qui vocat hanc opinionem communem, negant petere posse post adhibitam diligentiam, sed utique reddere alteri in bona fide existenti debere. Alii cum *Pal.*, *Croix*, *n.* 302 affirmant ex regula possessionis.

III. *Incestus completus* et *formalis unius conjugis* cum consanguineis alterius in primo, vel secundo gradu *per se* reum privat jure petendi ex jure canonico, quoadusque non dispensetur. *(Cap. IV de eo qui cogn.)*. Nam ex tali copula exurgit affinitas cum propria conjuge; ast non dirimit conjugium, sed ejus usum sub gravi impedit, et graviter peccat transgressor toties quoties petit. Tamen probabilius et communius excusat ignorantia *crassa* (non autem *affectata*), sive *juris*, sive *facti;* et etiam *pœnæ*, ut satis probabiliter tuentur; agitur enim de pœna extraordinaria, quæ in jure tantum imponitur *scienter peccanti. (Scavini, n.* 849, *S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 1074, *aliique plurimi*).

—Commune est, conjugem impeditum voto, vel affinitate *per accidens* petere posse, nempe, *si mulier verecunda sit, et vir sentit ejus voluntatem*, ut ait *S. Thomas, in* 4, *d.* 38, *q.* 1, *a.* 3; item si adsit periculum incontinentiæ in comparte; *Scavini;* vel etiam in ipso incestuoso, ut dicunt probabiliter *Viguer. et Quint.*, si brevi haberi non possit dispensatio, et periculum esset in mora; quia lex humana non censetur obligare in tanto discrimine. *Scavini.* Episcopus sive per se, sive per delegatum dispensare valet in hac lege canonica; non vero in jure tertii, qui reum repellere etiam potest ratione adulterii in tali incestu commissi.

IV. *Adulterium.* Non peccat adulter debitum conjugale petens, sed illud exigere nequit, neque compars illi reddere tenetur; imo divortium petere valet in criminis pœnam; nam illi fides non servatur, qui fidem fregit. Excipe 1.° Si innocens conjux alterius adulterium remiserit.—2.° Si ipse in idem crimen etiam prolapsus sit; nam adest compensatio injuriæ. -3.° Si compars alterius crimen ignorat; tunc etiam licite exigere illud potest; nemo enim pœnam privativam sibi imponere debet. (*Scavini*, *n.* 849).

V. *Cognatio spiritualis.* 1.° Conjuges propriam baptizantes prolem in necessitate nullo privantur jure; —2.° Graviter peccant id facientes citra necessitatem. (*Cap. De his qui, causa* 30, *q.* 1); – 3.° Satis probabiliter tamen gaudent jure petendi, et reddendi debitum. (*Pontas, Ron.*, *Suar.*, *Viva*, *Salm.*, *Sanch.*, *Alasia*, *Conin.*, *etc.*, contra *alios)*.

Si vero pater, etsi in necessitate, baptizaret filium suum ex concubina susceptum, cognationem cum ea contraheret, ita ut illam ducere non posset; quia nullum jus acquisitum habet; secus evenit quoad legitimos conjuges. *(Antoine)*.

Q. *Titius baptizavit proprium filium; ignorans fecit; timens, sed timore inani, ne moreretur: quem baptizavit præsentibus nonnullis mulieribus...* R. «S. Pœnitentiaria anno 1869 oratoris Ordinario facultatem concessit sive per se sive per proprium oratoris parochum ipsum oratorem, si ita sit, audita ejus sacramentali confessione a censuris et pœnis ecclesiasticis, si quas ob præmissa incurrerit, et ab incestus reatibus, si forte post contractam spiritualem cognationem ab usu matrimonii

non abstinuerit, Apostolica auctoritate absolvendi cum pœnitentia salutari.» Exinde non solvitur controversia; nam omnia hæc ad cautelam concedi videntur.

997. **Divortium** est *conjugum separatio, tum quoad torum, tum quoad habitationem.*—Divortium, justis intervenientibus causis, licitum est, et ita definivit Trid., sess. 24, c. 8: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad habitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.*—Causæ sunt:

I. *Mutuus consensus:* scilicet cum jure proprio simul renuntiant conjuges jus *ad torum*, sive ad tempus, sive in perpetuum, secluso incontinentiæ periculo; propter quod, nisi præmissa matura deliberatione, et longa experientia, quod facile continentes ambo esse possint, continentiam vovere conjugibus non est permittendum. (*Layman*). *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi,* ait Apost. (*I Cor*. VII).—Item separari possunt *quoad habitationem*, sive ad tempus negotiorum causa, sive in perpetuum ob vitæ perfectioris desiderium; modo proles cura parentum non indigeat. Duplici modo id contingere potest: 1.° per alterutrius, vel utriusque conjugis solemnem professionem religiosam; — 2.° per susceptionem Ordinis sacri, et alterius vel religiosam professionem, si juvenis sit, vel saltem continentiæ votum, si fuerit senex. Tunc adimpleri videtur illud Christi: *Omnis qui reliquerit... uxorem... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* (Matth. XIX). Sed ad liceitatem tunc requiritur Episcopi consensus, ex *C. Si vir 23 caus. 27; q.* 2. *S. Lig., n.* 975, *Ballerini, n.* 761.

II. *Adulterium alterutrius conjugis moraliter certum*, (v. gr., si aspiciatur solus cum sola in lecto; vel extent litteræ amatoriæ uxoris, quibus adulterium fatetur); *liberum*, et probalius *perfectum, non condonatum a comparte*, sive expresse, sive implicite, v. gr. per conjugalem actum scienter, et sponte sequutum; sed non utriusque conjugis; quia tunc adesset compensatio. *S. Thom. in* 4, *d.* 35, *S. Lig., n.* 966. Si uterque reus sit adulterii, et alteruter resipiscat, sat probabilis est sententia posse hunc ab altero separari; nam in eo tunc jam compensationi terminus imponitur. *S. Lig., n.* 966. In foro externo censetur remitti adulterium, si conjuges manent in eadem domo, mensa, lecto, maxime si intercedant oscula, amplexus, tactus. Item in foro interno, nisi aliter probetur. *S. Lig., n.* 966.—Non autem excusat metus incussus; adhuc enim cum eo adest gravis culpa. *Sanch., et Scavini.* Patet ex Christi verbis: *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* (Matth. v). Quod de muliere item valet; nam quoad debitum pares sunt vir et uxor.—Imo probabilius, ac communius, saltem extrinsece, docent *D. Thom., Scav., Ballerini, n.* 761, *S. Lig., n.* 962, et *alii*, hanc pœnam etiam incurri ob bestialitatem, et sodomiam, quia interset carnis divisio; sed revera hanc (opinionem) non probari, ait *Pontius*, cum *S. Lig., n.* 962.—Etiam diuturna et injuriosa desertio fidem conjugalem graviter violat, ac separationem suadere potest, sicut per adulterium. (*V. Acta S. Sedis, t.* 5, *p.* 12.) Porro ex jure naturali non est obligatio servandi fidem ei, qui illam frangit. Pars innocens delinquentem dimittere non tenetur, sed potest; quia in favorem innocentis concessum fuit divortium; tamen ratione correctionis, vel scandali vitandi aliquando teneri potest, ne scilicet consentire, aut connivere alte-

rius crimini videatur; etsi ad hoc vitandum scandalum alia sæpe media suppetant; imo plerumque majus sequeretur scandalum ex separatione, et delinquentis periculum, et innocentis incontinentia, vel rixæ cum propinquis, vel infamia, vel jactura rei domesticæ, vel prolis ac familiæ, vel sui gravia incommoda. *(Gury, n.* 762, *Scavini, n.* 928, S. *Lig., n.* 963 *et* 964).

Hinc: 1.° Facta sive *privata*, sive *juridica* separatione ob adulterium, pars innocens cogere potest adulteram, ut ad se redeat, si illius status mutatus non sit, cum semper in favorem innocentis feratur sententia separationis; proindeque non aufert jus alterum revocandi, nec requiritur ad hoc nova judicis sententia. Ita probabilius, et communius *Gury, n.* 763, S. *Lig., n.* 963. Si adultera pars jam sit emendata, ex decentia ab altera recipi debet, non ex necessitate. S. *Lig., n.* 965.—2.° Item potest innocens religionem ingredi, Ordines sacros suscipere, etiam invita parte adultera; quod non conceditur adultero dimisso absque innocentis expresso, vel tacito consensu, aut nisi statum irrevocabilem jam is susceperit. (S. *Lig., n.* 969, *Ballerini, n.* 663).—3.° Non est tamen cogenda mulier adultera ad redeundum, quoties potest rationabiliter timere, ne dure, et acerbe tractetur. *(Gury,* S. *Ligor., n.* 967).—4.° Facta juridica separatione ob adulterium, conjux innocens redire ad compartem revocantem non tenetur, etsi ipsa postea etiam lapsa fuerit; quia primus adulter per judicis sententiam jam omnino est spoliatus jure suo erga innocentem. Ita probabilius *Gury, n.* 763, S. *Thom. in* 4, *d.* 35, *q. unic. a* 6 *ad* 4, S. *Lig., n.* 967, *et alii,* contra *Fagn.,* SS. *Anton., Bonav., Reiff., Schmalzgr., Barb., aliosque.*

III. *Periculum grave sive ex parte animæ, sive ex parte corporis. Ex parte animæ,* si adsit perversionis periculum, vel ad graviora incidendi peccata in uno ex causa alterius; v. gr. si incitetur ad impietatem, sodomiam, pollutionem; nam quisque spiritualem salutem omnibus præponere debet. S. *Lig., n.* 973.—*Ex parte corporis:* 1.° si adsit periculum vitæ, mutilationis;—2.° si altera pars sit ita sæva, ut procedat ad percussiones atroces, non autem si leves;—3.° si cohabitatio cum ipsa adeo evadat molesta, ut moraliter impossibilis reddatur ob frequentes sævitias; —4.° si sit amens, furiosa, malefica, ut grave damnum sit timendum;—5.° si morbo contagioso laboret, et adsit periculum contrahendi illum; nemo equidem censetur se obligare voluisse cum gravissimo damno. (S. *Lig., n.* 971 *et* 973, *Scavini, n.* 857, *cum communi*).

IV. *Hæresis, vel apostasia superveniens* matrimonio: quod valet etsi absit perversionis periculum; quia jus canonicum non distinguit. *C. ult. de conv. conj. C. quanto de divortio.* Idque deducitur ex hisce Apostoli verbis: *Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem devita.* (Tit. III). Idem docent *aliqui* contra *alios* de schismatico; nam schisma non tantum est immane scelus, sed etiam *per se* natum est seducere. Ast cum jura de hæresi tantum loquantur, nisi schisma conjugis hæresim contineat aut verum perversionis periculum, vel intercedat judicis ecclesiastici auctoritas, fortius videtur jus possessionis schismatici quam contraria probabilitas. Attamen cum præfatum periculum perversionis fere semper inter tales conjuges inveniatur, ac etiam inter illos, qui catholicos liberales sese denominant, judicent sapientes, et casus occurrentes resolvant.

Si vero utraque pars hæretica sit, neutra divertere valet; id enim jus catholici tantum est. Si pars catholica adulterium committat, uterque conjux habet separationis jus. *In his tamen,* ait Perrone, *habenda est ratio temporum, locorum, et personarum;* nunc enim receptum est passim in Galliis præsertim, ac in Germania, et Austria, ut matrimonia mixta celebrentur; et si cum debita facultate, servatisque conditionibus fiat, licite fit. Si igitur licite contrahi potest cum hæreticis, cum iisdem licite cohabitare catholici conjuges valent post hæreseos crimen, prout revera in illis, et aliis regionibus fieri consuevit, nemine repugnante. (*Scavini*).

998. **Divortium privata auctoritate** licite fieri potest: I. *quoad torum,* justa interveniente aliqua ex quatuor supra dictis causa, præsertim adulterio, etsi occultum sit; nam conjugi infideli jus denegari potest. Idem dicunt de hæresi, aliisque causis, quamvis, deficientibus probationibus, innocens ad reddendum debitum a judice ecclesiastico compellatur; etenim falsa præsumptione facti niteretur sententia. Ecclesiæ auctoritas tunc non requiritur nisi ad fraudes et scandala præcavenda, et ad innocentem aptum reddendum ad alium statum eligendum. (*Scavini, n.* 857, *Gury, Ballerini, n.* 764, *S. Lig., n.* 969).

II. Idem dicunt *absolute probabilius Bon., S. Lig., n.* 969, etc., *quoad habitationem;* modo adulterium, vel hæresis, vel alia animæ, aut corporis valde gravia pericula sint certa; nec enim in S. Scriptura, neque in jure canonico habetur distinctio inter publicam, et privatam separationem, sed tantum inter ipsius causas. Sed quia juxta omnes requiritur, ut absit scandalum, vel quod aliter reparari nequeat, idque vix contingere possit, nisi et ipsum conjugium sit occultum, vel publica sit, vel fiat causa separationis, sic in praxi consultius erit plerumque sentire cum *Conc., Bellar., S. Thom., Suppl., q.* 62, *a.* 3, et *aliis*, separationem privata auctoritate factam damnantibus; quia cum conjugum separatio sit actus publicus ad externum forum spectans, fieri privatim nequit in praxi absque perturbatione; — vel saltem adhærere *Laym., Salm., n.* 47, *S. Antonin., aliisque,* qui id tantum permittunt, si adulterium sit notorium (et idem dic de aliis causis); tum quia alias non licet adulteri famam prodere, ut illi dicunt; tum quia cessat tunc scandali, ac perturbationis periculum, cum notoria sit separationis causa, ut nos dicimus. Secus neque in foro conscientiæ conjugem dimittere posset innocens; et si dimittat, compellendus esset ad illum recipiendum, vel ad juridicam sententiam obtinendam, ne dentur scandala, et ansa hominum malitiæ conjugem forte innocentem ob ejusmodi dimissionem vexandi. Ita *Ballerini, n.* 764. Et ne pericula incontinentiæ, ac filiorum damna oriantur, addere licet.

III. Confessarius vero in hoc, ac etiam in voti castitatis emissione valde caute procedere debet. Caveat ne facilius credat uxorum querelis adversus viros; satagatque, ut eas compescat, et a divortio, in quantum fieri possit, avertat, ut recte ait *Gury.* Non raro divortia a minimis incipiunt; aliquando ratione justitiæ permitti possent; sed titulo charitatis sunt interdicenda, et fere semper ratione melioris boni: unde in praxi parochus, vel confessarius ab initio animos conjugum reconciliare debet exemplo S.[æ] Monicæ, aliarumque Sanctarum, et maxime Jesuchristi, imo et ex conditionis humanæ statu; ac demum evangelicum præceptum proponendo juxta illud: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem.*

*Christi.* (Galat. VI). Nam onera matrimonii nequaquam tolli possunt per jurgia, et divortia, sed patienter ea tolerando imminuuntur, ac in lucrum vertuntur.

999. Q. *Quid si conjuges privata auctoritate separati vivant?*

R. I. Non est inquietandus, nec a sacramentis prohibendus: 1.° qui publice ab altero est *injuste* depulsus; vel ita publice constat; neque si a comparte adulterii notorii causa secessit, quod nullomodo denegari possit.—2.° Si perversionis periculum sit ita evidens, ut moraliter impossibile sit ipsi resistere.—3.° Si cohabitatio præbeat tegumentum parti adulteræ, ut liberius, ac facilius adulteria committat; nam in hisce duobus casibus ad divortium tenetur innocens. *(Gousset,* Scavini, *n.* 928, *Varceno, p.* 287, Salm., *n.* 26, S. *Lig., n.* 973 *et* 974).

II. Absolutione indigni sunt: 1.° qui causam separationis dederunt, usquedum pœnitentia culpam, et scandalum satis reparaverint. (*Gousset*).—2.° Qui causa matrimonii infeliciter initi, vel discrepantis indolis, se private, etsi mutuo consilio, separaverint, nisi ex sua parte deinde alteruter paratus omnino inveniatur ad cohabitationem, et ad causas separationis tollendas, et sua dispositio jam sit publice nota; *Gousset:* vel si, amoto scandalo, et admonitione ac mutuo interveniente consensu, causæ satis graves ac canonicæ existant, in bona fide sint, nec moniti acquiescere vellent; tunc quidem de hoc non sunt monendi; nam pluribus nimis grave est, quod judicialem sententiam provocare cogantur; saltem id tolerandum dicunt, si fiat ad tempus tantummodo. (*Scav., l.* 4, *n.* 539).

Item si conjux sævitiem in compartem exercet, quamvis hæc *per se* separari nequeat ob solas minas, aut contumeliosa verba, nisi ita vir habitualiter uxorem tractet; multo magis si uxor civilis conditionis sit; et adhuc multo magis cum exinde uxoris sanitas sit deperdita. Talis esset injuria, si vir habitualiter uxorem vocaret stupidam, bestiam, ad nihil bonam, et forsan brachio ipsam deprehendens, ac si e domo illam dimittere vellet, ob quæ misera uxor in continuo fletu vivit. Ita declaravit S. C. C. 10 *febr.* 1859. (*Scavini, l.* 3, *n.* 927). Et etiam cum minæ proveniunt a conjuge notorie improbo, et ad crimina proclivi, unde timeri possit quod ad facta transeat, ex *decisione S. Rotæ,* 2 *mart.* 1850.

**En España** la ley del matrimonio civil dispone: 1.° El divorcio tan solo suspende la vida comun de los cónyuges y sus efectos. *Art.* 83.—2.° Los cónyuges no podrán separarse por mútuo consentimiento, ó sin el mandato judicial. *Art.* 84.

El divorcio procederá solamente por las siguientes causas: 1.ª Adulterio de la mujer no remitido expresa ó tácitamente por el marido.—2.ª Adulterio del marido con público escándalo, ó abandono de la mujer, ó cuando el adúltero tuviere á su cómplice en la casa conyugal, no siendo remitido como arriba por la mujer.—3.ª Malos tratamientos graves de obra, ó de palabra, inferidos por el marido á la mujer.—4.ª Violencia moral ó física, ejercida por el marido sobre la mujer para obligarla á cambiar de religion.—5.ª Malos tratamientos de obra, inferidos á los hijos, si pusieren en peligro su vida.—6.ª Tentativa del marido para prostituir á su mujer, ó esta proposicion.—7.ª Tentativa del marido ó de la mujer para corromper á sus hijos, y la complicidad en su corrupcion ó prostitucion.—8.ª Condenacion por sentencia firme de cualquiera de los cónyuges á cadena ó reclusion perpétua. *Art.* 85. El divorcio solo podrá ser reclamado por el cónyuge inocente. *Art.* 86.

El matrimonio se estima subsistente para todos los efectos civiles, mientras no haya sentencia firme que autorice la separacion. *S. T. S.* 23 *abril y* 8 *de junio de* 1866.

**1000. Efectos del divorcio.** 1.° Separacion definitiva de los cónyuges.—

2.ª Quedar ó ser puestos los hijos bajo la potestad del cónyuge inocente. Si ambos fueron culpables, quedarán bajo la autoridad del tutor ó curador nombrado con arreglo á la ley de Enjuic. civil. En todo caso la madre conservará á su cuidado á los hijos menores de 3 años hasta que cumplan esta edad, á no haberse dispuesto otra cosa en la sentencia.—3.ª Privacion por parte del culpable, mientras viviere el inocente, de la patria potestad y de los derechos consiguientes. Esta privacion no eximirá al conyuge culpable del cumplimiento de las obligaciones para con sus hijos.—4.ª La pérdida por parte del culpable de todo lo dado ó prometido por el inocente, ó por otra persona en consideracion á este, y la conservacion de todo lo recibido por el inocente, y el derecho de reclamar desde luego lo que hubiere sido prometido por el culpable.—5.ª La separacion de los bienes de la sociedad conyugal y la pérdida de la administracion de los de la mujer, si fuere el marido el culpable, y la mujer los reclamare. *S. T. S. de* 18 *jun. de* 1864.—6.ª La conservacion por parte del marido inocente de la administracion de los bienes de la mujer, la cual solamente tendrá derecho á alimentos. *Art.* 88.

El divorcio y sus efectos cesarán cuando los cónyuges consintieren en volver á reunirse, poniéndolo en conocimiento del juez ó tribunal, que hubiere dictado el divorcio; se exceptúa el caso de divorcio sentenciado por las causas 5.ª y 7.ª arriba dichas. Por *R. O. de* 9 *febr. de* 1875 la jurisdiccion eclesiástica ha sido reintegrada en el conocimiento de las causas de divorcio de matrimonio canónico. *Art.* 7.ª

—Si el marido ha dado motivo á la separacion, ha de suministrar los alimentos á su mujer segun su clase y facultades del marido; y si lo hubiese dado la mujer, no ha de suministrarle sino lo mas preciso para la subsistencia. (*Escriche, y reales cédulas de* 22 *de marzo de* 1787, 18 *marzo de* 1804, *y Gutierrez, p.* 358).

Hoy dia está vigente, que el marido mayor de 18 años puede administrar su hacienda y la de su mujer. La facultad de administrar no lleva consigo la de enajenar ni gravar los bienes raices, para lo que necesita autorizacion judicial, y todo como los menores, y disfruta de la restitucion *in integrum* mientras no cuente 25 años. Esa facultad autoriza al marido para intervenir en pleitos y contratos, en negocios judiciales y extrajudiciales. *Gut.*, *p.* 417.

Si pater causam divortii dederit, filii apud matrem ad secundas nuptias non venientem nutriantur patris expensis; si vero contra, tunc apud patrem, matris lucupletis expensis, nisi pater minus idoneus sit; tunc enim apud matrem locupletem nutriantur. Ad id tamen requiritur sententia judicis. Ita communius *Sanch.*, *n.* 7, *Pal.*, *Gut.*, *S. Ligor.*, *n.* 976, et *Glosa* in *Authent. Si patet. C. Divortio facto.* Quando alter conjugum esset infidelis, vel hæreticus, proles semper apud fidelem educanda est, quamvis fidelis in culpa fuerit. *Sanch.*, *n.* 3, *et alii.*

FINIS.

# LEY DE CAZA Y DE PESCA.

Cambiada recientemente la ley de caza, la que conviene con los moralistas en cuanto á las tres clases de animales y el modo de adquirir y conservar su propiedad, ponemos aquí lo siguiente:

Para cazar con escopeta en los terrenos del Estado ó de los pueblos que no se hallen vedados, se necesita licencia de arma y de caza. *Art.* 8.—En los de propiedad particular solo podrá cazar el dueño y los que este autorice por escrito, segun las condiciones del propietario, y en su defecto con las de esta ley *Art.* 9 y 11.—El derecho de cazar corresponde al arrendatario de la finca si no se hubiese estipulado lo contrario. *Art.* 13.—Considerándose cerradas todas las tierras pertenecientes á dominio particular, nadie puede cazar en ellas sin permiso escrito de su dueño mientras no estén levantadas las cosechas. En los terrenos materialmente cerrados y acotados, ó en los amojonados, nadie puede cazar sin permiso del dueño. *Art.* 15.—El cazador que, usando de su derecho de caza, hiere una pieza de caza menor, no podrá entrar en propiedad ajena sin permiso del dueño cuando la heredad esté materialmente cerrada por seto y tapia ó vallado; si bien el dueño tendrá el deber de entregar la pieza herida ó muerta. Si no está materialmente cerrada podrá penetrar á coger la pieza herida ó muerta; pero será responsable de los perjuicios que ocasione. *Art.* 16.—Queda absolutamente prohibida toda clase de caza en la época de reproduccion, como se dice en la pág. 48, y en el art. 17 de dicha ley. Las aves insectívoras no pueden cazarse en tiempo alguno. *Art.* 17.—Los dueños particulares no pueden usar reclamos ni otros engaños á distancia de 500 metros de las tierras colindantes sin dicha autorizacion por escrito. *Art.* 18.—La caza de perdiz con reclamo queda absolutamente prohibida en todo tiempo, salvo lo dispuesto en el artículo anterior. Lo mismo se prohibe con huron, lazos, redes, etc., exceptuándose los pájaros no declarados insectívoros. *Art.* 19.—Toda caza queda prohibida en los dias de nieve, y de noche con luz artificial. *Art.* 21 y 22.—Queda prohibida la venta de caza durante la temporada de veda. *Art.* 25.

No podrá tirarse á las palomas domésticas ajenas sino á la distancia de un kilómetro de la poblacion ó palomares, y aun asi no podrá hacerse con señuelo ó cimbel, ni otro engaño. *Art.* 32.—Los alcaldes de los pueblos dictarán las disposiciones oportunas, fijando la época en que los palomares deben hallarse cerrados *Art.* 33.

El que hiere á una res tiene derecho á ella mientras él solo ó con sus perros la persiga. *Art.* 37. —Si fuese levantada y no herida por un cazador, y otro la matase durante la carrera, el matador tendrá iguales derechos á la pieza. *Art.* 38.

En las infracciones de esta ley se impondrá siempre la pérdida del arma (que podrá recuperarse mediante la entrega de 50 pesetas en papel de pagos), la indemnizacion del daño, la pérdida de la caza, una multa de 5 á 25 pesetas por primera vez, de 25 á 50 por segunda, y de 50 á 100 por tercera, siempre con papel de pagos, ó un dia de arresto por cada 10 rs. que deje de satisfacer. *Art.* 47, 48 y 49.—Encontrado en propiedad ajena sin dicho permiso, será entregado á los tribunales ordinarios. Tambien el art. 51 señala las penas en que incurren los que destruyen los nidos de perdices, etc. Queda á cargo de la guardia civil el cumplimiento de esta ley. Quedan derogadas todas las ordenanzas, pragmáticas, y leyes anteriores á esta en cuanto se refieren á la caza. Dado en Palacio á 10 de Enero de 1879. Yo el Rey.

Queda tambien modificado el impuesto del traslado de bienes.

# INDEX.

## TRACTATUS OCTAVUS.

### De justitia et jure, seu de septimo et decimo Decalogi præcepto.

Fól.

Caput I.—De justitiæ natura, et jure. . . 3
Cap. II.—De dominio in genere, ejusdemque origine. . . . . . . . . . . 6
Cap. III.—De dominii objecto, et subjecto.. 8
Cap. IV—De dominio clericorum. . . . 12
Cap. V.—Leyes de amortizacion y desamortizacion.. . . . . . . . . . . 15
Cap. VI—De bonorum ecclesiasticorum usurpatoribus.. . . . . . . . . . 22
Cap. VII—De dominio filiorum. . . . . 25
Cap. VIII—De dominio uxorum. . . . . 28
Cap. IX—De dominio auctorum. . . . . 45
Cap. X.—De possessione.. . . . . . . 47
Cap. XI.—De occupatione, venatione, et piscatione . . . . . . . . . . . . 48
Cap. XII—De inventione. . . . . . . 50
Cap. XIII.—De accessione. . . . . . . 53
Cap. XIV.—De præscriptione. . . . . . 56
Cap. XV—De usufructu et usu. . . . . 64
Cap. XVI.—De servitute.. . . . . . . 68

## TRACTATUS NONUS.

### De contractibus in genere.

Cap. I.—De natura, divisione, et materia contractus.. . . . . . . . . . . 72
Cap. II—De subjecto contractus. . . . . 75
Cap. III.—De consensu ad contractum requisito.. . . . . . . . . . . . . 78

Fól.

Cap. IV.—De errore, dolo, vi, et metu in contractu. . . . . . . . . . . . . 79
Cap. V.—De contractus obligatione, modo, et juramento. . . . . . . . . . . 83
Cap. VI.—De quasi-contractu, et quasi-delicto. . . . . . . . . . . . . 88

*De contractibus in specie.*

PARS PRIMA—**De contractibus gratuitis.**

Cap. I.—De promissione.. . . . . . . 89
Cap. II—De donationibus in genere, inter vivos, mortis causa, et de traditione.. . 91
Cap. III.—De testamento, ejusque divisione, formalitatibus, et testibus. . . . . 98
Cap. IV.—De testatore, ac hæredis institutione.. . . . . . . . . . . . . . 110
Cap. V—De hærede. . . . . . . . . . 113
Cap. VI.—De hæreditate necessaria, seu de legitima . . . . . . . . . . . . 117
Cap. VII—De præteritione, exhæredatione, et hæreditatis aperitione. . . . . 120
Cap. VIII—De hæreditatis divisione, et bonorum collatione. . . . . . . . . 123
Cap. IX.—De testamenti infirmitate. . . . 124
Cap. X.—De executore (albacea) testamenti. . . . . . . . . . . . . . 125
Cap. XI.—De codicillis, et legatis.. . . . 127
Cap. XII.—De substitutionibus . . . . 133
Cap. XIII.—De hæreditate ab intestato.. . 138
Cap. XIV.—De deposito, sequestro, et mandato.. . . . . . . . . . . . . . . 145
Cap XV—De commodato, et precario. . . 147
Cap. XVI—De mutuo, et usura . . . . 149
Cap. XVII.—De titulis ab usura excusantibus.. . . . . . . . . . . . . 154

Pars secunda.—*De contractibus onerosis.*

Cap. I —De emptionis, et venditionis natura, subjecto, et objecto.. . . . . . 161
Cap. II —De regulis emptionis, et venditionis. . . . . . . . . . . . . . 163
Cap III.—De justo pretio. . . . . . . 166
Cap IV.—De venditoris, et emptoris obligationibus . . . . . . . . . . . 170
Cap. V.—De retrovenditione, mohatra, et proxeneta . . . . . . . . . . . 174
Cap. VI —De venditione sub hasta, et de monopolio.. . . . . . . . . . . . 176
Cap VII.—De permutatione, et rescissione venditionis. . . . . . . . . . . 179
Cap. VIII.—De contractu societatis, et trino. 180
Cap. IX.—De locatione. . . . . . . . 183
Cap. X.—De cambio, et transactione. . . 187
Cap XI —De censu, emphyteusi, et vitalitio. . . . . . . . . . . . . . 189
Cap. XII —De pignore, fidejussione, et hypoteca. . . . . . . . . . . . . . 193
Cap. XIII —De assecuratione, sponsione, loteria, et ludo. . . . . . . . . . . 198

## TRACTATUS DECIMUS.

### De justitiæ, et juris violatione.

Cap I.—De furto . . . . . . . . . . 203
Cap. II.—De causis a furto excusantibus. . 208

## TRACTATUS UNDECIMUS.

### De restitutione.

Pars prima — *De restitutione in genere.*

Cap. I —De obligatione restitutionis . . 210
Cap. II.—De possessore rei alienæ bona, dubia, et mala fide. . . . . . . . . 212
Cap III —De injusta damnificatione . . . 218
Cap. IV.—De injusta cooperatione. . . . 223
Cap. V.—De ordine restitutionis inter cooperatores. . . . . . . . . . . . . 232
Cap. VI.—De eo, cui sit restituendum, et quo ordine. . . . . . . . . . . 234
Cap. VII.—De tempore, et modo restitutionis. . . . . . . . . . . . . . 239
Cap. VIII —De causis a restitutione excusantibus. . . . . . . . . . . . 242

Pars secunda.—De restitutione in specie.

Cap. I.—De restitutione ob damnum in bonis animæ. . . . . . . . . . . . . 246
Cap II —De restitutione ob homicidium, et mutilationem. . . . . . . . . . . 247
Cap III.—De stupro, et fornicatione. . . 249
Cap. IV.—De restitutione propter adulterium. . . . . . . . . . . . . . 253
Cap. V.—De tributorum fraudatoribus. . 254

*De octavo Decalogi præcepto.*

Cap. I.—De mendacio, judicio temerario, et suspicione. . . . . . . . . . . 258
Cap. II —De detractione . . . . . . . 260
Cap. III —De detractionem audiente, et de famæ restitutione . . . . . . . . 268
Cap. IV.—De susurratione, contumelia, et irrisione. . . . . . . . . . . . 271
Cap. V.—De secreti violatione . . . . . 274

## TRACTATUS DUODECIMUS.

### De præceptis Ecclesiæ.

Cap. I —De secundo Ecclesiæ præcepto, seu de annuali confessione. . . . . . 278
Cap II.—De tertio Ecclesiæ præcepto, seu de Communione. . . . . . . . 279
Cap. III.—De quarto Ecclesiæ præcepto, seu de jejunio ecclesiastico. . . . . . . 282
Cap. IV.—De abstinentia qualitatis. . . . 284
Cap V.—De abstinentia quantitatis in diebus jejunii, et de collatiuncula vespertina. . . . . . . . . . . . . . 287
Cap. VI.—De causis a jejunio excusantibus. 290
Cap. VII.—De decimis, primitiis, et oblationibus. . . . . . . . . . . . . 295
Textus Bullæ Cruciatæ. . . . . . . . 297

## TRACTATUS DECIMUSTERTIUS.

### De sacramentis in genere.

Cap. I.—De sacramentorum natura, et divisione. . . . . . . . . . . . . 319
Cap II.—De materia, forma, et ministro sacramentorum. . . . . . . . . . . 322
Cap. III —De conditionibus ad validam, et licitam sacramentorum confectionem, atque administrationem. . . . . . . 327
Cap. IV.—De sacramentorum subjecto, et effectibus, ac de sacramentalibus. . . . 336

## TRACTATUS

## DE SACRAMENTIS IN PARTICULARI.

### De Baptismo.

Cap. I.—De natura, proprietatibus, et necessitate Baptismi . . . . . . . 342
Cap II —De materia, et forma Baptismi. . 343
Cap. III.—De Baptismi ministro, et subjecto. . . . . . . . . . . . . . 346
Cap IV.—De Baptismi cœremoniis, et effectibus. . . . . . . . . . . . . . 352

*De sacramento Confirmationis.*

Cap. I.—De natura, materia, et forma Confirmationis. . . . . . . . . . . . 354

Cap. II.—De ministro, subjecto, et necessitate Confirmationis. . . . . . . . . 356

*De Eucharistia ut sacramento.*

Cap. I —De natura, et Institutione Eucharistiæ . . . . . . . . . . . . . 359
Cap. II —De materia, et forma Eucharistiæ. 361
Cap. III.—De ministro Eucharistiæ. . . . 368
Cap. IV.—De modo SS. Eucharistiam asservandi, et exponendi. . . . . . . . 372
Cap. V.—De subjecto, et necessitate Eucharistiæ . . . . . . . . . . . . . 374
Cap. VI. —Dispositiones ad Eucharistiam suscipiendam. . . . . . . . . . . . 376
Cap. VII.—De Viatico. . . . . . . . 382
Cap. VIII.—De Communione frequenti. . . 385

*De Eucharistia ut sacrificio.*

Cap. I.—De sacrificii Missæ natura, efficacia, et speciebus. . . . . . . . . 388
Cap. II —De obligatione celebrandi ratione sacerdotii, officii, stipendii, et beneficii. 400
Cap. III.—De tempore, loco, et applicatione Missæ . . . . . . . . . . . . . 410
Cap. IV.—De requisitis ad Missæ celebrationem. . . . . . . . . . . . . . . 414
Cap. V.—De Missæ rubricis, et defectibus occurrentibus. . . . . . . . . . . 418

*De sacramento Pœnitentiæ.*

Cap. I —De Pœnitentiæ natura, existentia, et materia. . . . . . . . . . . . 425
Cap. II.—De contritione, et proposito. . . 428
Cap. III.—De constientiæ examine, confessionis necessitate, et conditionibus. . . 438
Cap. IV.—De confessionis integritate, et de causis excusantibus. . . . . . . . 442
Cap. V.—De sacramentali satisfactione. . . 456
Cap. VI.—De indulgentiis, et Jubilæo. . . 462
Cap. VII.—De forma absoluta, et conditionata sacramenti Pœnitentiæ. . . . . . 471
Cap. VIII.—De Pœnitentiæ ministro, ejusque approbatione, et jurisdictione. . . 474
Cap. IX —De casuum reservatione. . . . 483
Cap. X.—De complice in re turpi. . . . 492
Cap. XI.—De sollicitatione. . . . . . . 493
Cap. XII.—De confessarii dotibus, et muneribus. . . . . . . . . . . . . . 500
Cap. XIII.—De absolutione concedenda, differenda, neganda. . . . . . . . . 509
Cap XIV.—De pœnitentibus consuetudinariis, recidivis, et occasionariis. . . . . 511
Cap. XV.—De directione animarum. . . . 519
Cap. XVI —De sigillo confessionis. . . . 529
Cap. XVII.—De defectibus corrigendis in confessione commissis. . . . . . . . 537

*De Extrema-Unctione.*

Cap I.—De natura, et effectibus Extremæ-Unctionis. . . . . . . . . . . . . 540
Cap. II.—De materia, et forma Extremæ-Unctionis. . . . . . . . . . . . . 541
Cap. III —De ministro, et subjecto Extremæ-Unctionis. . . . . . . . . . 543

*De sacramento Ordinis.*

Cap. I.—De natura, et divisione Ordinis. . 546
Cap. II.- De materia, et forma singulorum Ordinum. . . . . . . . . . . . . 551
Cap. III.—De ministro, et subjecto Ordinis. 554

*De sacramento Matrimonii.*

Cap I —De sponsalium natura, et divisione. . . . . . . . . . . . . . . 564
Cap. II.—De obligatione, et effectibns sponsalium. . . . . . . . . . . . . 569
Cap. III.—De sponsalium dissolutione. . . 571
Cap. IV.—De proclamationibus, seu bannis. 576
Cap. V.—De impedimentis matrimonii in genere. . . . . . . . . . . . . . 581
Cap. VI.—De impedimentis matrimonii impedientibus. . . . . . . . . . . . 585
Cap. VII.—De impedimentis dirimentibus in specie. . . . . . . . . . . . . 586
Cap. VIII.— De potestate dispensandi, de causis dispensationis, et de modo dispensationem a dirimentibus impedimentis obtinendi. . . . . . . . . . . . . 607
Cap IX —De modo dispensationem petendi, eamque exequendi.. . . . . . . 617

*De natura sacramenti Matrimonii.*

Cap. I —De matrimonii natura, sanctitate, divisione, et consensu. . . . . . . . 623
Cap II —De matrimonii unitate, firmitate, fine, et effectibus. . . . . . . . . 627
Cap. III —De materia, forma, ministro, et subjecto matrimonii. . . . . . . . 632
Cap. IV.—De celebratione matrimonii canonici, et civilis.. . . . . . . . . . 635
Cap V.—De matrimonii revalidatione. . . 642
Cap. VI.—De actus conjugalis honestate, obligatione, et circumstantiis. . . . . 645
Cap. VII —De conjugum excessibus, et de onanismo in particulari. . . . . . . 649
Cap. VIII.—De causis quibus jus ad debitum amittitur, et de divortio . . . . . . 663

# ERRATA.

| PAG. | LIN. | ERRATA | LEGE |
|---|---|---|---|
| 4 | 33 | communitativam | commutativam |
| 8 | 25 | ractioni | ratione |
| 50 | 35 | 1836 | 1835 |
| 66 | 22 | quod | illud, quo |
| " | 50 | ea | eas |
| 67 | 1 | ea | eas |
| 76 | 22 | obsentes | absentes |
| 77 | 1 | tamen, | tamen uxor, |
| 80 | 37 | cuinam | a quo |
| 84 | 27 | existenti | existentem |
| 88 | 33 | gestatoris | gestoris |
| " | 37 | gestator | gestor |
| " | 38 | gestatores | gestores |
| 95 | 46 | donatario | donatori |
| 103 | 40 | sello 4.° | sello 11.° |
| 108 | 38 | lo | el |
| " | 35 | hærdis | hæredis |
| 111 | 40 | quod | quot |
| 132 | 11 | interpretari | intelligi |
| 145 | 36 | pareat | pereat |
| 147 | 27 | mandanti | mandantis |
| 158 | 14 | actuarii | auctarii |
| 164 | " | grabada | gravada |
| 166 | 6 | staminum | stannum |
| 167 | 40 | carioris | carius |
| 174 | 12 | inquiiino | inquilinato. |
| 212 | 34 | atione | ratione |
| 216 | 15 | conscientia | conscientiam |
| 220 | 32 | alteri | alter |
| 238 | 8 | suorum | illorum |
| 242 | 37 | bono communi | boni communis |
| 246 | 6 | tuus | ejus |
| 252 | 40 | jus ad adæq. | jus adæq. |
| 254 | 14 | interest | conducit |
| 265 | 26 | peccare | peccari |
| 267 | 29 | cui | cujus |
| " | 46 | Ad id eum | Ad eum ad id |
| 315 | 42 | elargita | data |
| 322 | 17 | aiterutram | alteram |
| 334 | 39 | roborem | robur |
| " | 48 | judicabimus | judicaverimus |
| 335 | 27 | linivit | lenivit |
| 338 | 23 | admonitione | admonitio |
| 389 | 7 | merta | merita |
| 398 | 42 | didicendum | dicendum |
| 400 | " | fidelibus | fideles |
| 423 | 32 | asservatu | asservatur |
| 427 | 22 | citro | citra |
| 445 | 6 | speciem | species |
| 452 | 5 | moraiiter | mortaliter |
| 501 | 17 | defatigati | defatigatos |
| 520 | 18 | rubus | rebus |
| 536 | 43 | respondi | responderi |
| 547 | 27 | ullus | nullus |
| 573 | 23 | damnorum | damnis |

# INDEX ALPHABETICUS.

**Numeris majoribus designatur tomus, minoribus autem numerus marginalis.**

## A


Abbas: (V. *Regulares*).
Abbatissa, ejus electio: I, 807; leges ferre, 133; censuras, 206.
Abbreviationes SS. Congregationum: I, 143.
Abortus: I, 882; pœnæ in procurantes, 888; fœtus abortivus an baptizandus? II, 556.
Abrogatio legis: I, 198.
Absens: a choro: I, 720 et seq.; a parœcia, 729 et seq.
Absolutio a censuris: I, 226; a papalibus, 230, et 233; ab irregularitate, 297; ab hæresi, 438; a simonia, 495; quoad usurpatores Ecclesiæ. II, 23 et seq.; restituere nolentes, 298; moribundos, 710; conditionata. 759; ab hæreticis, et censuratis data, 760; absolvere cum dubia jurisdictione, 767; a reservatis, 777; peregrinorum, 769, et 784; concedenda, differenda, neganda, 810; quoad navigantes, 770; absentes, 758.
Acceptatio populi quoad leges: I, 113, et 114; donationis, II, 116, et 119; satisfactionis, 728.
Accessio acquisitiva: II. 53; mobilium, 58.
Accusator ejusque onera: I, 825; accusare tenentur, 825.
Acedia: I, 365.
Actus: in genere; humanus, ejus divisio: I, 2; imputabilis in causa, 6; indifferentes, 27; ut actus ab objecto malitiam sumat, 31; an actus externus moralitatem actui interno addat? 36; an moralitatem sumat a fine? 38; an actus bonus charitate informari debeat? an ad Deum quolibet actu referri? 39; meritorius, 41; fidei præceptus, 395; actus fidei internus, 397; externus fidei actus, 399; clericis prohibitus, 704; turpes inter conjuges. II, 993.
Aditio hæreditatis: II, 150.
Adhærentes sectis: I, 445.
Adjunctio: I, 579; II, 58.
Adjuratio: I, 579.
Adulterium: I, 917.
Advertentia: an graviter peccet qui advertit actionem suam esse malam: I, 58.
Advocatus ejusque onera: I, 819.
Ædificatio: II, 56.
